REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

RERUM POLONICARUM AB EXCESSU SIGISMUNDI AUGUSTI

LIBRI XII.

Cum Gratia & Privilegio Sacræ Regiæ Majestatis Poloniæ.



FRANCOFURTI AD MOENUM

Sumptibus Caspari VVächtleri, Civis & Bibliopolæ Francof.

Typis JOHANNIS ANDREÆ.

M. DC. LXXII.



HOdie incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur. *Deuteron. Cap. 2.*

OMnium somnos Principis vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. *Seneca Cons. ad Polyb.*

REx constituitur ex idoneis aptisque, ob eminentiam Virtutis, aut actionem, quæ à virtute. *Aristot. V, Polit. Cap. X.*

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO PRINCIPI
ET DOMINO
MICHAELI
DEI GRATIA REGI POLONIÆ,
MAGNO DVCI LITVANIÆ, RVSSIÆ, PRVSSIÆ, MASOVIÆ, SAMOGITIÆ, KIOVIÆ, WOLHYNIÆ, PODOLIÆ, PODLACHIÆ, LIVONIÆ, SMOLENSCIÆ, SEVERIÆ, CZERNICHOVIÆQUE.

Domino Suo Clementiſsimo

Joannes Heidenſteinius Solleſcius
Caſtellanus Gedanenſis

Dedicat, Conſecrat.

TAnta ſemper fuit Hiſtoriæ dignitas & utilitas Sereniſſime Rex, ut illam non tantum antiquis temporibus, verum etiam modernis Principes ſummo ſint proſecuti honore eamque ſemper ut magiſtram vitę ſecuti ſint. Illa enim eſt, quæ inſtruit homines, & quid ſequendum fugiendumque ſit, edocet, in illa velut in ſpeculo quisque ornare & componere vitam ad alienas virtutes poteſt. Hæc lux veritatis & vita memoriæ eſt L. Lucullus Mithridatem & Tigranem potentiſſimos reges ſuperavit non aleâ imperandi, bellandique peritiâ, niſi illâ quam ab Hiſtoriis attulit. Nec immerito Alexander Magnus felix doctore, felix ingenio Homerum maximè amavit, & ita quidem coluit, ut cum in Dariana præda ſcrinium gemmis & auro ornatiſſimum repertum fuiſſet, & alij alio deſtinarent, ipſe Homeri carminibus reſervari juſſit, quod pulcherrimum opus pulcherrimo conditorio dignum exiſtimaret. Cum ſcirem Majeſtatem Tuam ſimili cultu Hiſtorias complecti Parentis mei piè defuncti relicta opera rerum Polonicarum, à me nunc demum perfecta nemini præterquam Majeſtati Tuæ dedicanda & conſecranda eſſe duxi. Cui enim convenientius? quàm qui ſtirpem & gentem ſuam in iis agnoſcet? Æternâ memoriâ dignorum Regum & Civium Stephani, Sigismundi, Viſnieviciorum, Zamoiſcij? Paſſim hic proferentur è majoribus Majeſtatis Tuæ, qui opera hæc ut cœlum ſtellæ illuſtrant. Ad illorum imitatio-

nem ſingulari Dei beneficio & favore totius Reipublicæ Polonæ, nec non ſuffragiis liberis electus, deſignatus, & coronatus Rex totum ſe Majeſtas Tua componit, hoc unum elaborat, ut Pietate, Clementiâ, Juſtitiâ, Prudentiâ, Regnum hoc tot calamitatibus debilitatum, tot bellis exhauſtum corroboret, & tranquillitate exoptatâ beatum præſtet. Et hic eſt verus & maximus fructus liberæ Electionis quæ optimum quemque invenit. *Nam naſci & generari à Principibus (ut Tacitus ſentit) fortuitum, nec ultra æſtimatur, cooptandi judicium integrum, & ſi eligere velis conſenſu monſtratur.* Ergo ad Majeſtatem Tuam eo, hoc ſcilicet fine, ut ſplendorem Hiſtoriæ huic & tutelam conciliem. Inſignia Principum ædibus Prætoriis ſolent appendere, contra injuriam & proterviam hominum, ſic nomina hæc ſacra contra invidiam & malevolentiam. Non enim deerunt, qui aut ſiniſtrè interpretabuntur, aut injuſte coarguent, id quod ex officio Hiſtorici, veritatem rebus adſtruentis procedit. Quod reliquum eſt Deum precor, ut proſpera Majeſtati Tuæ nobisque omnibus Regni Majeſtatis Tuæ initia impertiatur, & lætioribus indies ſucceſſibus id cumulet, Tuamque Majeſtatem longævam nobis ſervet, & donet tandem ſub Optimo Principe optimam & diu exoptatam Pacem. Datum Sollencini VI. Kalend. Martij Anno Domini M DC LXXI.

MICHA-

MICHAEL DEI GRATIA

Rex Poloniarum, Magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kioviæ, Wolhyniæ, Podoliæ, Podlachiæ, Livoniæ, Smolenſcię, Severię, Czernichoviæque.

SIgnificamus præſentibus Literis Noſtris quorum intereſt univerſis & ſingulis, Cum Nobis expoſitum eſſet per certos Conſiliarios Noſtros ac Magnificum Joannem Heidenſtein Caſtellanum Gedanenſem ſuſcepiſſe curam Spectabilem Gaſparum Wächtlerum Civem & Bibliopolam Francofurtenſem ad Mœnum fluvium, manuſcripta Opera ſeu Libros nimirum Hiſtoriam rerum in Polonia ab exceſſu Prædeceſſoris Noſtri Sereniſſimi Sigismundi Auguſti usque ad recentiores præterlapſos annos geſtarum, labore & ingenio Eruditi Viri Generoſi olim Reinholdi Heidenſtein Secretarij Regij, Parentis prænominati Magnifici Caſtellani Gedanenſis conditam; atque etiam Tractatum, de eligendo vitæ genere, per ipſummet Magnificum Caſtellanum Gedanenſem ingenioſe conſcriptum, propriis ſumptibus, typo eleganti, in lucem edere; Vereri autem, nè poſteaquam hæc opera in lucem prodierint, æmuli Typographi recudendo in recenti eadem, prænominatum ſpectabilem Bibliopolam non ſolum ſperato fructu, ſed etiam ſumptuum notabilium compenſatione privent. Supplicatumque Nobis ut ejusdem Bibliopolę libertati & indemnitati autoritate Noſtrâ Regiâ providere dignaremur. Nos proinde prout laudabili inſtituto ſupra nominati Magnifici Caſtellani Gedanenſis, ita etiam interceſſioni, ex parte prędicti Bibliopolæ Francofurtenſis factæ benigne annuentes, Eidem facultatem & libertatem cudendi ſeu imprimendi ſpecificata ſupra Opera ac Libros (Cenſoris autoritate approbatos) ex ſpeciali Gratia Noſtra ad annorum Quindecim à data præſenti computandorum decurſum concedendam & tribuendam eſſe duximus, concedimusve & damus hocce Privilegio Noſtro; ita ut intra decurſum præfixorum annorum, pręter dictum Spectabilem Wächtlerum & ejus hæredes legitimos, nulli Typographorum, Bibliopolarum, ſeu negotiationem Librariam alio quovis modo in Regno, Provinciis & Civitatibus Regni Noſtri, & Magni Ducatus Lithuaniæ exercentium, licitum ſit nominatos libros recudere, recuſſosve vendere tam in toto quam in parte, ſub amiſſione Exemplarium omnium & pœna Ducentorum Hungaricalium aureorum fiſco Noſtro & accuſanti Parti per mediũ applicanda. Quod ad notitiam omniũ quorum intereſt pręſertim vero officiorum ac Magiſtratuum Noſtrorum quorumvis in Civitatibus Regni Noſtri & Magni

Duca-

Ducatus Lithuanię majoribus & minoribus omnibus Existentium deducentes mandamus, ut sæpe nominatum spectabilem Bibliopolam Francofurtensem circa expressam speciali hocce Privilegio libertatem ad exspirium præfixorum annorum conservent, in invectione & venditione prænominatorum Librorum & aliorum in Dominiis Nostris ac Civitatibus quibuscunque non impediant, nec à quibusvis Typographis Bibliopolis impedire eundem vel successores illius permittant. Pro Gratia & sub pœnis in Convulsores Privilegiorum Nostrorum Regni legibus sancitis. In cujus rei fidem præsentes sigillo Regni muniri jussimus. Datum Varsaviæ Die XXI. Mensis Aprilis Anno Domini M DC LXXI. Regni Nostri Secundo.

Michael Rex.

(LS)

Concessio imprimendi Libros supra specificatos Spectabili Wächtlero Bibliopolæ Francofurtensi ad annos quindecim

Stanislaus Burbusky S. R. M. Regens Cancell.

IN Historia hoc præcipuè salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in Illustri posito intueri: ut inde tibi tuæq; Reipub. quod imitare capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites Livius.

Exequi sententias haud institui, nisi insignes per honestum, aut notabili dedecore, quod præcipuum munus Annalium reor: ne virtutes sileantur, atq; pravis dictis factisq; ex posteritate & infamia metus sit. Corn. Tacitus Annalium l. 3.

Per Historias veteres ire ne recusa. Ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt, atque illinc hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia: vitæ humanæ varias mutationes: & rerum in ea conversiones: mundi hujus instabilitatem, & imperiorum præcipites casus: & ut verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugies, ne in divinæ justitiæ manus incidas: hæc amplecteris, ut præmiis, quæ ea comitantur, potiaris. Basilius pater jam Princeps, ad filium Leonem futurum Principem. Cap. LVI.

REIN-

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

RERUM POLONICARUM AB EXCESSU SIGISMUNDI AUGUSTI

LIBER PRIMUS.

TEmporum nostrorum res an scriberem, diu gravis ancepsq; deliberatio me tenuit, quẽadmodum enim à memoria nostra remotiora, certitudinis minus, ita odij etiam invidiæq; minus habent: præsentia quibus ipsi interfuimus, ut certius prodere possumus, ita odij invidiæq; plena sunt, vicit tamen publicæ utilitatis cura, quamsi præsens sæculum, ut plurimum erga optime etiam meritos, ingratum spernit: Sera fortassis posteritas, suo aliquando tempore probabit. Res autem ab excessu Sigismundi Augusti scripturo præfari licere videtur. Vix non plærasq; superiorum temporum rebus memorabiliores res, scribendas incidere: interregna aliquot: in Moscovia præter opinionem complura gesta: aliquot provincias partim recuperatas, partim pacatas; ad extremum ipsam Moscoviam in triumpho ductam. Verum Sigismundus Augustus Jagelloniæ stirpis masculæ Regum ultimus, ut florentius fere, quam unquam antehac fuerat, regnum reliquit: ita desiderium sui, futurarum autem rerum expectationem, curamq; majorem fere, quam quisquam antea morte sua omnibus attulit. Ad Regni enim statum quod attinet, etsi semper quidem clarum imprimis nomen Sarmaticum fuerit, ut quod & Græca & Romana arma exercuerit: Postea etiam cum potentissimis gentibus vicinis, Germanis, Ungaris, Turcis, Moscis, de plærarumq; provinciarum imperio, vario eventu, semper certarit, Schytarum autem inundationes, per tot sæcula, suorum fere corporum objectu, ad hoc usq; tempus à reliqua Christianitate arcuerit: cum finium tamen amplitudine, tum magnitudine opum, ingeniorum cultu, atq; copia, aliisque diuturnæ pacis commodis, altius certe quam unquam antehac sub id tempus ascenderat. Cum enim ab initio, majore tantum fere ac minore Polonia contineretur, primo Russia partim armis, coloniisq;, partim affinitatibus, iisq; extinctis, jure Regio adjuncta, multo maxima postea accessio Lithuania universa, inde Prussia fuit, quæ cum multorum annorum continuis bellis tentata, in fide tamen cruciferorum, constanter permansisset, postea crudeliter & superbe imperantium, dominatum exosa, jugo cruciferorum excusso, ultro in societatem regni se contulerat belloque inde à cruciferis, qui Regiomonti, & in illa Prussiæ parte se recollegerãt, petita, cum per octodecim annos varia fortuna administratum utrinque bellum fuisset, ita tandem pacata fuerat, ut quæ Culmensis, Mariæburgensis, ac Pomeraniæ tractus nomine, in quo Laumburgensis tamen ac Bythoviensis præfectura Pomeranię Ducibus in feudum cessere, cætera pleno jure in porestate Regum Poloniæ permanerent:

reli-

reliqua Pruſſia Alberto Marchioni Brandeburgenſi Ordinis Theutonici tum magiſtro, ſtirpiq; Brandeburgicæ Onolspacenſi, beneficiario jure à Regibus Poloniæ tenenda permitteretur Pruſſiæ exemplum, poſtea Livonia etiam, ſeu maxima ejus pars ſecuta', aliquot ante mortem Sigismundi Auguſti annis, ipſa quoq; in poteſtatem regni, Magniq; Ducatus Lithuaniæ venerat. Ita ut cum à finibus Ungariæ, Sileſiæ, Marchiæ, Pomeraniæ, in Septẽtrionem, ultra Dunam flumen, ſeu quem paulo ante exceſſum Auguſti Moſchus occuparat, Polocenſem Ducatum, quam latiſſime fines porrigerentur: ab ortu Tyra Boryſtheneq; fluminibus, & vaſtiſſimis, Ocakovienſibus campis, à Turcicis, Tartaricis, & Moſchoviticis ditionibus ſepararentur, à Saxoniæ, Daniæ, & Suetiæ partibus longiſſimo maris Balthici amplexu ambiretur, amplitudine, & latitudine finium nulli fere Chriſtiani orbis Imperio concederet. Quæ Imperij amplitudo, à Jagellonicis maxime temporibus cæpta, ut maxime nomen Polonicum illuſtravit: Ita non minus res eæ, quæ poſt exceſſum Auguſti memorabiles imprimis conſecutæ fuere. Primum enim extincta, in Sigismundo Auguſto ſtirpe muſcula, Regum Jagelloniorum, & ſi jam ante etiam cum in ſuperioribus, tum ejus etiam ſtirpis Regibus conſtituendis jus ſuffragiorum libertas publica uſurpaſſet: Poſt hujus tamen mortem, cum aliquot interregna non magno intervallo conſecuta fuiſſent, præcipue non modo jus ſuum tenuiſſe, verum novo etiam quodam modo in oculis quaſi univerſæ Chriſtianitatis adminiſtraſſe id videtur. Præterquam enim quod modus in aliis electionibus orbi Chriſtiano notis, minus frequẽtatus, quo ex tam diverſis lateq; patentibus finibus ad regiam electionem univerſa nobilitas conveniret, viritimq; Reges eligeret, maxime tum inclaruit: Ipſorum etiam Principum Chriſtianorum tanquam ad prẹmium aliquod virtutis in publico Chriſtiani orbis theatro propoſitum ambiendum certatim quaſi concurrentium, ſtudia & legationes rem per ſe in orbe Chriſtiano celeberrimam, celebriorem etiam quodammodo fecere. Maxime autem in re nova, & quaſi inuſitata, eventus non minus fere novi, atq; inexpectati Reges aliquot partim ab exteris, partim longiſſime diſſitis regionibus petiti: nonnullorum ex iis inopinata cõſilia ac diſceſſus, non minore fere ſtudio deſertum, quam antea Regnum appetitum, æmulationes, diſſenſionesq; non leviores inter ſuffragatores, quam competitores, ab iisque cum armorum aliqui motus, tum alij graviſſimi caſus profecti, innumera autem, cum domi tum foris, bello paceq; præclare geſta & adminiſtrata. Ceteroquin domi non ſatis firma inter omnes concordia, foris autem incerta cum plærisq; vicinis pax, præter alia terriculamenta, maxime animos hominum ſolicitabant. Primum Lithuania paucis ante mortem Auguſti annis, in comitiis Lublinenſibus perpetua formula regno, ab Auguſto unita, & ſi æquiſſimis legibus in conjunctionem eam regni recepta fuerat, non modo tamen nondum ſatis in eam coaluiſſe: ſed graviore fere animo requirere ea videbatur, quæ conjunctione illa deceſſiſſe ſibi exiſtimabat, quam iis, quæ ei acceſſerant lætari. Ab initio enim ita cum Regno à Jagellone, qui ſumma cum poteſtate ei imperabat, tradita fuiſſet, ut juri Regio tota ſubjiceretur poſtea cum ipſius Regis fratribus, tum aliis Ducalis generis annitentibus, paulatim jus id partim detrectare, partim excutere cœperat: qua re ut frementibus ſæpe contra ordinibus Polonicis id conſecuta fuerat, ut ſuo quaſi juri tandem permitteretur: Ita onera etiam omnia, quæ ob bellum maxime Moſchoviticum, graviſſima eam premebant ſola fere ſuſtinere cogebatur: iniquum judicantibus ordinibus Polonicis, ut quæ ab omni juris communione ſe ſubtraheret, auxiliis ſuis, quæ alioquin ex Polonia præſtari illis ſolebant, juvaretur. Poſt ea incumbente maxime in eam rem Sigismundo Auguſto, privatis juribus integris ei relictis, ad publica conſilia, eo quo qui ex Polonicis ordinibus optimo eſſent jure, in ſocietatem regni recepta, atq; ex duabus una respub. effecta fuit: Ita ut conſiliorum publicorum ratione communicata, & Senatus unus efficeretur, & in eum quot Polonici Senatores antea fuiſſent, totidem Lithuanici legerentur; cum antea dum ſuo jure uterentur, pauciſſimi omnino Senatores Lithuanici eſſent. Qua ratione & ſi acceſſit, &, potius aliquid ad jus dignitatẽq; eorum quam deceſſiſſet, cum alia tamen nonnulla non ſatis æquo animo ferebant: tum maxime Wolhinia, Kyowia, & Podlaſſia, quas eodem tempore regno Auguſtus adjudicarat, à Lithuania quemadmodum ipſi exiſtimabant alienatæ, animos illorum ſtimulabant. E quibus quidem Podlaſſia, quod incolæ fere omnes, & maxime nobilitas Moſchovitici generis plæraq; eſſet, in jus etiam Regni non in vita conceſſiſſe. Kyowia Wolchiniaq;, quod proceres ejus ex Ducum Lithuanicorum proſapia oriundi plæriq; eſſent, Lithuaniam magis adhuc ſpectare putabantur. Accedebant ad hæc nonnullorum privatæ offenſiones. Maxime Romanus Sangusko militiæ Lithuanicæ tunc præfectus, aliquotq; expeditionibus clarus Dux, & cum ob virtutem atq; opes, tum generis nobilitatem, quod cum Jagellonibus commune illi erat, magnæ inter Lithuanos autoritatis, ob fratrem à Martino Zborow. in Boemia, & alterum à Zelecho aulico Regio in Volchinia cæſos, graviſſime offenſus, cum paulo ante Auguſtum obijſſet, ſi illi ſupervixiſſet, privatas injurias publico in nomen Polonicum odio, vindicaturus fuiſſe exiſtimabatur. Plærorumq; tamen animos, cum metus à Moſcho, tum illa ipſa de qua dictum eſt ſocietas, ſeu unio, quam vocabant, in qua inferiores ſe exiſtimabant, maxime ſolicitos habebant. Atq; eadem quidem res ijsdem

temporibus in Pruſſia etiam tentata, majoris partis animos eo magis etiam commoverat; quod Lithuani quidem, integris omnibus juribus ſuis ad communionem eam adducti fuerant: Pruſſi cum aliis rebus nonnullis non ſatis juribus ſuis fieri exiſtimarent, tum quod executione legis Alexandrinæ, magnæ partis nobilitatis, poſſeſſiones non ſolum in incertum revocatæ, ſed publicatæ omnino fuerant. Majoribus quas vocant civitatibus, cum eadem lex intentata fuiſſet, vi poſſeſſiones ad id tempus defenderant. Delegati vero aliquo ante mortem Regis tempore, cum Elbingam, tum Gedanum ad inſpiciendas res miſſi non ſolum decretis, legibusq; aliquibus utrobiq; latis, non ſine motu aliquo animorum ſtatum civitatis non nihil immutarant: Verum Gedanenſes ad deprecationem etiam conditionesq; adegerant. Livonia præterquam, quod cum nuperrime ad ſocietatem Regni accesſiſſet, in novo imperio, nondum ſatis coaleſcere in unum corpus potuiſſet, in varios etiam poſſeſſores diſtracta erat. Primum Moſchus jam antequam in poteſtatem regni ſe contuliſſet, Dorpatenſe & Felinenſe agro omni occupato ad extremum Narwa etiam potitus fuerat. Secundum eum Danus Oſiliam & Wikam: Suecus Revaliam, vicinaq; caſtella tenebat. Curlandia & Semgallia, & ſi Gotardo Kettlero, qui cum noviſſime magiſter ordinis Livonici fuiſſet, in deditionem eam autoritatem ſuam præſtiterat, fæudi jure præmium deditionis permiſſa à Sigismundo Auguſto fuerat: & Kettlerus jus Imperij Germanici ipſe etiam in eo ſibi exceperat. Rigenſis civitas, nullius quaſi certum imperium agnoſcere videbatur. Reliquæ partes regni, maxime major ac minor Polonia, non modo ſatis quietæ, ſed privatis factionibus, disſidiisq; exceptis, integriores, quã unquam antea fuiſſent. Cum vicinis plerisque, partim incerta pax, aut ſuſpecta amicitia; partim induciæ erant. Maximilianus Imperator repudio ſororis Catharinæ, quæ poſt mortem Mantuæ Ducis, cui nupta fuerat, infelicibus auſpiciis, Auguſto ſororis ſuæ mortuæ marito elocata, biennio fere ante mortem ejus miſſa ad fratrem ab illo fuerat, offenſus: in ea tamen & ætate, & valetudine, & orbitate Auguſti, ſuapte etiam ingenio magis ſpei ſuæ, domusq; ſuæ, quam injuriis dolorive obſequi videbatur. Qua de cauſa, ut putabatur, paulo poſt dimiſſam Catharinam, Wradislaviam conventus inter ipſum & Auguſtum indictus, poſtea alio quodam eventu interceptus fuerat. Reliqua Germania ſatis pacata. Apud Turcas Selymus Secundus rerum tum potiebatur. Cum quo fœdus antiquisſimum inter Jagellones & Ottomannos ad Sigismundum Auguſtum usq; perductum, ſub exceſſum fere Auguſti, reductione in Moldaviam Bogdani, turbatum nonnihil videbatur. Bogdanus hic filius Alexandri Principis Moldaviæ, conſvetudine & moribus gentis Polonicæ captus, cum plerosq; Polonos circa ſe haberet, arctioresq; neceſſitudine, conjungere ſe genti Polonicæ vellet, cum ſororem ſuam Padniewio in Poloniam locarat, tum ipſe etiam uxorem è Polonia Tarlownam petebat. Cujus rei cauſá cum à Principatu ſuo in Polonia abeſſet, Turcæ cum ultro omnia externorum commercia in provinciis ſuis ſuſpecta habeant, Moldavis ipſis etiam, ut qui partim natura, partim ob Græci ritus disſenſionem, non minus ab externa conſuetudine abhorreant autoribus, Iroṇiam incerti generis hominem, cum alij Stephani Moldaviæ quondam Palatini illegitimum filium eum prodant, alij in Maſovia natum, in Poloniaq; quorundam procerum aliquando in comitatu verſatum, poſtea Conſtantinopolim profectum, ſuperſtitione Turcica imbutum affirment, Bogdano abſente ſufficiunt. Dignus reſtitutione Auguſto Bogdanus viſus: ſed ne ſi conſilio publico reſtitutus videretur, cõtra fœdus factum interpretari Selymus poſſet, Georgio Jazlowiecio militiæ præfecto præterito, Nicolao Mieliecio, qui numero aliquo nobilitatis, tanquam Bogdani affinium & neceſſariorum eum reduceret: negotium datum. Hic juſta manu quidem coacta, atq; militaribus aliquot viris ſibi adjunctis, non eo tamen apparatu provinciam ingreſſus, ut cum Turcis negocij aliquid futurum ſibi ſuſpicaretur, cum Valachos ſolos tumultuare perſuaſum ei fuiſſet, verſus Jaſſos progreſſus, in majorem quam putarat exercitum incidit, cum quo finitimi aliqui etiam Turcæ ac Sendziakus ſe conjunxerant, quorum impetum, cum in re inopinata fortiter ſuſtinuiſſet, paulatim inde ſub Chocimum in ipſis finibus Polonicis præſidiũ, quod à Polonici nominis præfecto Dobroſſolovio tenebatur, nullo ipſe detrimento accepto, hoſtium autem aliquot cæſis, cum copiis ſuis ſe recepit. Ubi cum ex provocatione, ſingulari quoq; certamine, à noſtris aliquot cum Turcis depugnatum fuiſſet, tandem inter ipſos exercitus per colloquia induciæ pactæ: totiusq; rei arbitrio ad Principes rejecto, interim Choczimum etiam in ejusdem Dobroſſolowy poteſtate relictum Bogdanus omni ſpe dejectus, neve Selymo ex fœdere eum repetenti dederetur veritus, cum paucis exilij comitibus in Moſchoviam elapſus, extremũ diem ibi clauſit. Cum Tartaro ut ſemper infida pax, ita ob non ſoluta aliquot annorũ donativa, tum quoque incerta. Cum Moſcho nuper admodum induciæ, ſed novo more conſtitutæ fuerant: Lithuania enim per induciapacata, in Livonia integris induciis Lithuanicis utrinque bellum exceptum fuerat. Hoc rerum ſtatu die VII. Menſis Julij. Anno ſalutis humanæ M D LXXII. leniſſimi rebus humanis Auguſtus eximitur. Poſt dimiſſam aliquot ante annis, poſt Comitia nimirum Lublinenſia anni LXVI. Catharinam, ante etiam mulieroſior habitus, maxime tamen ab eo tempore, mulierum aliquot amoribus illigatus, in conſiliis de divortio cum Catharina authoritate ſummi Pontificis faciendo totus verſari ceperat, ſeu

prolis ſpe ac deſiderio, ſeu liberius ea quam delegiſſet fruendi. Paulo ante mortem cogitationibus iis, vel maxime adhuc occupatus, dum Varſaviæ Comitia habet, nuntium de morte Catharinæ quæ Lincij obierat allatum ei fuit. Quod ſatis conſtat cum ab oratore Cæſareo Joanne Cyro, Abbate Sancti Vincentij. Wratislavienſe mors Reginæ nunciata primu ei fuiſſet, in effuſiſſimas lachrymas erupit, ſtupeſcentibus omnibus, rem quam ultro animo agitaret, cum ſponte ei obveniſſet, tam dolenter ab eo ferri. Ab eo tempore cum mœrori ſe dediſſet, mox morbo etiam implicitus, ſemel tantum in Senatum venit; indeq; Comitiis ſolutis, quæ peſtis etiam vehementiſſima oborta inficiebat, & corpore & animo æger, Kniſſinum ſe receperat. Priusquam Varſavia diſcederet, præſagiens quaſi animo propinquum exitum, menſe Majo teſtamentum condidit, tribus exemplis ejus confectis, ſecretiſſimoq; ſigno obſignatis, unum ſorori Annæ tradidit, alterum ipſe aſſervandum penes ſe habebat, tertium Tikoczini, quo jam ante alias res pretioſiores cõtulerat, depoſuit. Omnium tam mobilium quam immobilium rerum ſorores, Brunſvicenſem, Reginam Sueciæ, Reginulamq; Annam, æquo jure hæredes inſtituit. Ita tamen ut & Reginæ Sueciæ, quæ dotem nondum accepiſſet, & Annæ Virgini, eadem quæ ante Iſabellæ Ungariæ Reginæ, & Zophiæ Brunsvicenſi, triginta duorum milliũ aureorum dos præſtita eſſet, ex hæreditate repræſentaretur. Tria genera poſſeſſionum hæreditario jure in Lithuania maxime & Podlaſſia pertinere ad ſe demonſtrat. Unum paternorum hæreditariorum, pro arbitrio vivente adhuc patre ſibi traditorum alterum maternorum, privatis diverſis juribus, & obligationibus acquiſitorum, tertium quas ipſe, vel jure caduco, vel teſtamento, vel emptione acquiſiviſſet. Cum vel alienis cõferre eas ſe potuiſſe diſputaret, quemadmodum quidem nonnulli ſimiles à ſe collatas poſſiderent, quanto magis optimo, omniumq; gentium jure, ſui iſtas arbitrij & poteſtatis eſſe? Ea igitur, quemadmodum & mobiles res, cum proprium ſuum, majorumq; ſuorum patrimonium & quaſi peculium ſint, ut penes ſanguinem ſuum manerent, æquum eſſe. Itaq; quoad aliqua ex ſororibus, aut poſteris eorum reliqui eſſent, mutuo ſibi ſuccedere debere: Omnibus deficientibus, ad Regnum & M. D. Lithuaniæ in publicos uſus redire debere. Libertatis tamen, & ſecuritatis publicæ cauſa, ut res ſoli à ſororibus juſto tamen pretio & æſtimatione redimantur permittit. Ita tamen ut non prius iis moveantur, quam quod in aliis etiam juris publici eſſet, vel poſt nuptias, ſi Anna etiam extra Regnum nuberet vel poſt mortem ſi obiiſſet. Sepulturam ſi in Regno moriatur Cracoviæ, ſi in Lithuania Vilnô in æde Divæ Annæ inter uxores Eliſabetham, & Barbaram ſibi aſſignat. Fundationemq; præpoſituræ ædis ejus, cum duodecim manſionariis, ornamentorumq; curam, ſepulchrorum itidem tam ſui, ſi ibi conderetur, quam uxorum perficiendorum ſororibus, maximè autem Annæ, illis autem deficientibus ordinibus univerſis, commendat. Collegio Jeſuitico Vilnenſi Bibliothecam Tikocinenſem ea conditione legat, ut ex collegio eorum, quot diebus Dominicis ſemper in ea quis concionetur. Edi autem ipſi Divæ Annæ argentum omne, mundumq; ſuum omnem legat, tam qui in utroq; theſauro aulico, quam quotidiano uſu eſſet. Excepta cruce aurea, in qua ſaphyrus cum ligno ſanctæ Crucis eſſet, quam Cellæ Cracovienſi, in qua Pater ſitus, legat. Cæteroquin Reginulæ Annæ, ut quam in Regno manſuram præſagiret, cuiq; rerum earum maxime curam commendabat, ex auro, argento, mundo, cum ſuppellectile pretioſiore, ſtabulo item, non pauca præ aliis ſororibus præcipua legat. In ſolutionem ſtipendiorum aulæ, renumerationemq; pro cujusq; meritis, ad infima usq; culinæ Aurigarum, & ſtabulariorum, impenſæ operæ, argentum menſæ, quod apud Theſaurarium regni eſſet, deputat. Ita tamen ut ſi ſorores parata pecunia ſatisfacere illis mallent, argenti inter ſe æqualiter partiendi optio illis eſſet. Annæ ordinibusq; utriusq; gentis mutuum amorem, concordiamq;, unionemq; à ſe perfectam multis verbis, magnaq; cum obteſtatione commendat, non ſine imprecatione in eos, qui ab ea diſcederent. Tormenta cujusq; generis & inſtrumentum omne bellicum, quod in Regno reperiretur, regno: quæ in Lithuania, Lithuaniæ legat. quæ Tikoczini, ut tanquam in propria hæreditariaq; arce ſua, nam & illam, inter hæreditarias poſſeſſiones adjunxerat, relinquerentur. Cum Succeſſorem autem quicunq; futurus eſſet, tum omnes utriusq; gentis ordines, præterea vero quos rerum earum hæreditariarum cuſtodes præfectosq; conſtituiſſet, non ſine execratione in ſecus facientes obteſtatur, illos quidem ne vel voluntati ſuæ ultimæ vim vel ſororibus ſuis injuriam, quam ſine dubio vindicaturus DEUS eſſet, facerent; hoſce vero, ne cujusquam vel minis, vel precibus adducti, ulli alij, quam ex voluntate iſta ſua quicquam rerum iſtarum traderent. Literas quæcunq; poſt mortem ſuam in ſcriniis ſuis reperirentur, ut non lectas, mox exurerent, maxime quidem Annam, tum vero quemcunq; qui in eas incidiſſet, dira omnia ſecus facientibus imprecatus, rogat. Executionem teſtamenti ſenatui univerſo utriusq; gentis committit; nominatim autem primoribus, tam ſæcularibus, quam eccleſiaſticis. Dubitabundus autem, quaſi jam tum de voluntate ordinum, præter eos, Joannem Georgium Electorem, Georgium Fridericum Marchionem, Albertum Fridericum in Pruſſia Ducem, itidem Marchionem Brandeburgenſem, tanquam propinquos, ut ſi domeſtici executores officio ſuo deeſſet, ipſi voluntatis ejus ſuæ executionem in ſe ſuſciperent, obſecrat. Senatoribus executoribus equos ſingulos, Marchionibus binos legat, qui ſuper eſſent,

eſſent, quemadmodum vix ullus princeps Europæ, ſeu numero equorum, ſeu bonitate præſtantius ſtabulum habebat, in miniſtros familiamq; aulicam diſtribui jubet; ita tamen ne greges vaſtarentur. Non fefellit eum opinio: non modo enim teſtamentũ, ſed vix quicquam eorum poſt mortem ejus ratũ fuit. Paulo ante mortem, quascunq; nam quæ in uſu erant à Theſaurariis fere ſervabantur, magni precij res privatim habebar ipſe congeſſerat, præterque duo unicornia, aurum, argentum mundũ, ſuppellectilemq; omnem regiam, quam precioſiſſimam habebat, ſignati itidem auri ad ducenta millia Tikocini depoſuerat: præſidioq; ac præfecto ei impoſito, ne cuiquam præter ſorori Annæ poſt mortem ſuam ea traderent, præfectos præſidiariosq; obſtrinxerat. Ita cum nulla ſub mortis ejus tempus ſuppellex, aut pecunia penes eum reperta fuiſſet, pleriq; etiam à morte ejus dilapſi eſſent, ita corpus ejus deſtitutũ fuit, ut nullo fere curam ejus ſuſcipiente, tandem Stanislaus Czarnkovius Referendarius, lintea atq; alia quæ ad pollincturam pertinebant, privato ſumptu, ac cura compararet, adminiſtraretq;. Obijt ætatis an. 52. regni 42. cum decem annorum puer novo exemplo, cooptatus à Patre in Regnum fuiſſet. Exitus ejus cum ſermonos hominum varios, tum multo magis, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, curas commovit, alij mollitiem ejus ſemper otiũ bello præferentem, tum infelicia matrimonia, nonnulli etiam magicæ ſuperſtitionis ſtudium commemorantes, inauſpicato, & contra libertatem publicam, comitiis electionis non indictis, à Patre privatis ordinum ſtudiis comparatis, in regno confirmatum inauguratumque, non minus infeliciter regnaſſe, jactare. Diverſi cum univerſæ familiæ Jagellonicæ in rempub. plurimasq; privatas familias merita, tũ ab ipſo Auguſto Lithuaniã ſocietate regno devinctã, Livoniam adjunctã & publicas poſſeſſiones, à privatis lege Alexandrina vindicatas, tum naturæ benignitatem, qua omnes fere privatim ſibi devinxerat, prudentiamq; in adminiſtrandis rebus dignam magno Principe, maxime autem temporum ejus felicitatem laudat. Polocia enim una excepta quam paucis ante mortẽ ejus annis, Moſchus cœperat, cum integrę provincię partim tentatæ, partim adjũctæ fuiſſent, per tam longũ imperij ejus tempus; detrimentum aliud vix ullum acceptum fuerat. De Moſcho autem aliquot victoriæ relatæ. Cum Imperatore chriſtianorum etiam inter offenſas iſtas, pacem, conſtantiſſime tamen retinuerat. Turcarum autem ita tractare noverat, ut non ſolum pacem cum eo firmam, ſed addictiſſimũ etiam ac reverentẽ ſui haberet, qua ejus apud Turcas autoritate, cum Tartarorum etiam minus frequentes, quam cujusquam alterius fere Regis imperio, in Podoliam Ruſſiamq; excurſiones fuiſſent, tractus earum regionũ ampliſſimi fertiliſſimiq;, cum ob ſuperiorum temporum frequentes vaſtationes, deſerti plane fuisſent, Coloniis deductis, non ſolum rurſum frequentati, ſed ad eam etiam quæ nunc eſt culturam perduci cœperunt. Ad alia pacis, quæ per omne imperij ejus tempus per Regnum ejus ubiq; floruit, cum aulæ tum aliarũ rerum omnium circa illum ſplendor & magnificentia ejus accedebant, quæ ut apud ſuos admirationem, amoremq;, ita apud exteros inter alia etiã autoritatem comparabant, non minorẽ. Verum hæc prout quisq; vel gratia, vel odio movebatur, diverſis jactantibus, publica cura & metus quidam omniũ animos invaſerat. Quod enim ſine prole deceſſiſſet, primum ipſius rei inſolẽtia, plerosq; movebat. Superiorum enim interregnorum, quorum proximum, atq; adeo ſolũ fere, in quo jus ſuffragij maxime emineret, poſt Ludovici, qui in Ungaria Poloniæ ſimul imperarat, mortem, fuerat, quis meminerat? quotus autem quisq; à patribus memoriam acceperat? Conſequẽtes Reges etſi ſuffragiis ad Regnum vocabãtur. Quamvis ne Ludovicano quidem interregno, ad alienos plane perveniſſe Regnũ videri poterat: non magis enim Regno Rex, quam filiæ Regis maritus, quæſitus Jagello fuerat: neq; ſic tamen multarum rerum perturbatione vacavit. Sigismundo Auguſto extincto, ſucceſſionis jure omni ſublato, neq; etiam ratione eligendorum Regum certa aliqua conſtituta, partim incertis fluctibus comitiorũ, partim vicinorum potentiæ ac cupiditati expoſitum regnum videbatur. Ac tantũ quidem cura hæc valuerat, ut vivente adhuc Auguſto, aliquo ante mortem ejus tempore, etiam in publicis Comitiis, vel de certo ſucceſſore etiam vivo illo, deſignando, vel certa forma ſuffragiorum, comitiorumq; publico conſilio conſtituenda agitatum fuerit. Verum cum & valetudine & morte Auguſti, ſolenni cunctatione ejus dilata deliberatio ea fuiſſet, ut alia ita eã quoq; mors ejus prævenit. Præter domeſticas curas, maxime Turca tam potẽs Barbarus proxime offenſus, quodq; fœdus cum eodem nullũ niſi Regibus eſſe ſoleret: eademq; mors Regia inducias etiam Moſchoviticas ruptura videbatur: ab altera vero parte cum domo Auſtriaca ob recentes injurias, non ſatis etiam certa amicitia expectaretur, ſolicitos homines habebant eoque magis, quod neq; Ducem, neq; militẽ fere certum reſpub. tam haberet, à Nicolai enim Sieniavij, qui proxime magiſtratu eo functus fuerat morte, ſive nõ neceſſarium, ſive gravem Regibus magiſtratum eum ratus, nullum militiæ Ducem Auguſtus nominarat. Itaq; magiſtratu eo vacante, cura tamen finium Ruſſicorum Georgio Jazloviecio pro militię Duce demandata poſtea fuit. Jam vero multo ante vivente adhuc Auguſto vaticinia quædam, quæ in omnium converſionum expectatione, tanquã legitima ac ſolennia decantari fere ſolent, eo terrore mentes hominum compleverant, ut cum Auguſto regnum ſimul, atq; omnia interitura pleriq; opinarentut. Non inutilis metus hic erat. Cum enim proximorum annorum, quaſi juſtitio quodam quo ob valetudinem, multitudinemq; cauſarum vacare judicijs Auguſtus non poterat, multorum licentia valde confirmata fuiſſet, atq; ideo ne una cum Principe

cipe legum metu ſublato, in mutuas cædes, ac rapinas rueretur, valdè homines vererentur, facilius & communis ſalutis cura hæc plærosq; in officio continebat: & ut majore etiam religione ad ipſam electionem accederetur, fecit; quam qualem vulgata omnia re & cura illa publici interitus remiſſa, in poſterioribus interregnis verſatam poſtea vidimus. Nuncio mortis Auguſti vulgato, primi minores Poloni Cracoviam magno numero concurrere. Princeps in ea ordinis ſæcularis, cum more majorum Caſtellanus Cracovienſis ſit, illo tempore Sebaſtianus Mieliecius locum eum tenens, dignitate majore quam autoritate erat. Potiſſima apud Joannem Fierleijum Palatinum eundemq; Præfectum Cracovienſē, Marſalcumq; Regni, & Petrum Zborovium Sendomirienſ. Palatinum autoritas erat. Palatinatum Cracovienſem Fierleijus, poſt mortem Stanislai Barzij vacantem, in ipſo fere articulo mortis Auguſti, per Mniskonem cubiculi Auguſti miniſtrum, non ſine tacito pacto, & cum Auguſto de matrimonio ejus quod agitabat, juvando, & cum Mniskone de ſorore ejus ducenda, Viduus enim tum erat, adeptus putabatur. Poſt mortem quidem demum Auguſti literis publicatis eum adijt. Præter eos autem quos commemoravimus, non pauci alij etiam Senatores confluxerant, Caſpar Zebrzidovius Palatinus Caliſſienſis, Hieronymus Oſſolinſcius Sendomirienſis, Chriſtophorus Miskovius Ravenſis, Nicolaus Fierlieius Vislicienſis, Stanislaus Saffraniecius Biecenſis, alijq; complures Caſtellani, nobilitas præterea frequentiſſima. Imprimis Koreinenſem confœderationem, qua majorum temporibus pax publica diligentiſſime ſancita fuit, renovant, eandemq; denuo ſanciunt. Maxime inde in Auſtriacos conatus intenti, Joanne Tarlone Radomienſe, & Nicolao Ligeza Zavichoſtenſe Caſtellanis præfectis, quadringentos equites, totidem pedites, ad Ungaricorum finium cuſtodiam, ſtipendiumque in eosdem aſſignant; tantundem militum ad Sileſiacorum: Hieronymo Oſſolinio Sendomirienſe, Joanne Sieniczky Zarnovienſe Caſtellanis, Andrea Firlieo Præfecto Sendomirienſe, aliisq; nonnullis præfectis: Summæ rei Stanislao Saffraniecio Caſtellano Biecenſi, & Stanislao Cikovio Succamerario Cracovienſi præpoſitis. Ad arcis ipſius Cracovienſis præſidium, ſexcentorum peditum conſcribendorum Palatino, magno ut vocant arcis procuratori, tormentariæ rei reliquiq; inſtrumenti bellici cura demandata à quorum aliquo quicquid tam in militem, quam in alias res erogatum fuiſſet, de eo ex publico illis refundendo, publica cōventus ejus autoritate illis cautum. Non parva inter alios cura Tartarus illos angebat. De eo in ultimis comitiis, paulo ante mortem Auguſti conſtitutum fuerat, ut ex vectigalibus Volhiniæ Podlaſienſibus & Lithuanicis, unius anni donativum, demulcendi interim ejus cauſa illi mitteretur, quod ut mox exequerentur, ad Kraſſinium Epiſcopum Cracovienſem, eundemq; Vice Cancellarium, aliosq; Senatores, qui circa corpus Regium erant literas dant. Parnavienſibus itidem præſidiariis ut ex eodem Senatusconſulto ſatisfieret, ut ex Arcis Auguſtanis tantum pecuniæ in uſum eum ſumerent permittunt: ad Moſchum ut legati quam primum mitterentur, qui majorum legatorum adventu nunciato, per eosq; perpetuæ pacis ac fœderis ſpe illi injecta, impetum ejus ſi qua poſſent tardarent: alias res ut in communem omnium conventum integras ſuſtinerent, quem ad diem X. menſis Auguſti, ante loci & temporis electioni præfiniendi, aliarumq; rerum ad rempub. pertinentium conſtituendarum cauſa indicendum exiſtimarent, eaque de re ad majores Polonos, Lithuanos, Ruſſos, Pruſſos, ſcripſiſſent. Itaq; ut ipſi quoq; ibi eos expectarent, petere. Ab altera parte non multo poſt circa medium menſis Julij, ad Jacobum Uchanſcium Archiepiſcopum Gneſnenſem, ad quem more majorum prærogativaq; Archiepiſcopatus, regno vacante interregni jus rediiſſe pleriq; cenſebant, majoris Poloniæ, cum Senatores tum nobilitas frequens conveniunt. Ex Senatoribus quidem Stanislaus Karnkovius Wladislavienſis, Albertus Starozrzelsky Chelmenſis Epiſcopi, Lucas Gorkanus Poſnanienſis, Albertus Laſcius Siradienſis, Joannes Sirakowius Lancicienſis, Joannes de Sluzewo Brzeſtenſis, Joannes Arnolphus Uchanſcius Plocenſis, Joannes de Krotoſſino Wladislavienſis Palatini, Joannes Koſtka Gedanenſis, Joannes Wiſocius Landenſis, Stanislaus Kriſcius Raciazenſis Caſtellani, alijque complures, cum Senatoris tum equeſtris ordinis. Præter ſanctionem pacis publicæ, modum etiam vis, injuriæq; ſi quæ interregni tempore facta eſſet, aut fieret, perſequendæ ſtatuunt: ut ad proxima comitia electionis violator pacis publicæ, citaretur, ſextaq; ab initio comitiorum dies peremptoria illi eſſet. Defendendorum finium, regniq; cauſa publicam expeditionem decernunt, ut in ſuo quisq; Palatinatu, eo loco, qui à Palatino aſſignatus illi eſſet ſe ſiſteret: in itinere vel quocunq; loco, nihil ut vi, ſed precio legitimo commeatum, aliasq; res quibus opus haberet ſumeret. Ne commercia etiam rerum creditarum interim ceſſarent, ut tabularia Caſtrenſia non minus interregni tempore omnibus paterent, ad mutua tamen tantum, liberationesq; ab iis, non vero ad perpetuas obligationes accipiendas conſtituunt. De Tartaro præſidiariisq; Parnavienſibus, in eam ſententiam in quam jam vivo adhuc Auguſto, quemadmodum ſupra oſtendimus, Senatusconſultum factum fuerant, ipſi etiam decernunt. Ad omnes vicinos Principes item, ut literæ mortem Regis nunciantes, priſtinorumq; fœderum eos admonentes, mitterentur. Simul de loco & tempore electionis, non tam certi aliquid conſtituunt, quam ſententiam ſuam aliorum abſentium arbitrio permittunt. Locus ob periculum à Moſcho Kniſſinum commodiſſimum videri, ubi & corpus Regium eſſet, diem intra duas à Bartholomæi Septimanas, quod quo maturior dies conſtitueretur eo rectius & quieti publicæ conſuleretur: & novarum rerum conſilia artesq; externæ excluderentur.

Simul nō minus ea de re deliberandum ſignificabant, ut ordine electio adminiſtraretur, maximeq; ne ex multitudine confuſio aliqua exiſteret. Ante omnia conſtitutionē emendationemq; jurium, ac libertatū errorésq;, qui contra eas irrepſiſſent, curam ſummam judicabant, neve prius novo Regi ſacramento quisquam ſe addiceret, quam confirmata ea ab illo fuiſſet. Ad eam rem Palatinum Lencicienſem, Caſtellanos Gedanenſem, & Inowladislavienſem proponunt, qui omnib. reipub. partibus inſpectis, quæ reperiſſent, publici conventus judicio poſtea ſubmitterent. Dederant ad conventum eum Lithuanici etiā ordines literas, quibus ſtudium quidem conſtantiamq; ſuam communi conſilio rempub. tuendi deferebant: maxime tamen cōtra Moſchum præſidij aliquid petebant. Legatio igitur ex conventu etiam illo ad eas miſſa, quæ & ſtudium eorum in communem rempub. gratū haberet: & quod more majorum poſt mortem Regum ad Archiepiſcopum tanquam Principem Senatus, conſilia in commune cōferenda eſſent, optaſſe oſtenderent, ipſos etiam conventui illi interfuiſſe: interim de omnibus quæ conſtituta eſſent, certiores eos faceret; deq; tempore & loco electionis. Cum illis communicaret, ad Moſchum autem ut communi nomine, tam Polonico, quam Lithuanico, legationem mitterent, illis conſuleret. Etſi opem dubiis rebus ſuis contra Moſcum implorantibus, ipſos ſibi conſilium capere debere, ſe in tam perturbato Regno Statu, nihil præter preces ſuas deferre illis poſſe, reſponſum eis nomine Archiepiſcopi fuiſſe vulgo jactaretur. Quæ res ſuperiores offenſas ipſa etiam auxit. Cum Epiſcopus Cujavienſis, & Caſtellanus Gedanenſis, Gedanenſium conſilia & imprimis ſuſpecta, & privatas etiā quasdam inimicitias cum illis haberent, Caſtellano Gedanenſi in Pruſſia etiam militis alicujus habendi, eodē in conventu cura demandata. Obtentu igitur motus alicujus à Rege Daniæ, qui ob Claſſiarios in mari Balthico ad navigationem Narvikam prohibendā temporibus Auguſti inſtituti fuerant, non ſatis amico in regnum animo eſſe videbatur, Erneſto Vejero Veterano præfecto Duce, aliquot equitum peditumq; Germanorum millia in Pruſſiam induxit, atq; in adventum; deinde Henrici circa Gedanum habuit. Contendebat cum Archiepiſcopo de jure comitiorum habendorum, Regis eligendi adeoq; autoritate interregni Marſchalcus Firlieijus, & tanquam in re ſupra hominū memoriā repetita, ac fere dubia, cū magnæ uterq; autoritatis eſſet, neutri, qui eum ſequerentur, deerant. Archiepiſcopum major Polonia fere univerſa Catholiciq; pleriq; Marſalcum cum alij nonnulli, tum diverſæ religionis omnes, quorum & ipſe quaſi caput erat, & quorum per indulgentiam ſeu negligentiam potius Auguſti, valde & copiæ, & vires, confirmatæ fuerant. Ne conventum igitur Lovicenſem, autoritate Archiepiſc. habitum agnoſcere videretur, conventū quem in diem 10. menſis Aug. Kniſſinum autoritate ejus adducti, minores Poloni indixerant decretis conventus Lovicenſ. cognitis literisq; etiā ab Archiepiſc. acceptis, quibus inſtitutum id illorum cōventus iſtius Kniſſinenſis improbat, quo ſpacium communicandi cum majoribus Polonis, ſi forte in ſententiā adhuc pertrahere eos poſſent, tum cum Lithuanis etiam haberent, in 24. Aug. diem prorogarant. Convenerunt Kniſſinum, imprimis quidem Marſalcus ipſe, idemq; Palatinus & præfectus Cracov. potiſſimus conventus ejus author: tum minoris Poloniæ Senatores pleriq;. Jam ante autē penes corpus Regium, Franciſcus Kraſſinius, qui cum paulo ante mortem Auguſti ad Epiſcopatum Cracov. morte Padnievy vacantē, commendationem Vicecancellarius obtinuiſſet, ſacris Roma ante mortem Auguſti non allatis, una cum Vicecancellariatu Epiſcopatū Cracov. obtinebat, tum Euſtachius Volovicius Trocenſis Caſtellanus, alijq; nonnulli Senatores erant. Ad Lithuanos quemadmodū ſupra oſtēſum fuit, ex Lovicenſe conventu, Nicol. Macieiovīū Palat. Lublinēſ. & Hieronymum Sieniavium Caſtellanum Kamenecēſem majores Poloni miſerant, qui cum minoris Pol. ipſi Senatores, magis, minoris etiā Poloniæ Senatorum autoritati ſtuderēt, Lithuanos qui circa 10. Aug. conventū Grodnæ ipſi etiam habebant, facile adduxerūt, ut cum ſinguli cōventum Kniſſin. obire integrum ſibi nō exiſtimarent, legatos ex corpore ſuo, principemq; inter eos Joannem Cſtodkievicium præfectum Samogitiæ, qui omniū nomine in commune conſuleret, ad conventū eum mitterent. Ex minoris Poloniæ Senator. nonnulli ut Zborovius Palat. Sendomir. Cancellarius Dembinius Epiſc. etiam Plocenſis Miskowius quamvis majoris Poloniæ Senator, alijq; nonnulli, cū ipſi impediti obire eum non poſſent, ſigilla ſua miſerant, quemcunq; ibi locū diemq; electioni qui convenerant præfiniſſent, ipſi etiam ratum habituri. Imprimis igitur ex communi quaſi autoritate tam regni, quā M. Duc. Lith. ad Biſtriciam infra Lublinum ad diem 13. menſis Octob. conventū electionis novi Regis indicūt. Præterquam quod Lithuan. commoditatis rationem eo loco habere videri volebant, neceſſitate etiā ad eum rejectos ſe cauſantes, quod cum per univerſum Regnum vehementiſſime peſtis graſſaretur ſolus is locus immunis ab ea tum eſſet. Literas inde cum ad Cæſarem, tum Turcarū Imper. aliosq; vicinos Principes dant, quibus morte regia illis ſignificata, fœdera quę à tot ſæculis interceſſerint non tam ad Regem qui caput eſſet, quā ad univerſum corpus regni pertinere demōſtrant cumq; ipſi & per tempus id interregni ſanctiſs. ea colere parati ſint, futuroq; Regi quā primum ea renovandi, diligentiſſimeq; tuēdi autores eſſe, ut ipſi quoq; ex ſua parte nō minus ſarta tectaq; ea tueātur, petūt. Pruſſię Dux qui morte R^a. per oratores ſuos deplorata, ſtudiū ſuū Senatui deferebat, maxime autē ne à ſuffragij jure excluderetur ſatagebat, ad ipſius electionis conventū rejectus. Miſerat

& Iwonia Valachus ad conventum eum legatos. Jam ante quidem, Auguſto jam mortuo, ſed morte ejus ſuppreſſa, per Jasloviecium Palatinum Rusſiæ, poſt receptum ex Valachia Mieliecij cum Bogdano, autoritate quaſi Regia receptus in fidem fuerat. Animum igitur propoſitumq; fœderis ejus ſumma fide colēdi per eosdem legatos conteſtatur. Simul Pocutiam tamen tanquam antiqui juris, poſſeſſionisq; Valachicæ, tum Theſauros quos Thomſa ex Valachia in Regnum importarat, repetit: Pocutiam feudali jure ſe accepturum, fidemq; obſequiumq; ejus nomine regno præſtiturum offerens. Sub ipſum fere exceſſum Auguſti, non parvi precij mercium currus aliquot, Conſtantinopoli pro Auguſto comparatarum, retenti ab eo in Valachia fuerant: mox literis Auguſti allatis dimiſſi; cumq; jam pars in regnum perveniſſet, morte poſtea ejus cognita, pars Chocimum in finibus regni iterum detenta. Fœderis igitur ſtudium quod oſtendit gratum ordinibus accidere, mutuumq; animū eorum quocunq; vel ſecundo vel adverſo tempore ſuo polliceri eum ſibi poſſe reſponſum. De Pocutia Theſaurisq; Thomſanis ad frequentiorem conventum dilatus. De mercibus poſtulatum, ut cum morte Auguſti ad nullum alium, quam Regnum ipſum pertinere poſſent, quod reliquum in poteſtate ejus eſſet, quamprimum reſtitui juberet. Mox à morte Auguſti frequentes ad Senatores querelas de difficultatibus ſuis per literas aulici detulerāt: capita tum quaſi eorum erant, Joannes Dulsky Caſtellanus Culmenſis, Joannes Liesnovius Pocilator Leopolienſis, Matthias Zalinius Præfectus Tucholienſis, Bobola, qui poſtea præſentis Sigismundi Regis tempore regni Succamerariatum adminiſtravit. Querebantur nō ſolum ob peſtem graviſſime graſſantem magno in periculo, ſe ob nón ſoluta ſtipendia, ſumma etiam in egeſtate tum annonæ quoq; difficultate verſari, ut quam præter alia incommoda Koſaci. Lithuanici per præfecturas ſilvarum ab Auguſto in Lithuania inſtituti, quorum ab Cſtoroſſia ad Waſſilkoviam aliquot milia ſtativa habere, ſubvectionesq; ad aulam impedire dicerentur, interciperent. Si peſte fameq; coacti conſilium ſibi capere cogerentur, quid de corpore regio aulaq; adeo ipſa conſilij capiendum cenſerent, in tempore ſibi præſcriberent. Maxime magiſtratuum, Marſalci, & Theſaurarij præſentia opus eſſe: neq; ſolum ob ipſos aulicos, verum equos etiam regios, qui cum circa eos magni etiam defectus eſſent, nullam moram paterentur. Primum igitur ſtipendia ex paratiſſimis pecuniis & rebus, quæ in ſcriniis defuncti Regis circa illum repertæ erant illis ſoluta. De corpore Regio ob peſtem Kniſſini graſantem ut Tikoczinum transferretur ſtatutum. Viſcera Kniſſini condita. Infantis ſeu Reginulæ Palatino Plocenſi cura commandata, ſimulq; aliquot Regij aulici Deputati, qui honoris cauſa circa illam eſſent: alimentorum in eam expediendorum Theſaurario Regni negotio dato. Præpoſitus Czēſtochovienſis gaza eccleſiaſtica omni cōvaſata, in Sileſiam ſub id tempus ſe contulerat: ut redire cum ea illum juberet ad Cæſarem literæ datæ. Quodq; & in Cracovienſe, & Lovicenſe, aliisq; nonnullis conventibus, jurium libertatumq; publicarum, per occaſionem hanc interregni, partim emendandarum, partim augendarum, vel imprimis mentio facta fuiſſet, cum quibuscunq; videretur cōditionibus, obligare futurū Regem ordines poſſent, ut apud quemcunq; vel publice vel privatim privilegia aliqua extarent, indices itidem Cromeri ac Zamoiſcij archivi regij Cracovienſis, utriusq; præterea Cancellariæ tabularia, ad conventum eum electionis conferrentur, edicunt: quo quid libertati juriq; publico deeſſet, aut ſi qua emendatione alicubi opus haberet, ex iis perſpecto, quo ad ſuæ poteſtatis reſpub. eſſet, à novo poſtea Rege confirmandum conſtitueret. Operi illi Hieronymum Oſſolienium Sendomirienſem, Nicolaū Fierleijum Vislicienſem, Joannem Herburtum Sanocenſem Caſtellanos, totidemq; ex nobilitate præficiunt, qui omnibus iis diligenter examinatis, de quo ſcripto inter ipſos conveniſſet, futurorum comitiorum electionis judicio ſubmitterent. Aliæ res quemadmodum arcium limitanearum munitio curaq; ſtipendiorum in militem, ex Cracovienſis cōventus autoritate ſcriptū, ærisq; alieni fide duorum Palatinatuū in eas res facti ſolutio, ſimiliter Podolicorum, Lithuan. & Livonienſium militum ſtipendia, moneta itidem per interregni tempus cudenda in tanta publici ærarij inopia jactatæ magis quam conſtitutæ fuere. Quicquid tamen ultra aulicorum ſtipendia ex ſcriniis Regiis ſuperfuit, in Podolicum militem erogatum, literæq; autoramenti in futurum ex eodem conventu illis miſſæ, expeditionis etiam publicæ neceſſitate, qui ſtipendia publice mererent, quemadmodū aliis plærisq; in conventibus, ita in hoc quoq; milites omnes exempti. Decreta hæc cum per univerſum Regnum, tum Lithuaniam, Pruſſiamq; cum edictis publice propoſitis, tum legatis quaqua verſum dimiſſis publicant. Imprimis ad Archiepiſcopum, majoresq; Polonos, Nicolaum Sieninſcium, Succamerarium Chelmenſem, Joannem Leſniowiam, pocilatorem Leopolienſem, Laurentium Voinam ſcribam magni Ducatus Lithuaniæ, communi quaſi Polonicorum & Lithuanorum Senatorum nomine mittunt: qui & cauſas conventus ejus à ſe habiti, neq; arrogantia aliqua aut contemptu cujusquam, ſed in tanto periculo publico, omniūq; rerum confuſione neceſſitate ipſa ad eum adductos illos, qui conveniſſent, oſtenderent, utque diem locumq; eum electionis, ut qui ex communi conſilio rationibusq; tam Polonicæ, quam Lithuanicæ gentis, conſtitutus eſſet, ipſi etiam acciperent, ab illis peterent: quod ſi etiā in ſeptimanā unā prorogandam diē exiſtimarenr, minime ſe refragaturos; modo in tempore per alias regni partes, ut Ruſſiam, Pruſſiā, Lithuaniam, ac Livoniam, publice de eo ſignificarent; quo quamprimum certa dies omnibus

innoteſceret. Niſi in tempore ſententiam ſuam ea de re declararent, ita acceptum iri, ac ſi in diem, locumq; eum à ſe conſtitutum conſenſiſſent. Quamprimum de decretis conventus Kniſſinenſ. inauditum fuit, mox majores Poloni, ad diem ſeptimam menſis Septemb. Sredæ concurrunt, utriusq; conventus, tam Lovicenſis, quam Kniſſinenſis ſcita abrogant. Lovicenſis, quod quæ decreta in illo eſſent, non publico totius nobilitatis ſcitu conſenſuq; adhibito ſtatuta in illo erant. Itaq; quæ ex ſcitu ejus accipiunt, ut Confœderationem ſeu ſanctionem pacis publicæ receptionem itidem ad tabularia obligationum temporariarum, & ſi quæ ejus generis, tanquam à ſe ejus conventus autoritate, ſtatuta accipiunt. Kniſſinenſem vero, quod contra jus primatis, majorisq; Poloniæ, minores Poloni, Lithuanique conventum electionis indicere auſi fuiſſent, omnino tollunt notare. Archiepiſcopi primatum agnoſcere quosdam nolle, cum quæ Archiepiſcopo aliorum Senatorum conſenſu, conſilioq; adhibito adminiſtranda respub. credidiſſet, ea ipſi privata autoritate ſibi uſurparent. Itaq; ut Archiepiſcopus novum Senatorum conventum haberet: ex communi omnium conſilio, diem locumq; electioni præfiniret. Cardinalis legatus Pontificius, alijq; externi legati, ne in Regno per tempus id interregni tolerarentur. Non obſcuræ inter Zborovios, Fierlieiosq; ſimultates erant. Itaq; ne Palatinus quidem Sendomirienſis Zborovius, & ſi in conventum Kniſſinenſem ipſe etiam conſenſiſſe videbatur, ſigillumq; adeo ſuum ad eum miſerat, vel invidia tamen obtrectationeq; Marſalci, Palatini Cracovienſis Firley, ſeu ſtudio factionum, in ſententia manſit; req; cum Cancellario Dembinio, nobilitateq; aliqua Cracovienſe, & Sendomirienſe communicata fratrem Andream Zborovium tum Enſiferum, ad Archiepiſcopum; Epiſcopum Cujavienſem, ac plærosq; majoris Poloniæ Senatores mittunt nunciatum, quamvis Sigilla ſubſcriptionesq; ſuas, ipſi abſentes ad publicandum diem & locum electionis Kniſſinum miſiſſent, non alio tamen animo id à ſe factum, quam ut omnium utriusq; Poloniæ conſenſu id fieret. Itaq; quominus quid illis videretur, diem locumq; Electioni, nullo Kniſſinenſis decreti reſpectu habito, præfinirent, ſe non obſtare. Præter hos Lithuani etiam aliqui, maximeq; inter illos præfectus Samogithiæ, Joannes Cſtodkievicius, qui ſororem Zborowiorum in matrimonio habebat, ipſe quamvis nomine Lithuaniæ legatus conventui Kniſſinenſi interfuiſſet, in eandem ferè ſententiam literas ad Archiepiſcopum, cæterosq; majores Polonos dederant. Acta omnia Kniſſinenſia in Marſalcum referentes; maxime de Lublino, ut de quo contra ſententiam Lithuanorum ipſe maxime præviciſſet, cum Lithuani alijs fere in locis plærisq; circa Lublinum peſtem graſſari oſtendentes, Lomzam voluiſſent. Legati igitur Kniſſinenſes, cum Kniſſino profecti Raciezy Maſoviæ in Plocenſem Conventum, Koſſobutiumq; ſcribam; prærogativam primatus acerrime defendentem incidiſſent, eum mox Conventum Kniſſinenſi adverſum experti fuere. Non ſolum enim Archiepiſcopi tanquam primatis in deſignando, ex communi Senatorum ſententia loco, temporeq; Electionis autoritatem ſequendam ſtatuunt, ſed Lovicenſem conventum, ſine exceptione accipiunt. Epiſcopus tamen Plocenſis Miskovus, ad diem à Kniſſinenſe conventu Electioni præſtitutum, etſi alij non convenirent ad futurum ſe profeſſus, ab aliis Senatoribus quos ibi offenderant, ad communicationem cum aliis Senatoribus majoris Poloniæ rejecti. Wladislaviæ apud Epiſcopum Cujavienſem, cum Palatinum Siradienſem Laſcum, Andreamq; Zborovium legatum, à nonnullis è minore Polonia, ut ſupra oſtenſum eſt offendiſſent, Epiſcopus in eandem ſententiam mox reſpondit, ſi quid præter majorum Polonorum ſcitum Kniſſini conſtitutum fuiſſet, nolle eo ſe obligari, cum non alio animo abſentes ſigilla ſua eo miſiſſent. Ab aliis Senatoribus, quos in itinere convenere, ut Palatinum Lancicienſem, & alios nonnullos, ad communicationem itidem cum aliis differuntur. Nam & Cujavienſes exitu conventus Kniſſinenſis cognito, ad diem XXI. menſis Septemb. conventum ſibi indixerant. Apud Archiepiſcopum Cujavienſis Epiſcopus eos aſſequitur. Pro primatu acerrime depugnat, ſimul ab aliis Senatoribus majoris Poloniæ Palatinis, Brzeſtenſe, Uladislavienſe, Lancicienſe, Caſtellano Gneſnenſe, ad extremum Epiſcopo Plocenſe, qui à Zborovio fortaſſis interim conventus, ſententiam ipſe etiam mutarat, aliisq; nonnullis in ſententiam conventus Sredenſis adducuntur, quibus rebus omnibus in ſententia ſua confirmati, actisq; Kniſſinenſibus rejectis, literas cum ad minores Polonos, tum Lithuanos, Pruſſos, perq; univerſum Regnum, uterq; tam Archiepiſcopus quam Cujavienſis mittunt, quibus ut in novum conventum vel campum Varſaviæ ſubjectum ad nonam Octob. vel Lomzam ad vigeſimam ſeptimam Octobr. conſentirent, petunt. Inde Lithuani Kniſſinenſibus reſcribunt. Cſtodkievicium ob peſtem ubiq; fere graſſantem non priusquam ad XV. menſis Septemb. Vilnam pervenire ad ſe potuiſſe. Intellexiſſe ex eo cum alium diem, & Locum vel Livam, vel Parczowiam, vel Lukowiam obtinere ab iis non potuiſſet, in diem locumq; ab iis pręfinitum, ipſum etiam ſuo loco, nō omnium nomine conſenſiſſe quod in tempore edicta Kniſſinenſia ad ſe non pervenerint, minores conventus, temporibus Kniſſini præfinitis haberi nō poſſe, ſed in ſeptimanam integram ſibi proroganda, præterea nuncium Moſcoviticum, de quo Kniſſinum illis ſignificaſſent, nonniſi in conventu Rudnuenſe audiendum ſibi viſum, cujus cauſa præfectus etiam Samogitiæ ibi ſecum ſubſtitiſſet, ideoque ne Samogitiæ quidem conven-

conventum suo tempore habere posset. Itaq; cum & pestis sævissime ubiq; grassans accederet, neq; de majoribus Polonis certi quicquam adhuc haberent, ad diem locumq; eum adesse se non posse. Rogare ut in tempus commodius mensem Januarium: Vicinioremq; aliquem locum vel Livam proferrent. Si non impetrent, ipsos se adesse non posse. Legatos certis circumscriptis cum mandatis missuros. Suspicionum interim plena ubiq; erant omnia. Majores Poloni, maxime Episcopus Cujaviensis, non temere factum disputare, quod minores Poloni idem cum aulicis sentiētes Knissini conventum sibi indixissent. Si ad corpus Regium, sensu id jam carere: rectius utriusq; fuisse, ut ad vivum primatem Lovicium se contulissent. Verum ejus literas, cum more majorum Archiepiscopus ad conventum, ut alios Senatores ita Marsalcum etiam invitasset, contemptim acceptas ab eo fuisse. Illud certe esse, quod multorum in ore, maxime autem aulæ universæ fuisset, ut re instructa, si frequens eo Senatus convenisset, Reginula advocata gubernatrix constitueretur, subq; muliebri imperio pristini gratiosi rerum potirentur, suoq; arbitrio omnia agerent, miscerentq;. Inde esse quod Cancellarius in gratiam rediisset, consentiretq; cum illis, qui loco aliquo apud Reginulam essent. Minime ferendum Marsalcum cum certis minoris Poloniæ Palatinatibus conventuum indicendorum, edictaque ea de re per Regnum mittendorum potestatem sibi sumere, qui temporibus interregni, soli Archiepiscopo credita à majoribus esset, ut in quem affectati Regni suspicio minus quā in profanum cadere posset. Jam alias omnia fere ornamenta Regni minores Polonos occupasse. Illic sceptrum: Illic sigillum: Illic imperium militare esse. Majori Poloniæ solum primatum reliquum esse, qni omni studio illi retinendus ne alio transferretur. Quemadmodum quidem transferreretur, si hujusmodi edicta reciperentur aut authoritas aliqua illis præstaretur ad minimum id verēdum, ne conjunctione hujusmodi minorum Polonornm, Episcopus Cracoviensis, bicipitem quasi primatum faceret; ne scilicet majoribus Polonis Archiepiscopi autoritatem sequentibus, minores Poloni ad Cracoviensem Episcopum interregni tempore convenire aliquando vellēt. Qua distractione nihil cum perniciosius esse posset, omni ratione id cavendum: postea etiam operam dandam, ut in aliis etiam dignitatibus, matrem non novercam rempub. majores Poloni experirentur. Habendas contra ea conventus nobilitatis: dandam in illis operam, ut Marsalci potestas circumscriberetur: Doceret quo jure cum sceptro Palatinalem dignitatem retineret; quod neq; jure publico, neque quemadmodum constanter confirmaretur, voluntate Regia usurpare se ostendere posset; nisi forte post mortem Regiam literas aliquas editas, quemadmodum aliæ nonnullæ exiissent, prolaturus esset. Si dignitas eripi ei non posset illud certe cavendum, ut in potestate Senatus sit: ne custodiam circa se habebat nam illud ipsum periculo, aut suspicione non vacare, quod sexcentorum peditum præsidiū Cracoviæ ei adjunctum esset. Renunciatio itidem, ut ex communi consilio senatorum penes Archiepiscopum esset; ne forte quemadmodum ante nonnunquam, instructis acclamationibus, præter voluntatem omnium, quis renunciaretur. Hæc majoribus Polonis in minores, maxime autem Marsalcum jactantibus. Minores Poloni vicissim, ne majores privato consilio ad Regem eligendum ipsos prævertere, diemq; & locum Lovicij electioni præfinitum servare vellent, vereri videri volebant & tanquam armati illis occursuri se parabant. Maxime autem qui primatum non recipiebant, cum prærogativam illam primatus in invidiam vocabant; tum multo magis quod primi Principis titulo in edictis Archiepiscopus usus fuerat, tanquam rem novam, inq; Regno hoc inauditam exagitabant. De Lithuanis etiam, & ipsis varia sparsa, maxime consilia, quæ partim cum Austriacis, partim cum Moscho communicasse dicebantur: & de Polonicis ordinibus variæ illorum animis suspiciones inculcatæ. Supra ostensum est Archiepiscopum cum aliis senatoribus majoris Poloniæ, decretis Knissinensibus repudiatis, alium conventum vel ad vigesimam septimā octob. Lomzam, vel ad Nonam ad Varssaviam, in quo ex communi consilio omnium de certo jam loco, & tempore electionis constitueretur, proposuisse: literasq; ea de re, cum per universum Regnum, Russiam, Prussiam, tum Lithuanos etiam dedisse. Inter alios ad minores Polonos Anselmum Strzizescium instigatorem ut vocant, ijsdem cum mandatis, literisque miserant. Quo de instituto illorum ut deliberarent, atq; ad postulata illorum iis responderent, ad diem III. Mensis Octob. Ossieci minores Poloni conveniunt. Respondent ex conventu eo, sperasse se Knissinensia instituta sua locum apud eos habitura fuisse; ut in quibus præter reipub. salutem & commodum nihil à se spectatum fuerit. Verum cum infelicitate quadam temporū suspicionum omnia inter ipsos plena sint, reipub. necessitatibus omnia ista se condonare: postulationi Archiepiscopi satis facturos, ad Warsaviamq; venturos. Verum quod per IV. Octob. subsistendum ibi illis sit, ut nulla ratione ita iter accelerare possint, ut ad nonam in loco sint, quo ad XIV. ibi eos expectent petunt. De Lithuanis, Prussisq; cæterisq;, quemadmodum Archiepiscopus recepisset, ipsos etiam ad futuros polliceri, quamvis ex Lithuanorum literis, quas ad se dederint, quarumq; exemplum illis mitterent, ut divinare nollent, ita non obscure dubitare, tamen se ostendant. Tacite Archiepiscopum notantes; qui de re ob brevitatem temporis difficilima, & vix non impossibili spem fecisset. Moram reipub. pericula nullam amplius pati; cum aliunde domi,

domi, forisq; imminentia, tum non minus ab artibus externorum legatorum, imprimis Cæsareorum, quod ex ipsorum literis interceptis suo tempore demōstraturi essent: retentos fuisse hortatu nobilitatis à nonnullis senatoribus certis in locis: heri quemadmodum intellexissent clandestino adventu Gastaldi præter scitum Marsalci Regni fidemq; datam, ad infantem Plockam versus movisse. In tanto Majestatis reipub. & suo contemptu, ut ipsi etiam autoritatem suam apud illos interponerent, neq; ullam legationem, sine scitu senatus, exponi apud aliquem sinerent, rogant. Eademque de causa ad infantem etiam Castellanum Lublinensem, & Sanocensem à se missos: idem ut ipsi facerent. In eandem sententiam ad Lithuanos literas dant Archiepiscopus die quem proposuerat servato, ad nonam nimirum Octob. paucisq; majoribus senatoribus una cum eo, Episcopus nimirum Cujaviensis & Plocensis, soli. Unusq; atq; alter Castellani, inter Varsaviam & Villam Wolam se sistunt. Cum alios ibi non offendissent, nulla mora facta se recipiunt. Ad Ossecenses postridie ex itinere rescribunt, literas illorum eo ipso die, ad quem ad Varsaviam à se invitati esset, nono nimirum octob. sibi redditas, ut ad XIV. ibi illos expectarent fieri non potuisse, primum ob commeatus inopiam, qui cum ut in re improvisa præparatus, à se non fuisset, ob pestem etiam ubiq; grassantem, in vicinia expediri nō posset. Deinde quod ad XV. mensis ejus Octob. Kolæ Senatores omnes, nobilitasq; universa majoris Poloniæ conventum sibi condixerint, à quo abesse non possent, rogant cum in itinere jam eos esse oporteat, ipsi Kolam ut ad se veniant, modo certiores de advētu eorum in tempore fiant, triduum ibi illos expectaturos. De Lithuanis Prussis aliisq; Archiepiscopus illis reddit, nihil de certa scientia, sed spe tantum sua scripsisse, Cæsareos legatos, cum idem ipsi summo studio, frustra tamen ante eos tentassent, se quoq; vix ab instituto abducturos: neq; sane videre, quomodo prohibere eo illos possent. Verum eam etiam rem communi deliberatione opus habere. Sub Varsavia existentibus, Lithuani literas Magni Moscoviæ Ducis illis miserant. De ijs igitur etiam illis significant, ut quæ ipsæ etiam conventum communem postulent. Qui ex minoris Poloniæ Senatoribus, Varsaviam jam contendebant, à familiaribus suis, quos diversoriorum causa præmiserant, de discessu Archiepiscopi, eorumq; qui cum illo erant, certiores facti: plæriq; ipsi etiam diversi domos suas se convertunt. Inter quos Episcopus Cracoviensis. Verum literis Palatini Podoliæ, tum Cracoviensis, & Sendomiriensis revocati cum Episcopus, tum alij pleriq; circa decimam septimam Octob. Varsaviæ iterum conveniūt. Dum quid facto opus sit consultant, literas ex Kolense conventu à majoribus Polonis accipiunt, Lenciciam se pergere, ibi ad XX. octob. eos expectaturos. Quod illis septem saltem miliarium, ipsis Varsaviæ sedecim interesse, & dignitatis aliquid, & præter temporis angustiam, alias nonnullas etiam difficultates habere, ea res visa. Post multas longasq; deliberationes, ut Palatinus Sendomiriensis, Castellanusq; Zarnoviensis ad illos irent, convenit: & vel ut Varsaviam ad se accederent eis persuadent, vel si id impetrari non posset, saltem de alio certo communi omnium, tam utriusq; Poloniæ quam Lithuaniæ Prussiæ conventu certi aliquid cum illis statuerent. Accurrit ab ijs XXIII. Octob. cum literis puer, de conventu in XXV. Kanaca cum majoribus Polonis se constituisse: spem concordiæ bonā esse: melius animatos se illos reperisse, quam homines existimarint: suspiciones non paucas ex animis illorum, quibus laborarint exemisse: quamvis, ne nunc quidem omnes in animis illorum opiniones resederint. Quemadmodum ex iis, quæ supra commemorata sunt, videre est, magna in suspicione apud homines externorum legatorum consilia, artesq; erant. Primum Pontificius legatus Cardinalis Commendonus, cum paulo ante mortem Augusti ab eo dimissus, limites Regni, jam attigisset, nuncio mortis ejus accepto, retro mox iter convertit. Missi ad eum ex conventu Cracoviense, nomine Palatinatuum Cracoviensis, Sendomiriensis, Lublinensis, totiusque minoris Poloniæ, Conventusve ejus Cracoviensis, Nicolaus Dulscius, cum aliis de legatione ea certiorem factum, ob idq; properantem, uno ultra Andrzeiowiam miliari assecuti ne tam suspicioso tempore, Rege ad quem legatione fungebatur, jam mortuo, in Regno ex quo discessisset, manere ulterius vellet petunt; cum ut ordines ab exterorum consiliis liberi, concordiam eo facilius inter se tuerentur: tum propriæ etiam dignitatis suæ causa, ne in dissolutione præsente omnium rerum, tanto viro tantiq; Principis legato, à dignitate & ipsius & Principis ejus, alienum forte quid ab aliquo objiceretur. Respondet, ut legatum nihil aliud facere se posse quam quod à Principe suo mandatum sibi fuerit: una quidem legatione jam se defunctum, ad demortuum Regem ordinesq; Regni: alteram habere literis sibi à summo Pontifice demandatam, priusquam responsum ad priorem accepisset, ut si quid Regi humani accidisset, in regno subsisteret, quæq; mandata sibi missa essent Principis sui nomine administraret. Suspicionibus in se locum nullum esse posse. Quod & ante in Germania, & hic & ubiq; honeste semper, sineq; ulla culpa se gessisset, quod nobilis Polonus ipse etiam factus esset, ac si quisquam alius, nomini Polonico addictissimus esset: quæ si non satis illum ab omni suspicione vindicarent, vel in angulo aliquo se habitaturum, neq; quicquam donec accerseretur, negocij cum quoquam habiturum. Ad extremum si nihilominus aliquid à se vererentur, omnium ad se aditus literasq; arcerent. At periculum enim suum quod pertineret, ne minimum quidem eo se

moveri:

moveri: Scire enim ſe inter homines honeſtiſſimos verſari: quorum fidei, ut vel inimiciſſimi ſibi eſſent, virtute tamen & humanitate Polonica confiſum, ſalutem vitamq; ſuam committere non dubitaret. Urgentibus nihilominus illis, non ad certos Palatinatus, ſed univerſam rempub. neq; ad Regnum ſolum, ſed ad Lithuaniam etiam legatum ſe eſſe oſtendit; id utiq; certum eſſe imperium eorum, à quibus miſſi eſſent, non ulterius quam limites Palatinatuum ſe exceſſurum, Petrikowiamq; in monaſterium aliquod ſe abditurum: privatimq; ac quiete ibi verſaturum: Interim Poloni, Lithuaniq; omnes convenirent: univerſæ Reipublicæ autoritati, ſive legationem exponere, ſive manere, ſive diſcedere ſe vellent, obtemperaturum. Nam quod oſtenſum ab illis fuiſſet, non ſolum ab ordinibus Palatinatuum eorum, ſed magiſtratibus etiam regni, ut Marſchalco, & Cancellario qui conventui illi interfuiſſent, mandata ſe pertuliſſe, ſcire ſe ſine conſenſu omnium ordinum, non modo Marſalco cæterisq; magiſtratibus, ſed ne Regi quidem ipſi abſolute hujusmodi aliquid ſtatuere licere. Reſponſo hoc legatione iſta illorum illuſa, in Regno non ſolum manet, ſed ad infantem etiam poſtea profectus, quod maxime ſuſpiciones hominum augebat, frequens apud eam eſſe. Potiſſima tamen invidia Cæſarei legati erant. Primarios homines Cæſar miſerat. Wilhelmum Urſinum, Roſembergium, & Vratislaum Perſteinium utrumque Boemum, ob cognationem utriusq; gentis gratiores futuros ratus: ſplendidiſſimoq;, cum ſeptingentorum circiter hominum comitatu. Verum ut rerum hominumq; noſtrorum non ſatis gnari, & aperte nimis mox homines præhenſare cepere, neq; tamen qui maxime præhenſandi eſſent ſatis dignoſcere videbantur. Cum enim potiores honeſtioresq;, vel ſuſpicionis ipſius cauſa congreſſus eorum fere vitarent, ut leviſſimus quisq;, illis ſe venditaret, mox non ſolum menſis, ſed muneribus etiam, majoribus vero etiam promiſſis eum onerare: deq; eligendo filio Cæſareo aliisq; rebus, illis plane novis inauditisq;, quæ cum Principibus ſecreto tractandæ fuiſſent, vix non palam communicare. Jamq; adeo ad adventum eorum, Sigismundus Kurczbachius ex ſorore Zboroviorum natus, ad Palatinum Sendomirienſem avunculum, aliosq; nonnullos ſenatores minoris Poloniæ, ſi quos conciliare poſſet, miſſus fuerat, cum apud Zborovium alios Senatores aliquot forte offendiſſet, ut literis traditis, legationem ſibi exponendi facultas eſſet, poſtulat. Aliis literas quidem accipiendas, ſed ad futurum conventum ſervandas cenſentibus: alij ne ſi contemptius nobilitas haberet, omnis invidia in illos, qui eas accepiſſent, verteret verentibus, cum literæ non acceptæ fuiſſent, Kurczbachius etiam legationem non exponendam cenſuit: privatim tamen poſt ea avunculo, ac certis perſonis pro cujuscunq; opera promiſſis, ſuffragia eorum in Erneſtum peteret, in mandatis ſe habere, non ſine invidia aliqua cauſæ Cæſareæ credit. Inde ad legatos de quibus ſupra oſtenſum eſt, qui ſub exitum menſis Auguſti Cracoviam venerant, ſe convertit. Cum de Conventu Kniſſinenſe, qui ſub id tempus habebatur intellexiſſent, commeatu non modo non impetrato, ſed ne petito quidem, Cracovia Kniſſinum verſus movet. Palatinus Sendomirienſis Zborovius, aliis minoris Poloniæ Senatoribus in conventu Kniſſinenſe plerisq; abſentibus, quos in ea brevitate temporis poterat. Pokrziwnam Sendomirienſis agri opidum cogit. Ex conventu eo legatione à nobilitate ad eos miſſa: cum Conventum Kniſſinenſem jam ſolutum offenſuri eſſent, ne contra dignitatem & Principis & ſuam, tam ſuſpicioſis temporibus, non ſine periculo fortaſſis etiam aliquo, temere in Regno vagari vellent hortatur, ſed Sendomiriæ, vel duobus alijs in locis, quæ ita illis aſſignabantur, ut ſi peſtis ex ijs etiam tribus locis illos pelleret, Marſalcus alium illis aſſignaret, publicum potius conventum expectarent, in quo & mandata ſua exponere, & certum reſponſum auferre poſſent. Interim vero adventu eorum cognito, qui Kniſſini Senatores erant, interq; eos Marſalcus, vel eam ipſam ob rem domum properant, ita ſe facturos, quemadmodum à ſe poſtularetur condicunt, Sendomiriæ ſe ſubſtituros, neq; ſine commeatu moturos. Sub id ipſum deinde tempus, quo Oſiecci minoris Poloniæ Senatores conventuri erant, commeatu non petito, infantem verſus, quæ Lomzæ tum erat, cujusq; inviſendæ conſolandæq; negocium ſibi à Cæſare datum ferebant, Dambrowicia poſſeſſione Firlicorum, quo quamvis inſcijs Firlieis non ſine invidia tamen illorum aliquandiu ſubſtiterant, moveri nunciabantur. Quæ verò maxime res hominum animos turbabat emiſſarios ſuos habebant, quos per univerſum Regnum Lithuaniamq;, ad concilianda Cæſari hominum ſtudia miſſitabant: e noſtris quidem cum alios nonnullos, tum maxime Lucam Podoſcium, Canonicum Cracovienſem, aulæ Cæſareæ Auguſti quondam perpetuum legatum. E ſuis imprimis Alphonſum Goſtaldum Neapolitanum Marchionem Koſſani Cæſarià poculis, qui cum familiæ Aragoniæ propinquus eſſet, & ante ad Auguſti familiaritatem aditum ſibi patefecerat, & ob eandem propinquitatem infanti etiam frequens ſe ingerebat, ſecretoq; matrimonium cum Erneſto tractare cum illa exiſtimabatur, tum Joannem Cyrum Abbatem ſancti Vincentij Wratislavienſem, qui ad Auguſtum aliquot annorum legatione functus fuerat, Martinumq; Gerſtmanum Juriſconſultum Decanum Wratislavienſem. Goſtaldus jam ante Cracovia ad infantem excurrerat. Sub id ipſum vero tempus conventus Oſiecenſis, iterum ad infantem mittitur. Re intellecta, Stanislaum Slupiecium Lublinenſem, Joannem Sienienium Zarnovienſem Caſtellanos, cum ad infantẽ tum Senatores aulamq;

ejus

ejus penes infantem, tum Gaſtaldum ipſum, cum literis mandatisq; mittunt. Ab infante petunt, ne contra & dignitatem ſuam, reipublicæq; rationes, colloquia tractatusve aliquos cum exteris admittere, ſed in cura poteſtateq; Senatus eſſe velit. Senatoribus ex quibus ſolus fere Epiſcopus Chelmenſis, Alberto Starozielſcio præfecto aulæ, univerſæq; aulæ, periculo, quod ab artibus conſiliisq; externorum tam dubio interregni tempore immineat, demonſtrato, ut collegis ſuis, quos ſumma omnibus de rebus cum poteſtate ad infantem ipſosq; mittunt, præſto ſint hortantur: etiamſi acrioribus aliquibus remediis, quam verbis opus futurum eſſet. Periculum omne in ſe recipere, cum ſecus ſi facerent, ſiniſtriq; aliquid ex eo reipub. eveniret, ipſis rerum earum ratio, reddenda foret. Cum Gaſtaldo primum expoſtulant, tam ſuſpicioſo interregni tempore, tam liberos, ſine ullo commeatu in regnum ingreſſus, tranſitusq; externos ſibi uſurpare, rogant inde, ut cum Infans quam primum cum reſponſo ad literas legationemq; Cæſaream quam expoſuiſſet, dimiſſuram eum ſe recepiſſet, ne ulteriore mora hominibus bene quidem de eo exiſtimantibus, tali tamen tempore omnia ſuſpecta habentibus, atq; ad jura rationesq; reipub. quæ tali maxime tẽpore exteros omnes excluderent, omnia vel ſubditis & ipſis ſuſpicionis aliquid præberet, & in tanta omniũ licentia ſibi quoq; contra & Principis & ſuam dignitatem difficultatis aliquid contraheret: primo promptiſſime, quam primum reſponſum accepiſſet, profecturum ſe recepit, & ſi quod beneficiarius, familiarisq; defuncti nuper Regis fuiſſet, exequiis ejus intereſſe, ſupremumq; hoc ei officium præſtare cupere ſe oſtenderet. Dein dignitate etiam, quæ partim Cæſari ipſi, partim legatis ejus afferetur, querebatur, legatis quod contra jus gentium retinerentur, non ſatisq; digne haberentur: Cæſari quod cum alia multa abſurdiſſima de eo, univerſaq; domo Auſtriaca ſpargerentur, tum quaſi filium etiam ſuum in comitatu legatorum pueris ne cognoſceretur, immiſcuiſſet, nunquam eo tantum Principem redactum, ut tam vili loco proprium ſanguinem ſuum haberet, neq; enim ſua aliqua neceſſitate adductum, ut legationem hanc mitteret, quam benevolentia erga Regnum, ejusq; teſtificandæ animo, quæ cum non ſatis grato animo acciperetur, exiſtimare ſe non diutius etiam conventum eum laturum, legatosq; revocaturum. Oſtenſum ſi quid earum rerum interceſſiſſet, ſibi quidem moleſte accidere, ſed Cæſareos legatos ipſos cauſam eorum præſtitiſſe, qui in alieno Regno, tam alienoq; tempore, non ſecus quam ſi in propriis ditionibus eſſent, verſati fuiſſent. Ut juris gentium ſit, inviolatos legatos præſtare, ita non minus ejusdem juris eſſe, ut intra ſuos fines legati ſe contineant, neq; in aliena repub. curioſius ſuſpicioſiusve aliquid quisquam ſuſciperet. In nullam certe injuriam legatum Turcicum accipere qui à præfecto militiæ regni ad publica regni comitia in Valachia retentus ſolere eos ad alias etiam nationes ire: recolerent ſecum animo, ullibine tam abſoluta illis poteſtas permitteretur. Satisfactione hac ab illo accepta, ita tum diſceſſum fuit, ut cum craſtinus dies ad reſponſum accipiendum conſtitutus ei fuiſſet, ſe etiam mox iturum reciperet. Sub noctem præfectus aulæ Regiæ illis ſignificat, colloquium rurſum cum illis Gaſtaldum petere, quod de quibus neceſſario cum illis ageret, haberet. Ut Epiſcopus etiam Chelmenſis ei intereſſet, in ipſius diverſorio loco ei aſſignato, oſtendit quod Caſtellanus Zarnovienſis Poloniæ cras eum reſponſum habiturũ ſignificaſſet, idq; non ſatis tum intellexiſſet, donec poſt diſceſſum eorum, puer Polonus primum id ſibi explicaſſet, non ſatis etiam tum ad rem ſe reſpondiſſe. Niſi novis mandatis autem à Cæſare prius acceptis, diſcedere ſe non poſſe: ita enim ſibi mandatum, nomina præterea ſenatorum eorum, à quibus mandata hæc à ſe haberent, edi ſibi poſtulat; non omnium enim voluntatem eam eſſe ſe ſcire. Illi tam ſubitam mutationem ejus admirati, quæ cum illo agerent, ſenatorum Regni nomine, ipſos collegas eorum agere ſe oſtendunt, ut nomina ſingulorum ei edant, nullam ejus rei neceſſitatem ſibi imponi. De Cæſaris etiam mandato tam abſoluto, non immerito ſe dubitare. Ubi enim quis facultatem imperandi non habeat, non credendum imperare eum velle. Quin invidiæ potius non parum hujusmodi rebus ei conciliaturum. In quam ſententiam cum multa ultro citroq; dicta fuiſſent, ille in ſententia nihilominus perſiſtit. Re cum Epiſcopo Chelmenſe deliberata, nihil aliud conſilij reperiunt, quam ut ad Senatores de eo referrent: Epiſcopus tamen operam daturum, ut quam primum ab aula ſe moveretur, recipit. Infans literis etiam ad Oſiecenſes datis, non ſine dolore in hac orbitate ſua legationem eam ſibi accidiſſe oſtendit. Pro eo loco, quo naſci DEUS ſe voluerit, etiam ſua ſponte ne ullam rumoribus, vel ſuſpicionibus cauſam præberet, ſemper ſe caviſſe. Miſiſſe Cæſarem ſe inviſum in luctu iſto, oratores nondum ipſos fuiſſe, per literas tantum ſibi ſignificaſſe, qua de re ad ipſam miſſi eſſent? ſi veniſſent, quomodo legatis à Cæſare propinquo ſuo miſſis aditum negare poſſet, ſe neſcire, qui præſertim non modo intra fines admiſſi, ſed etiam literis commeatus à nonnullis Senatoribus, cum deſcriptione Diariorum deducti eſſent, nihil tamen adhuc ſe illis reſcripſiſſe, quemadmodum ne Reginæ quidem Sueciæ ſorori ſuæ, & ſi aliquot jam ab ea literas habuerit, quod memor officij conditionisq; ſuæ, ſine conſilio Senatus, nihil ſibi ſuſcipiendum ſtatueret. Poſt mortem Regiam præter meritum expectationemq; ſuam, nihil à quoquam adhuc ſolatij ſibi allatum, alimenta certa nulla conſtituta: ob peſtem maximo cum periculo ſuorum, de loco in locum ſibi fugiendum: in ſumma omnium rerum indigen-

tia verſari, neque tamen ſuſpiciones hujusmodi effugere poſſe. Ab initio petijſſe ſe, ut Senatores aliqui circa ſe manerent: quod nunc etiam cuperet: nullum præter Epiſcopum Chelmenſem & præfectum aulæ ſuæ apud ſe eſſe: Legatos ſi qui ſint optare ut ipſi potius audirent, dimitterentq;. De alimentis ut memores beneficiorum paternorum, fraternorumq;, pro conditione ſua ſibi proſpiciant, petit. Cum quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, Oratores Cæſareos ad infantem recta ire nunciatum eſſet, iisdem legatis Oſiecienſibus ad illos quoq; mandata data erant. Verum cum Dziekanowy ad Warſaviam ſubſtitiſſe eos intellexiſſent, illos non convenere. Dziekanowio ad Archiepiſcopum, quiq; cum eo ad IX. Octob. ad Varſaviam convenerant Senatores, aliquotq; dierum intervallo interjecti, rurſum ad minoris Poloniæ Senatores mittunt, cum aliis de injuriis queſtum, tum maxime de retentione ſua, literarum interceptione, famoſisque quibusdam libellis, quibus nonnulli Cæſarem, domumq; Auſtriacam, in odium apud homines adducere conentur, ex quibus cum unum protuliſſet, criminationum maxime de injuriis in ſubjectos populos, in primisq; Boemos, & quales vulgo autore eſſe ſolent, non valde certorum plenum protuliſſent, ad ſingula reſpondere; falſiſſimaq; objecta refellere paratos ſe eſſe oſtendunt. Ad communem conventum Kanſcenſem qui jam inſtabat, dilati. Ad XXV. enim interim Octob. majoris minorisq; Poloniæ Senatores quemadmodum condixerant, magna frequentia conveniunt. Imprimis tot conventuum fruſtra hactenus habitorum erroribus agitati, communem conventum omnium Senatorum, tam utriusq; Poloniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Livoniæ etiam ad VI. menſis Feb. Varſaviam indicunt; in quo ſecundum jus publicum, ex communi omnium ſententia de certo loco dieque, electionis futuri Regis, conſtitueretur. Nobilitati vero per omnes Palatinatus, qui communem eum præcederent, ad diem Divæ Luciæ ſacrum privatos ſimul conventus indicunt, quo nobilitas etiam ex ſingulis Palatinatibus binos certæ rationis itineris, ad electionem conſtituendæ cauſa ad conventum eum mitteret. Ex eodemq; conventu iis de rebus, atq; ad conventum Warſavienſem invitatum ad alios etiam mox mittunt. Ad Lithuanos quidem Petrum Zborovium Palatinum Sendomirienſem, Joannem Tomicium Caſtellanum Gneſnenſem: ad Pruſſos Joannem de Sluzowo Brzeſtenſem, Joannem Kroſcium Inowladislavienſem Palatinos: In Ruſſiam Joannem Sienienium Zarnovienſem Caſtellanum: In Livoniam præpoſitum Zukovienſem: Ad Wolchinios, Kyowios cæterosq; edicta miſſa. Cumque theſauri ſumma inopia eſſet, imprimis autem miles ſine ſtipendio retineri diutius non poſſet, ut omnes præfecti, publicani, in univerſumque, qui vel ex præfecturis quas poſſiderent, in ærarium inferre aliquid, tenerentur, vel publici aliquid aut etiam pecuniæ Regiæ, vel in vel extra aulam attigiſſent, adminiſtraſſent, adminiſtrarentve, proventus quidem quos ad ærarium pertinentes in poteſtate haberent, ad ſummum intra quatuor ſeptimanas, per regnum quidem Hieronymo Bazinſcio regni Theſaurario, in Maſovia autem Martino Falenſcio œconomo Maſoviæ traderent, qui ad Theſaurarium, ſine cujus autoritate nihil adminiſtrare deberet, ea referret. Cæteri die ſexto conventus Varſaviæ, ad rationes pecuniæ, quam aliquo modo tractaſſent, eidem regni Theſaurario reddendas ſe ſiſterent. In negligentes pœna peculiatus privationis præfecturarum, publicationisq; bonorum conſtituta. Præfectus militiæ limitaneæ Jaslowiecius Palatinus Ruſſiæ, & prædas ex Turcis à finitimis actas ſignificarat, & ſtativa ab iisdem recuſari: utraq; igitur de re ad Palatinos Kyowienſem, Wolhiniæ, Braclavienſem Senatus nomine ex conventu hoc dictatæ literæ. De Turca nominatim, ne alieniſſimo tempore vicinus tam potens cum periculo publico irritaretur, ut una cum Jaslowiecio jus de prædatoribus ei adminiſtrarent, rebusq; redditis, latrocinia in poſterum coercerent. Similiter cum à Walacho Bogdanum copias, quibus Walachiam invadat cogere, in certo potius rumore, quam autore aliquo delatum eſſet, ne quisquam auxilio conſiliove illi adeſſet, fœdusq; turbaret, ſub pœna in violatores pacis publicæ conſtituta, edictum. Miſerat & infans ad conventum eum legationem. Poſtquam parentes, fratremque fato amiſiſſet, ad nullum magis ſibi confugiendum exiſtimare, quam Senatum univerſum, illiusq;, etiam propinquis ipſis ſuis, quos non paucos utique haberet poſthabitis, ante omnes autoritatem ſequendam, verum præter expectationem ſuam non ſine maximo dolore ſuo plæraque hactenus ſecus ſibi eveniſſe, negligentia Senatus ob peſtem primo Plocka movere ſe coactam deinde varie, non ſine ſummo periculo ſuo jactatam. Jam vero de rebus poſſeſſionibusque etiam ſuis hæreditariis, quæ & certiſſimo jure, & teſtamento poſt parentes, fratremque ad ſe pertinerent, in periculum venire. Quid ea in re à nonnullis ſibi acciderit, ſatis ipſos ſcire, plura fortaſſis auſuros fuiſſe, ſi Bilinſcius cohorti Tikocinenſi præfectus, intra muros arcis, quemadmodum poſtulaſſent eos intromiſiſſet. Satisfeciſſe eum jurijurando, fideiq; defuncto Regi datæ, rogat ne fraudi id illi apud eos ſit. Cum ex conventu enim Kniſſinenſe ad Tikoczinum, resque ab Auguſto ibi depoſitas, in poteſtatem redigendas, delegati aliqui fuiſſent, non admiſſi à Bilinſcio fuerant. Ne jus ſuum ſororumq; ſuarum ſilentio in dubium vocet, quemadmodum Louicij feciſſet, ita nunc quoque id illis obnunciare. Exempla etiam jurium quæ penes ſe habeat

illis mittere. Orare obteſtarique, ut memores beneficiorum paternorum fraternorumque, tum aliorum majorum ſuorum, partim publici in univerſum regnum, partim privatim in quemq; profectorum, ita de iis ſtatuant, ut omnes intelligant eos DEI, juſtitiæq; memores, ultimam hanc poſteritatem Regum ſuorum, eo amore honoreque proſequi, quo majores eorum ſemper illos coluerint. Interim ut Warſaviam ſub conventum futurum accedere ſibi liceret, laborabat. Negatum, quod communicationes cum exteris, quorum major ibi facultas futura eſſet vitandas, aliis diſputarent: apud alios partim quod ad res quasdam Tikocino auferendas, quas tamen non magni precij fuiſſe poſtea conſtitit, Albertum Staroziełſcium miſiſſet: partim quod Gaſtaldus, de quo ſupra commemoravimus, non ingratus apud eam fuiſſe, neque ſine ſpe matrimonij Erneſtani dimiſſus ab ea putabatur, invidiæ illi eſſet. Miſſi ad eam Stanislaus Karnkowius Epiſcopus Cujavienſis, & Joannes Sirakovius Palatinus Lancicienſis, ut vel Lanciciam vel Kraſnoſtawum habitationi locum deligeret, ex autoritate Senatus ei perſuaderent, cum neuter ei locus probaretur, Piaſecznam in vicinia Warſavienſe ſitam Lomza eam deducunt. Legibus juribusq; etiam partim ferendis, partim emendandis iterum in conventu hoc præfecti, Joannes Sirakovius Palatinus Lancicienſis, Hieronymus Oſſolienius Sendomirienſis, Joannes Tomicius Gneſnenſis, Nicolaus Firleius Wislicenſis, Joannes Herburtus Sanocenſis, Simon Sobieſcius Inowladislavienſis Caſtellani. Zborowio itidem Tomicioq; quos ex conventu eo ad Livonos miſſos ſupra oſtendimus, commiſſum, ut re cum Lithuanis communicata, ex itinere Tikocinum deſcenderent, rebusq; Præſidij ejus inſpectis, conſtitutisque, privilegia diplomataque vetera, quorum non pauca ab Auguſto ibi depoſita inſtituto illi, vel maxime ſervitura deferrent; Verum Lithuanis in arcis quidem præſidiiq; curam conſentientibus, moveri autem aliquid inde, nulla ratione permittentibus, infecta res fuit. Præter hæc in omnes caſus expeditio publica in hoc quoque conventu decreta. Inde ad externos legatos cura converſa. Ad Cæſareos qui Dziekanowy quemadmodum oſtenſum eſt, non procul Warſavia ſubſtiterant, Adamum Konarſcium Epiſcopum Poſnanienſem, Nicolaum Macieiovium Palatinum, Stanislaum Slupecium Caſtellanum Lublinenſem mittunt, ad querelas eorum, quorum ſupra mentio facta reſpondent: Si quid præter voluntatem & ſuam & illorum accidiſſet, præterquam quod populi in tanta præſertim libertate, ingenio condonandum id eſſet, non nihil certe ipſorum etiam culpa aliqua contractum eſſe: qui in alieno Regno liberius quam decuerit, verſando nonnihil, contra officium legatorum peccaſſe viderentur. Utcunque eſſet, ipſos quidem ut viros primarios, quosq; mandata Cæſarea perferre ſatis ſibi conſtaret, pro oratoribus libenter ordines agnoſcere, eoque ſtudio & honore, quo tanti principis legatos par eſſet proſecuturos: rogare autem ut Urzendoviæ Lublinenſis Palatinus oppido interim ſubſiſterent; dum conventu electionis publico omnium ordinum indicto, ab ordinibus ad eum accerſerentur. Gaſtaldus vero Cyrus & Gerſtmanus qui contra publicam libertatem, magnaque cum hominum offenſione, per Poloniam Lithuaniamque homines præhenſando, & cum Cæſarem ſeque ipſos tum ordines etiam Polonicos Lithuanicosque mutuis ſuſpicionibus involventes curſitarent, ut mox regno excederent. Locum accepere, in eoque ad comitia usque electionis poſt ea manſere. De Gaſtaldo cæterisque, cum ad Cæſarem relaturos ſe recepiſſent, reſcribit poſt ea Cæſar Gaſtaldum quidem & Cyrum ſe revocare, cum ob ea quæ ab oratoribus ſuis ad ſe ſcripta, tum variis etiam hominum rumoribus delata ad ſe fuerint. De Gerſtmanno autem cum præter officium mandataq; nihil eum admiſiſſe appareat, opera autem ejus tanquam Latinorum Scriptorum Secretarij imprimis neceſſaria illis ſit, ut eum ferant, liberumque ei tranſitum præſtent, petit. Gallicus legatus Joannes Monlucius Epiſcopus Valentinus, cum ſub ipſum Kolenſis, Oſiecenſisque conventus tempus majoris Poloniæ fines ingreſſus fuiſſet, à majoris Poloniæ Senatoribus Konino oppido illi aſſignato, literas inde ad Kanſcenſem conventum dat.

Malocium in Senatu Grationopolitano Senatorem integerrimum ſubito morbo interceptum, orbam legationem reliquiſſe. Se incredibili deſiderio illos ſalutandi, plurimis maximisque difficultatibus ſuperatis, jam tempus illud mandata ſua exponendi adeſſe ſperaſſe. Sed cum extracta comitia & res prolatas, ſibiq; præſcripto in loco continendum interim eſſe intellexiſſet, animadverterent interim, quanti chriſtianiſſimus Galliæ Rex eos faciat, rempublicamq; eorum amet. Suaviſſimum enim & clariſſimum fratrem ſuum Henricum, fortiſſimum & ſapientiſſimum ducem optimum, & temperantiſſimum Principem, cui tanquam potentiſſimæ dextræ innitatur, cui pacis bellique negocia comittat, in Regem illis offerre. In laudes deinde ejus digreſſus, non ſecus ac ſi legationem jam exponeret, literis eum commendat, ad extremum cum ad defuncti Regis ſororem à Rege ſuo literæ mandataq; data ſibi ſint, & ſi quo ſe contineat loco præſcripſerint, ne tamen fraudi ſibi ſit, ſi ad eam acceſſerit velint jubeantque petit.

Judiciis tamen eorum ſanctiſſimis religioſiſſime ſatisfacturus. Utrique tam Cæſareis, quam Gallicis per ſpeciem honoris cuſtodes poſiti. Pontificio legato nullo certo loco circumſcripto, ad comitia in regno manere permiſſum, ſupra oſtenſum eſt, Petrum Zborovium Palatinum Sendomirienſem, & Joannem Thomicium Gneſnenſem Caſtellanum, ex conventu Kanſcenſe ad Lithuanos miſſos.

Ad Legationem igitur eam audiendam, ſub initium menſis Decembr. Mrzibowam primores plerique conveniunt; Reſpondent, quod in legibus fœderis Societatis, ſeu unionis, nullius alterius Conventus, quam ipſius electionis comitiorum mentio fiat, tantique momenti res, cum non ſolum tempori, & loco electionis conſtituendo, conventum eum indixerint, verum de modo etiam electionis, Præſidiis finium, militum ſtipendiis, aliisque nonnullis rebus deliberari in eo velint, non in convocatione minore numero, ſed comitiali modo, & conſilio omnium conſenſu expediendas exiſtiment, nolle ſe periculum id in ſe ſuſcipere, ut tanta in re, cæteris vel collegis ſuis, vel inferioris ordinis municipibus ſuis præjudicare velint, libenter tamen operam daturos, ut quemadmodum illi, Kanskam, ita ipſi Wilnam quam primum convenirent, tam Senatoribus etiam, quam nobilitati perſuaderent, ut vel ſeptimana una poſt trium regum, ad conventum eum Warſavienſem ſe ſiſterent: ac ſi forte aliqua ex cauſa, maxime ob periculum hoſtile viritim adeſſe non poſſent, tam ex Senatu tamen quam nobilitate omnibus iis de rebus quæ propoſitæ ſibi ab illis eſſent, ſumma cum poteſtate Legatos ad conventum eum Varſavienſem mitterent.

De Wolhinia, Kyowia, Podlaſſia, Braclavienſeque terra, priſtinas querelas poſtulataque ſua repetunt. Non modo affinitatibus & agnationibus, ſed poſſeſſionibus etiam, tanquam unum corpus connexos inter ſe eſſe, cum pauci utrinq; ſint qui non utrobique poſſeſſiones ſuas habeant. Nullam certe de iis controverſiæ aliquid ſe habituros, aut conſtitutum aliquid iri, edictis, quibus Lublinum fœderis conſtituendi, aut revocandi cauſa vocati fuiſſent mentionem factam fuiſſe; itaq; præter opinionem atque jus decretum id, quo abjudicatæ terræ eæ ab ſe eſſent, ſibi occidiſſe, rogant efficiant, quo iis de rebus ex minoribus conventibus idonea mandata ad conventum Varſavienſem omnes conferant: quo injuria doloreque excluſo eo conſtantior amor, amicitiaq; utrinq; ſtabiliretur. Edicta quibus reditus penſionesque debitas ex Volhinia, Podlaſſiaq; in ærarium Lithuanicum inferri juſſiſſent, jure miſſa à ſe fuiſſe, nihilq; ea re contra communis fœderis juramentum à ſe admiſſum, cum in poſſeſſione eorum à majoribus ærarium Lithuanicum fuerit, neque juramento unionis eas terras abjurarint. Infanti nihil juris apud ſe habere poſſe oſtendunt: cum tanquam ſui juris, liberiq; homines, nullius præterquam reipublicæ jus agnoſcant. Permutationem cum Moſcho Livoniæ; nam tentatum aliquid hujusmodi ab illis conventu Kanſcenſe jactatum fuerat, nunquam ſibi in mentem veniſſe: quod Haraburdæ Scribæ Magni Duc. Lithuaniæ legatione, ipſiusq; ad eam Moſci reſponſo, facile doceri poſſet. E contra potius oſtendi poſſe, ex Polonica Cancellaria defuncti Regis nomine literas profectas fuiſſe, quibus Præſide Livoniæ, ſeq; inſciis, caſtris aliquot Regi Sueciæ cedere juſſi fuerint, quæ tamen Præſes, ad hoc usque tempus adhuc ſuſtinuerit. Præter jus præterea ſuum factum, quod ſe præſideque inconſulto, ex conventu Kanſcenſe legati in Livoniam miſſi, per eosdemq; non ſine periculo fortaſſis aliquo publico, conventus Livonibus indicti fuerint. Ad extremum ut moneta Lithuanica quemadmodum jam ante vivente adhuc Rege conſtitutum fuerit, ſuo precio per Poloniam & ubique recipiatur, poſtulant. De communicatis conſiliis cum exteris, cum privatim appellati ea de re fuiſſent, non negant, ſed cauſam ejus rei à Polonicis conſiliis ſibi præbitam quos ab Electione ſe excludere velle, delatum ad ſe fuerit. Nihil tamen definite cum quoquam ſe conſtituiſſe, poſteaq; nihil niſi communi conſilio ſuſcepturos. Præter conventus hoſce, qui à morte Regis complures hactenus commemorati ſunt, non pauci alij etiam, & vix non in ſingulis Palatinatibus habiti.

Celebris imprimis inter eos maxime Joannis Zamoiſcij Præfecti ingenio Belzenſis Conventus fuit. Quod ſub ducibus Maſoviæ, in quorum ditione Ducatus is antea fuerat, Præfectus pupillorum ducalium tutor, more temporum illorum plerumq; fuiſſet, Conventus indicendi, primamq; quaſi in municipio ſuo autoritatem regno vacante ad ſe pertinere Zamoiſcius exiſtimavit. Verum idem jus Andrea Thencinio Palatino, aliorum Palatinatuum more ſibi vindicante, cum concordiæ cauſa ceſſiſſet. Plæraque tamen fere ipſo autore ibi conſtituta, inter alia certis judicibus, in interregni tempus conſtitutis, id præterea cautum, ut quæ certis reipublicæ temporibus ordinariæ in violentos pœnæ eſſent, per omne interregni tempus duplices in eos ferrentur, ita ut quamvis aliis temporibus privati judicij eſſet, per interregni tempus publici judicij pœna puniretur: quæ autem ante publici judicij fuiſſet, duplicaretur. Decreta ea cum alij nonnulli conventus, tum maxime Volhinia, etiam Kyoviaq; ſecuta, quæ cum quemadmodum ante oſtenſum eſt, nondum ſatis cum Regno

coaluiſſent, decretis Polonicis accipiendis, eo arctius jam cum regno conjungi videbatur. In eadem Ruſſia, Gliniani Podoliæ, univerſæq; fere Ruſſiæ, ſub exitum menſis Julij: iterum Ruſſiæ, cum ob peſtem Viſnæ haberi non poſſet, Dambrowiæ hæreditario in agro, Joannis Borazinſcij ad fluvium Rak XVI. Octobris in omnibus tamen vix non eadem agitata conſtitutaque. Inprimis quidem pax publica ſuperiorum fœderum ſanctionibus & exemplo judiciorumq; interregnorum ſancita inde ad ſecuritatem finium, externorumque periculorum metum cura converſa, in eas res partim miles, qui fines tueretur, partim caſtrorum limitaneorum munitio, in eumque uſum ſumptus vel ex ærario proventibusque publicis, reliquisque eorum, à nonnullis etiam tributum, ſi per univerſum regnum id ſciſceretur, partim expeditio publica, pupillis, viduis, quique in neceſſario aliquo reipublicæ miniſterio eſſent, aut honeſtorum ſtudiorum cauſa ante id tempus regno egreſſi eſſent, ſimilibusque exceptis, viritim decreta. De modo item idoneoque loco & tempore electionis futuri Regis, ratione itineris pacati ad comitia preciisq; exteris omnibus intra certum tempus è regno dimittendis, commeatus conſtituendis, corruptelis excludendis puniendisque, libertatibus, juribusque publicis, antequam novo Regi ſacramento ſe addicerent, idonee conſtituendis, ad eamque rem & privilegiis omnibus conferendis & certis emendationi illi jurium præficiendis, tum de Theſauris Tikocinenſibus, infanteque adeo ipſa, in poteſtatem reipublicæ redigendis agitatum. Plæraque ut pax expeditioque publica, tum ſi quis ob ſuffragium ferendum aliquid accepiſſet, aut cum exteris communicaſſet, aut per Seceſſionem Regem elegiſſet, capitis & infamiæ pœna ſancita.

Pruſſiæ Conventus etiam habitus fuit, turbarum quoque nonnihil dedit. Cum aliis enim nonnullis rebus, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, tum maxime executione legis Alexandrinæ Pruſſi offenſi, indigneque ferentes, non modo adempta ſibi plæraque eſſe, ſed nonnulla ne in indigenas quidem collata. Kirſburgo quod Czemijs ademptum Alberto Pirzchlinſcio; Lopatka item, Rudno & Lignovy, quæ tum Konopatiorum juris fuiſſent, Stanislao Przyemſcio donata ab Auguſto fuerant, publico conſilio poſſeſſores pellunt. Initio anni LXXIII. quemadmodum in conta Kanſcenſe conſtitutum fuerat, circa ſacros trium Regum dies, ex plerisque regni partibus, cum Senatus tum Conventibus ante minoribus per ſingulos Palatinatus habitis, ex nobilitate etiam frequentiſſimi frequentes ad Varſaviam conveniunt. In conventibus qui præceſſerant, vix non eadem iterum quæ in Superioribus agitata. Cracovienſes Sendomirienſesque communem Visliciæ ſibi indixerant.

In eo ad majorum Polonorum exemplum priorem ſanctionem Cracovienſem, ratione executionis, certorum nimirum judicum, judicijque conſtitutione adjecta revocant. Legatis ut cum Senatu expoſtulent, mandant, quod tam diu electionem tot Conventibus, iisque minus neceſſariis duxerint, ut nunc tandem poſtquam in viam aliquando juris publici redierint, quam primum certam diem, locumque electioni præfiniant, petant; ni faciant nobilitatem neceſſario ipſam conſilium ſibi capturam.

Ex Lublinenſe vero ad Archiepiſcopi etiam poteſtatem in ordinem redigendam, mandata legatis data: tum ut ſigilla Regia tam in Polonia quam Lithuania, ad futurum novi Regis Imperium clauſa aſſervarentur. Ita cum plerique maximis de rebus inter ſe diſſentientes conveniſſent, in tanta animorum diſſenſione, novo etiam fere more Conventus adminiſtratus.

Primum cum definitus alioquin numerus legatorum ſit, qui ex ſingulis Palatinatibus ad publicum conventum mittuntur, ad hunc pro cujusque Palatinatus arbitrio, ſine certo, non paulo tamen majore numero miſſi. Ne Marſalcum quidem ad ſententias rogandas, conſiliaque dirigenda, more ſolito prodidere: Verum munere per vices inter ſe partito, in dies ſingulos ſinguli Palatinatus, ut ad quemque ordo pervenerat, eo fungebantur.

In ingreſſu mox de poteſtate Conventus diſputatum, aliis omnium rerum autoritatem ei deferentibus; aliis præterquam de tempore, & loco electionis quicquam ſtatui ibi poſſe negantibus; cum propter abſentiam Lithuanorum, dum Legati eorum quos in itinere jam eſſe conſtabat, advenirent, ex inſtituto res ſuſtinerentur, interim Pruſſorum ipſorum etiam à conventu abſentium vis arrepta, Przyemſcioque & Pirſchlinſcio, non ſolum graviſſime intendentibus, ſed arma etiam in eos comminantibus; cæterorum vero Poloniæ Palatinatuum legatis, communem quaſi cauſam agentibus, graves nonnullæ ſententiæ dictæ. Aliis pœnas confœderationum urgentibus, aliis rigore executionis factum excuſantibus; ideoque mitius agendum cenſentibus, nonnullis ut accerſerentur, adventuque eorum expectato, coram cum illis ea de re diſceptaretur, ſuadentibus. Obtinuit ſententia eorum; qui reſtitutionem ſub pœnis ſanctionum, ex autoritate Conventus mandandam cenſerent; die ejus ultra electionem prolato; ne ſi forte maturior dies, præſtituta fuiſſet; illique edicto non paruiſſent, tanquam hoſtes judicati deterritos ſe poſſent.

Lithuani ad conventum Varſavienſem, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, invitati, Conventum Vilnæ ipſi etiam habuerant. In eo cum Legatos tantum mittendos ſtatuiſſent, mittunt, Euſtachium Volovicium Trocenſem, Paulum Pacium Witepſcienſem Caſtellanos: equeſtris itidem ordinis aliquot, literis præmiſſis, quod ob itineris longinquitatem ad diem adeſſe non poſſent, quinque fortaſſis diebus ſerius venturos legati, abſentiam ſuorum, cum locorum longinquitate, tum formula fœderis, qua ad electionis tantum Comitia asſtricti ſe diſputabant, tum etiam quod primas conventum eum indixiſſet excuſabant, equeſtris ordinis Legatos gravibus de cauſis ſibi adjunctos adeſſe non potuiſſe, nullis aliis autem cum mandatis miſſos ſe eſſe, quam ut de tempore & loco electionis, cum illis ſtatuerent, locum nullum commodiorem Parczowia ſe judicare, qui & in priſtino fœdere nominaretur, & æque omnibus propinquus eſſet. Idemque ad conatus hoſtiles obſervandos prohibendosque commodior, diem circa D. Alberti ſibi videri, quod & eorum qui longius abeſſent ratio habenda eſſet, maximeq; ipſi, privatos etiam, ſeu minores conventus ante electionem habendos ſibi exiſtimarent: & vere ſeu ſub initium æſtatis, fluminibus paludibusq; omnibus ſolutis, hoſtis qui hyeme maxime rem gerere ſoleret, minus timendus illis eſſet. Revaliam jam eum obſidere dici: ipſum alio cum exercitu ad Polotiam ſubſiſtere: jamque incendia oſtentare, tentabundum paratas ne copias haberent, jam dudum quidem commeatum legatis eum miſiſſe.

Itaque mittendos quamprimum exiſtimare, ſi ratione aliqua ducere eum poſſent. Maxime tamen auxilium contra eum flagitare: ærarium ſuum plane eſſe exhauſtum: contra hoſtem autem ita paratum, & milite & pecunia opus illis eſſe. Queri inde imprimis de infante, ad Epiſcopum Vilnenſem literis ejus prolatis, quibus hæreditarios illos vocaret: ad præfectos item Sylvarum de conferendis ad eam reditibus: quod cum illi Warſaviam ipſa Lomzam conventum ſibi indixiſſet.

Formam itidem juramenti miſiſſet, petunt, ut omnis illa controverſia cum infante, ad electionis comitia rejiceretur. Tikocinenſemq; cauſam, conjunctim cum illis curæ ſibi fore offerunt. Veterem de Wolhinia, Kyowia, Braclawia, Podlaſſia, indicta ut ipſi volebant cauſa, cum ex edicto nil præſcire ea de re potuiſſent, in conventu Lublinenſe ſibi abjudicatis querelam adjungunt, ut in priſtinam cauſam ante electionem, adhuc iſta reſtituantur.

Similiter de Livonia, quod præſide ipſisq; præteritis, ſola ſua autoritate conventus ſibi indixiſſent, ut Marſalci terreſtris ſui inter Caſtellanos, in communi Senatu locum haberent: moneta item Lithuanica, & quemadmodum jam ante conſtitutum fuerat, ſuo precio per Regnum etiam ubique reciperetur, poſtulant.

De permutatione Livoniæ cum Moſcho de qua tractaſſe inſimulabantur, refutabant, & ne cogitatum quidem ea de re à ſe oſtendebant, potius caſtra aliquot Livonica, literis ex Polonica Cancellaria editis, Sueco donata, ſeu oppignorata, Præſidem Livoniæ hucusque ſuſtinuiſſe regimen. Jactata ea res inter Legatos etiam nobilitatis magnæ Kraſinſcio invidiæ fuit.

Verum hæc quidem in publicum à Lithuanis acta: Secreto autem & Palatinus Sendomirienſis, quæ in legatione illa Mrzibovienſe cognoverat, & Caſtellanus Trocenſis, quæ à Moſco pericula illis impenderent, quæq; cum eo interceſſiſſent, in Senatu renunciavere. Maxime Cyrus cujus ſupra mentio facta, quique ad plerosque Lithuanos curſitaverat, vel ſuſpicionum vel diſſidij Lithuaniæ cum Polonia autor incuſabatur, cujus cum orationem ad Lithuanos, qua quomodo à noſtris opprimerentur, oſtendere conàtus eis fuiſſet, Palatinus Sendomirienſis commemoraſſet, lachrymas plærisq; excusſiſſe dicebat.

Deliberatum equeſtri ne etiam ordini iſta aperienda, cum ut quam cautiſſime id fieret, neceſſarium viſum eſſet, Hieronymus Oſſolinius Sendomirienſis, & Euſtachius Volovicius Trocenſis Caſtellani ad eos allegati, cum aliis omnibus remotis, ipſis tantum nunciis ſecretiſſime plæraq; expoſuiſſent, in publicum nihilominus poſtea erupere.

Verum maximam Lithuanis invidiam, alia ſecretior Georgij Slucenſis Ducis legatio faciebat. Cum quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, mox poſt exceſſum Auguſti metu potentiæ Moſchoviticæ, hujusmodi ad Moſchum Lithuani literas dediſſent, quibus ſpem Regni illi oſtentando, eum interim demulcerent, conſilia literæque eæ, partim odio Chodkiewiciorum, cum quo æmulationes ei intercedebant, partim ad demerendos ordines regni, ad hunc conventum delatæ ab eo fuere. Poſſeſſiones præterea juris regij ab illis impignorari, conciliabula nobilitate inſcia haberi, quæ ſi à noſtris permitterentur, ad minimum ut legati à regno illis intereſſent operam dandam, ut imprimis ad obſervanda impediendaque conſilia ea in finibus Lithuanicis, electio adminiſtraretur ſuadebat.

Antiquiſſimi hic ejusdemque cum Jagellonibus generis in Lithuania Dux, quoad Jagellonium imperium duraſſet. Lithuaniæ devinctum ſe fuiſſe, nunc eo exſtincto, cum ſui juris factus fuiſſet, ſe ditionemque ſuam in jus Regni dediturum addebat, quod

mani-

manifeſte autem jam ſe Lithuani pararent, tormenta curribus imponerent, arma inſtruerent, periculi ſui ut ratio haberetur petebat, maxime locum in Senatu urgebat.

Quibus de rebus cum in ſecreto conſilio ſententiæ dicerentur, inter alia, ut præfecto militiæ regni, cura tutelave ejus, ſi vis illi fieret, demandaretur, nonnulli cenſere. Wolinij, Kyowij, Podlasſij, quos Lithuani repetebant, per Legatos, rumores, qui de ſe ſparſi eſſent, refutabant, proque jurejurando ſuo, quod ſemel præſtitiſſent, conſtanter in fide regni ſe permanſuros ultro offerebant.

Inter alios imprimis domeſtici regij, inter quos præcipui Mniskones, tum ipſi etiam Cancellarij exagitabantur. In illos partim more hominum regia facta, miniſtrorum invidia, ut plurimum vel excuſantium, vel lenientium, cum amores parum honeſti, tum diſſidium cum ſorore, magicarum artium ludibria, & alia plæraque, quæ proximis annis, vel in invidia, vel ſermone fuerant, conferebantur: partim amotarum quorundam rerum, incertum ſuſpicioſius an verius accerſebantur.

E Cancellariis Kraſſinio quidem Epiſcopo tum Cracovienſi deſignato, literæ quarum ſupra mentio facta, quibus Joanni Sueciæ Regi, quatuor Caſtella Livonica in dotem oppignoraverat paulo ante mortem Auguſti à Kraſiwio editæ, utriq; autem partim honores partim poſſeſſiones etiam regiæ poſt mortem Regis, ſub titulo nomineque Regio privatis nonnullis condonatæ objectæ, quam quidem ob rem poſtulata etiam in Conventibus nonnullis, ut ad novi Regis Imperium ſub ſignis ſigilla regia eſſent, edita fuerant.

Omnium maxima animorum contentione atque odio jus primatis, fœdusque inter diſſentientes de religione agitabantur. Ut quorum illud univerſum quaſi ordinem, civilem cum eccleſiaſtico, majoremq; Poloniam cum minore, hoc vero Catholicos cum hæreticis, quorum major tum fere pars in Senatu committere viderentur; Qui jus ejus oppugnabant, quorum non parvus numerus, maxime ex minore Polonia, non tam regni, aut Senatus, quam cleri primatem eum eſſe diſputabant, imprimisque Caſimiri decretum jactabant, qua ne quisquam Epiſcopus, ſine permiſſu Regio, aut Senatus, legationis Pontificiæ munus, aut dignitatem Cardinalitiam acciperet cautum eſſet: non ſine magnis cauſis, à majoribus vetitum id fuiſſe, ne in æquo omnium jure regiam vel ſanctionem, majoremve regia poteſtatem quis uſurparet. Qui nunc primatem primumq; Principem ſe appellaret, progreſſu temporis pro interrege ſe geſturum, omneque jus regium per interregni tempus ad ſe tracturum: quod ſi fieret regia autoritate Senatoribus ipſum imperaturum: non penes regni, ſed ipſius Marſalcum magiſtratusve imperium interim futurum: depoſiturum eum poteſtatem, quando liberet: daturum Regem quem vellet: multaque alia fortaſſis abſurdiora, quæ more ingenij humani, libido dominandi paulatim irrepens, ſemelque admiſſa hominibus, permitteret. Archiepiſcopus neq; in Senatu ſibi deerat, & publico etiam ſcripto edito, cauſam defendebat.

Inter alia diſſenſionum licentiæq; argumenta, non poſtremam hanc poſt mortem regiam, ab hominibus turbulentis, adminſcendas turbandasque res, controverſiam excitatam, qua morte regia poteſtatem, autoritatemque magiſtratuum ceſſare, ſeu ſublatos potius magiſtratus omnes per interregnum è republica vellent.

Primatum quidem ſuum, merito extra invidiam eam eſſe debuiſſe: neq; enim quemadmodum à malevolis in vulgus ſpargeretur, regiam aliquam poteſtàtem, tanquam interregem ſe uſurpare: quamvis ne regia quidem poteſtas certis legibus, & jure circumſcripta, gravis cuiquam eſſe poſſit: multominus primatum; cujus morte regia regno vacante, poteſtas demum aliqua eſſet, neque tamen abſoluta vel ſumma, ipſius primatis, verum ex univerſi Senatus autoritate pendens, ut nihil in ea vel ſuſpectum, vel invidioſum eſſe poſſet. Verum ab eo oppugnando initium facere illis viſum; quo convulſo reliqui magiſtratus, ſimul omnes facilius, conciderent, ſummaque omnium rerum diſſolutio in rempublicam inveheretur.

Ante omnia & veteres res animo repetenti, & præſentem omnium regnorum Chriſtianorum Statum inſpicienti, nemini dubium eſſe poſſe, nullum unquam regnum aut rempublicam fuiſſe, in qua non princeps aliquis Senatus, gentilibus quidem temporibus profanus, chriſtianis autem eccleſiaſtici plerunque ordinis fuerit, Cæſaribus aut Regibus mortuis vel abſentibus, partim eorum munere fungeretur, partim ad conſilia publica Senatui, reliquisque ordinibus dux autorque eſſet.

Simili ratione apud nos, quamprimum religio chriſtiana à Mieskone primum accepta fuiſſet, ab eodem duos ſimul Archiepiſcopatus, unum Gneſnenſem, alterum Cracovienſem inſtitutos, ita ut primus locus Gneſnenſi tribueretur, non multis ætatibus poſt magnum Caſimirum, in compoſitione de decimis, inter Archiepiſcopum & majoris Poloniæ nobilitatem, etiam primum Principem Archiepiſcopum appellare, majus id eſſe quam ſi primatem, cum non ſacræ ſed profanæ reipublicæ titulus is ſit, in qua Senatores, ut in aliis regnis tanquam Principes, Archi-

epiſco-

episcopus primus inter illos Princeps ſit, neq; vanum titulum eum eſſe, ſed re ipſa, primam poſt Regem autoritatem, poteſtatemque eum habere, privilegia quæ præ cæteris illi tributa ſint, oſtendere. Primo primus & dignitatis & ſententiæ, in ſenatu locus non ſolum præ aliis, tam ſacri quam profani ordinis Senatoribus, verum Principibus etiam feudalibus, quos ad hoc tempus regnum habuiſſet, aut haberet; anteferri illi Scipionem, neque cuiquam niſi ipſi Regi ſubmitti, regni vel curiæ Marſalcis regium tollentibus: quorum ſi nullus adſit, Archiepiſcopi Marſalcum etiam ipſi Regi, quod non ſemel noſtra ætate accidiſſet, Scipionem præferre, quod certe non levi alicui cæremoniæ, ſed juri dignitatique Archiepiſcopi tributum eſſet, aut quod lege etiam publica Sacroſanctum eſſet; qua vel in contumelioſe aliquid quamvis in alios, coram Archiepiſcopo proferentes, vel gladium ſtringentes, certæ pœnæ irrogarentur. Soli illi ut per procuratorem fidei tantum literis ei tributis, in quocunque jure ſtare, juramentum etiam præſtare poſſit, tributum: Soli ut ipſe tantum Reges Reginasq; inauguret: in cujus juris poſſeſſione ab ipſo Boleslao, Chrabro ad proxime defunctum Sigismundum Auguſtum Archi-Epiſcopus Gnesnenſis fuerit. Una ſola Regina Granowia excepta quam cum contra autoritatem Senatus, dignitatemque ſuam Jagello duxiſſet, Nicolao Tramba Archiepiſcopo Gneſnenſe, in conſilio Conſtantienſe, tum abſente, Leopolienſis Archiepiſcopus, diadema ei impoſuit, ita tamen ut decreto poſtea Caſimirus ſanciret, ne quisquum præter Archiepiſcopum Gneſnenſem, jus id uſurparet: in eandemque rem ſimilis Sigismundi Auguſti lex, ita ut ne ab adverſariis quidem jus id in dubium vocari poſſit, extet.

Quod ſi coronandi Reges poteſtatem habet, inquit, quanto magis una cum reliquo Senatu electionem indicendi, eandemq; adminiſtrandi: quomodo enim coronaturus ſit eum, de quo an rite electus ſit, ei non conſtet? & annales noſtri, & tabularia, maximeque recentiorum Regum electiones, quæ in tabulariis extant, cum indicta ab Archiepiſcopis ex Senatus autoritate comitia electionis, tum ex ejusdem Senatus conſenſu, ipſis quaſi Ducibus, & Principibus Senatus adminiſtrata, nonne aperte loquuntur. Albertanæ electioni fratrem ejus Fridericum Cardinalem, cum Epiſcopus tum eſſet Cracovienſis, loco Zbignei Olesnicij Archiepiſcopi tum Gneſnenſis præfuiſſe videmus: Alexandrinæ eundem Fridericum jam Archiepiſcopum, cujus electionis decretum, ſub ejus imprimis titulo, nomineque aliorum itidem Senatorum, equeſtrisque ordinis hominum, in archivo extat; Quemadmodum & Sigismundi Primi, ſub titulo Andreæ Rozæ Archiepiſcopi Gneſnenſis, inter alios ſuffragatores primi. Jam quæ res ne dubitationem quidem ullam aut unquam habuit, aut habere poteſt, non modo in dubium nonnulli vocare, ſed transferre plane ab Archiepiſcopo conantur, cujus multo majorem, tamen etiam poteſtatem, vetera nonnulla tabularia, quibus magiſtratuum munia deſcripta ſunt præſeferunt, quodam in loco in poteſtate Archiepiſcopi, tanquam primatis, & principis Senatus, abſente Rege, comitiorum indictionem, Senatusq; convocationem eſſe profitentur: idemque etiam præſente Rege facere poſſe, alio loco Marſchalci vel Regis vel Archiepiſcopi mandato privatim vocare poſſe, Jus id conſvetudo comprobavit. Multa enim quæ ſummi regijq; juris ſunt, ab Albertanis præſertim temporibus, ut vacantium dignitatum, collatio, res judicatæ, earumque executio, militis in reipublicæ fidem & uſus autoratio, damnatorum reſtitutio, aliaq; ejus generis non pauca, ſub ſolius Cardinalis Friderici tum Archiepiſcopi titulo, cum generali ſaltem clauſula. Nosque cæteri prælati Senatoresque, adminiſtrata, in tabulario regni reperiuntur, ſi Rex comitia intra legitimum tempus indicere ceſſet, ne quid negligentia regia respublica detrimenti capiat, Archiepiſcopo aliorum Senatorum conſilio conſenſuque adhibito ea indicere: eundem fide publica contra infeſtum Regem, ad ſiſtendum ſe juri, in comitiisve cavere eam implorantibus poſſe quis vel ignorat, vel tam averſus à commodis, libertateq; publica eſt, ut negare audeat? Quod ſi vivo præſenteque Rege comitia indicere poteſt, quanto magis nullo Rege exiſtente? At libertati publicæ periculum, à poteſtate ea illius eſſe poteſt. Quæ quæſo affectati Regni ſuſpicio in Archiepiſcopum cadere poteſt? cui crux magis quæ illi præfertur quam regni inſignia conveniunt: quique ſi honeſte, ſalvaque republica ac dignitate ejus poſſet, vel hoc ipſo onere verius, quam honore vacare mallet. Neque enim Archiepiſcopus ullus eo æget, cui ut ſacris rebus ſtudiisq; conſecrato, nihil otio quieteque optabilius eſſe poteſt, ſed respublica. Quod ſi respublica ſine eo eſſe non poteſt, mortuoq; Rege certo utique aliquo conſilij publici autore opus illi eſt, facile quivis ſtatuere ſecum poteſt. Sacrine an profani ordinis homo citius rempublicam opprimere, in poteſtatemque regnum redigere poſſet.

Ad me quod attinet, annorum jam ſatur, temporum etiam, in quæ perverſiſſima incidimus, tædio ipſius vitæ, maxime autem pompæ omnis pertæſus, utinam honeſte curis moleſtiisque iis quas munus hoc ſecum fert abdicare me poſſem. Sed cum jus à majoribus ad me transmiſſum, ſine inſigni ad poſteros nota deſerere non poſſim, quemadmodum hactenus, quantum in me fuit tutatus id fui, ita in poſterum quoque tutandum mihi eſt, non ita tamen, ut ad vim ullam deſcendere ob id velim publico veſtrum omnium judicio rem permitto. Si reipublicæ Majeſtatisq;, ſecuritatis deniq; ejus intereſt, tum majoris etiam Poloniæ univerſæ, cui non minus dignitas hæc periret, quam Archiepiſcopo, juvate me contra eos, qui non tam me, quam per latus meam rempublicam dignitatemque ejus, atque omnium adeo magiſtratuum jura oppugnant. Quod ſi ab aliis quemadmodum hactenus factum fuit, oppugnabor; ab aliis à quibus minime debebam deſerar, ſatis mihi erit, in me nihil reipublicæ defuiſſe publice teſtificatum fuiſſe, quemadmodum quidem, quod veſtra omnium bona venia, & pace mihi liceat, atteſtationem hanc meam, in omnia tabularia publica referendam curabo. Res ita tandem compoſita, ut indicendi poſt mortem Regis conventus, Regis etiam ipſius ex ordinum ſententia prodendi, & coronandi Archiepiſcopo poteſtate confirmata, Marſalco publice ejus renunciandi, poſtquam ab Archiepiſcopo ex publica autoritate proditus jam eſſet, jus relinqueretur. De pace inter diſſentientes de religione, majore etiam fere contentione certatum. Per indulgentiam enim Auguſti, cum diverſas ſectas, vel contra leges paternas, in regnum primum irrepere paſſus fuiſſet, ita deinde confirmatæ fuerant, ut vix non major pars Senatus, maxima etiam equeſtris ordinis, non modo novas de religione ſententias tum ſequerentur, ſed catholicam religionem ubicunque poſſent abrogarent, nonnullis locis vi etiam oppugnarent, etſi enim in diverſas ſectas ipſi ſciſſi eſſent, ad vitam tamen religionem oppugnandam licentiamque ſuam defendendam in hoc uno conſentientes, unanimes conſpirabant. Maximeque quod Henricus Dux Andegavenſis, cujus in Gallicis diſſenſionibus in diverſæ religionis homines odium maxime inſigne fuiſſe conſtabat non modo ambiret regnum, ſed non obſcura etiam hominum ſtudia in illum perſpicerentur, ſoliciti plerique eſſe. Ab altera parte eccleſiaſtici opes adverſæ partis, longi temporis licentia corroboratas tum Spiritus illorum videntes, non magis ſuſpecti illis erant, quam illorum conatus progreſſusque ipſi formidabant.

Hieronymo igitur Oſſolinio Sandomirienſe, Stanislao Saffraniecio Biecenſe Caſtellanis Jacobo Niemoiewio, aliisque nonnullis diverſæ religionis hominibus autoribus, de ſimili ſanctione, qua in Germania pax religionis ſancita eſſet, conſtituenda cum mentio illata fuiſſet, qui privatim de formula ejus agitarent, ad univerſosque poſtea referrent, à novatoribus cum nonnulli alij, tum Oſſolinius, Niemoievviusque, ab eccleſiaſtico ordine, Stanislaus Karnkovius Epiſcopus tum Cujavienſis Princeps, cum aliis ex Senatu, & equeſtri ordine delegatus fuit: à quo ipſo cum formula ſcripta fuiſſet, à Senatorij ordinis utriusq; partis hominibus, publice vix non omnibus probata, à plerisq; etiam qui legati tum è Palatinatibus erant ſubſcripta fuit. Ancipitis fere antea de religione ſententiæ Archiepiſcopus habitus fuerat, tunc præfatus, cum diu in quam partem inclinaret, dubius hæſiſſet, nunc & officij, jurisjurandi loci deniq; ſui memorem, nulla ratione ſanctioni iſti ſubſcribere ſe poſſe profitetur. Pacem publicam omniaq; quæ ejus cauſa conſtituerent, una cum aliis libenter tutaturum: ad res credendas fidemq; Catholicam quod pertineret, extrema etiam omnia perferre ejus cauſa paratum eſſe. Similiter uno Kraſſinio excepto, qui leniendæ invidiæ, in qua ut ſupra oſtenſum eſt, erat, ut putabatur cauſa ſolus ſubſcripſit, cæteriq; Epiſcopi omnes in iisque Karnkovvius, quamvis ſcribendo antea præfuiſſet, partim publice contradixere, partim vim veriti ſe ſubduxere. Ita imperfecta quaſi res relicta. Ab externis ad conventum hunc, non tam legationes quam literæ fuere: excepta Pruſſiæ Ducis legatione, locum ſuffragiorumq; in electione multis rationibus juribusq; commemoratis ſibi aſſerentis, quemadmodum aliquoties ante, ad novum Regem rejectus fuit. Tartaricus legatus à Jasloviecio militiæ præfecto retentus in finibus fuerat: literæ ejus per filium ad conventum à Jaslovviecio miſſæ, ne Moſchum aut quem alium, ſuum Turcarumve Principis hoſtem Regem eligerent, amicitiamq; ejus ſuæ Turcicæve longe utiliori futuræ anteferrent ſuadebant, Turcicæ binæ erant: unæ ad Auguſtum adhuc ſcriptæ quibus Bogdanum ex fœdere repetebat, clementiamq; ſuam illi deferebat, ſi fidei ſuæ ſe commiſiſſet. Alteris ad Kniſſinenſem conventum literis, quibus de morte Regia à Senatoribus certior factus erat, ad fœdusq; nihilominus colendum invitatus, reſpondebat, fœdus quidem per interregnum confirmat; ita autem ratum futurum ſignificat, ſi amicum Regem quiſq; ipſe id culturus eſſet, elegiſſent, iisdem Bogdanum denuo repetit. De eodem Ivvonia etiam per literas expoſtulabat, ſtudio ſuo in regnum, quod tamen perpetuum conſervaturus eſſet, ita ut de Pocutia etiam jam remitteret, Bogdano non reddendo non ſatisfieri. Reſponſum quemadmodum in ſua repub. privato conſilio omnia à Bogdano geſta eſſent, ita eadem ratione regno elapſum, in poteſtate ſua non eſſe, tranſitum certe ſi quem tentare vellet, aut auxilia nulla ex regno ei permiſſuros. Legatorum Hiſpanicorum & Sueticorum, quorum hi Gedani ſubſtiterant literæ, adventum Legatorum ſignificabant, locumq;

locumq; & tempus legationes suas exponendi petebant: In comitia electionis dilati, Sophia Brunsvicensis nonnihil de adversis rumoribus, qui de morte fratris per regnum plerisq; libentibus, aut certe non prohibentibus spargerentur questa, pro studio tamen eo, quod ordines erga se sororesq; ultimas Jagellonicæ stirpis reliquias, per literas sibi detulissent, gratias agebat. Sororem Annam diligentissime commendabat; maxime ne Varsavia, quæ ob dignitatem, & cultum divinum maxime ei conveniens esset, de loco in locum transferretur, petebat, ad comitia ipsam se venturam significabat. Itaq; & ministrorum ejus quos præmissura esset, transitus & adventus ejus cura, majoris Poloniæ præfecto, quemadmodum petierat, commendata. Præter hæc cum finium cura, militum stipendia, Gaza Tikocinensis, fornices quidam ab infante obsignati, clavesq; aversæ, emendatio juris publici aliaq; complura, tum maxime futurorum comitiorum electionis, itinerisq; ad ea ratio, varie agitata fuere, alijs certum modum comitatuum præfiniendum censentibus, stativis item à Marsalcis, per singulos Palatinatus dimetienda, tum commeatus precia, exteros omnes excludendos, disciplinamq; certam constituendam quæ plæraq; in tanta varietate sententiarum, vel non constituta, vel constituta, maxime plærisque sequentibus conventibus, liberum plærarumque rerum arbitrium cuique permittentibus, non servata fuere. Ad alias dissensionum, ob quas minus hisce de rebus convenire poterat, causas de futuro etiam Rege studia accedebant; eo ut fieri solet acriora, quo occultiora adhuc, & in quibus omnis quasi suspicio vitaretur. In duas fere tum partes, regnum scissum erat, unam Zboroviorum, cum quibus Cstotkievicius in Lithuania imprimis tum potens conjunctus erat: altera Firleijorum, cujus Princeps Marsalcus, idemque Palatinus & Præfectus Cracoviensis; quæ Mielecium Podoliæ Palatinum, aliosq; non paucos secum trahebat. Iidem igitur fere duces sententiæ de republica futuroq; Rege erant, in quos privatæ partes scissæ erant. Cum aliis autem rebus ei, cui quisque studebat quibuscunq; poterat, Viam jam hic quoque præstruebat. Tum inter cæteras suffragiorum etiam ferendorum ratio agitata: magis enim quemadmodum supra etiam ostensum, in re supra hominum memoriam repetita, jus liberæ electionis, quam administrandæ ejus modus, nata plærisq; erat maxime igitur inter alia, quo jure suffragium etiam quisque in electionibus Regum iniret, & an tantum cujusvis de nobilitate, quantum Senatoris suffragium valere deberet, dubitabatur. Sed hoc à potentioribus quidem familiis, metu multitudinis, quæ valentior semper magis mussitabatur, quam publice disputabâtur, aut quicquam de eo referebatur. Extra ordinem à Jacobo Ponetowio, qui ipse & legatus tum erat, pertentandorum magis animorum, quam definiendi quicquam, aut perficiendi spe, privato consilio mentio illata fuit.

Erat ex Palatinatu Belzense tum legatus Joannes Zamoiscius Gelito, cujus supra etiam mentio facta, qui postea summus Regni Cancellarius, copiarumque Dux fuit, obque ingenij rerumq; gestarum amplitudinem, magni nomen apud plerosque reperit, Præfectus Belzensis: ab eo sermo exceptus: in libera republ. atq; æquo omnium jure, nihil suffragiorum æquitate, vel æquius, vel receptius, omnibus temporibus fuisse; cum arma viritim pro patria ferant, merito etiam suffragia ferre debere: Ad rationem autoritatem addit quod privilegio Sigismundi primi, post Augusti minus legitimam electionem, cautum postea nobilitati fuisset, nulli postea insignia regni imponenda, nisi qui votis unanimibus, paribus electus fuisset. Quæ quidem res multitudinis gratia ita excepta fuerat, ut referre controversiam, nemo posthac auderet. Clarus inde jam ante etiam ob prudentiæ, & doctrinæ existimationem, magnæ apud nobilitatem autoritatis, Zamoiscius esse. Itaq; cum alia non pauca ex ejus potissimum consilio acta, tum de suffragiis etiam controversia ea quemadmodum supra ostensum, discussa. Tandem dies V. Mensis Aprilis ad Villam Kamieniam, quæ Varsaviæ subjecta est, communi omnium consensu dictus, perq; universum Regnum, Lithuaniam, Prussiam, publicis edictis missis renunciatus. Adjectæ sanctiones nonnullæ, ne ulla provincia, ordo, magistratus, privatusve, privatim de Rege eligendo consilium caperet, vel cum alio, maxime exteris communicaret, munus, donum, promissum, ejus causa à quo quam acciperet, aut quacunque alia re, quo minus integre suffragium ferret, corrumpi se pateretur: ne aliter quisquam in Regem consentiret, quam si prius & vetera jura omnia confirmasset; & nominatim expeditionem quam vocant, publicam sine autoritate comitiorum nunquam se indicturum: neque extra fines regni vel precario, vel precio, quod quinq; marcarum in equitem antiquitus fuerat, nec ullo quocunque alio modo unquam nobilitatem ducturum cavisset, qui secus fecissent vel etiam ab omnibus electum Regem non agnovissent, hostes publici declarati.

In rebus creditis ut partim per interregni tempus, eadem, quæ ante judicia observarentur, partim ne præscriptio interim ulla esset, statutum. Vis injuriaque cum comitatu aliquo ad electionem euntibus, vel ab ea redeuntibus, similiter gravissime interdicta. Expeditio itidem publica contra vim repentinam decreta, tributum

quod ad summum ad D. Alberti festum exigeretur, certique Thesaurario, tam Senatorij quam equestris ordinis collegæ additi, qui tam superiorum tributorum proventuumq; reliqua, quam novum tributum in militem, quem cum eo qui jam paratus erat, ad viginti millium supplendum, perque fines distribuendum decreverunt, exigerent. De conventibus minoribus, an quemadmodum aliis comitiis, ita electionis quoque præmittendi essent, per superiores conventus varie disputatum fuerat. Minores Poloni, qui iidem Knissini postea convenerant, habendos putarant. Lovicenses, quod neque in jure mentio eorum ulla fieret, ut quo soli Senatores, ad edendum diem & locum electionis convenire juberentur, & quod nulla eorum causa esset, cum nullo potius præjudicio quisque de futuro Rege suffragium ferre deberet minus necessarios judicarant: Lithuani sine iis ad electionem non accessuros aperte profitebantur. Ita majore parte, maxime autem nobilitate ipsa conventus expetente, circa mediam quadragesimam, ex eodem conventu Varsaviense Palatinatibus etiam conventus indicti. Quam suspectæ cursitationes Cyri Cæsarei ministri, per regnum, maximeque Lithuaniam fuerint supra ostensum. Joannes Kostka Castellanus tum Gedanensis, Mariæburgensisque in Prussia præfectus, ad conventum Varsaviensem proficiscens, ex decreto Kasseense ministris suis mandarat, ut in eum intenti, si per Prussiam forte iter institueret, eum retinerent. Ex Lithuania per Prussiam, in qua ad Ducem etiam Gedanumque diverterat, proficiscens ab iis capitur, Mariæburgumque adducitur, absenteque Kostka libere interim in custodia detinetur. In scriniis, quæ ab iis, quibus ejus rei cura mandata, mox excussa fuere, complures maxime autem Lithuanorum obsignatæ literæ repertæ. Cyrus aliquot literis ad Kostkam datis, quod insimulatus sit, quasi præter voluntatem Cæsaris, se pro Oratore ejus in Lithuania gesserit, ordinesq; Lithuaniæ à societate Polonica avertere studuerit, purgare se eo nomine vel coram ipso si copiam sui faceret, vel Archiepiscopo, vel quocunque, aut quibuscunque aliis, modo non hostes essent Cæsarei, aut sui, paratum se demonstrabat, ostendereq; à morte Regia jussu Cæsareo in regno substitisse: Postea ab oratoribus Cæsareis in Lithuaniam missum, ad concilianda honestis à concordiaque inter Polonos & Lithuanos non alienis rationibus, filio Cæsareo hominum studia nunc revocatum cum responso à Lithuanis accepto ad Cæsarem redire, in condicto hæc à se accipiatur, injuriam contra jus gentium sibi illatam, neque se neque principem suum dissimulaturum. Kostka & ad Senatores plerosque & conventus, de quibus dictum est, quod sub id fere tempus habebantur, ne vel Rempub. in difficultates aliquas adduceret, vel officio suo in rempublicam aliqua in re deesset, tota de re referebat.

Ex majoris partis sententia, ad comitia retentus fuit. In plerisque conventibus, vix non Varsaviense edictum acceptum; aut pauca ad id vel addita vel mutata. In Prossovicense Cracoviensis nobilitatis, turbarum aliquid fuit: autore potissimum Stanislao Saffraniecio, Castellano Biecense, qui cum ante omnia legatos Varsavienses legationem renunciare debere censuisset, illique ob attestationem suam contra primatum à Senatoribus nonnullis invectum in se fuisse commemorassent, vix non motus aliquis exortus. Omni fere multitudine assentiente, contra tributum inde disputare: cum omnes proventus regij in potestate reipublicæ nunc esset, si tanquam iis non sufficientibus, tributum nunc sciscitetur, multo æquiore ratione Reges in perpetuum id exacturos, ut quod ex iisdem proventibus se etiam aulamque tolerare præterea necesse habituri essent. Ut armati præterea ad comitia omnes irent, cum ipse, tum Stanislaus Cikovius Succamerarius Cracoviensis alijque plærique eos sequentes deferebant. De tributo nihilominus obtentum: de armato itinere dilatum, dum quo aliorum Palatinatuum consilia hac de re tenderent, cognosceretur. Lithuani etiam ante diem Vilnæ conventum habent, actis Varsaviensibus ibi cognitis, ad Polonicos conventus literas dant, ut Liwam comitiis propius versus Lithuaniam translatis, intervalli, quo remoti ab aliis essent ratio habeatur petunt. De suspicionibus, quæ in conventu Varsaviense jactatæ de se essent, purgaturos se ostendunt, nihil unquam nisi ex salute & dignitate communis reipublicæ consilij à se susceptum. Haraburdæ legationis rationes reddituros. Periculum à Moscho qui sub id tempus aliquot Sueco castella ademerat significant.

Volkiniam cæteraque à corpore suo ut putabant avulsa urgent; ut quibus exuti minus quam antea sustinendo Moscho pares nunc essent. Anno salutis M LXXIII. die V. Mensis Aprilis, tanta frequentia, cum Senatus, tum equestris ordinis nobilitas, per stativa à Marsalco ante designata convenit, quanta vix unquam alias in uno loco regni hujus visa existimabatur. Imprimis securitas & pax publica maxime ne quis alio armorum genere quam ferro accinctus in comitia veniret, aliaque hujusmodi ad pacem publicam pertinentia, vi injuriaque omni prohibita, curaque rerum earum Marsalcis Ministrisque eorum demandata, nonnullisque capitis etiam pœna sancitis, tum consiliorum, & agendi ratio constituta.

Ita autem jam ante domi fere pleriq; compararant, ut singuli Palatini sui Palatinatus nobili-

nobilitati tentorium, in quo de communibus rebus inter ſe conferrent conſtituerent. Præter privata ſingulorum municipiorum tentoria, Firleius in quo ſenatus conveniret, & cum ipſe Senatus ſententias diceret, tum legationes principum externorum audirentur, ex Auguſtanis hujusmodi ſuppellectilis, elegantiſſimi conquiſitoris, ſplendidiſſimum magnificentiſſimumq; fixerat. Itaq; fiebat, ut cum Palatini ſplendore atq; ſtudio ſuæ quisq; nobilitati operam probandi, ipſi etiam inter ſe certarent, ut non modo tentoriorum ipſorum, quæ ſplendidiſſima ornatiſſimaq; plæraq; erant, ſed alij etiam apparatus, comitatusque quos pleriq; ſecum adduxerant, cum omnium tum imprimis exterorum oculos non parum perſtringerent. Ante omnia igitur ſacro Spiritus ſancti per Archiepiſcopum habito, auxilioq; nominis Divini invocato, ut in illo de quo dictum eſt tentorio, cum Senatus conveniret, ſententiasq; diceret, tum externi legati legationes ſuas obirent, in eodemq; à reliqua etiam nobilitate, ex ſingulis tentoriis ſententiis comportatis, electio ipſa communi conſilio perficeretur ſtatutum. Ante omnia externi legati auditi: ac primo quidem Pontificius Cardinalis Commendonus. Qui literis Gregorij XIII. redditis, quibus imprimis concordiam, deinde ut hujusmodi Regem eligerent precabatur, qui Catholica religione imbutus, DEO gratus tum reipub. utilis, in DEUM nimirum devotus, in homines juſtus, hoſtibus formidoloſus, invictusq; futurus eſſet, earundem literarum ſententiam, votis etiam ſuis ipſe ſubſecutus fuit. Oratione ſua eadem illa, ut pro quibus ad omnia pulvinaria Romæ, etiam ſupplicationes ſummus Pontifex edixiſſet, ipſe illis optans, magnam ejus rei ſpem ex concordia hac, quæ regnum tam amplum, ac ſpacioſum, à morte Regis hactenus ſuſtinuiſſet concepiſſe ſe oſtendit. In eandem deinde orationem ingreſſus, qua quantum DEO hoc nomine deberemus, oſtendebat, quod non modo tam amplum regnum, quod duo latiſſime diſſita maria amplecterentur, nobis tribuiſſet. Verum cum aliis etiam libertatibus florens, tum non minus ea, quod Reges ſoli fere libere eligeremus, præcipuos libertatis publicæ cum autores, tum cuſtodes eccleſiaſticum ordinem, & ab initio Regni ſemper fuiſſe, & nunc etiam eſſe demonſtrabat. Quo magis omnem operam dandam, ut nonniſi catholicum Regem eligerent, aliorum regnorum chriſtianorum, quæ vix non eadem ratione conſtituta fuerint, minas ſatis oſtendere, in quocunque cum religione eccleſiaſticus ordo ſublatus fuiſſet, ſimul mox publicam nobilitatis libertatem concidiſſe. Optare illis, ut religionis Catholicæ fundamento, quemadmodum antiquitus ipſi quoq; inædificati illi eſſent, ita firmiſſime in perpetuum eidem inhærerent. Varietasq; iſta opinionum, quæ per univerſam chriſtianitatem, maximos ubique, quo modo pedem intuliſſet, motus excitaſſet, nullum unquam in Polonia locum reperiret. Mederi illi proximo conventu Varſavienſe confœderatione quadam eos voluiſſe; Vereri ne in majus potius periculum ſe conjicerent. Qui enim unam ſolam veram eccleſiam catholicam crederet, quemadmodum non plures una eſſe poſſent, quomodo æquo is animo, contrarias illi tot alias ſynagogas ferre poſſet? quam iſtam pacem, aut concordiam futuram, quæ ſummæ licentiæ feneſtram aperiat? Periculum ejus rei, alia jam Regna chriſtiana feciſſe. Sed dum extincturos ſe ignem ſperaſſent, oleum verius ei addidiſſe, pacemq; hujusmodi bello cruentiorem experto, multo eam ſanguine profudiſſe, neq; tamen unquam conquieſcere potuiſſe. Duas maxime res eſſe quibus nihil exitioſius peſtilentiusq; omnibus rebuspub. ſit: Tyrannidem, & licentiam, utramq; religioni etiam infeſtam: Sed licentiæ cum prima ſpecie hominibus plerumque blandiatur, exitus acerbiſſimos plerumque omnibus eſſe ſolere. Inſutilem tunicam Salvatoris noſtri fuiſſe: Itaq; ne Judæos quidem quamvis & milites, & impios ſcindere eam auſos fuiſſe: Similiter infantem qui in Salomonis judicium veniſſet, falſa matre maxime annitente veram ne ſcindi eum permitteret nunquam animum inducere potuiſſe: ne ipſi quidem puerum JESUM dividi ſinerent: quemadmodum unus eſt DEUS, ita nonniſi unam fidem eſſe poſſe: ne panno novo veterem: precioſo vilem: Splendido ſordidum aſſui paterentur. Satis ſe animadvertere, ægræ & labenti quaſi reipub. medicinam afferre eos conari: Vereri autem, ne loco medicinæ venenum ei offerant, quemadmodum ægram eſſe nemo negare poſſet; ita ſuæ poteſtati & quaſi ægro, quoscunq; ei videretur cibos ingerere ei permittere, deſperantis potius de ſalute ejus eſſe, quam ſanantis, quæ poſtea vel ſine remediis aliquibus, diæta ipſa, aut robore naturæ convaleſcere, recolligereq; ſe poſſet. Sanandæ ejus, ex præſcripto Divino unam ſolam rationem eſſe, ut Hieroſolymam irent: Quemadmodum Divus Paulus, multiq; alij feciſſent. Hac copioſa oratione, multisque aliis rationibus demonſtratis, ad extremum Regem qualis eſſe deberet informabat, qualis electus fuiſſet, Senatores quorum id munus eſſet, ad ea ſola quæ ſalutaria reipub. eſſent, eum hortaretur, plurisq; ſalutem reipub. quam gratiam Regiam facerent: omnes vero quemadmodum æquum eſſet ei obedirent, honoremq; debitum deferrent. Ipſe vero ſecundum leges, juraq; imperaret, quod utrumque cum fieret, & libertatem integram, & licentiæ locum nullum futurum: quæ ut plurimum ſub umbra, ſpecieq; libertatis, in maximam miſerrimamq; ſervitutem verteret. Probata à plærisque oratio fuit: in media tamen oratione, à Petro Zborowio Sendomirienſe Palatino interpellatus, oratorem non conſiliarium ſe eſſe meminiſſet. Secundum Pontificis legatum ſine controverſia Cæſaris Vilhelmus

mus Roſembergius, & Vratislaus Permſteinius auditi, Morte Regia nomine Principis ſui deplorata, cum voluntate divina in eum ſtatum res deveniſſet, ut novo Rege opus illis eſſet, qualis Rex circumſpiciendus illis eſſet, breviter commemorant. Inde filium ſuum Erneſtum omnibus iis dotibus, quæ commemoratæ à ſe eſſent egregie inſtructum, florentis ætatis, Viginti nimirum annorum adoleſcentem, Caſimiri Tertij, Maximiliani Cæſaris, Ferdinandi Regis Catholici pronepotem Principem ſuum illis offerre, qui quamvis cum majore natu fratre Rudolpho in Hiſpania apud fratrem patruelem, avunculumque, ubi multarum rerum, hominumq; uſum nanciſci potuerint, educatus fuerit, neque homines tamen, neq; mores hoſce deſeruiſſe, cum ſemper Boemos Moravosq; circa ſe habuerint; indeq; linguæ etiam Boemicæ ejusdem fere cum Polonica, non exiguum uſum habeant, antiquiſſima inter haſce gentes ab eadem origine neceſſitudinem eſſe: eandē Cæſarem quemadmodum & fœdera quæ à tot ſæculis utrinq; interceſſerint, non modo conſervata, ſed aucta etiam cupere, ijs virtutibus præditos, ut maximo cuique regno adminiſtrando idonei ſint, itaque Ungaros majorem natu Rudolphum in Regem jam elegiſſe; ſola ætatis prærogativa Erneſto prælatum, maxime quemadmodum Cæſar ad hoc tempus pacem inter diſſentientes de religione, ſine cæde & armis, in ditionibus ſuis tutatus eſſet, non dubitandum moderatione artibusq; paternis eandem ipſum quoq; hic tutaturum. Vicinos partim hoſtes, partim nō certos amicos complures regnum habere. Moſchum, Tartarum, Turcam, Valachum non paucos alios ſive pace ſive bello opus ſit, utriusq; artibus inſtructum. Præterea ipſum Cæſarem conſilio auxilioq; nunquam ei de futurum, quibus locis ditiones ſuas habeant videre. Ferdinandum, Carolum, fratres Cæſareos, Cæſarem ipſum, Regem Hiſpaniarum: tot Principes Germaniæ, Italiæq;, neceſſitudinibus ac inſeparabili fœdere domui Auſtriacæ conjunctos. Nullum alium competitorem æque opportunum illis eſſe poſſe, quorum vel nulla, vel per tot diſſitarum regionum intervalla, longinqua auxilia futura eſſent. De Turcicis enim quorum ſpes fortaſſis aliqua illis fieret, tanquam à pietate & prudentia alienis abominari potius, quam contra ea diſputandum exiſtimare. Libertatem publicam non ſolum conſervaturum, ſed aucturū munia magiſtratusq; præterquam indigenis, nulli daturum, quemadmodum in Boemia Ungariaq; ipſa fieret, militaribus officiis exceptis, quæ ob penuriam virorum militarium, externis nonnunquam committerentur. Ex reliquis conditionibus præcipuæ inde compoſitio controverſiæ, quæ de Pruſſia & Livonia cum Romano Imperio intercederet. Narvicæ navigationis inhibitio: Barenſis Ducatus ab Hiſpano; rerum itidem à Moſcho ablatarum recuperatio: commerciorum melioratio: Vini Ungarici immunitas à fratre Rege Ungariæ impetranda, ad quæ omnia operam principem ſuum, cum apud Principes, civitatesq; imperij, tum Regem Hiſpaniarum, Danum aliosq;, ad quos res eæ pertinerent, interpoſiturum promittebant. Præter hæc ad centum adoleſcentes nobiles Polonos, vel in bonarum artium, vel militaris rei ſtudiis, per Germaniam Italiamq; ſuo ſumptu habiturum, ad dignitates etiam officiaq;, in Germania, Italia, Hiſpania, homines militares Polonos gratia ſua Cæſarem provecturum. Cum Turca, vel in Ungaria octonales inducias jam eum habere, quanto facilius cōjunctionis hujus metu, ut cum Polonia etiam, ſi pacem bello præferre maluerint, priſtina pacta maneant impetraturum? Cum Boemica lingua legationem exponerent, populo non tam legatio ipſa quam legatus Roſembergius gratus eſſe, de quo ipſo potius tanquam Slavicæ gentis homine, cum valde ab omnibus probaretur. Jam tum cum Urzedoviæ ageret, ad regnum provehendo à nonnullis cogitari cœptum. Poſt Cæſaris legatos, Gallis veterem Franciæ Regum locum, qui imperio Germanico excepto ante Carolum V. ſimul & Hiſpaniarum Regem & Imperatorem, reliquos omnes Reges præceſſiſſet, Galli prælati, omen ſimul & prærogativam comitiorum tuliſſe viſi. Oratio etiam à Joanne Monlucio Epiſcopo Valentino, homine docto, eloquenteq; & ad animos hominum tractandos fauſto habita, magno hominum favore excepta, jam tum ſuffragia etiam fere eò caſura, quo favor inclinaret, indicio plærisq; eſſe. Exorſus à neceſſitudine, quæ inter omnes Reges Principesq;, quamvis lingua, moribus locisq; disjunctos, pro communis tamen fortunæ faſtigio eſſet, ſuum etiā Regem in publico tanti Regis ob mortem luctu voluntatis ſuę ſignificationem, dandam eis exiſtimaſſe, tum ſi quid tali tempore à ſe opis, conſilij, ſtudij proficiſci à ſe in eos poſſet, illis offerendum oſtendit. Ad extremum ſi quid in fratre ſuo Germano Andegavenſe Duce, quod ad deliberationem eam de novo Rege pertineret, eſſe animadverterent, ipſius quoq; rationem non poſtremam habere vellent per ſe petere. Partim res geſtas inde, Majeſtatemq; veterum Gallicæ Regum extollendo, partim ipſius Henrici virtutes, gentis Gellicæ humanitatem: moresq; tum rerum bellicarum ſtudia commemorando, eademq; cum Polonicis comparando, partim quæ invidiæ ei eſſe viderent, ut cædem Pariſienſem, amicitiam Turcicam, & ſi quæ ejus generis eſſent, cum elevando, tum in præſentem potius uſum vertendo, opportunitates inde, quæ ex electione ejus exſtituræ eſſent, cum magnas, tum non minus remotas proponendo cum intra decimum diem ex Gallia claſſem Gedani ſtaturum promitteret. Maxime autem magna contra Moſchum & quoscunq; alios auxilia oſtendendo, tum reditus Gallicarum ditionū ampliſſimos

regno offerendo, animos in partes eas ſua ſponte jam ante inclinatos, tanto magis trahebat. Cum inter alias conditiones, ut claſſis inſtaurationis, Academiæ Cracov. ſimilesq;, in centum itidem adoleſcentes nobiles peregre educandos alimenta offeret, quaſi à ſe primum illud profectum, ab Auſtriacis exceptū notabat. Hiſpano qui Gallo poſthabitus eſſet, publice legationem exponere nolente Sueciȩ Regis orator Joannes Lorchius auditus, officij cauſa ab omnibus uſurpari ſolitis præmiſſis, ad fœdus imprimis contra Moſchum invitabat. Sibi aliquoties jam à Moſcho pacem oblatam. Verum perfidiam, conſiliaq; ejus noſſe, mutuum inde centum viginti millium thalerorum, dotemq; nondum ſolutam repetebat, utrinq; cum fœnore: ſucceſſionemq; rerum hæreditariarū morte Auguſti, inter alias ſorores ad uxorem ſuam Reginam, filiumq; devolutarum. Regni etſi liberam electionem haberent, non dubitare tamen, quin familiȩ optime de majoribus eorum meritæ rationem habere vellent. Ex ea, ſi ita illis, videatur, filium ſe illis offerre: propter ætatem non habilem, quidem adhuc regno, ſed cujus indoles omnium regiarum virtutum ſpem præſeferat. Si patrem mallet, laudem quidem ejus prud enter ſe præterire. Quæ cum plurimæ maximæq; ſint, tum non minimas variarum linguarum cognitionem: animum ut in adverſis infractum, ita non elatum ſecundis. Reginam ut apud illos natam educatamque, ſua ſponte illis notam, nulliusq; alterius teſtimonio egere, utrumq; hujusmodi, à quibus adverſi, ſiniſtrive nihil, præclara omnia expectanda ſint. Non cupiditate aliqua regnum ambire, cum ſuum habeat, quo contentus ſit, quodq; ipſum ſorte ſua contentus non affectaſſet, niſi Tyrannis Erici fratris de uxore legitime ſibi deſponſata, ſobole ſororeq; Regia, infeſtiſſimo Tyranno Moſcho transmittenda conſilia cepiſſet, neceſſaria ei arma induiſſet. Moſcho viribus inter ſe conjunctis, terra mariq; DEO dante facile ſuperiores ſe futuros, cum aliis regni vicinis, ut Turcis, Tartaris, aliisque, cum nullæ inimicitiarum cauſæ ipſi intercedant, paratam facilemq; pacem futuram, in hac vicinitate ditionum, cum alia regni Sueciæ, tum claſſem, qua Poloniæ regnum adhuc careat, ad omnes res magno uſui ei futuram: argenti fodinas præterea ibi inexhauſtas eſſe. Narvicam navigationem, communibus viribus facile prohibituros, quæ ex ſucceſſione controverſiæ eſſent quæq; ei deberentur, tanquam inter privatos parietes, partim cum infante, partim cum Principe ſuo facile hac ratione explicaturos: ad extremum pecuniam, qua nihil fugacius, non quidem ſe offerre, regnum perpetuo confœderatum futurū offerre. Sophia Brunsvic. cum ipſa ad comitia venturam ſe denunciaſſet iter ingreſſa, in morbum inciderat. Orator ejus & infantem, orbitatemq; hanc ejus commendabat, & ne qua in re ad ſucceſſionē pertinente injuria ſibi ſororibusq; fieret, nomine ejus petebat. Præter hos cum Electorem imperij legati, pro Auſtriacis ipſi etiam ſe interponebant: tum peculiariter ordinum regni Boemiæ, vel diligentiſſime eosdem commendabāt; utq; paternum indulgentiſſimumq; domus Auſtriacæ imperium, ſine dubio ſuo exemplo ipſi etiam feliciſſimum experturi, aliis potius præferrent ſuadebant. Albertus Fridericus Pruſſiæ Dux, cujus jam quidem tum valetudo dubia, ſed publice minus adhuc nota erat, penesq; eum univerſa fere familia Brandeburgica, Auſtriacos ipſi quidem etiam per legatos ſuos, maxime autem de ſuffragij jure laborabant. Cum pater ejus Albertus primus ex magiſtro ordinis in Pruſſia Dux, cum Sigismundo avunculo bello compoſito, de feudo conſtituiſſet, in pactis deditionis de jure electionis Regum nihil nominatim caverat, re poſtea animadverſa, quod tanquam Princeps Regni Poloniæ factus, uſurpare potius debuiſſet, petendo ultro in dubium vocarat. Controverſia in eum usque diem nondum definita, cum morte Auguſti comitia interim electionis iſta interveniſſent, cum ipſe, tum univerſa familia Brandeburgica ſum̃o ſtudio id urgere. Oſtendere pactis feudalibus, & primum locū à Rege, & omnia regalia Duci Pruſſiæ tributa; inter quȩ ſine dubio ſuffragium, & vel maxime eſſent, jam ante ſuperiore fœdere magiſtrum ordinis nominatim Principem & conſiliariū regni Poloniæ aſſcriptum fuiſſe: non minus in locum quam jura omnia magiſtri, Ducem ſucceſſiſſe. Non deerant Duci ſtudia ſua maxime in Senatu, nobilitas Joannis Zamoiſcij Præfecti Belzen. de quo ſupra oſtenſum eſt, autoritatem hujusmodi in rebus ut plurimū ſequebatur. Diſputabatur ab eo, diverſam rationem magiſtri ordinis, tanquam eccleſiaſtici fuiſſe, quemque ipſum tamen conſiliarium quidem conſtitutum ſe videre, ſed ſuo judicio Pruſſiæ tantum Polonicarum eum rerum quem uſum habere potuiſſe? itidem in univerſum periculoſum ſuffragium ejus, cum publico periculo, tum libertati futurum. Primum locum Duci tributum, non de regni ſed terrarum conventibus, aut honoris cauſa de loco, non conſiliis intelligi debere: ut maxime vero juris aliquid vindicare ſibi poſſet, non facto tamen illud uſurpare debere, ſed prius juxta præſcriptum pactorum Mariæburgi de eo tranſigi debuiſſe. Non parum cauſæ Ducis rumores oberant. Cum & potens imprimis ſit, & tum juvenis admodum, patrem Principem militarem relaturus putaretur, in armis eſſe, cumq; copiis ipſe adventurus, partesq; Auſtriacas adjuturus dicebatur. Moſchus præ faſtu & arrogantia legatum nullum miſerat. Haraburda qui cum Lithuaniæ nomine legatus apud eum fuiſſet, ea de re cum illo egerat. Lithuanis mandantibus renunciabat, ob longinquitatem locorum cum ad diem prȩfinitum adeſſe non poſuiſſet, literis ut in adventum ſuum electio ſuſtineretur, petebant: Negata eis res fuit, potiſſimum ne contra jus ab abſentibus in exemplū poſtea

res traheretur. Cum tardius aut omnia procederent, ſatis nihilominus in tempore adfuere. Ab iis igitur Haraburda product9, quod Cæſar aut Gallus legatis miſſis regnum peterent, minime mirum ſibi videri diſputaſſe oſtendebat: quod barbarus & omnis antiquitatis ignarus, ac tumens, præter ſe & Turcarum Imperatorē translatitios aut inſtitutos reliquos omnes Principes eſſe diceret, ſibi filiove ſuo non petendum regnum eſſe, ſed ultro deferendū: neque dote aliqua illi opus eſſe, ſed ipſi dotē potius contribuendam, itaq; legatos ipſi ordines ad eos mitterent: Livonia omnique ad Dunam usq; Polon. ditione cederent. Quod ſi ipſum Regem vellent, & titulis ejus priorem locum, & ob eosdem titulos Kiovia quoque ei cederent. Reges poſtea nullos, niſi ex ejus poſteris, quoad aliqui ſuperſtites vixiſſent haberent. Non minus arrogantiæ Turcica poſtulata habebant. Literas ejus tum Machometis primi Baſſæ, alias Valachicus legatus reddidit, alias ejusdem fere argumenti Jasloviecius à finibus miſerat. Ne ex hoſtibus ſuis, maximè autem Auſtriacis aliquem eligerēt, barbarica arrogantia, non tam poſtulabat quam impetabat: de Gallo vix non mandabat, qui ſi minus videretur, ut tum ex indigenis potius aliquem, ex quibus ipſe Palatinos Cracovienſ. & Ruſſiæ, ignoratione autem rerum chriſtianarum, primo loco ridicule Archiepiſcopum nominabat. Cum literis iis cum ante jam ad conventum Varſavienſ. Czauſium miſiſſet, ne ſi imperium Turcicum de Gallo intervenire viſum fuiſſet, invidiæ ea res apud nobilitatem Gallo eſſet, à Gallica factione retentus fuerat. Legatis ad ſua ſingulis loca remiſſis, primum à Senatu ſententiæ dictæ, inde nobilitas per ſuos quæq; Palatinatus diverſa diſceſſit. Priusquam ad electionem accederetur, cum alia nonnulla, tum emendatio juriū libertatumq; iterum agitata, ad conditionesq; futuro Regi præſcribendas, tam ex Senatu quam equeſtri ordine delegati. Inter alia Alexandri privilegium prolatū, jactatumq;. De gradibus in honoribus mandandis, crimineq; leſæ Majeſtatis præterquam quod ſigillo annulari Lithuanico obſignatū, non ſatis autoritatis habere videretur, ne res quidem valde probata inter ſanctiones non receptum. Apud eosdem Slucenſis Dux de loco ſuffragioq; cōtroverſiam referebat. Præterquam quod ſtirpe Ducali ſe, majoresq; ſuos ortos antiquitus in Senatu Lithuanico locum habuiſſe doceret, privilegium etiam in eam rem Auguſti, ſub Radoſcenſem expeditionem datum proferebat. Qui ei adverſabantur, etſi tituli Ducales unione ſublati nō eſſent, dignitatem tamē jusq; omnium exequata fuiſſe cōtendebant: cujus rationis eſſe, ut in Regno in quo Rex ipſe eligeretur, Senatores præter omnium liberarum rerumpub. morem hæreditarij eſſent. Jus ſi quod unquam habuiſſent, partim non uſurpando, partim eo ipſo amiſiſſe, quod cum poſt unionem judicia in Lithuania conſtituerentur, Palatinatusq; deſcriberentur, in Novogrod. Palatinat. Slucka etiā conjecta fuiſſet, ipſum in conventu Grodnenſe à Palatino Vilnenſe admiſſum non fuiſſe: quemadmodum ne in albo quidem Senatorū Lublin. cenſum. A Jagellonicis equidem temporibus præter privilegium ejus, quod diverſi ritus, & religionis homines à Senatu arcerētur, ipſos Græci ritus locum in Senatu habere non potuiſſe. Si quid ab Auguſto poſtea impetraſſet, primo privatim impetratum, nullam autoritatem habere: deinde ne in poſſeſſione quidem ejus fuiſſe, in Senatu pro cujusq; ſtudio, diverſæ de eo ſententiæ eſſe: ex Palat. tentoriis plerisq; in Novogrod. Palatinatu ſuffragium ferre juſſus. Inter alias delegationis hujus actiones, Mniskones quoq; à Zboroviis odio, maxime Firlei qui ſororem eorum ſibi deſponderat arrepti, exagitatiq;, partim ut miniſtri privati Regij amotarum rerum inſimulati, partim omnium actionū Auguſti, quæ in invidia aliqua eſſent poſtulati. Per omnes fere cōventus à morte Regia, militum etiam Podolicorum maxime ſtipendia agitata. Cum aliter explicari nō poſſent ipſo Jasloviecio præfecto inſtantiſſime ea illa poſcentibus, inter conditiones, ut à futuro Rege ſolverentur relata. Interim novo exemplo certis poſſeſſionibus publicis ſeu Regijs, tum primum iis cautum. Tributum etiam tam per Livoniam quam Poloniam decretū. Ita rebus aliis in conditiones relatis, aliis indeciſe relictis, ad electionem deinceps acceſſum. In maxima frequentia nobilitatis, quæ ad electionem convenerat, magno numero Moſcovitica illa tenuior ut vicina cōvenerat, quæ quos eligeret, neq; noſſet omnino, aut fando unquā audiviſſet, neq; magnopere curaret; in eorum verba adducti, qui eos alerent, numerus magis ad acclamationes apt9 quam conſilia. Quibus cum impedire potius actiones omnes, & inter moras iſtas delegationum partim ægerrime ipſi ſe ſuſtentarēt, partim alijs qui factionis cauſa eos alerent graves eſſent, ſermones in Senatu maxime ab illorum Palatino ea de re habiti, quibus diſceſſus illis permittebatur, tantam ad eos delati com̃otionem excitarunt, ut gregatim ad Senatum ad comitium irruentes, minacibus vocibus eos refutarent. Qui vel ipſi partes aliquas ſibi adjunxerant, vel in quos ſtudia hominū ſua ſponte tum propenderent, tres fere erant. Auſtriacus, Gallus, Moſcus. Verum Auſtriacum nomen multitudini vel ob æmulationes, ut inter gentes vicinas, vel Turcici belli adeoq; ipſius potentiæ Auſtriacæ metum, libertati non ſatis gratum, ingratius etiam literæ quædā à Zboroviis confictæ, & ſublegati Auſtriaci nomine jam ante comitia ſparſæ fecerant, quæ cum ut arte rumorū confingendorum tam adhuc nova, magis etiam animos nobilitatis ab illis alienaſſent, non parumq; iis invidiæ conflaſſent, qui Auſtriacis ſtudebant quorum nō pauci ex Senatu & primarij pleriq; erant, ita informatā rationem habebant, ut non ſtatim ab initio omnes ſe aperirent: interim alijs potius ſtudere

ſe ſimulabant, quos poſtquam partim judicia ac voluntates hominum, partim res ipſa repudiaſſet, in Maximilianum tandem omnes convenirent, neq; tam ſponte eum elegiſſe, quam vel neceſſitate vel penuria aliorum, rejecti, quodammodo ad eum viderentur. Quæ Maximiliano oberant, ex altera parte pro Henrico omnia fere faciebant. Quod enim tot locorũ intervallis remoti à Polonia Galli eſſent, & quemadmodum gratia, ita contentio etiam fere nulla unquã iis interceſſiſſet, æquiore animo Gallum quam Germanum ſibi imperantẽ laturi pleriq; videbantur: eandemq; ob cauſam libertati etiam minus ab iis periculi metuendum, ut ad quam opprimendã per tot terrarũ longe diſſitarum ſpacia, neq; militem ſuum, neq; aliorum hominum multitudinẽ, tanquam in Coloniam aliquam, quod inter vicinos aliquando fieri ſoleat, ſatis commode traducere poſſet. Quod autem Turcæ etiam vicino tam potenti, ac gravi fœderatus eſſet, non modo nulla cum ipſis offenſione, ſed integra potius gratia electum eum iri conſtabat. Accedebãt ad ea legatorũ ipſius cum induſtria ſumma, tum ſtudium. Inter quos Princeps Joannes Monlocius Epiſc. Valentinus partim muneribus, partim promiſſis, partim precibus, ac blanditiis, ut quemq; maxime cuiq; rei idoneum repererat, quam plurimos ſibi adjũxerat; Maxime autem ipſæ cõditiones, quæ ab illis proponebantur, hujusmodi erant, ut & dignitate & utilitate, facile quosvis allicerẽt. Sueciæ Principem Sigismundum, tum fere adhuc infantẽ, cum avunculi memoria, tum matris lectiſſimę Reginæ favor, tum præſentis etiam amitæ pietas, nonnullis commendabat. Sed quæ res, ſi cætera in eo fuiſſent, maximum momentum ad ſtudia hominum ei conciliãda adferre potuiſſent, ea partim cõtra maximas opes competitorum, partim contra incommodorũ eorum, quæ ætas ea invectura videbatur, metum parari poterant. Itaq; vel pauci omnino ei ſtudebant, vel qui eum commendarent, ſimulate potius id faciebant, cum tacite Auſtriaco favebant. De Piaſto, quo nomine ex Piaſto eo, ad quem oppidanum Krusvicenſem, in maxima nobilitatis diſſenſione miraculo quodam regnum delatum antiquitas tradidit, cujusque poſteritas longa annorum ſerie ad Jagellones usque imperavit, omnes privato loco natos, quorum in electione ratio habeatur appellari uſus obtinuit, magis diſputabant nonnulli quã quod vel in tanta aliorum contentione conſiſtere, vel in tot ſuffragatorum ambitione, partim aliis invidentium, partim ſibi malentium, devenire ad eum regnum poſſe exiſtimarent. Pauci admodum inter quos Joannes Thomicius Caſtellanus Gneſn. & aliqui ex nobilitate ex animo eum cupiebant, inter quos maxime aliqui diſſentientes de religione, qui Rokos propoſito, Stanislaum Saffraniecium Caſtellanum tum Biecenſem, factionisq; Lutheranæ tum inter primos, ne ipſum quidem ut putabatur invitum, ſubito per tumultũ arripere, Regemq; renunciare, conſtitutum habuiſſe dicebantur. Majoris partis nobilitates in Moſcum fere propenſa ſtudia erant, quos partim imperij ejus amplitudo, partim perpetuæ pacis commoda ducebant, nõdum obſoleta in animis hominum memoria Jagellonis, qui pari ratione ex barbaro chriſtianus ex hoſte Rex factus, cum Lithuaniæ magnum ducatum regno adjunxerat, tum firmã in hunc usq; diem pacem eidem pepererat. Verum hunc, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, faſtus ipſius ultro arcebat cum à quibus tantum regnum expectabat, ne legatione quidem dignandos exiſtimaſſet, ſed literis per Goniecium, qui tabellarij vice, legatos nonnunquã præcedere ſolet miſſis, partim ineptas conditiones propoſuiſſet, partim ut legati qui de Regno acceptando ſecum agerent, ad ſe potius mitterẽtur, poſtulaſſet. Cæteris competitoribus, vel quorũ ratio haberi deberet, ſuicuiq; laudatores ex Senatu dati, qui nobilitate univerſa pręſente quo rectius judicium de unoquoq; ferre poſſent, quæ in cujusq; electione cõmoda vel incommoda eſſent oſtenderent. Magna ac præclara res ut erat viſa, ſummos Principes orbis chriſtiani, de regno clariſſimo certantes inter ſe videre, Piaſtus enim ab initio fere mox excluſus. Cum enim Joannes Thomicius Caſtell. Gneſnenſis, qui nõ ſimulate domeſticum imper. ſuadebat, laudator ejus extitiſſet, verba Zamoiſcius fecit, ſi indigenæ ratio haberi deberet, quemadmodum exterorum principum legationib9 ſummotis, ſententiæ de iis dicerẽtur, ita quo liberiora ſuffragia eſſent, qui ex indigenis idonei ad Regnum putarentur, ipſi quoq; ſecederent, abſentibusq; eis in ſuffragium iretur, qua re à plerisq; comprobata, atq; ut nova ſtudioſe potius arrepta, cum præſertim in omnium æqualitate, aliusq; qui Principibus natus eſſet plerisq; tum ſorderet, nemoque adeo exiſteret, qui profiteri auderet, ac quisq; certus ſuffragator, quam dubius, partim etiã ridiculus candidatus eſſe mallet, omnis de Piaſto deliberatio ſua ſponte conquievit, ut quam jam ante etiam qui diverſum ſentiebãt partim ineptis, partim minus idoneis hominibus. Alij, maxime autem Marſalcus tum ſupremus Andreas Opalienius Slupſcio Badura ſtudioſe nominando, in riſum ac jocum fere verterat. Sueciæ Principem imprimis Nicol. Mieleciuṡ Palat. Podoliæ laudabat, qui quemadmodum & Firleius, Marſalcus Palatinatusq; Cracov. in Suecum aperte ſtudium ſimulare, tacite Auſtriacis velle putabantur. Erat Mielecius ob ingenij, prudentiæ, atq; integritatis opinionem, magnæ apud nobilitatem autoritatis, orationis autem quodam genere delectabatur, ut nõ ſatis fere ſe explicaret, ſed dubios plerunq; animos hominum relinqueret: itaq; ingrata oratio apud multitudinẽ fuit. Præterea cum ſororem Auguſti Sueciæ Rex Dux tum Finlandiæ duceret, offenſus dicto quodam ejus in nuptijs illius fuerat Joannes Chokievicius præfectus Samogithiæ. Is igitur acerbe in Suecum invectus, Mielecio reſpondit, reſponſo ejus Firleius occurrit, tandem nocti, ac tædio hominum utrinq; ceſſum. Cum & Suecum & Piaſtum difficulter tamen eſſe poſſe appareret, qui alterutrum horum volebant, de Roſembergio communicare inter ſe cœperant, qui Urzedoviæ, ubi tam legatus Cæſaris agebat, appellatus ipſe recuſabat, ſeu metu potentiæ Auſtriacæ difficultatesq; fugiens: ſeu in fame ſibi ratus, ſi legatus rem mandatam in ſuum commodum verteret. Ita omnis reliqua contentio inter Auſtriacum & Gallum erat. Auſtriaci laudatores Epiſcopus Plocenſis Petrus Miskovius, Palat. Ravenſis Anſelmus Goſtomſcius, Stanislaus Slupiecky Caſtell. Lublinenſis erant. Gallum Epiſc. Cujav. Karnkovius, Chodkievicius Capitaneus Samogithiæ, Joannes Koſtka Caſteli. Gedan. laudavere. Non exiguæ ſanæ invidiæ apud Lutheranos, cæterosq; hæreticos Henrico Pariſienſis cædes erat, quæ in nuptiis Naverreni ſororisq; regiæ Caſparis Colignij Amirali Galliæ aliorũq; Hugonotorum ipſo potiſſimũ autore, & anteſignano facta jactabatur. Sed & ea res partim literis ab Henrico manu ad Monlucium ex Gallia ſcriptis, quæ paſſim omnibus oſtenſæ fuere tum ab ipſo Monlucio publice etiam epiſtola quæ extat edita, ingenioſiſſime partim elevabatur, partim excuſabatur, & maxime promiſſis, iisq; fere immenſis cum Auſtriacos, cæterosq; competitores omnes vincebat, tum animos plerorumque ad partes adjungebat. Cum vel publ. vel privatim nihil omnino poſtulare qũisq; auderet, quod non multo promptius ipſe promitteret. Itaq; celebre tum dictũ in eum Mielecij ferebatur pontem Varſavienſem, ut ex ſolido auro conſtrueret, ab illo poſtulandum de genere auri, an Gallicum an Ungaricum adhibendum dubitationis fortaſſis aliquid futurum, de re nihil à Cæſareis etiam legatis notata in oratione res fuit: cum alios omnia promittere poſſe dicerent, ſe ea tantum quæ à Principibus ſuis & poſſe præſtari, & præſtitum iri confirmare poſſent. Cum tamen elevare apud alios nimia promiſſa fidem ſoleãt, animis partim credulitate, partim avaritia obcæcatis, nõ quid præſtari poſſet, ſed quid promitteretur pleriq; ſpectabant. Principio Lithuani conſilio inter ſe habito, in Henricum univerſi conſentiunt, conditione adjecta de infante, ut more recepto vocabant, Anna nimirum quæ reliqua in regno ex ſororibus Auguſti virgo erat ducenda. Principes inter Lithuanos duæ tum factiones imprimis potentes erant, Radivilorum & Chodkieviciorum, inter quos Princ. Joannes Chodkievicius. Is partim Zborovios quorum ſororem in matrimonio habebat, partim propria promiſſa à Monlucio ſibi facta ſecutus, ſua ſponte totus Gallicæ factionis erat Radivilij quoq; ad eam acceſſerũt. Cum diu nihilominus res duceretur, Gallica factio tandem recommunicata, armata in comitium venit. Joan. Zborovius, qui in Lunatã formã aciem inſtruxerat, Archiepiſc. qui ipſe etiam Gallicarum partiũ jam ante erat, omniũ nomine accedit; ut Regem tandẽ renunciet, urgent. Archiepiſc. paret, Henricumq; publice Regem renunciat diverſum ſentientes, qui Auſtriacis pleriq; ſtudebant Grochoviã villam Varſaviæ ipſam etiam ſubjectã ſecedunt. Poſtquam & numerũ & vires ſuas uno loco cõgregati cognoſcere cœpere, pœnitere eos cõſilij quod in diverſas ſententias antea ſe diſtraxiſſent. Cum ſi unum ſenſiſſent, facile tot Senatorum & primariorum hominũ autoritas, alios movere potuiſſet, tandẽ cum & à civilibus diſſenſionibus, magis tum adhuc animi abhorrerent, iis qui primam electionem occuparant, cedendum rati, nonnulli etiam à Gallis ab inſtituto deducti, nõ tam à Rege ipſo diſſentire, quam ut libertati idonee caveretur, laborare videri volebant, nominatim cõditiones quaſdam, quæ Henricanæ poſtea appellatæ, à delegatis cõſcriptas, formulam juramenti regij, & confœderationem inter diſſentientes de religione urgebant, quæ cum ab altera etiam parte accepta & obſignata fuiſſent, tandem utrinque in comitium rurſum conveniunt. Accerſiti legati Gallici; ut qui nihil penſi haberent, quam ut quacunq; ratione rem perficerẽt, expeditiſſime in conditiones jurant. Cum Monlucius ante non inſpecta, aut perlecta, Abbatẽ de Noailles, ut in verba ſibi præiret, legere tantum juberet, promptiusq; juramentũ ipſe ſubſequeretur. Conditiones in quas jurarunt hæ fere fuerunt, fœdus perpetuum inter regna Galliæ & Pol. promiſſum, ratio autẽ & conditiones ejus, ad ipſos Principes, in aliud tempus rejectæ, interim ſtatutum, ſi quis hoſtis regni Poloniæ exiſteret, operam Galliæ Regem dandam, ut ad pacis conditiones eum perducat, quod ſi nõ efficeret, ut peditatu tum Vaſconico, vel Germanico, vel etiam pecuniis pro arbitrio ordinum Pol. regnum juvaret. Polonia viciſſim equitatum Gallicis tamen ſtipendiis Galliæ regno ſubminiſtraret; contra Moſcum 4000. Vaſconum, ſtipendiis Gallicis in ſex menſes promiſſa: de aliis etiam ſex menſibus, ſi opus eſſet ſpe facta. Claſſis ad tuendũ dominium maris Narvicamq; navigationem prohibendam, ipſam Narvam adjungendam ſumptu privato Regis electi. Emporium aliquod nobile in portu Gallico in uſus mercatorum, & mercimoniorum Polon. quod dum inſtitueretur, liberã interim, æquamq; cum ipſis Gallis, quam in Gallia quam Alexandria, terrisq; novis cõmerciorum facultatem hominibus noſtris permittunt. Ex provinciis Gallicis, quoad viveret, Rexq; Polon. eſſet, 450000. fl. in Regnum Polon. inferre quotannis debere, inq; uſus reip. impendere pro arbitrio ſuo. Æs alienum omne tam à Sigismundo Auguſto quam poſt mortem ejus publico nomine factũ duabus penſionibus diſſoluturum. Academiã Cracovienſ. doctiſſimis viris, undecunq; conquiſitis inſtauraturum: centum adoleſcentes nobiles Polonos, vel in Cracovienſe, vel Pariſienſe ſchola, quoad quantũ opus ſit, proficerent, ſuo ære atq; ſtipendiis habiturũ: niſi forte dimidiam partem in literis, alteram in armis,

aut aulis exerceri ordinis ipſi mallent, ne ullos externos homines habitādi cauſa, præter paucos, quorum opera in miniſterio domeſtico uteretur, quos tamen poſtea, ſtipendiis de ſuo ſolvere brevi remitteret, in regnum ſecum adduceret cautum: nullas iisdem poſſeſſiones, honores officiave concederet, ſed tantum indigenis Polonis, juxta jus publicum regni. Præter iſta omnia alia, quę oratione ad ſtatus regni initio conventus habita, typisq; publice edita, nomine Principum ſuorum promiſiſſent, rata fore confirmant. Confirmationem ad extremum omnium jurium privatorum publicorūque, tam priſtinorum, quam quæ in electione hac ex unanimi & concordi omniū ordinum conſenſu, ſancita fuiſſent. Conditiones ita ab illis juratæ ſcripto comprehenſæ, abſq; utraq; parte, tam nimirum nomine ordinum regni, quam ab ipſis oratoribus ſignatæ, ſubſcriptæq; publice editæ fuerunt, die XVII. menſis Maij. An. Domini 1573. jurejurando à legatis pręſtito, tum Marſchalcus etiam regem renunciat: ſupplicationesq; decretæ & habitæ. Conventum deinde in curiam: primo decretum electionis ex comuni ſententia ſcriptum, exemplum Zamoiſcio ſuggerente, ea formula ſcriptum, qua Sigismundus primus declaratus fuerat, addita ſanctio ex Jedlinenſe promiſſo Jagelloni facto, de altero ex filiis ej⁹ in Regem eligendo, ut pro hoſte publico eſſet, qui Regis imperium non agnoſceret. In ſcribendis rebus hiſce, titulus primi Principis, quem Archiepiſcopus ſibi vindicat iterum jactatus: cum convenire non poſſet, vacuus ad eum locus relictus; tributum Lithuanicum in bellum Moſcoviticum, in cujus expectatione erant, Lithuanis permiſſum: præter iſtud, triginta millia ex Polonico tributo, à Joannne Koſtka Caſtell. Gedan. in ſubſidium illis delegata: peculiariter vero ad Livoniæ fœdera exceptæ defenſionem, ex Palat. Plocenſe, & Maſoviæ alia 30000. arbitrio & conſilio Chodkiev. præfecti Samogithiæ, ut provinciæ ejus tum gubernatoris, & Ducis adminiſtranda. Cōtra Tartaros in finibus Podoliæ 2000. equitum, unum gravioris armaturæ, alterum Koſacorum, quingentorum itidem peditum, quorum ducenti in Kyovienſe arce haberētur, alij per finitima Caſtella diſtribuerentur, Georgio Jasloviecio Palat. Ruſſiæ, militiæ campeſtris tū præfecto, ſcribendi habendiq; cura demandata. In Pedemontio, & finibus Sileſianis, à quibus non minus tum dubia ſuſpectaq; amicitia videbatur, jam ante, decreto nobilitatis minoris Polon. ſcriptus miles fuerat. Ei igitur ut ex Cracov. Sandomir. & Syradienſe Palatinat. tributo ſtipendia ſolverentur ſtatutum, & quod Palatin. Cracov. qui præfectus ſimul erat, ab arce Cracov. periculo aliquo ingruente, non ſatis commode abeſſe poſſe videretur, ejus loco Petro Zborovio Palatino Sandomirienſi, Andreæ Vapovio Caſtellano Przemislienſi, finium earum cura commiſſa majoris Poloniæ generali ejus præfecto Czarnkovio, & Marſalco curiæ Andreæ Opalenſcio, Pruſſiæ Joanni Koſtka Caſtell. Gedan. commiſſum his, ut in omnes conatus vicinorū intenti eſſent, ac ſi quid aliunde objiceretur, quam primum alios certiores facerent, atq; ad vim propulſandam, parata omnia haberent, quam in rem militis etiamſi opus eſſet, publicis ſtipendiis ſcribendi poteſtas eis permiſſa. Pax publica judiciaq; ex præſcripto cujusq; Palat. quod poſt mortem Sigismundi Auguſti quisq; Palat. ſibi conſtituerat, obſervari placuit. Locus coronationi novi Regis aſſignatus ſolenni, Cracov. dies 4. menſis Octob. conventuum autem minorum qui comitia inaugurationis more ſolito præcederēt, 1. Sept. Legati ad decretum electionis novo Regi tradendum deſignati, ex Senatorio ordine, Adamus Konarsky, Epiſc. Poſnan. Albert⁹ Lasky Palat. Siradien. Joannes à Thecin Caſtell. Voſnicenſis, Capit. Lublin. Joañes Thomicky Gneſnen. Andreas à Gorka Miedzirecenſis, Gneſn. Valcen. Javorovienſisq; Præfectus, Joannes Herbalt de Fulſtin, Sanocenſis Caſtell. Præfectus Przemislien. Ex equeſtri ordine Joannes Zamoiſcius Belzen. Nicolaus Fierleius Caſimir. Joannes Zborovius Odalanov. præfecti, Nicol. Thomicius. A magno autem Ducatu Lithuan. Nicol. Chriſtoph. Radzivilus, in Olika & Nieswies M. Ducatus cum Lithuaniæ Marſalcus, & Alexander Pronsky Palatin. Kyovienſis. His cum alia mandata data, maxime ad confirmationes conditionum, inter quas imprimis etiam matrimonium cum infante erat, juramentumq; in eas à novo Rege exigendum, ipſiusq; juramenti declarationem pertinentia tum ne præter morem externorū familiam numeroſam ſecum ducerent, mandatum iis, ut ad Cal. Jul. Miedzirzeciā omnes convenirent: inde conjunctim uno itinere ad Regem irent. Ad ipſum Regem ne quis ſeparatim ab aliis adiret, ſibive aut cuiquā alij privatim quid cōciliaret. Epiſcopo autem & Caſtell. Miedzirzec. ut tabellarios certos haberent, per quos ſi quid opus eſſet aut gravius incideret, ad Archiepiſc. tanquam primatem regni quam celerrime referrent. Illi conſilij cauſa adjuncti, ex minore Polon. Fierleius Cracovien. & Petrus Zborovius Sandomir. Palatini, ex majore Stanislaus Karnkovius Epiſc. Cujavienſis, Jonnnes Syrakovius, Lancicien. Joan. Sluzevius Brzeſten. Palat. Ex Lithuania Nicolaus Radivilus Palatinus Vilnenſis, Joannes Chodkiev. præfectus Samogithiæ, Euſtachius Volovicius Caſtell. Throcen. cum quibus omnibus de rebus ad rempub. pertinētibus Archiepiſc. communicaret, utq; ex tempore cōſilium reipub. caperet. Ad excipiendum etiā novum Regem Gedani, quo claſſe eum appulſurum opinio tum erat, præter Epiſc. Cujav. Palat. Lancicienſ. & Brzeſtenſem, Joañes Krotoſcius Inowladislav. Anſelmus Goſtomſcius Ravenſis, tum Pruſſici Palatini, Gedanenſe etiam Caſtellano iis adjuncto, deſignati. Funeri defuncti Regis Auguſti, ſeptimana una ante inaugurationem novi, dies 28. menſis Sept. conſtituta. Vexilliferiq; omnes ad id evocati, qui una cum aula Cracov. id deducerent, Pe-

trus

trus Miskovius Plocen. itidem Victorinus Virbicius Luceorien. Epiſc. Smolecenſ. Joannes Hornoſtaius Brzeſtenſ. Nicolaus Kiska Podlaſten. Palatini, Euſtachius Volovicius Caſtell. Irocen. nominati. Sororis regiæ deducendæ, Alberto Starogrobſcio Chelmenſi Epiſcopo, Caſparo Zebrzidovio Palat. Califienſi, Sigismundo Volſcio Caſtell. Czernenſi, cura demandata, quæ omnia in ſcriptum relata, literis per univerſum regnum dimiſſis publicata fuere. Rebus hiſce domi conſtitutis ad externos etiam Principes, aliquot legationes decretæ. Cæſarei legati, mox ac declaratus Henricus Rex fuerat, non expectato reſponſo diſceſſerant. Orator tum ad Cæſarem tranſitus petēdi cauſa, Stanislaus Slupiecius Caſtell. Lublinen. laudator ejūs miſſus. In Moſcoviam petentibus Lithuanis, Andreas Tarnovius miſſus. Ad alios etiam nonnullos Principes, maxime Electores Imperij, Saxonem & Brandeb. literæ datæ, quibus commeatus peteretur. Quam primū declaratus Rex fuiſſet, nobiles aliquot juvenes, ſtudio primum nuncium ejus rei ad Regem deferendi incitati, diverſis itineribus pręcurrunt inter quos Stanislaus Ciolek, Jacobus Ponetovius, cum literis à Senatu, privatim vero Martinus Lesnowolsky, Nicolaus Volsky Capit. Krzepicien. quos omnes tamen Zarnovien. præpoſitus Pruſſus prævertit. Etſi autem omnes jam in eandem electionem convenerant, tamen & legati Gallici ipſi, & qui ab initio partes Gallicas ſecuti fuerant, non ſine cura erant. Maxime à Fierleio metuebant, qui & conſtantiſſime electioni Gallicæ adverſatus fuerat, & quamvis ex omnium autoritate Regem renunciaſſet, ſubſcriptionem tamen in electionem vix currum jam conſcendente Monlucius extorſerat. Itaq; Andreas Zborovius cum præſidio Cracoviam miſſus. Arcis Cracovien. rationes ita fere conſtitutę ſunt, ut præfectus jurisdictionem in nobilitatem, ac certam partem arcis habitandi tantum cauſa, præſidium etiam ſi quod in arce ſit, atq; portas arcis in poteſtate habeat: ipſius arcis omniūq; ædificiorum, tum villarum ad arcem Cracov. pertinentium, ad magnum ut vocant procuratorem pertinent. Præter hos Burgrabij ſex circiter ſunt, quod ipſi etiā domos officiis iis aſſignatas in arce habent, præſidioq; arcis proprie deſtinati, ab aliis expeditionibus omnibus publicis jure publico immunes ſunt. Erat tum magnus procurator, homo origine Germanus Ludovicus Reſius à Sigismundo Auguſto cui gratus fuerat, procuratione ea arcis donatus. Cum hoc de tenenda aliquo modo arce conſilia Zboroviorum comunicare, cum delatum ad Fierleium fuiſſet, non levis inde tumultus inter Fierleianos, & Zborovianos, in ipſo templo arcis exortus, vix ſedatus fuit. Non parvam etiā in animis hominum quorundam imperij Principum Lutheranorū imprimis Palatini Rheni Haſſi, aliorumq; nonnullorum ad Luther. Senatores in Henricum literæ alienationem attulerunt. Inde pœnitentia facti, convicia item, & libelli famoſi, mutuo in vulgus jactati. Ex legatis ad Regem deſignatis Stanislaus Kriſcius Caſtellani Raczazenenſis cum Landſaco legato Gallico mare ingreſſus, in freto à claſſe Danica retentus fuit. Piratas Gedan. à Sigismundo Auguſto ad navigationē Narvicam prohibendam, magna cum invidia, & vicinorum omnium odio inſtitutos Landſ. armarat, omnes à Dano capite mulctati, vix in ipſo Landſaco & Kriſcia jus legationis valuit, aliquandiu tamē retenti, Landſacus inde in Galliam, Kriſcius domum redijt. Thencinius etiam Caſtell. Voinicenſ. cum breviſſimo itinere per Sileſiam ire conſtiruiſſet, Niſſæ ad Cyrianam fortaſſis retentionem reddendā detentus, ipſe etiam dimiſſus, non viſa Gallia domum ſe recepit. Reliqui legati per electorum ditiones ituri, Cal. Julij, quæ dies ut Miedzirzeciam convenirent pręſtita fuerat, Poſnaniæ aliqui prius ex illis conveniūt. Eo literæ ab Electoribus Saxoniæ ac Brandeb. illis allatæ, quibus ad ordinum literas de electione regia eis ſignificantes, commeatumq; petentes, reſpondent. Marchio gratulari, quod per Januſſium Lataſcium de ſtudio ſuo ordinibus recepiſſet, libenter & jure pro mutua neceſſitudine facturum: itaq; nō eſſe quod gratias eo nomine ſibi agerent, expoſtulare tamen, quod ſecus quam per Latalſciū ad ſe retuliſſent, patrueli ſuo Alberto Friderico in Pruſſia Duci ſuffragium, locusq; in Senatu permiſſus non fuiſſet. Cæteroquin de ſtudio ſuo iterum confirmare, ſi quid etiam hoſtile aliquem in imperio contra regnum moliri cognoviſſet, certiores facturum promittere. Legatis etiam ſine exceptione, tranſitum mox permittere, Saxo eventum electionis præter vota ſua, quæ ex legatis ſuis, ad electionē à ſe miſſis cognoviſſent adminiſtratæ, immutabilibus regnorū fatis committere, optare ut quod cœptum eſſet, regno atq; univerſo orbi chriſtiano, cujus tum is ſtatus eſſet, ut non modo quæ prima ſpecie læta, tractu tamen dura, atq; exitu dubia ſæpe fiant, feliciter eveniat, Legatis uſitato more per ditiones ſuas tranſitum permittere, annuente Cæſare. Priusquam Miedzirzeciam Poſnania moverēt, exemplum literarum à legatis Gallicis, & Petro Zborovio Palat. Sandomir. Joanneq; Koſtka Caſtell. Gedanenſe, ad novum Regem miſſarum, perlatum ad illos fuit. Cum nuncij ad Principes imperij, tranſitus petendi cauſa miſſi, vix 4. aut 5. ſeptimanis negotium id conficere, & vel etiam infecto eo redire poſſent, datum ſibi à Senatu negocium eſſe, ut cum in celeri adventu ipſius, omnia poſita eſſent, ſi oratores ante tertiā diem Auguſti ad eum non venirent, iis amplius non expectatis profectionem ſuſciperet, omniq; ſublata mora in Poloniam contenderet. Cum ejus rei tum cum legatio eorum decerneretur, nulla in Senatu mentio facta fuiſſet, non parū illos movit: Progreſſi tamē fuerūt Miedzirzeciā. Eo ad 5. Julij cubicularius cum literis à Slupecio Caſtell. Lubl. qui ad Cæſarē miſſus fuerat, venit, privatim humaniſs. & acceptum & tractatū ſe fuiſſe, publici negotij nihil confi-

cere

cere potuiſſe, mittebat ſimul exemplum reſponſi Cæſarei. Quod ordines ſuum in Cæſarem domumq; Auſtriacam ſtudium conteſtati per eum fuiſſent, eventumq; electionis excuſaſſent, ſe quoq; prætermittere non potuiſſe, quin de ſua quoq; voluntate nonnihil attingeret, teſtari DEUM nulla vel ambitione vel privato commodo ductum, pro filio Erneſto regnum per oratores petijſſe: ſed cum univerſæ reipub. chriſtianæ, tum imprimis Poloniæ etiam ſalutem, atq; utriusq; imperij incolumitatem ac quietem propoſita habuiſſe. Tantum enim abeſſe, ut libertates juraq; regni aliqua reminuere in animum unquam induxiſſet, ſed iisdem potius augendis amplificandisq; nunquam defuturus fuiſſet, longe aliter ab altera parte animo, ac voluntati huic ſuæ reſponſum, internũcios à morte Auguſti cum literis, quibus dolorem ex morte ejus ceptum teſtaretur, ſimulq; adventum oratorum ſignificaret, ad ſororem regiam nonnullosq; proceres præmiſſos, contemptim plerisq; in locis exceptos: non ſecus fere ipſos oratores poſtea tractatos, in Sendomirienſe Palatinatu ſubſiſtere coactos: non raro cum ſuas tum oratorum literas interceptas: quasdam etiam reſignatas, ac non modo in conventibus publice lectas, ſed ad conflandam rebus ſuis eo majorem invidiam, quam odioſiſſime in vulgus ſparſas, ad extremum Joannem Cyrum, qui per complures años oratoris ſui munere apud Auguſtum functus fuiſſet, nulla ſui, qui certe, ut orator maxime quid deliquiſſet, ipſe tamen injuria hac nõ afficiendus, ſed de oratoris potius delicto certior faciendus fuiſſet, nulla mutuæ amicitiæ, vicinitatisq;, fœderumq; ac pactorum inter utraq; regna, nulla deniq; juris gentium ratione habita, in via publica interceptum MariębBurgumq; captivum abductum fuiſſe: ac ne literis quidem à ſe miſſis, quibus ſi quid præter rationem officij ab illo admiſſum eſſet, animadverſurum promiſiſſet quicquam reſcriptum, ſed ipſius Cyri in tertium usq; menſem retenti, literas & ſcripta Varſavię in publicis regni comitiis effracto ſcrinio publice lecta, neq; quicquam tamen quod juſta reprehenſione dignum, aut legitimam captivitati cauſam præbere debuiſſet, repertum. Acceſſiſſe huc ut nonnulli ne Cæſari pepercerint, ſed ipſum, filios, fratres, univerſamq; domum Auſtriacam, varijs atq; inauditis rebus confictis, cum ſcriptis per univerſum regnum ſparſis, tum in publicis conventibus, noviſſimeq; Varſaviæ traducere non ſint veriti, quæ cum manifeſtiſſima eſſent, Senatũq; ordinesque ipſos ignotum ordinibus eſſet, qualem erga defunctum Regem regnumq; ipſum ſemper ſe præſtitiſſet & quamvis aliquando alia etiam capiendi conſilia, neq; graves cauſæ, neque opportunæ occaſiones defuiſſent, iis tamen poſthabitis quantum amicitiæ, bonæq; vicinitatis cum regno tuendæ curam ſemper habuiſſet atq; adeo quotiescunque regno aliquid periculi imminere vel ſtrũi animadvertiſſet, ſummo ſtudio omnia avertiſſet. Nunc etiam quæ Auguſto defuncto prẹter expectationem, atque meritum ullum ſuum eveniſſent, DEO ac temporum iniquitati committere, ea ſpe fore aliquando, ut quam bene Poloniæ cõſultum voluerit, atq; etiam nunc velit, re ipſa Senatus ordinesq; experirẽtur. Quodq; operam daturos ſe polliceantur, ut ſi unquam alias inter Reges Poloniæ ac domum Auſtriacam firma amicitia culta, conſtitutaq; fuerit, ea nũc maxime colatur, grato animo accipere, mutuumq; animum promittere. Legatum ad funus Auguſti ad quod ſimul invitabatur polliceri. De literis fidei publicæ oratoribus in Galliam deſignatis, ſi per ſua tantum regna, ditionesq; iter illis faciendum eſſet, non difficulter fortaſſis explicaturum ſe fuiſſe. Nunc cum per complurium imperij tam electorum, quã aliorum Principum ditiones eundum illis eſſet, eos ſua etiam regalia, ac jura, quibus non facile fortaſſis derogari paſſuri eſſent, ex ipſis inveſtituris habeant, quod ne ipſis quidem ordinibus Polonicis ignotum eſſe, vel ex eo perſpicere, quod ad nonnullos imperij Principes ab ipſis quoque literas hac de re datas eſſe cognoviſſet. Itaq; non integrum ſibi eſſe, re ſi nõ cum omnibus, ſaltem Electoribus prius communicata quicquã ſtatuere: eoq; magis quod quæ cum ordinibus nuper acta eſſent, communicatis cum iisdem Principibus Electoribus conſilijs, atque opera acta fuiſſent, daturũ autem operam, ut quam celerrime reſponſis illorum acceptis, ſententiam ea de re ſuam ordinibus ſignificaret, plane appellandis Electoribus intricata nonnihil res videbatur: cum Electores ad Cæſarem mox retuliſſent: Cæſar neq; ſuæ, neq; Electorum dignitatis eſſe exiſtimaret, dum ultro citroq; nuncijs commeantibus utrinque de ea re inter eos conveniſſet quicquam definire. Cum ancipites deliberatio hæc, an reſponſum Cæſareum expectare, tum quo potiſs. itinere, an per Principum imperij ditiones, an per Auſtriacas ire deberent, in eam fere ſententiam propenderunt, ut diverti quo quisq; poſſet itinere, in Galliam evaderent. Metiq; ad ultimam diem Julij conveniret. Cum jam ante Palatinus Siradienſis Laſcius, eumq; poſt ſubſecutus Radivilus ſeparatim etiam præcurriſſent. Obſtabat conſilio huic metus, ne Rex literis, de quibus ſupra oſtenſum fuit acceptis, non expectatis legatis, in iter ſe daret. Cui rei ut occurrerent, literas omnium legatorum nomine mittere ad Regẽ illis viſum, quibus & de adventu ſtudioq; iter quam primum perficiendi, expectationeq; reſpondi Cæſarei literarumque fidei publicæ ſignificarent; neve priusquam ipſi venirent iter ingrederetur eum hortarentur, cum ex mandatis ijs quibuscum ad eum miſſi eſſent, ęqué legibus & inſtitutis reipub. illis conſtaret, neq; è repub. neq; è re ipſius Regis futurum, ut in Poloniam confirmantibus, & jurejurando prius non præſtitis, pactisque conventis expletis proficiſceretur. Literas iſtas de Noailles Abbas Inſulæ, legatus Gallicus, qui literas fidei publicæ Cæſaris habebat perferre debebat. Tandem poſt iteratam longamq; deliberationem, ut per Francof. ad Mœnum irent, iterum conſtitutum. Itaq; ad 7. Julij Francof. ad Oderam, in Brandeburg. ditiones progreſſi; literas inde ad Sax. Electorem Auguſtum præmittũt, ut quam benevolentiam & propenſionem antea per literas illis obtuliſſet, eãdem in itinere nunc iis exiſtentibus, & ditiones ejus propediem ingreſſuris præſtaret. Cum tutum tranſitum per ditiones ſuas illis concedendo, tum aliis vicini & amici Principis officiis iter id illorum promovendo. Priusquam Francofurto moverent in Poloniam etiam ad Senatum ac ordines per Stradomſcium literas mittunt. Conveniſſe ſe die dicto Miedzirzeciam, eos nimirum, qui propter dignitatem hujusmodi legationis nullum vel laborem, vel periculum, vel ſumptum ſubterfugere maluerint. Quam per compendia viarum præcurrere, querũtur inde minus ſibi ſatisfieri, ſcripta legationis ſuæ quæ ad ſe miſſa eſſent, nõ ordine, neq; pro negotij magnitudine curata eſſe. Literas fidei, præterquam quod ad aliquot ſaltem capita legationis eorum referantur, quinq; etiam ſolis ſignis obſignata eſſe. Similiter pręſcriptũ ipsũ legationis, cujus tamen in decreti ipſius primario quodam capite mentio fieret, partim generalia ſaltem quædam habere, partim duobus etiam ſolis ſignis Epiſcopi Chelmenſis & Theſaurarij regni obſignatum: jam vero in decreto ipſo, unum ex collegis ipſorum communi ſententia electum, & in alijs plerisq; ſcriptis commemoratum Nicolaum Thomicium omiſſum: ita ut ſi ſummo jure agere quis cum iis vellet, maximæ illis difficultates objici poſſent, ac vix non infecta re redeundum illis eſſet, quod tamen cum eo Principe negotium ſibi fore conſiderent, qui magis rem ipſam, & publicam utilitatem quam clauſulas aliquas aut captiones ſpectaturus eſſet, minoris iſta ſe facere, alterum gravius eſſe, quod deferretur ad illos ex autoritate, ut præferretur Senatus ad novum Regem, literas datas eſſe, quarum exemplum, quale ex Polonia accepiſſent ad illos mitterent, quibus appellaretur, ut niſi ante tertiam Auguſti legati perveniſſent, ijs etiam nõ expectatis iter in Polon. acceleraret, quod ſi fieret, quãta in difficultate futuri eſsẽt, facile ipſos perſpicere poſſe: cũ ſi difficultate aliqua, in itinere illis objecta, uno atq; altero die minus cito pervenire poſſent, non modo ſumptus, labores, pericula omnia reipub. cauſa à ſe ſuſcepta, fruſtra fore, ſed cum dedecore etiam aliquo & ſuo & publico ſibi revertendum, foreq; ut non modo tanquam legati, verum qui inter eos eſſent ordinis Senatorij etiam tanquam Senatores, cum ad omnia conſilia reip. æquo jure pertinerent, tanta de re celatos ſe eſſe, queri neceſſe haberent. Accedere quod cum commeatum neq; à Cæſare adhuc, neq; à Duce Sax. habere potuerint, cum præſertim cõmunicata hac de re conſilia cum aliis Principibus Imperij Cæſar habere ſe ſignificaret, nõ ſine cauſa verendum ſibi eſſet, ne quid hujusmodi ſibi objiceretũr, quod cum incommodo aut periculo ipſorum, aut etiam ignominia conjunctum eſſet, qua quidem ex re, & ſi quod tutiſſimum eſſet, facile in mentem iis veniret, ut re integra ulteriora ab ordinibus mandata expectarent, cum tamen, quantũ in celeri adventu regio reipub. poſitum eſſet intelligerent, ne quisquam privato periculo publicum commodum ac neceſſitatem poſthabuiſſe eos cauſari poſſet, omnibus rebus poſthabitis ſe progredi, quemadmodũ quidẽjam ad Ducem Sax. hac de re literas dediſſent, ſperare ſe cum nihil contra ſe haberet, in gratiam alterius, cauſam inimicitiæ non quæſiturum, ad extremum quemadmodũ certi eſſent gratum hoc ſtudium ſuũ, tanto cum labore, ſumptu, ac periculo nonnullo à ſe ſuſceptum illis eſſe, ita ſperare ſi quid in publico negotio proficiſcentibus adverſi objiceretur, illorum incommodum aut injuriam pro publica habituros curaq; & ope ſua ſibi non defuturos. Cum Francofurto quatuor dierum itinere, ſine ullo cujuſquam impedimento, Lipſiam Miſniæ caput perveniſſent, qui ad Elect. Sax. cum literis miſſus erat, cum reſponſo eodem rediit. De ſua erga Regnum Pol. propenſa voluntate, dubium illis eſſe, nec poſſe, nec debere, cum de ea proximis literis ſuis, ſatis teſtatus fuiſſet. Cum vero Cæſar exemplum reſponſi, legatis ordinum dati, ad ſe transmiſiſſet, neq; interim de voluntate ipſi9 certi quicquam adhuc percepiſſet quid ea in re facere ſe oporteat, etiam tacente ſe illos intelligere, ne præjudicio quaſi ſuo, Cæſaris ſententiam, intervertat, itaq; putaſſe ſe, fore, ut priusquam ſententiã ſuam declaraſſet, ditiones ſuas non ingrederentur, facturosq; adeo ab humanitate prudentiaq; ſua non alienum, ſi vel tam diu ſubſiſterent, vel ad regni ſui fines retrocederent, donec à Cæſare reſponſum accepiſſet, quod in horas expectaret, idq; eam etiam ob cauſam, ne Cæſarea autoritas ab illis ſpreta, periculum aliquod illis crearet, atq; ita propriam potius, quam alienã culpam accuſare cogerẽtur. Non multo poſt, tres à Duce delegati, in hoſpitio eos conveniunt, qui cũ pridie familiares Ducis cum mandatis, magnis itineribus ad eos veniſſet, ea in eandem ſententiam, & ijsdem fere verbis exponunt, quibus literæ ſcriptæ erant, re inter ſe & cum Gallicis legatis deliberata ſtatuunt, ut ex legatis ipſis aliquis ad Ducem mitteretur, qui coram omnium nomine, cum Duce ageret, negotium id Joanni Herburto Caſtellano Sanocenſi datum. Qui cum oſtendiſſet, non pro imperio, ſed conſilio denunciationem iſtam ipſius legatos accipere, & gratias ageret quod conſilium ſuum illis impertiiſſet: & ſui conſilij viciſſim rationem illi redderet. Demonſtraret deinde, quod ditiones ejus ingreſſi eſſent, non temeritate aliqua, aut contemptu ſe feciſſe, ſed fretos, cum publica amicitia, & pactis cum Principibus plerisque Imperij, tum privatim ejus erga regnum Poloniæ benevolentia, tum regni neceſſitate ductos.

ductos. Cum antiquis deniq; & novis neceſſitudinibus comemorandis, periculoq; in quod non modo regnum Poloniæ, ſed univerſa chriſtianitas pervenire poſſet, ſi regni ejus, quod immanibus chriſtiani nominis hoſtibus undique cinctum eſſet, rationes impedirentur, ne iter illorum moretur, peteret. Simul ad Cæſarem per certum hominem literas mittunt. Priusquam de reſponſo Cæſareo ordinibus dato illis conſtitiſſet, iter ingreſſos: quod nō modo nihil hoſtile intercederet: Romanum imperium, atq; imprimis familiam Cæſaream, & alias præcipuas familias Germaniæ, amicitiæ, fœderum, affinitatem, ac mutuorum officiorum neceſſitudinibus, jam inde longo intervallo cum regno Poloniæ conjunctas noſſet, itaq; multis neceſſitudinibus conjuncti regni oratoibus, non hoſtibus, & oratoribus ad amicos, conſanguineos, affinesq; Cæſareos, parvo cum comitatu, ac prope ſine armis euntibus, patere ſibi iter per imperiū, ac ditiones Cæſareas exiſtimaſſe: facileq; impetraturos ordines ſperaſſe, ut Principibus etiam ac ſubditis imperij, ditionumq; ſuarū, quo commodius iter hoc, quod & jure gentium, & amicitię permiſſum ſibi eſſe compertum haberēt, perficere poſſent, commendaret, quod ad Principes Electores, referendum ea de re exiſtimaſſet, conſiliumq; ejus ſe non reprehendere, credereq; illorum quoq; favorem. Propter peculiares etiā familiarum Bavaricæ, Saxonicæ, & Brandeburgenſis cum regno Poloniæ neceſſitudines & conjunctiones ſibi non defuturum, quod tamen res hæc diutius dilata, rumoribus qui reipub. univerſæ chriſtianæ plurimum nocere poſſint, occaſionem præbitura videatur: orare ut literas eas quam primum mittere velit, & quemadmodū aliis in rebus, ita hac quoque conſtans ſuum in reipub. Chriſtianæ tranquillitate tuenda ſtudium, omnibus declaret. Nam ut iter eorum moretur, cum ejus impediendi nulla cauſa ſit, propter perſpectam, & univerſo orbi probatam prudentiam in animū inducere non potuiſſe, compertum ſe habere. Omnibus de rebus conſilioq; ſuo in Polon. ſimul literas dant. Quas ad Electum Regem de expectandis ſe, & ante literas mittere decreverant, & nunc poſtquam retenti fuiſſent, eo etiam magis, Monlucio autore intermittunt: qui ante adventum eorum Regem non moturum, jurejurando illis confirmabat. Dum Lipſiæ reditum & eventum legationis Caſtellani Sanocenſis expectant, Gneſnenſis & Miedzirienſis Caſtellani tædio more, cum extra portas equis exſpaciari conſtituiſſent, in ipſis portis ſeptum, à ſtatione quæ in porta erat mox demiſſum, illique regredi in hoſpitium coacti fuerunt. Cum graviter de injuria hac expoſtulatum ad Senatum Urbanum miſiſſent, Senatus imprimis excuſare, quemadmodum ante omnem illis benevolentiam ac ſtudium, cum ſua ſponte, tum etiam mandato Principis ſui illis detuliſſent, ita nunc etiā omni officio atq; obſervantia proſequi eos paratos eſſe: tanquā & primarios viros, & à primario regno miſſos, factum id illorum ipſorum dignitatis cauſa, cū diverſa & ex variis generibus hominum plebs in civitate eſſet, neq; civili juriſdictioni omnis ſubjecta, quæ cum ipſa urbe, in oculis Senatus, non ſatis fortaſſis contineri poſſet, quin cultus habitusq; illorum, quos nunquam antea vidiſſet, mirando aliquid moleſtiæ illis afferet, tanto minus fortaſſis, extra mænia contineri poſſit. Denuo ad illos miſſum, ſi ea de re ageretur & ſe & Senatum moleſtia liberaturos, in aliquemq; alium locū interim progreſſuros, ubi collegæ ſui adventum à Principe expectarent. Tum vero obſecrare & rogare ne id facerent, neve in ſiniſtrā partem acciperent, cum certæ gravesq; ejus rei cauſæ eſſent, verū eo in loco reſponſum Principis collegamq; expectarent, interim omnem humanitatem, ſtudium, officia, ſecuritatem illis polliceri. Rediit interim Caſtellan. Sanocenſis, Ducem ipſum Mariæburgi, in quo loco tum fuerat, non offenderat. Apud conſiliarios in eam rem delegatos legationem expoſuerat, non modo per ipſius ditiones tranſitus permiſſus, ſed ad eundem per Turingiam etiā patruelium ipſius ditionem, illis conciliandum opera promiſſa: Verbo tamen tantum non ſcripto, cum id peteretur, tranſitus datus: propter invidiam apud Cæſarem. Ita die 19. Julij cum prius in Poloniam de libero tranſitu obtēto ſignificaſſent, poſtridie Naumburgi à Magiſtratu urbano iterum retinentur, appellatus hac de re magiſtratus, cum honorificentiſſime alioquin eos excepiſſet, literas Electoris oſtendit, qua illis interdictum, ne quenquā gentis Polonicæ, aut Gallicæ per oppidum tranſire permitterēt. Cum tamē ad adminiſtratores Epiſcop. illius, certos conſiliarios Electoris, qui Epiſcopatui illi præſunt retuliſſent, ad eosdem ipſi quoq; legati literis datis, quid cum Electore actū eſſet ſignificant. Qui nondum quicquam hac de re cognitum haberent, moram excuſando, ad Electorem atq; Lipſicam rem rejiciunt. Verū haud multo poſt ab ipſo Electore literis ad magiſtratum allatis, non modo ſine impedimento dimittūtur, ſed literas etiam publicas à magiſtratu auferunt; Juſſu & voluntate Electoris, dimiſſos à ſe fuiſſe. Ex itinere priusquā fines Haſſiacos attingerent, ad Guilhelmum Landgr. itidem literas mittunt, quibus tranſitum petūt, reſcriptum ab eo primarij ſimul ex aula miſſi, qui & exciperent eos & deducerent, Vacham eos comitantur, humaniſſimeq; omnibus rebus tractant. Vacha eadem de re ad Abbatem Fuldenſem etiam civitatē Francof. ac Palatinum Rheni literæ datæ à Francofurtenſ. etiam, ut diverſoria aliqua illis aſſignanda curarent, petitum. Præter iſtas cum à legatis Gallicis admoniti eſſent, mittere cum literis in Galliā ſe decreviſſe, cum ad Galliæ Regem Carolum, tū ad ſuum ejus Electum Poloniæ, ipſi etiā literas dant. De ſtudio ſuo itineris accelerandi, difficultatesq;, quæ remoratæ illud adhuc fuiſſent, ſignificant, ut ipſi ex ſua quoq; parte operam dent,

dent, quo iter in Galliam illis pateat, petunt: ad Electum Regem addunt, non dubitare ſe, ita jam rationes itineris ſui conſtitutas eum habere atq; ita inſtructum eſſe, ut ſtatim poſtquam venerint, & ea quæ in mandatis haberent executi fuerint, ingredi illud poſſit. Cum quantum & reipubl. & ipſius interſit, ut quamprimum in Poloniam veniat, facile pro prudentia ſua judicare poſſit. Quam primum Francofortum, per ditiones Abbatis Fuldenſis, & Comitis Hanovienſis comiter tractati ad Mœnum veniſſent quo itidem miſſis obviam qui eos ſalutarent à magiſtratu oppidano excepti, priusquam inde proficiſcerentur, literas in Poloniam dant, quibus quæ in itinere ea hactenus illis objecta fuiſſent, & quamvis aliqua pars itineris reliqua adhuc illis eſſet, non tamen tam de ſe, aut ſuo itinere, quam de novi Regis ſolicitos eſſe, quo is quam primum in Regnum venire poſſet, cum maritimam navigationem tempus ipſum fortaſſis excluſurū videretur. Oſtendunt non dubiis rumoribus ſe intellexiſſe, conventum quendam Principum Germaniæ ad decimam Auguſti agitari, conſiliorum impediendi itineris Regij cauſa, in quo Cæſar ipſe futurus diceretur, ſuadent ut ſi quid de eo ipſi certius cognoviſſent, legatos ad Conventum eum mitterent, expediendi itineris regij cauſa, quod quo rectius facere poſſent, exempla fœderum, quæ cum ſingulis Principibus imperij regno intercederent, à Zamoiſcio, qui ex archivo illa exceperat iis mittunt. Præter iſta, ut publicis legationibus ad pleroſq; Principes miſſis, de electo Rege iis ſignificēt, ne ignorantiam prætendere quis poſſet, quam juſtam quis habere videatur, dum à confœderatis certior non fiat, feudalibus itidem Ducibus, ut diem petendæ inveſtituræ præfiniant, ſuadent. Francofurtum die 30. Julij proficiſcuntur, priusquam inde excederent, nomine exulum Gallorum quorum tum plena Helvetia & Germania erat, ut cauſam illorum ad Regem ſuſciperent, appellati fuerunt. De quibus iiſdem Palatinus etiam Rheni, à quo literas fidei publicæ Drohoievius Kriſenakum 31. Julij attulit, ad eos qui cum illo in religione ſentiebant, ut Caſtell. Mredzinc. Gneſnenſ. & Joann. Zboroviū, cum literis tum voce, per Maximilianum Skomonsky, qui in aula ejus verſabatur retulit, partim publice cauſam illorum iis commendando, partim privatim: Moguntiæ propter Sclopetos, in trajectu à Joanne Zborovio exploſos, per unam atq; alteram horam portæ clauſæ, inde humane tamen ab Archiepiſcopo admiſſi, exceptiq; fuerunt. Moguntia quinto itinere IV. nimirum Auguſti Metim perveniunt. Ante urbem à Legato Joanne Hevalio, cum equitatu aliquo obviā illis profecto honorifice excepti, atq; in Curiā Cardinalis Lothar. ubi lautia illis præbita deducti fuerunt. Advenit eodē die Secretarius Regis Alciſius Boſinus, qui de valetudine Regum, pacataq; Gallia, maxime autē Roſcellenſe compoſitione illis ſignificat, qua perfecta, cum hoſtile aut ſeditioſum nihil in Gallia reliquum eſſet, Electum Regem Ruſcella jam moviſſe, Pariſiisq; eſſe: itaq; res ſuas comparatas habere, ut ad Cal. Sept. ſive mari ſive terra, qua autores illi futuri eſſent, in Poloniam cum illis ſe conferret. Poſtridie ex oppidano etiā magiſtratu inſigniores aliquot ſalutatum eos venêre, moreq; civitatū illarum hoſpitibus vina, municipalia munera illis obtulerunt. Legati ab ipſo Rege Galliæ, matreq; Regina ad excipiendos eos, deducendosq;, Comes de Brume ex familia Lucemburg. propinquus Regis, ordinisq; ejus eques, & Epiſc. Lingonenſis ex Statibus Franciæ ſecreti conſilij. Morſine de Ligni deſignati fuerant. Verum Epiſc. tum Lingon. valetudine impedito, comes cum literis præcedēs, gaudium ex adventu illorum, Regis Reginæq; teſtatus, eos excepit. Poſthunc altera die Caſpar Schonbergius cum præfecto urbis, & Abbate Inſulæ eos conveniens, ſignificat dolorem, quem ex nuncio de retentis iis à Duce Saxonicæ Rex cepiſſet, miſſum ſe ſine mora fuiſſe, ut cū Duce hac de re expoſtularet, qui ſi difficilior in detinendis iis futurus fuiſſet, nō ſecus id Regi ſuo curæ futurum fuiſſe, quam ſi de capite ipſius Coronā illi detraxiſſet. Cum de adventu illorum cognoviſſet legatione intermiſſa ſtudiū ac voluntatem Regis teſtificandam, tamen illis exiſtimaſſe: ſimul electum Regem ad iter paratiſſimum, expectare eos oſtendit. Poſtridie aliæ ab eodē Abbate tam à Rege Galliæ, quam electo Polon. literæ illis redduntur, quibus ad teſtificandū ſtudium ſuum, quam primū de impedito itinere eorū cognoviſſent, ad Palatinū Rheni, & Francof. de commeatu in Galliam illis præſtando, diligentiſs. ſe ſcripſiſſe nunciāt. Cum per aliquot hoſce dies Meti ſubſiſterent, ab Epiſcopo Poſnan. tanquam legationis Principe, ad conſilium legatorū relatum fuit. Imprimis quibus orationibus, tam Galliæ, quam electus Rex, tum Regina, & Alancſonius frater Regum, cæteriq; ſalutandi eſſent, conſtitutum. Ad Galliæ Regem probata oratiio, quę mandatis ordinum præſcripta fuit. Ad Electū Regem, cum ad ipſam ſalutationem decretum Electionis adjunctum fuiſſet, Zamoſcio potiſſimum ſuadente, ut exemplo Ungarorum Uladislaum Varnenſem accerſentium, prius confirmatio jurium, & juramentum exigeretur, alia oratio adhibenda viſa, tam ejus autem quam aliarum ad Reginam matrem, & Alancſoniū, Epiſc. Poſnan. Caſtell. Sanocenſi Herburto, & Zamoiſcio ſcribendarum negotium datum. Cumq; ſeparatimne à Senatu, ſeparatim ab equeſtri ordine ſalutandi eſſent, etiam dubitaretur, ſtatutum ut ab uno omniū ordinum nomine, cumq; frequente omnium ordinum ſtudij commemoratione id perficeretur, maxime de juramento difficultas eſſet, à quo Regi id proponendum, propter clauſulam de religione, contra voluntatem ordinis eccleſiaſti extortā. Convenit tamen ut Epiſc. usq; ad clauſulam eam præiret. Cætera Joānes Zboro-

Zborovius perſequeretur: Epiſcopus proteſtaretur. Reſpondendi etiam gratulationibus, tam Regum, quam aliorum, cuiq; partes aſſignatæ, ipſis Regibus Galliæ, Electo & Reginæ Epiſcopo Poſnanienſi: Alanconius, & Rex Navarræ ſupremum item conſilium Pariſienſe, Caſtellano Sanocenſi: Senatus Pariſienſis Præfecto Caſimirienſi Nicolao Fierleio, Academici Zamoſcio delegati. Munera itidem à Senatu, ut conjunctim redderentur, ſimiliter non modo ne privatam audientiam ſibi quis conciliaret, privatimve aliquid à novo Rege peteret, mutuo ſibi interdixerunt. Verum ut communi etiam nomine, ne priusquam in Regnum veniret, ullo cujusquam promiſſo, alicui ſe obſtringeret, à Rege peterent. Cumq; de loco etiam inter ipſos legatos, controverſiæ aliquid eſſet, ſtatutum, ut qui Senatori ordinis eſſent, eo loco quo in Senatu cenſerentur, mutuo ſe ſubſequerentur, inter equeſtris itidem ordinis Legatos, præfecturarum dignitas obſervaretur: tres autem inter eos præfecti erant, Zamoiſcius Belzenſis cum jurisdictione: Fierleius Caſimirienſis: Zborovius Odolanovienſis, quarum utraq; ſine jurisdictione præfectura eſt. In eodem conſilio, ut in Poloniam etiam literas darent, quibus de collegis, qui eos Pariſios antevertiſſent quererentur, tum ut cum iis ipſis etiam ea de re expoſtularent, conſtitutum. Eodem tempore Baſinus in Poloniam partim ad explorandum ſtatum Poloniæ, partim rumores, qui in Regem concitati ibi dicebantur, ſedandos deſtinatus, cum ab illis etiam hiſce de rebus ad ordines efflagitaret, quod in Gallia ſe jam præſentibus, re prius ſe cum non communicata, à Rege nondum confirmato, Legationes ad ordines mitterentur, non parum ea res illos movit, eoq; magis, quod iis qui præcurrerant autoribus, id ſuſceptum ſuſpicarentur: itaq; non modo cum Baſino, ſed Comite etiam Bruenſe, & Abbate Inſulæ ea de re expoſtulare illis viſum. Cum Baſinus non expectatis literis profectus jam fuiſſet. Priusquam Meti moverent, ad octavam Auguſti Epiſcopus etiam Lingonenſis ſuperveniens, oratione imprimis elegante eos excepit; quæ non multo poſt auctior etiam, atq; cultior, quam pronunciata fuerat typis edita fuit. Eodem die ex ipſo prandio Epiſcopi Lingonenſis, per ditionem Lotharingicam profecti ad pontem Moriſorij pernoctāt. Ad trajectum à fratris filio Ducis Lotharingiæ affinis Regis, honorificentiſſime excepti deductiq; à Duce ipſo lautiſſima cœna præbita. Ex eo loco literas de quibus Meti convenerant in Poloniam mittunt, quibus quæ hactenus interveniſſent, diligenter nunciant: de Laſcio & Radivilo, qui Pariſios eos præcurriſſent, privatamq; audientiam apud Regem habuiſſent, Baſiino item ſe præteritis, privatim in Poloniam miſſo queruntur, ut ipſi etiamſi ita illis videatur hac de re Regem moneant, quo non ſatis bono exemplo in tempore occurratur hortantur. Die XXIX. Auguſti Pariſios perveniunt, Decimo diario ex Ponte Moriſorio, in itinere cum à magiſtratibus oppidorum gratanter, honorificentiſſimeq; ubique excepti, tum ab ipſis etiam Regibus, gratulationem ex adventu eorum ſuſceptam, curamq; ad liberandos eos poſtquam in Saxonia retentos audiviſſent, adhibitam conteſtantibus, cum per literas tum Palaginum cubicularium Regis denuo ſalutati. Melodum Palatinus Syradienſis, Albertus Lasky, & Marſalcus curiæ Lithuanicus, Chriſtophorus Radivilus illis ſe conjungunt. Controverſia hic à Radivilo de loco mota: mandata ſe à ſuis habere, quod quamvis in inferiore loco in Senatu eſſet, cum tamen univerſam Lithuaniam præſentaret, hujusmodi locum peteret, qui ex dignitate dimidiæ partis reipubl. eſſet: ſuæ etiam reipubl. nomine verba ad Regem electum faceret: quæ niſi impetraret, ab aliis ſe ſejungens, privatim reipubl. ſuæ dignitatem tueretur: ab utraq; re, partim precibus, partim ratione deducere eum reliqui conati, ut quæ & contra unionem, ut ab omnibus ita ipſo juratam eſſet, & novum Regem diſcordia hujusmodi, non parum turbatura videretur, interq; ipſos etiam utriusq; reipubl. ordines non parvam diſſenſionem parere poſtea poſſet, quod aliis non expectatis ad Regem præcurriſſent, privatamq; apud illnm audientiam habuiſſent, cum expoſtulatum hac de re cum illis fuiſſet, cauſas oſtenderunt, ut cum retentos eos cognoviſſent, ad liberandos eos Regem hortarentur, tum ne forte Rex literis ex Polonia allatis motus, illis non expectatis, in Poloniam feſtinaret: alterius rei, vel publicæ vel privatæ, nihil à ſe actū. Baſinum etiam non modo inſciis aut inconſultis ſe, ſed jam ante adventum ſuum dimiſſum fuiſſe. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, Thecinius Caſtellanns Voinicenſis, unus ex legatis, cum per Cæſareas ditiones in Galliam evadere conatus fuiſſet, juſſu Cæſaris Niſſæ retentus fuerat. Hic cum in Poloniam rediiſſet, & nuncium de aliis legatis Lipſiæ retentis attulerat, & ita omnes aditus in Galliam obſeptos eſſe, ut nullo modo pervaſuros eo ſperandum ſit, quibus nunciis commoti minoris Poloniæ Senatores aliqui & ex nobilitate Conventu habito, Carolum Soderinum negociatorem Cracovienſem per diſpoſitos equos cum literis in Galliam miſerant, quibus ut ſine mora literis acceptis in Poloniam properaret, denuo eum hortantur. Hic cum decimo octavo fere die ex quo Cracovia diſceſſerat Catalunam quarto à Lutecia diario legatos aſſecutus fuiſſet, literæ ab eo acceptæ, ſuppreſſæq; fuerunt. Ante portam urbis, primo à Marſalco & aula electi Regis ſalutati, deinde non magno intervallo ſatis ſplendido equitatu, inte quos Marchiones, Comites, aliiq; Principes, qui partim ab ipſo Rege, tum Regina, Principibus ſanguinis, aliisq; ordinibus, ſalutatores obviam miſſi. Ab Academicis

post

poſt aliquot dies in hoſpitio ſalutati. Ingreſſus autem cum ab initio per portam Martinianam deſtinatus fuiſſet, poſtea ad Antonianam rejectus fuit, demonſtrante Senatu Pariſienſe, per illam ſolos Galliæ Reges, per hanc externos ingredi ſolitos, deducti tamen ad hoſpitia per plateam Martinianam ad quam tantus concurſus hominum ſpectaculi cauſa confluxerat, quantus in urbe Europæ fere maxima & populoſiſſima, maximus fieri poteſt. Cum enim patrio habitu pleriq; uterentur, cum ſtatura cultusq; corporis, tum habitus ipſe, miraculo plerisq; Gallis eſſe. Quod cum in arcus triumphales, ſtatuasq; aliquot via qua ad hoſpitia eundem illis erat, magnificentisſime poſitas. Auratus celebris tum Poeta, verſus à ſe conſcriptos ederet, in ipſa fronte Carminum illorum, hujusmodi etiam Epigrammate notatum reliquit.

Miramur cultus, miramur corpora, Galli,
Veſtra Polonorum, qualia ſemideum.

Quemadmodum jam ante inter Epiſcopum Lingonenſem Comitemq; de Bruere, legatosq; conſtitutum fuerat, uno die quieti in hoſpitiis dato, poſtea XXI. Auguſti ab iisdem Principibus, qui Regis nomine in ingreſſu eos ſalutarant, Cymbis ſplendidiſſimis ornatis, per Sequanam in arcem traducti, primo apud ipſum Regem præſentibus Rege Navarreno & quatuor Cardinalibus, Eſtenſe, Lotharingico, Treverenſi & Borbonio, legationem ſuam expoſuerunt, eadem die utramq; etiam Reginam, tam matrem, quam juniorem ſalutarunt. Cum de ordine ſalutandorum Principum privatim antea cum Epiſcopo Lingonenſe, & Comite de Bruere conſtitueretur, poſtulareturq; à Gallis, ut Reginæ prius ſalutarentur, quam electus, quod diademate nondum accepto, nondum quaſi pleni juris Rex eſſet, aſſenſum quidem à noſtris fuit, ſed ut dignitatis tamen Regis ſui rationem haberent, ita ne eodem die, quo Reginas ſalutarent. Itaq; poſtridie, ab iisdem qui ad Galliæ Regem eos deduxerant, equis primo in arcem, deinde in eandem curiam, in qua pridie Galliæ Rex eos audiverat Rege Navarreno iisdemq; Cardinalibus præſentibus, ſub eodem tribunali, cum Rex una cum Principibus iis, obviam prius illis extra curiam progreſſus, humaniſſimè eos excepiſſet, eum ſalutarunt, mandataq; ſua expoſuerunt: in eandem fere ſententiam, qua apud Regem Galliæ, paratos ſe oſtendunt, cum quæ conveniſſent juramento confirmaſſet, ea quæ decreto electionis comitiorum ſancita ſunt, exequi: ad transactionem autem earum rerum, religioſamq; confirmationem, locum & tempus ſibi aſſignari petebant. Reſpondit Rex ipſe primum paucis verbis latine, quibus gratias pro ſtudio ordinum agebat, reliqua ad Cancellarium rejecit, qui cum præfatus fuiſſet, Regem Electum Poloniæ linguæ latinæ ab initio ætatis ſtudioſum, quæ ab illis dicta fuiſſent, probe intellexiſſe, ſed more gentis, ut ipſe ſuo nomine illis reſponderet, injunxiſſe gratias & ipſe egit; de confirmationibus prolixe pollicitus fuit: tempus legatorum arbitrio permiſit, conſulto tamen prius fratre Galliæ. Inde humaniſſime, & ab ipſo Electo Rege, & fratre ejus Rege Galliæ, in cujus cubiculum privatim ab Electo Rege Principibusque deducti fuerunt, dimiſſi; cum inſequentem etiam diem in ſalutandis Rege Reginaq; Navarrenis, quatuorq; Cardinalibus inſumpſiſſent, tandem XXIV. Auguſti ad conditiones diſceptandas acceſſum fuit. Nihil aliud autem penſi Gallos habuiſſe, quam ut quacunque ratione rem perficerent, vel ex ea negligentia illorum apparebat, quod mirum videri poſſit, ut exemplum quidem conditionum à ſe juratarum ſecum detuliſſent, neq; Reges eas adhuc vidiſſent. Itaq; miſſus ad noſtros ab electo Rege Marſalcus & Cancellarius ejus non ſine omnium admiratione, vel ipſas vel exemplum earum requirebant, quo re deliberata conſtituere cum illis ea de re Rex poſſet. Non viſum noſtris fuit, ut de hujusmodi rebus per interpretem cum Rege agerent partim propter ipſius rei gravitatem, partim quod occaſionem hanc ad ipſa colloquia accedendi, quo citius expedire negotium poſſent, non negligendam ſibi exiſtimarent: partim etiam, ne per interpoſitas perſonas cum Senatoribus agendi, novum Regem aſſuefacerent. Itaq; cum ſe ipſos Regi reddituros reſpondiſſent, facultatemq; ejus rei petiiſſent, tertio circiter poſt die admiſſi, conditionibus ipſis diligenter prius inter ſe perlectis examinatisq;. Primum eas quas Legati ipſi ordinibus propoſuerant, quæq; juratæ à legatis fuerant, Regi obtulerunt: quas præter iſtas ab ordinibus alias haberent, ipſos etiam ſuo tempore paratos eſſe proponere, oſtendunt. Intermiſſa ex inſtituto in exemplo eo mentio de matrimonio, cum infante fuerat. Itaq; cum præſente Rege perlectæ fuiſſent, Rex re cum ſuis deliberata, præfatus primum, ut veniam ſibi darent, vernacula lingua, qua facilius uteretur, reſpondendi, etſi duriusculæ nonnullæ inter eas conditiones eſſent tamen ut ſtudium ordinum erga ſe tantum pari benevolentia renumeraretur, ab aliis neque ipſum alienum eſſe, & fratrem Regem Galliæ ut ad eas adduceret, operam daturum, unam difficilem videri, de removendis à ſe omnibus Gallicæ nationis miniſtris: quæ & à conjunctione ea, ſeu fraternitate potius, quæ ex hac electione, inter utramq; nationem exiſtere deberet, aliena eſſet: & ab æquitate, cum Polonis ad Gallicas aulas & ditiones aditus non præcluderetur: tum etiam à jure, & more ſuperiorum Regum, inter quos vel noviſſimus Auguſtus, quos viſum ei fuiſſet, ex diverſis nationibus miniſtros habuiſſet. Petere ſi minus ipſis quicquam de hac mutare integrum eſſet, ſaltem poſtquam in regnum veniſſet, ut ad moderationē aliquam res perduceretur, ſe juvarēt, reſponſum, ſe quidē ut legatos à mandatis

ſuis

ſuis recedere non poſſe: quæ à ſe promitti non poſſint, tempus fortaſſis quod plæraq; mutet, atq; ordinum aſſenſum præſtare poſſe: cui ſua opera quantum in ſe eſſet, non defuturi eſſent. Cum Monlucius præſens ſe quoq; in caput illud non conſenſiſſe atteſtatus fuiſſet, ab Epiſcopo Poſnanienſe, vel eo ipſo quod ſubſcripſiſſet refutatus fuit. Inde cum interim audientiam impetraſſent, non modo reliquas conditiones, quas ordines requirebant, in formam privilegij, quale edi debebat, jam redactas Regi offerunt. Prima inter eas erat ne poſthac quiſquam Rex ſe vivente ſucceſſorem vel deſignaret, vel deſignare inſtitueret, ideoq; titulo etiam hæredis, Regibus Poloniæ ante hac ſolito, vel ipſe, vel ſucceſſorum ejus quisquam uteretur. Altera ſanctio pacis inter diſſidentes de religione. Negotia publica, ut legationes, aliaque, quæ cum externis intercederent, aut ad rempubl. pertinerent, ut nulla ſine conſilio ac conſenſu utriusque gentis Senatorum attingeret, adminiſtraretque. Expeditionem publicam, ut nullam ſine omnium ordinum conſenſu poſthac ediceret, neq; vel precibus, vel precio antiquo quinq; marcarum in haſtam, copias ullas extra Regnum duceret: ſi quando juſſu ordinum expeditio publica indiceretur, ne diutius duabus ſeptimanis, in loco expeditioni aſſignato detinerentur: ſi extra Regnum, eorundem ordinum juſſu miles conducatur, priusquam finibus excederet, ſingulis tam pediti, quam equiti quinque marcarum ſtipendium numeretur, hujusmodi autem ſtipendio, non diutius trimeſtri militare tenerentur: inſtrumentum autem apparatumq; omnem bellicum privatis ſumptibus ac pecuniis præſtaret: quemadmodum & in finibus regni, præſidia, omneq; munitionis genus, quarta redituum regni parte, juxta leges integra ſervata. In varietate ſententiarum ſenatoriarum, niſi ad conſenſum revocare eos non poſſet, ut id ſequeretur, quod legibus, libertatibus, ac commodo reipubl. magis conveniret: Comitialibus negotiis, quo minus ex omnium ordinum conſenſu pro more perficerentur, nihil hac de re derogando. Ut perpetuo in quibuslibet Comitiis generalibus regni, ſedecim ex ordine Senatorio, tam regni Poloniæ, quam Magni Ducatus Lithuaniæ, aliarumq; ditionum ad regnum pertinentium, ex communi omnium ordinum conſenſu eligerentur, aliisq; magiſtratibus adjungerentur, dignitatem Regiam, communemq; libertatem procuraturi absque quorum conſilio, jure & negotiis comitialibus etiam exceptis, nihil Reges ſtatuerent: ipſi etiam in ſequentibus quibusque comitiis actionum ſuarum rationem, reipublicæ redderent, integra nihilominus facultate, aliis etiam Senatoribus relicta, pro ſuo arbitrio ad curiam veniendi, quamdiuq; illis videatur, in ea verſandi, conſiliaq; Regia cum aliis pro locis ſuis frequentandi, obeundiq;: Siquid etiam hujusmodi accideret, quod cæteros etiam abſentes conſiliarios ſcire intereſſet, ut ad omnes per literas referretur. Delegati hi in comitiis in ſingulos ſex menſes quaterni, ex Epiſcopis nimirum & Palatinis ſinguli, ex Caſtellanis bini, ut ſecundum loca ſenatoria ſingulis comitiis deſignarentur, mutarenturque, ſi quis excuſaret, aut legitimo aliquo impedimento retineretur; In comitiis ſortionis ſuæ reſignare debere, quo in locum ejus, alius ordinis ejus ſubrogaretur. Stipendium ex Fiſco Regio Epiſcopis Ruſſiæ & ſæcularibus, quinquageni floreni in ſemeſtre. Epiſcopis regni, quod ſatis amplas facultates haberent nullum aſſignatum. Comitia regni ad ſummum ſingulis bienniis, ut indicerentur, reipublicæ tamen neceſſitate exigente, conſenſu Senatus accedente, etiam frequentius indicere licere: ne diutius autem ſex ſeptimanis habeantur. Conventus etiam ante Comitia in regno, in locis more receptis, in Lithuania in Wolkomiska, ſecundum jus Lithuanicum, ut haberentur, ad quos omnia prius à Rege referrentur. Ut in negotiis reipublicæ nullis aliis ſigillis tam intra quam extra regnum, præter ſigilla Regni, Cancellario atq; ViceCancellario regni, ac Magni Duc. Lithuan. concredita uteretur, Magiſtratus officiaq; publica, tam regni quam curiæ, ne ulla ſupprimeret, ſed ut aliquod vacaret, hominibus utriusque gentis idoneis, de republicæ benemeritis, & non extraneis ut diſtribueret, metalla quæcunque, & inter alia nominatim, ſolis in bonis maxime nobilium atque eccleſiaſticorum, ut ſine ullo impedimento dominorum fundi ſint. Ne ullis interpretationibus ex quocunq; jure externo à ſcitis bona hæreditaria cujusq; in dubium, aut jus feudi vocentur, prę terquam ea quæ diſertis verbis, in donationibus eorum feudalia nominentur. Ut præfecti tam finitimi, quam alij potiores, ſimiliter etiam Civitatum primarum præfecti, Sacramento Regi regnoq; obligentur, nullo ſe tempore interregni concredita ſibi loca tradituros, niſi qui ab omnibus Regni Poloniæ incolis, ſecundum jura liberæ Electionis in Regem fuerit electus, & coronatus, ſub amiſſione bonorum, honoris & vitæ. Coronaliaq; regni inſignia ut Theſaurarius regni Cracoviæ in archivo aſſervaret, ſub ſignis clavibusq; Caſtellanorum Caliſienſium & Throcenſ. qui non niſi ex conſenſu totius Senatus, atq; omnium ordinum, concrediti ſibi diadematis, aliorumque inſignium poteſtatem aliam facient. Aliqua juſta ex cauſa abſens, ut ad collegas claves remitteret; morte vero alicujus, etiam ex hiſce interveniente ſuperſtitibus integrum ut eſſet, ablato demortui ſigno, ſerracula aperire.

Forma judiciorum, excluſa jurisdictione Regia, quibusdam provinciis communi conſenſu ſibi conſtituta, ut illis concederetur; Ita ut ad eadem aliis etiam poſthac, ſi ita illis

videretur accedere integrum eſſet. Emendatio itidem eorum, vel etiam translatio rurſum in perſonam Regiam, ut omnium conſenſu accedente libera illis ſemper eſſet. Quod ordines Lihuaniæ, Volhiniæ, Kyoviæ, Braclaviæ ante coronationem, jus formamq; judiciorum ſcripturi ſibi eſſent, ut confirmaret, tributa ut ſine omnium ordinum conſenſu, in quibuscunq; vel bonis vel civitatibus, tam intra regnum, quam ad regnum pertinentibus nulla indiceret. Monopolia etiam nulla inſtitueret, vel inſtitui permitteret, matrimonium ut nullum poſthac Reges ſine conſilio totius Senatus contraherēt tractarentq;: nullas etiam alias cauſas præter eas quæ verbo DEI expreſſæ ſunt, ad diſſolvendum matrimonij ſacramentum quærerent. Ultra has omnes conditiones, per legatos fratris Regis Galliæ ejus nomine propoſitas, impleret, obſervaret, tum ſi quid præterea per ordines Regni Poloniæ atq; Mag. Duc. Lith. aliorumque dominiorum ad regnum pertinentium, quod ad jura libertatesq; eorum ſpectaret, in Comitiis coronationis exhiberetur, ea omnia & literis & ſacramento confirmaret. Quod ſi quod abeſſet, contra leges, libertates, conditionesve haſce quid commiſſum eſſet, aut ex iis aliquid non impletum, omnes regni incolæ utriusq; gentis à debita obedientia & fide liberi eſſent. Warſaviæ ad Villam Kamien. die XII. Maij, ſimul ut literæ hæ ſancirentur, in Polonicam linguam translatæ, ſibi ederentur, petierunt. Cum inter recitandum ad ſecundam conditionem, de pace inter diſſidentes de religione ventum eſſet, Epiſcopus Poſnanienſis, impetrata facultate dicendi, proteſtatus contra eam eſt, notariisque publici poteſtatem petiit, qui cum demonſtratus ei fuiſſet, exhibuit contra caput id proteſtationem Archiepiſcopi aliorumq; Epiſcoporum nomine totius Cleri, non paucorum etiam ſecularium Senatorum, & equeſtris ordinis, privatim apud publicum notarium factam: mandata item legatorum cum proteſtatione ab Archiepiſcopo ſubſcripta. Inde cum ſinguli ſententias ſuas exponerent, Laſcius & Radivilus pacis cauſa in conditionem eam aſſenſos ſe teſtati fuerunt: ut ſub prætextu omnium ſectarum & blaſphemiarum libertas confuſioq; ac perturbatio omnis religionis introduceretur, nullo modo aſſentiri ſe poſſe: in eandem ſententiam Marſalcus Radivilus diſputabat: qui diverſæ religionis erant Caſtellani, Gneſnenſis Tomicius, Miedzirzicenſis Gorkanus, Præfectus Odolanovienſis Joannes Zborovius, Alexander Prunſcius, conditionem urgebant, qua in re ipſius Monlucij fidem appellabant, qui appellatus juramenta qualia ſibi primum ab Epiſcopo Cracovienſi, aliisq; Senatoribus, deinde Marſalco regni, in comitio Senatu, equeſtrique ordine omni præſente edita fuiſſent, etſi ipſe alia moderatiora propoſuiſſet, metu tamen diſſenſionis, præſtitiſſe confirmabat, neq; quenquam tum præter Archiepiſcopum proteſtatum fuiſſe, ſe audiviſſe confirmabat.

Reliqui qui inter Legatos Catholici erant Herburtus Caſtellanus Sanocenſis, Zamoſcius Belzenſis, Firleius Caſimirienſis præfecti, tum Thomicius filius, cum à catholica religione, ad extremum ſpiritum usque, ne latum quidem unguem, diſceſſuros ſe proteſtati fuiſſent, à conditione tamen etiam hac, cum mandata hæc propter bonum pacis omnium conſenſu ſibi ſint data, non diſcedere etiam ſe poſſe teſtabantur. Firleius patrem etiam Marſalcum contra proteſtationem Archiepiſcopi, ab Epiſcopo Poſnanienſe prolatam, qua nominatim Marſalcus, quaſi propria autoritate, conditionem eam intuliſſet petebatur, excuſabat, ac quicquid ejus rei feciſſet, tanquam magiſtratum omnium ordinum juſſu, ac conſenſu, nullis tum contradicentibus feciſſe, Monlucium teſtem invocabat. Diſſenſione hac inter ipſos legatos orta, re cum ſuis communicata, ad deliberandum ſpatium interpoſuit. Interim miſit ſuos, inter quos Monlucium, ad eos qui conditionem eam urgebant, privatim ab illis petens, ut rem quæ ad communem inter ordines concordiam pertineret, ad comitia coronationis differri permitterent, cum mandatis ſuis, ulla ratione diſcedere ſe poſſe negarent, Monlucius primum, non teneri nunc Regem jurare oſtendebat, partim quod in juramento, quod ipſe præſtitiſſet, non priusquam in inauguratione, juraturum Regem promiſiſſet: deinde quod abſurdum, unum Regem plura juramenta ſuis præſtare. Primum diverſæ religionis ordinibus ſingula, deinde alterum hic: alterum rurſum in coronatione. Demonſtratum quod in pacem religionis præſtaretur, non duplex ſed unum juramentum fore: poſtquam enim Epiſcopus in primam partem juramenti ei præijſſet, poſtquam ad conditionem de pace religionis perveniſſet, in eodem juramento iisdem Legatis Caſtellanum Gnesnenſem præeundo ei ſucceſſurum, atque ita duos quidem id præituros, unum tamen juramentum fore.

Quod etiam hic juramentum præſtare deberet, deinde rurſum in coronatione, minime pugnans inter ſe eſſe: hic enim more conſuetudineq; Regni Poloniæ, tanquam electum Regem juramentum pręſtiturum, cum decretum electionis non prius illi tradi poſſet, quam juramento conditiones confirmaſſet: in Coronatione autem, tanquam perfectum novū Regem & acceptum juraturum. Apertius inde agere cœpere: Oſtendere, ut maxime Rex præſtare id cuperet, non videre tamen quomodo poſſet. Cum in proteſtatione ea quæ ab Epiſcopo ſibi exhibita eſſet, cum univerſum clerum, tum magnā partem Senatus, & equeſtris ordinis, non ſolum contra eam conditiones, ſed contra omnes proteſtatum videret: rationesq; graves ejus adjectas: unam quod

in Comitiis, quæ ad electionem ſolam jure deſignata eſſet, nihil novi ſtatuere poſſent. Accedere huc quod ipſi etiam legati Regij, ignari omnino earum fuerint, nihilq; omnino de iis cum illis communicatum. Ad extremum ita Regi demonſtrari, nullam omnino ex conditionibus iis eſſe, quæ non dignitati Regiæ detrahat. Cum qui appellati erant, jam non unam iſtam conditionem, ſed univerſas in dubium vocari, atq; de ſumma quaſi rerum agi animadverterent, reſponſo dilato, ad alios collegas referunt. Epiſcopo Poſnanienſi, Laſcio, Radivilo, quid proteſtatione iſta intriviſſent, oſtendunt. Epiſcopus lectam à ſe fuiſſe prius negat, qualis ab Archiepiſcopo transmiſſa ſibi fuiſſet, ipſius mandato Regi obtuliſſe: promittunt conjunctim cum aliis conditiones omnes ſe urſuros, neq; ab iis diſceſſuros: in cauſa tamen religionis, aliter ſe facere non poſſe Epiſcopus oſtendere, quam ut proteſtationem interponat. Itaque cum Rege adito omnes in eandem ſententiam Regi declaraſſent, Epiſcopo quidem uno, religionis cauſa excepta, cæteros autem de omnibus conditionibus convenire, utque eas confirmaret, communi ſententia petijſſent, & juramentum & confirmationem promiſit. Actum inde de formulis, confirmationum ſcriptorumq;, quæ per Herbultum, Radivilum, & Zamoiſcium ad Regem miſſæ. Cum de ipſis tamen formulis confirmationum, quæ aliæ à legatis, aliæ nomine Regis proponebantur, per aliquot adhuc dies diſceptatum, tum maxime de quatuor capitibus declaratione imprimis conditionis ejus, quæ juramento Regio aſcripta erat, ſi quod abeſſet, in aliquibus juramentum violaſſet, ne ullam illi incolæ Regni, cæterarumq; ditionum utriusq; gentis obedientiam præſtarent: imo ipſo facto ab omni fide obedientiaq; Regi debita, liberi eſſent. De hac aſſenſum, tandem à Rege declarationi legatorum ex præſcripto legationis, ſub ſignis chirographisq; illorum editæ. Nimirum conditiones eas libertatesve publicas, non ſolum violatas exiſtimari debere, ſi per humanum aliquem errorem, ut fit aliquid ei excidiſſet, aut obrepſiſſet, in quo jus aut libertas communis lædi videretur: ſed tum demum, ſi ita forte à volente, & ſciente jura, libertatesq; regni, vel per vim opprimerentur, vel per contemptum & temeritatem in dubium vocarentur, ut ne admonitione quidem Senatus, reliquorumq; ordinum regni quicquam perfici poſſet. Petitum ut explicatio hæc conditionibus ipſis aſcriberetur, juramento autem clauſula illa eximeretur, de conditionibus aſſenſum: de juramento negatum, ut cujus formulam ab ordinibus ſibi editam mutare non in ſua poteſtate eſſet. Non minor controverſia de certa die pecuniæ in conditionibus promiſſæ, in regnum inferendæ erat, qua de re etſi in commentario legationis nihil diſerte mandatum legatis erat, cum tamen decreto electionis ita legati eſſent, ut omnia quæ ex re & uſu reipublicæ eſſent exequerentur: interque alias illecebras, quibus maxime ad Regem hunc eligendum illecti fuiſſent, commodum id pecuniarium, quo ærarium exhauſtum, neceſſario reipubl. tempore, vel maxime juvari poſſet, non poſtremum fuiſſe recordarentur, nullum autem aut fruſtra id futurum, niſi certa dies pendendæ ejus, & Theſaurario regni tradendæ aſſignaretur, vel maxime eam urgebant. Rege è contra, partim nullo modo fieri id poſſe oſtendente, quod præter alios caſus, non uno etiam tempore reditus ij perventuri ad ſe eſſent: partim præter conditiones id à ſe poſtulari, cum adminiſtratio tamen pecuniæ ejus ex neceſſitate reipublicæ per ipſas conditiones promiſſa ſibi eſſet: ad extremum pertinaciter negante, tandem cum aliquot dies diſceptatione hac conſumpti fuiſſent, ſemel etiam, tanquam omnibus rebus infectis è conſilio à Rege legati diſceſſiſſent, convenit ut ad proxima comitia coronationis compoſitionem, cum omnibus ordinibus tota res differretur, interim ſcripto Rex caveret, quo de diligentia etiam legatorum ſimul illis fidem faceret. Eadem fere ratione de matrimonio Annæ infantis compoſitum: cum ut maxime legati præſtare in conditione ea voluiſſent, ut quæ & in ipſo decreto, & conditionibus utrinq; acceptis, & inter mandata Legatorum diſerte poſita eſſet, tamen ipſius Reginæ conſenſus inſtrumenta ſecum non detuliſſent, eluſa fuiſſet.

Tandem die decimo menſis Septemb. in templo divæ Mariæ, quod ſolenne Sacramentis Regiis eſſe ſolet, juramentum à Regibus præſtitum. Mane à plerisque Principibus, Marchionibus, cæteraq; aula ipſi legati, in ædem deducti: non multo poſt ipſi Reges veniunt, eos quinquaginta circiter equeſtris ordinis, ex iis quoque centum viri inauratis ſecuribus ad ſimilitudinem halabardorum anteceſſere: ante ipſos Reges duo ſceptriferi: haſtarios vocant: ante hos Heraldi ſeu præcones quatuor, eos Cardinales, Borbonius, Lotharingius, Guiſius, Eſtenſis, tum quicquid Principum & Comitum ordinis Regij D. Michaelis erat, inſecutum: Reges ipſos Reginæ tres cum Gynæceo frequentiſſimo & ſplendidiſſimo ſecutæ. Hoc ordine, cum in aditum templi veniſſent, mox ſacrum cœptum quo perfecto, uterq; Rex ad altare cum acceſſiſſet, ex adverſo in genua procumbunt.

Ad Henricum mox Epiſcopus Poſnanienſis acceſſit, contraque clauſulam illam juramentum ab illo præſtandi, qua diſſentientibus de religione cavebatur, nomine Cleri proteſtatus fuit. Inde Legati omnes Regem circumſtetere, præeunteq; Joanne Herburto de Fulſtin Caſtell. Sanocenſe, juramentum in eam formulam, quæ ſub ſignis ordinum data legatis erat, præſtitit. Non parva quidem

de hoc quoque diſſenſio fuerat. Nam & Epiſcopus non conſentire ſe in juramentum id poſſe attentatus fuerat: & cum ita inter legatos antea conveniſſet, ut primam partem juramenti, usq; ad clauſulam de libertate religionis Epiſcopus regi præiret, poſtea proteſtatione ab eo interpoſita, reliqua Caſtellanus Gneſnenſis Thomicius exequeretur, neque ex dignitate ſua, neque ſatis tutum id Rex exiſtimabat, itaq; ut & ab Epiſcopo tacite proteſtatio interponeretur, Rexq; ſcriptam eam illi ederet, convenerat, integrum autem juramentum Herburtus recitaret. Cum autem etiam in aſciſcendis Regibus, à majoribus electis, non ſemper per Epiſcopos, ſed aliquando per ſæcularis etiam ordinis Senatores, ſacramentum ab illis exactum, exemplis nonnullis confirmaſſent. Propoſuerat Rex, ut diviſio iſta evitaretur, ut ipſe potius nullo præeunte ex præſcripto juramentum præſtaret. Sed cum in mandatis præſcriptum illis eſſet, ut in verba legatorum juramentum Rex præſtaret, ab illis diſcedere non ſatis tutum illis viſum: itaq; ad eum qui demonſtratus eſt modum res convenit, perfectaq; fuit. Juramento ad eum modum perfecto, aſſurrexit, converſusq; ad fratrem, primum pro opera curaque ejus ad aſſequendum Regnum hoc, non ſine lachrymis profuſis gratias illi egit, tum ut reliqua maxime autem juramentum in conditiones à legatis ipſi propoſitas, non gravate perficeret, petiit. Carolus non minus amanter de regno illi gratulatus, ſtudium amoremq; fraternum in omni varietate fortunæ ſuum, ad mortem usque duraturum. Omnibus permixto mœrore lætitiæ fraternum colloquium excipientibus, obtulit. Inde ingenua ad idem altare proſtratus Birago Cancellario Gallico præeunte juramentum quemadmodum poſtulatum fuerat, ipſe etiam præſtitit. Gratiæ primum Carolo, deinde Henrico, in eodem mox loco à Caſtellano Sanocenſe actæ ſimul ſuperiore loco Heraldi fauſtis proclamationibus ea proſecuti. Omnibus rebus ita peractis, Reges in curiam Epiſcopi templo vicinam legati deduxerunt, ubi ſplendidiſſimo prandio excepti ab iis fuerunt; Sub idem tempus confirmationes etiam tam pactorum cum legatis conventorum, quam conditionum ſeu legum ab ipſis ordinibus publicæ libertatis conſtituendæ cauſa conſcriptarum, exempla itidem juramentorum præſtitorum, à ſingulis Regibus ſingula, manu eorundem ſubſcripta ſignataque, Legatis edita, adjecto promiſſo in confirmationibus Electi Regis, in comitiis inaugurationis eadem juramento, & ſigillo Polonico denuo confirmatum: Inſtrumentis iis acceptis, ipſi etiam deinde die decima tertia menſis Septembr. in Curia Parlamenti Pariſienſe, quæ ex inſtituto ad eam rem delecta fuerat, & decretum electionis publice Regi tradiderunt, Regemque renunciarunt.

Hora prima meridie à Principibus Gallicis honorifice in Curiam deducti fuere: medius à nobilibus aliquot Polonis ductus fuit equus albus ſtragula argentea intectus, qui in pulvinari ſellæ impoſito, ſcrinium totum argenteum, capſula ſericea viridi incluſum, in eoque decretum electionis vehebat. Capſula ipſa itidem viridis, & albi coloris velamento operta erat. Equus ornamentaq; ea, juſſu Reginæ matris ad Epiſcopum miſſa antea fuerant, non ſine pudore indignationeque aliorum Legatorum, quod accepta ab Epiſcopo fuiſſent, ſeu potius, quod tanquam Princeps legationis, non ante ea providiſſet, parandaque curaſſet. In ſolio ad id præparato, primo loco Carolus Rex Galliæ aſſedit, à dextris mater ejus Regina Catharina de Medicis, à ſiniſtris Henricus Electus Poloniæ, à dextro itidem latere, transverſi quatuor Cardinales ſedere, Lotharingius, Borbonius, Guiſius, Eſtenſis, à ſiniſtris altera Regina Eliſabeth Auſtriaca, conjux Caroli, penes hanc Franciſcus Alancſonius alter frater, qui interim convaluerat, jamq; ante conventus à legatis fuerat, proximus huic Henricus Rex Navarræ conjuxque ejus Margaretha ſoror Regum, juxta hanc Navarreni Regis ſoror, transverſi inde à levo lateris, reliqui Principes, Marchiones, & Comites ſedere. Legatis ipſis etiam peculiaris locus aſſignatus fuerat, quo cum aſſediſſent, ſcrinium in quo decretum Electionis fuerat, nobiles aliquot Poloni in medium attulere, locoque jam ante ei præparato collocarunt. Aſſurrexit inde Epiſcopus Poſnanienſis, & tanquam in alieno Regno poteſtate prius deſignationis ejus, perficiendæ à Rege petita, perque Cancellarium ei facta, ad ipſum deinde Electum Regem orationem convertit.

Tantum fuiſſe ſtudium, eamque voluntatem Poloniæ, in familiam Valeſiam, & novus cum Rex eligendus ei fuiſſet, tot aliis ſummis Regibus ac Principibus, totque ampliſſimis promiſſis, ac conditionibus, eum tamen potiſſimum prætulerunt, ejus tam lætæ, atque ſalutaris rei nuntium atque decretum per ſe deferre ad eum voluiſſe: orare ſummopere, ut quo animo ac ſtudio, regium hunc honorem præ cæteris ad eum deferrent, eodem ad ſe delatum acciperet, & ſe ita ad ampliſſimum hoc munus accingeret, ut etiam memoriam ejus rei, perpetuo in animo ſuo retineret, & re ipſa omnibus, omnium gentium & nationum hominibus demonſtraret, non magis ſtudio ac voluntate ordinum quam egregiis in rempub. chriſtianam meritis honorem eum ſe cōſecutum: Et quoniam poſtulationibus eorum aſſenſus, quæ utrinq; conveniſſent jurejurando confirmaſſet, paratos ordines eſſe, quamprimum ad coronationem ſive inaugurationem accedere. Cumq; præterea etiam regni rationes expoſcant, ut quamprimum iter ſuum in

Poloniam maturaret, ideo quod fœlix fauſtum ac ſalutare eſſet, omnium ordinum nomine in Regem ſuum eum poſtulare, orareq; ut quam primum in Regnum ſuum ſe conferret: Votis omnibus quam fauſtiſſimis, cum delationem hanc Regni, tum iter reliquasq; actiones ejus ad extremum proſequens. Inde Caſtellanus Sanocenſis publice omnibus præſentibus, alta voce decretum ipſum recitavit. In decreto, Senatorum plærorumq; nomina juxta Album Senatorium præmiſſa erant. Teſtabantur ij poſt mortem Auguſti DEO ita volente luctum ex morte ejus conceptum, Rege novo electo in lætitiam verſum, ad cujus Electionem more inſtitutoq; vetere, per ſe Senatores conventum omnibus ordinibus, ad diem ſextam menſis Aprilis proxime præteriti, ad Pagum Kamien ſub Varſavia indictum. Ad quem cum maxima frequentia omnium ordinum nobiliſſimi homines conveniſſent, omnibus ante rite conſtitutis peractisq;, abſentia aliorum quod in hujusmodi negociis juris eſſet non obſtante, tandem Archiepiſcopo Gneſnenſe, velut primate Regni, conſilij ordinum, & Electionis modum proponente, invocatoq; prius per publicum miſſæ ſacrificium, Spiritus Sancti auxilio ceremoniisq; aliis, de more aut jure ſolitis præmiſſis, atq; exquiſitis, prius omnium regnicolarum per ſuas turmas, ſeu Palatinatus, ſejunctim diſtinctorum ſententiis, eosdemq; diligenter prius in Senatu, & conſilio publico diſcuſſis, atque examinatis, Decretum tandem electionis de futuro Rege promulgaſſe, atq; ita quidem, ut omnes fere chriſtiani orbis partes colluctando, legationibus etiam ac conditionibus aliorum ſummorum Principum diligenter expenſis, ſuo tamen unicuiq; honore ſervato, aptiſſimum atq; utiliſſimum reipubl. cenſuerint, Henricum Andagavenſem, filium fratremq; Regium ex domo Valeſiorum multis ſæculis in Gallia feliciter imperantium deſcendentem, ſummis naturæ ac fortunæ, ac potius divinis dotibus ornatum, & ſatis etiam jam pro ætate de repub. chriſtiana benemeritum: maxime quod ipſe Galliarum Rex pro fratre per oratores ſuos interveniens, magna commoda, & firmiſſima præſidia ex opulentiſſimo Regno ſuo Gallico reipub. obtulerit, ipſeq; Henricus omnes opes ſuas in Regnum illaturum ſe promiſerit. Itaq; non privati alicujus commodi, ſolius Reipub. cauſa Regem eum ſe eligere decernereq;, omnibusq; ordinibus Electionem eam denunciare promittentes pollicentesq; illi omnem fidem, honorem, obedientiam, omniaq; juſta & honeſta obſequia, quemadmodum Sigismundo Auguſto deceſſoribusq; ejus ea præſtitiſſent: ſimul pollicentes tanquam verum Regem eum ſe coronaturos: ita tamen ſi prius jura tam publica quam privata omnia, cum priſtina, tum quæ circa hãc ipſam Electionem pro jure libertatis & ſtatu reipub. conſtituiſſent, tum ea quæ ipſe cum fratre per oratores promiſiſſet, juramento literisq; confirmaſſet, obſervaret, req; ipſa adimpleret. Obligantes inde ſe mutuo ſub fide & honore, pro hoſte habituros, qui electioni huic quacunq; in re contraveniret, aut turbare eam vellet. Ad extremum legatos deſignabant, eos qui ſupra nominati ſunt, dantes eisdem ſummam poteſtatem Electionis ejus decretum, quæ circa electionem conſtituta definitaq; eſſent, vel negocium ipſum requireret, tranſigendi, ſtatuendi, firmandiq;, aliquorum ad exequenda ea abſentia non obſtante. Aſcripti teſtes fuerant, pleriq; cum majorum Collegiorum Senatores, Magiſtratus, Officialesve aulici, ut Referendarij Secretarij, pincernæ gladiferi, atq; alij, tum præfecti regij nuncij præterea civitatum, Cracovienſ. Sandomirienſ. Decreto lecto, Epiſcopus rurſus oratione ad Henricum converſa. Quoniam inquit nomine Senatus, & ordinum regni Poloniæ, & Mag. Duc. Lith. decretum electionis jam exhibuimus, nihil aliud cum reliquum jam ſit, ipſius decreti, vi atq; ſufficiente mandato, ad id nobis dato, proclamamus, declaramus, & pronunciamus, Majeſtatem Veſtr. omnium aſſenſu Electum eſſe in Regem Poloniæ, & Magnum Ducis Lith. Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Kyoviæ, Volhiniæ, Podlaſſiæ, Livoniæq; ut titulum Poloniæ & Magni Ducatus Majeſtati Veſtræ aſſignamus, & regimen ejusdem regni & Magni Ducatus Majeſtati Veſtræ reſignamus, regimenq; ejusdem regni & Magni Ducatus & dominorum illis annexorum ipſi ſubjicimus fidem, obſervantiam, & debitam obedientiam eidem deferimus. Poſtulamus, invitamusq;, atq; rogamus, majorem in modum, ut quanto citius ac celerius, ad regendum & adminiſtrandum Regnum ſuum venire dignetur. Quo in itinere quemadmodum & hic debitam reverentiam, & quæcunq; à nobis proficiſci poterunt, ſtudia & obſequia, diligenter ei offerimus. DEUM optimum Maximum ſuppliciter orantes, ut Majeſt. Veſtram, ſalvam & incolumen, florentem nobis diu conſervet. In eandem fere ſententiam Marſalcus curiæ Lith. Radivilus pauca interfatus Lithuaniæ etiam nomine obſequium ei detulit. Scripſerat orationem, qua eum ſalutaret, Joannes Zamoiſcius præfectus tum Belzenſis, atq; unus ex legatis, luculentam imprimis & elegantem, qua cum tria potiſſimum tractanda ſuſcepiſſet, unum, quas ob cauſas aliis competitoribus prælatus fuiſſet, alterum quale Regnum habiturus eſſet, tum quid ordines ab eo expectarent, in re difficili & lubrica, ita verſatus fuit, ut in comparatione iſta, ita aliis Principibus eum præferret, ut omnes tamen laudaret, plerosq; etiam cum illo æquaret, in omni autem oratione qualem eum Regem eſſe oporteret, partim laudes ejus exponendo, partim inſtitutis regni commemorandis, vel moneret eum vel doceret.

Ne præſagio quidem carere poſtea viſa fuit, cum ſub perſona patriæ, ſi ſpe de eo excideret, non modo miſeram eam viſum iri oſtenderet: ſed & ſtultam quod non tam miſericordia quam reprehenſione, quos ei poſthabuiſſet, dignam eam judicaturi eſſent. Verum cum Epiſcopo, tanquam Principi legationis munus reſignandi tum demandatum fuiſſet, recitata quidem publice ab eo non fuit, typis tamen in vulgus edita, magnam apud omnes laudem habuit. Poſt Epiſcopum & Radivilum Rex primum ipſe paucis verbis, gratias legatis egit, reliqua inde Cancellarium Andagavenſem Philippum Huraltum Chevenium perſequi juſſit, qui brevi eleganteq; oratione Latina, nuncij ejus demonſtrata, laudare prudentiam gentis Poloniæ, quod abſentem præſentibus, remotum finitimis, externum ſuis prætuliſſet, exemplo Nervæ, optimi ſapientiſſimiq; Imperatoris, qui propinquis omnibus, quos plurimos habebat, Trajanum alienum Italis externum, novo exemplo prætuliſſet. Alexandri item, qui de imperioſe interrogantibus, digniſſimo id ſe relinquere reſpondiſſet, ominari deinde optima quæque quod Galli & Poloni, & ſi lingua differrent, morum tamen & inſtitutorum ſimilitudine, fratres videri pene poſſent, quod deinde familia Andagavenſis jam olim etiam ad Regni Polonici adminiſtrationem vocata fuerit. Si populum multis cum lachrymis iter ejus impedientem, audire velit, vix eundi facultatem habiturum: Sed exemplo Neoptolemi qui ut Trojam caperet Lycomedis lachrymas neglexiſſet, lachrymas & ſuſpiria publicæ utilitati poſtpoſiturum, dulcemq; patriam, pios parentes, conjunctiſſimos fratres, ſponte deſerturum, ipſorum cauſa. Etenim in patria vivere cum ſuis, ſed reipubl. & honoris cauſa, pulcherrimum eum judicare, imperare patria jubent, nam ſi patria relinquenda ſit, regnandi cauſa. Ad Ludovicum Andagavenſem miſſos olim Florianum Cracovienſem Epiſcopum & Joannem Strzelſcium Cancellarium, idem petentes, quod ipſi nunc peterent: cum Ludovico cunctandi & Poloni orando, & Ungari ſuadendo inſtarent reſpondiſſe, non ſatis intelligere, neque Polonos quid peterent, neque Ungaros quid ſuaderent, quod duobus Regnis unus Rex ſufficere non poſſet, aliud longe reſponſum nunc Regem dare. Polonia inquit nunc mihi patria eſt: principatus domi plurimos: regnum apud vos habeo. Eamus quo nos Dei voluntas, & Chriſtianæ reipub. amor vocat. Orationem hanc Heraldus, ſimilibus quibus antea acclamationibus: Heraldum tibicines, tibicines ſymphonia eccleſiaſtica, laudem Deo concinens exceperunt. Hymno finito, imprimis Cardinales, tum cæteri principes, ſuo quiſque loco ad Regem accedentes, gratulati ei fuere. Petitum inde utriuſque Regis nomine à legatis fuit, ne ad vicinum ſacellum decretum id adhuc deferre gravarentur, itaque à Thomicio Gneſnenſe & Gorkano Miedzirzicenſe Caſtellanis, cum eo delatum fuiſſet, mox veſperæ cœptæ quibus perfectis, equo in ipſam arcem, quemadmodum ante incuriam id præferente per urbem, paſſim populo lætis acclamationibus eos proſequente, Reges deduxerunt, cænaque excepti ibi ab illis fuerunt. Quemadmodum vero Reges illis inſtrumenta jurium ſacramentorumque ſuorum ediderant, ita legati ipſis quoque quod omnibus rebus rite perfectis, libere ac ſponte decretum Electionis Regi tradidiſſent, ſcripto, manu, ſigniſque ſuis teſtati fuerunt. Poſtridie Regia Pompa urbem ingredi novo Regi viſum. Itaque cum prius ipſe in Monaſterium Virginum D. Antonij, mille circiter ab urbe paſſus profectus fuiſſet, eodem legati accerſiti. Rex cum Principibus aulaq; ſua, è porticu ex inſtituto ad id ornato ſpectante, primum peditatus Urbanus ad duo millia circiter, equitatus autem circiter centum quinquaginta, ſub porticum præceſſere, eos mercatorum Pariſienſium centum circiter equites, ſed ſplendidiſſime ornati ita ut univerſæ pompæ ornamento eſſent ſubſecuti. Poſt hos præfecti urbis triginta, ſericis togis omnes induti, cum ad porticum eum perveniſſent, de equis deſcendere, novumq; Regnum Regi gratulati, omnium portarum urbis, claves illi detulerunt, præfectus cum birotis itidem longis togis induti, quadraginta circiter apparitores ſecuti, hos reliqua turba Urbana omnis numeroſa ſed incondita. Inde Senatores ſupremæ Curiæ Pariſienſis centum, purpurati omnes: qui cum præterijſſent, Rex ipſe equum conſcendit, cumq; movere jam loco deberent, juſſu Marſalci ejus, nobiles Poloni omnes, qui ex comitatu legatorum erant, proximi poſt Senatores præceſſere. Secundum hos aulici Regij, Sericis omnes ſagulis, centum circiter equi: poſt hos pari numero Comites, præcipuiq; magiſtratus aulici. Poſt hos equus ſtragula ſericea cærulea, liliis ex auro ubiq; contexta tectus, à duobus equiſonibus, veſtibus auro contextis & ipſis indutis, ductus in equo ſcriniolum, aurea tela tectum, in quo ſigillum regni Galliæ, quo honoris ſcilicet & amoris cauſa, omnis poteſtas Regia ei delata à fratre ad tempus, vel credita demonſtraretur: Sigillum Regium Cancellarius Galliæ in veſte aurea, Cancellarium legati Principum chriſtianorum præſentes, Pontificius, Hiſpanus, aliorumq; nonnullorũ Principum ac Ducum ſecuti. Hoſce Henricus Lothar. Dux Guiſius, tanquã Marſalcus Galliæ ſupremus ſeu ſceptrũ Regi præferens. Poſt quem medius inter fratrem Alanczonium & Henricum Navarrenum Rex ipſe inceſſit. Regem tres principes ſanguinis primarij ſecuti, hoſce legati noſtri, quorum ſingulorum unus ex principibus Galliæ latus tegebat. Cum ad primam portam D. Antonij Rex perveniſſet, umbella ſublata, per eam ſolus ingreſſus. Mox ex arce vicina portæ propugnaculiſque, tormentis, per juſtum ſpatium temporis lætitiæ ſonitus datus. Inde per vicum

vicum Antonianum innumerabili hominum multitudine undique circumfuſa, circiter primam jam noctis horam, ad Ædem D. Mariæ deſcendit, ubi hymno finito, ab Epiſcopo urbis ornamentis Epiſcopalibus induto longa gratulatione exceptus, cum ipſe ei reſpondiſſet, in curiam profectus, ibidem apud fratrem Regem Galliæ, matremque Reginam, una cum legatis Polonicis cænavit. Cum ipſa autem porta urbis, tum aliquot porticus triumphales per univerſum vicum ad curiam uſque inſtituti, partim picturis, atque in ſingulas picturas, carminibus & titulis, vel in laudes, vel gratulationes Regum, reginarum, atque utriuſque gentis confœderatæ inſcriptis, magno ſumptu ornatæ, ſplendidiſſimum ingreſſum fecêre. Maxime inſignis in prima porta effigies, trium fratrum Caroli, Henrici, & Franciſci erant, qui uno nodoſo & indiſſolubili fune cincti, trium fratrum indiſſolubilem amorem ſignificarent: quem eundem Gerijonis etiam effigies, ibidem conſtituta repræſentabatur. Inter alia autem carmina, quæ per univerſum Vicum diverſa inſcripta erant, ad pontem D. Mariæ Deo coronam manu deferente; tertio etiam fratri Alanczonio, vel Angliæ etiam regni, de cujus Reginæ matrimonio ſpes tum erat, vel Belgium, ſequente ænigmate promittere videbatur.

Tres tria concordi, partiti fœdere Regna
Fratres ſorte DEI, quorum regnabit ad ortum
Et Polon Henricus, Franciſcus ad Heſperon alti
Rex erit Oceani: media ſed Carolus arce
Imperij medio, ceu Iupiter orbe ſedebit.

Inter alia navis etiam in eodem vico adornata, diverſorum ſymphaniacorum vocibus perſonabat. Ingreſſus hujus magnificentiam ſequenti die Regina mater, ſplendidiſſima cæna, inter magnificentiſſima ſpectacula & choreas, in hortis ſuburbanis præbita, vix non ſuperavit. Conviviis hujuſmodi & ſpectaculis, biduo exacto, iter legati urgere cœperunt, Jam ante aliquot etiam dies, mox poſtquam juramentum Reges præſtitiſſent, de ratione itineris communicare, cum legatis cœperat, idemq; fere iter, quo ipſi in Galliam venerant, per Palatinalem nimirum Moguntinenſem, Haſſiacam, Turingicam, & Saxonicam ditiones. Commeatum etiam ex conventu Cæſaris, & Principum Imperij, Legatorum Francofurtenſe, ex eorundem autoritate ad ſe miſſum, legatis demonſtrarat, quibus liber tranſitus per ditiones eas imperij, hiſce tamen conditionibus ei permittebatur. Primum ut prius ſub ingreſſum rite caveret, ſe ſuosq; ſine injuria, maleficioque, ac perſoluto ubiq; commeatu, pacifice & amice tranſituros, deinde ne præter famulicium ſuum & comitatum, quem ut quadringentorum, aut quingentorum hominum haberet, facile toleraturi eſſent, alium ſecum nullum militem ducat. Quod ſi præter ſuos alios ſibi comites adjungere vellet, ne univerſus comitatus, octingentos tam homines quam equos excederet; ita tamen ut præter quadringentos aut ad ſummum quingentos equites, quos Rex ſecum habere vellet, cæteri turmatim, alteri alteros per binos dies, quo commeatus recte omnibus ſubminiſtrari poſſet, ſubſequantur, itineribus ab eodem Senatu legatorum deſignatis irent. Cum Regi ipſi ea itinera maxime commoda viderentur, à legatis etiam non improbata fuerunt. Commeatum ſolummodo alium requirebant, quod is quaſi ex Cancellaria Moguntina, ſine ullo ſigillo aut ſubſcriptione editus fuerat. Verum oſtendit Rex jam ſe miſiſſe, qui alium ſignatum poſtularent, qui cum Metis præſto ſibi futuri eſſent. Simul de præmittendo aliquo ex collegis ſuis in Poloniam, qui & moram excuſaret, & tempus inaugurationis proferret, & aliis incommodis, quæ ex mora hac Regis exiſtere poſſent occurreret, cum Rege actum: maximeq; Joannes Zborovius, ad eam legationem deſignatus, cui à Rege Vidamus Rambletus adjunctus. Sub idem tempus cum in Curiam Pariſienſem Reges omnes, tum minimus natu frater Regis Alanczonius, Cardinales & plæriq; Principes conveniſſent, Legatis etiam noſtris inſcijs quid ageretur, uno Zamoiſcio tamen abſente eodem pertractis Senatu frequentiſſimo, in omnem eventum, ſi quid præſenti Regi humani eveniſſet, Henricum ſucceſſorem ei deſignant. Dum Zboroviana legatio expediretur, præmiſſus interim in Poloniam cum literis Przeclavius Krupka ad Senatores quibus & quæ acta eſſent, breviter ſignificant, & diligentiam in declarandis conditionibus, quæ dubiæ videbantur, confirmationeq; declarationum earum impetranda teſtantur: ad extremum ſi Krupka Cracoviæ eos aſſequeretur, ut Zborovium pleniora omnia, & pleraq; alia neceſſaria allaturum Cracoviæ expectent petunt. Zborovio imprimis confirmationes jurium, conditionum, declarationesq; earum, quas ordinibus traderet, datæ, non ſine promiſſo, ſi quid præſtare ordines commodi publici cauſa deſideraturi eſſent, quam primum in regnum veniſſet perfecturum, præter ſtudij regij teſtificationem mandatum. Præterea, ut cum propter tardiorem oratorum ob objecta impedimenta adventum temporis, nonnihil extractum fuiſſet, iter etiam iis menſibus ob frequentes pluvias impeditius futurum eſſet, oſtenderet ante XV. Decemb. diem in finibus Regem ſiſtere ſe non poſſe: itaq; ut inaugurationis etiam diem ad XVIII. menſis Januarij differrent, poſtularet, quam & ex ratione itineris ſui commodiſſimam futuram Rex arbitraretur, & de qua deſignanda ad ordines ſe retuliſſe, Regibus Principibusq; confœderatis cum regno Poloniæ, quorum legationes ex conſilio legatorum intereſſe coronationi vellet, ſignificaſſet. Defenſionem Regni & Magni Duc. Lithuaniæ juxta promiſſa

miſſa oratorum tam ſuorum quam Galliæ Regis pollic̄eretur: quæ interim neceſſario expenderentur ſoluturum. Simul literæ partim ad Confœderatos Reges & Principes: partim beneficiarios datæ, ex arbitrio Senatus ex Polonia transmittendæ: Imprimis ſummum Pontificem, Regem Hiſpaniarum Philippum, Rudolphum Ungariæ, Fridericum Daniæ, Joannemq; Suecorum, Reges tum, Fridericum & Albertum Comites Palatinos Rheni, Auguſtum Saxoniæ, Joannem Georgium Brandeburgenſem Electores, Albertum Ducem Pruſſiæ, Joannem Georgium Fridericum Onolspacenſem Marchiones Brandeburgenſes, Albertum Ducem Megalopolenſem, Pomeraniæ Duces, Gotardum Ketlerum Curlandiæ, Stephanum Battori, tum Tranſilvaniæ, Joannem Moldaviæ Palatinos, regnum publico ordinum conſenſu, & legatione ad ſe delatum: petitum, ut quo ſtudio erga majores ſuos Reges Poloniæ, ipſi majoresq; eorum fuiſſent, idem erga ſe quoq;, qui non minus operam daturus eſſet, ut priſtinam neceſſitudinem atque benevolentiam ipſe quoq; non ſolum confirmaret, verum etiam augeret. Communicaſſe cum ordinibus de die XV. menſis Januarij Coronationi aſſignato, poſtulare ut ſua etiam legatione illa honeſtando, benevolentiam ſuam teſtentur, in literis vero ad beneficiarios Principes commemoratio contractus qui hujusmodi inter ipſos & Regnum intercederent, ut diem eum ſcire, magnopere illorum intereſſet. A Moldavo vero poſtulatum, ut cum poſt mortem Sigismundi Auguſti merces regias, quæ ex Turcia advehebantur detinuiſſet, miniſtris Jasloviecij Palatini Ruſſiæ tradi eas juberet. De his aliisq; rebus ad adventum Regium pertinentibus, Senatores etiam majores, Magiſtratusq; regni ſcriptum. Ad Maximilianum Cæſarem ex inſtituto, Martinus Lesnovolſcius, cum ejusdem generis literis miſſus. Ad Turcarum itidem imperatorem Jacobus Ponetovius Pincerna Lancicienſis adjunctum in literis iis, quo magis de voluntate Regia, in tenenda priſtina amicitia ac fœdere conſtare illi poſſet, quam primum in Regnum veniſſet, ex præcipuis regni Conſiliariis, renovandi & confirmandi fœderis cauſa, aliquem miſſurum. Interim poſtulare, ut præfectis ſuis, imprimisq; Czario Præcopienſi ipſe etiam mandet, ne quid alienum ab amicitia committant. Eidem ad Venetiarum Ducem, partim in eandem ſententiam, qua ad alios Principes chriſtianos literæ datæ, tum petentes quo ut quam primum Conſtantinopolim perveniet, eum adjuvent.

Verum Ponietovius ex conſilio legati Gallici, qui Venetiis erat, legatione Conſtantinopolitana intermiſſa, ad Torgam poſtea priusquã ad fines regni veniret, iterum Regi occurrit. Invictiſſimus Rex proficiſcebatur: cum ob dubiam valetudinem fratris cui Succeſſor jam deſignatus erat, tum quod à matre, cui præ cæteris charus erat ægerrime divellebatur: non minus etiam, quod & promiſſis nimiis in Polonia ſe obligatum, exiſtimaret, & cum ab aliis conditionibus, tum maxime à matrimonio cum infante vehementer àbhorreret. Urgentibus tamen legatis profectionem, conſulentibusq; an præcurrere in Poloniam eos vellet, an in comitatu ſuo permanere, dimittendos quidem nullo modo cenſebat, profectionem etiam quamprimum ſe maturaturum promittebat; interim quas poſſet moras nectere. Cum tamen non levi ſumptu legati Pariſiis exhiberentur, ut & ſumptus vitaretur, & cœptum jam iter videretur, ut Fontenableum vicinam Lutetiæ arcem diſcederetur, ſtatutum.

Prius autem Galli Regis nomine munera ſingulis legatis miſſa, diverſa quidem, cum aliis vel pelves, fundibulaque, tum pocula ex ſolido auro, vel inaurata, & aliis ſingula, aliis bina, aut terna, aliis itidem torques aureæ, omnibus autem, vel bina millia, vel mille quingentorum ſcutatorum ſignati auri adjicerentur: ſed ita tamen, ut ſingula munera ad quaternorum millium ſcutatorum precium accederent, aut non multum excederent, adjectum idem illis ſimul jus tribui, quo Principes nobilesq; Galliæ optimo eſſent. Inde Zborovius cum iis, de quibus ſupra oſtenſum eſt rebus in Poloniam præmiſſus, ei ultra munera, in viaticum peculiariter, quatuor millia florenorum data. Cum autem de ſigillo etiam quo dum in Poloniam Rex veniret, uteretur controverſia eſſet, Andogavenſe interim delectum. Tandem pridie D. Michaelis, viceſimo octavo nimirum Septemb. & Reges ipſi, cum tota aula, & legati una cum illis Lutetia movere: Regibus in arce Fonteneblenſe diverſantibus legatis vicina domus Venatoria, oppidumq; aſſignata. Ex inſtituto autem Monlucius aliiq; legati qui in Polonia fuerant relicti; quo abſentibus ſequeſtris per quos promiſſa privatis præſertim facta erant, facilius eludi poſſent. Fonteneblano Vilocaſtrum Reges progreſſi, ibidem ſimiliter vicino oppido Forta Melloni tum ſtatione legatis aſſignata. Præcurrunt inde Metim Gorkanus Caſtellanus Miedzirzicenſis, quod cum offenſum aliqua re in Poloniam eum redire interpretati Reges fuiſſent, non parum eos movit: reliquis autem legatis nunciantibus eum vel Metis expectaturum vel Nanſeri rurſum Regi occurſurum, per Præſidem Metenſem, nomine & literis regiis cum illo actum, ne ſine Rege in Poloniam irent; Comitatum tamen in Poloniam præmiſit. Quod Epiſcopus etiam Poſnanienſis fecit. Verum hujus comitatus, cui ſororis filium Jaroslaum Chanſcium Deçanum Poſnanienſem præfecerat, duobus circiter milliaribus à Francofurto, omnibus rebus ſpoliati fuerunt. Villocaſtro Rex Lutetiam itineri quaſi neceſſaria paraturus, à reliquo comitatu rurſum

ſum excurrit, cum promiſſo ad diem XXVII. Octob. certo Chaloni ſe ſiſtendi, quo interim Galliæ Rex cum uxore & Regina matre, cæterisq; Principibus ſe contulere, priusquam Villocaſtro moverent, literæ ex Polonia cum ab Archiepiſcopo, tum Andrea Zborovio & Baſino, quem in Poloniam Rex miſerat, allatæ omnia domi forisq; pacata, magis verbis quam re ipſa nunciabant. Nam & excurſione in fines Turcicos à Koſacis facta, Turcam irritatum, graviſſimas ea de re ad ordines literas dediſſe ſignificabant: & Gedanenſes in armis adhuc eſſe: & cum ex vicinis, tum domi etiam non deeſſe, qui ſemina diſcordiarum jacerent, inq; omnem occaſionem intenti eſſent. Ideoq; funus etiam Regium ex communi ſententia dilatum. Præterea exemplum literarum Moſci miſerant, quibus Lithuanos ultro, filium ſuum Regem poſtulaſſe ſignificabat: exercitum & ſibi munera pelles Cibellinas, ac Vulpinas cum illo petiiſſe noluiſſe ſe nugis hujusmodi attendere: cum in nullo imperio chriſtiano id fiat, ut non conſtitutis rite & ordinate rebus ad regnum accipiendum, ex Principibus chriſtianis quis proficiſcatur. Poſtea iterum miſiſſe Michaelem Haraburdam ſcribam juratum, magni Ducatus Lithuaniæ: qui ad magnum Ducatum eum invitaret, deq; obſervandis & confirmandis juribus, utriusq; gentis cum illo ageret. Conſtitutum cum eo fuiſſe, ut ad ſummum ad Trinitatis aut D. Petri hiſce de rebus legati ab ordinibus ad illum venirent: jam levi de re de damnis quibusdã in finibus Livoniæ Andream Taranovium inter nuncium ad ſe miſſum: mirari ſe, quod tanta re intermiſſa, nunc de nugis ad ſe mittant: multo magis vero quod cum ipſi antea ad Regnum eum invitaſſent, non communicata ulterius ſecum re, nunc alium Regem à ſe electum nuncient, commeatumq; in legatos ipſius atq; inducias ad adventum ipſius, vel donec utrinque aliquid inter eos conſtituatur pẽtant. Qua de re cum Tarnovium interrogari juſſiſſet, hanc cauſam attuliſſe, quod more aliorum Principum Chriſtianorum, regnum vacuum ambientium, ipſe etiam legatos ad Comitia Electionis non miſiſſet: quod & ad ſe ultro miſſum fuiſſet, & cum Haraburda conſtituiſſet, ad ſe finiendi negotij hujus cauſa, quamprimum legationem miſſum iri expectaſſet. Cum tamen idem Tarnovius ſibi ſignificarit, in comitiis electionis diem D. Martini Regi novo præfixã, ad quam niſi in Regno ſe ſiſteret, nova Comitia ab ordinibus indictum iri, in quibus ipſius ratio habeatur, inducias ad Aſſumptionis D. Mariæ, obſervaturum ſe pollicebatur. Cum ad triceſimam usque Chaloni expectaſſent, monitu Regis Galliæ, Thelam modicis itineribus, præter Palatinum Syradienſem Laſcium & Tomicium filium, reliqui legati præceſſere. Ipſe etiam Galliæ Rex, cum Reginis Vitriacum usq; proceſſit, rediit ad Regem Galliæ Legatus ejus, quem commeatus novi petendi cauſa ad Cæſarem miſerat: Cum pleniſſimo commeatu, non ſolum in octingentos, ſed mille ducentos equites: iisdem tamen conditionibus, tam tranſitus quam cautionis, quæ ex Francofurdienſe conventu, propoſitæ fuerant. Legatis Polonicis etiam, extra numerum eum peculiaris commeatus allatus. Simul cum illo à Cæſare Ludovicus, Comes à Leuenſtein venit, qui Princeps, cum aliis legatis, per ditiones imperij & Cæſareas deducere Regem debebat, præmiſſus Metim fuit; Cautio autem ſecundum conditiones inconſultis legatis illi prius data, tam de numero, ac modo tranſitus, quam de indemnitate, quod ſi præter expectationem, damni aut detrimenti aliquid daretur, Regem damnum paſſo reſarciturum, aut qui temere contra conditiones, eas deliquiſſent, ad præſtandum damnum adacturos, per idoneos ac fide dignos arbitros, ex utraq; parte delectos: vel delegatorum Cæſareorum cognitioni & autoritati, aut imperij conſtitutionibus ſtatutum. Omiſſus in cautione ea Pruſſiæ titulus; & fidejuſſor cautionis conſtitutus, tanquam imperij Princeps, Carolus Lotharingiæ Dux, quæ utraq; res, non parum legatos offendit. Jam ante in itinere, cum Thulam irent, de in commoda valetudine Regis Galliæ allatum ad eos fuerat, qui cum per totam noctem Vulpem in venatione ſecutus fuiſſet, in horrorem quendam incidiſſe dicebatur. Simul vero ante V. Novembr. Regem Lutetia non moturum illis nunciabatur, non parum ea res ſolicitos legatos habebat. Itaq; Thula literas ad Regem dant, quantum & ipſius, & reipubl. interſit, ut quam primum ſe in regno ſiſtat, oſtendunt. Poſt diſceſſum ejus Lutetiam ad Epiſcopum Poſnanienſem, ex Polonia literas allatas, nobilitatem adventum ejus expectando, ſummo tædio affici: quod & ob juſticiam, pleriq; maxima damna perferant, & à finitimis etiam, indies hoſtile aliquid, vereantur. Præter iſta, vel in iis literis, quæ Villecaſtrium à Baſino miſſæ eſſent, nihil ſe videre, quod magnopere ſpem aliquam de tranquillitate facere iis debeat, aut non potius ſummam ſolicitudinem illis adferat. Quemadmodum vero, nuncio quem de celeri adventu ipſius attuliſſet, & Poloniam valde recreatam Boſinus ſcribat, & multa conſilia quorundam, qui nondum ſpem regni abjecerant, fracta, ita verendum niſi iter acceleret, ne diverſum ex mora eveniat, ut & ſummo mœrore animi hominum afficiantur, & ſi qui ſint, quorum cupiditas regnandi in Polonia nondum deferbuerit, ad ſolicitandos nobilitatis animos eo majore vi incumbant, alterutrumve perſuadere nobilitati conentur, vel ſperni ab illo regnum, vel ob difficultates, quas vel in Gallia habent, vel in Germania verentur, in perpetuum iter, in Regnum clauſum ei eſſe, ſi qui forte diverſum aliquid ex Polonia ei ſcripſerint, quam recte ei ſuadeant, vel ex eo animadvertere illum poſſe quod

quod poſt diſceſſum oratorum in Galliam nullum omnium regni & Lithuaniæ ordinum commune conſilium habitum ſit, quare ſi quid polliceantur, non modo ratum id ordines, & imprimis nobilitatem habituram, ſed & illos offenſum potius iri, ſi quod commune omnium eſſe debeat, pauci ſibi arrogent, & ipſi invidioſum eſſe poſſe, quod cum paucis communicaret. Ad extremum decimam quintam Novemb. illi præfiniunt: intra quam niſi in finibus Galliæ ſe ſiſtat, Metis recta in Poloniam ſe ituros denunciant. In eandem ſententiam ad Laſcium & Tomicium filium, qui remanſerant ſcribunt, utque propinquiore loco quam diligentiſſime Regem urgerent hortantur. Ad literas nihil reſcriptum Schonbergius miſſus, qui valetudine Regis Galliæ, moram electi Regis excuſaret, utque profectionem ad viceſimam Novembr. proferrent peteret, illi die ea non accepta, aſſentiente tamen Schonbergio Metim præcedũt. Cumq; Rex Galliæ valetudine ad vitriacum retentus ulterius progredi non poſſet, miſſi ex legatis Herburtus Caſtellanus Sanocenſis & Alexander Prunſcius, omnium collegarum nomine ei valedicentes, alios ne ſua frequentia, nondum ex morbo confirmato moleſti eſſent veritos, excuſarunt, mutuaq; utriusq; gentis Polonicæ ac Gallicæ benevolentia, cauſisq; ejus commemoratis, atq; optima ſpe conjunctionem hanc utriusq; gentis, & pace & armis plurimisq; victoriis claros proſequentes, cum ſtudia obſervantiamq; collegarum ſuorum, univerſæq; gentis ei detulerunt, tum pro familiari tractatione in omnibus rebus, munificentia autem in ſe tractandis & in dimittendis benignitate, gratias ei egerunt. Simul munera à Senatu Polonico miſſa reddidere Regi Galliæ, quatuor quadragenas Czibellinarum, Reginæ matri totidem, Alanczonio duas. Venerunt legati Metim XV. Novemb. Interim Henricus cum Regina matre cæteraq; aula Nanſeium etiam Lotharingiæ ditionis progreſſus jam fuerat, viſum legatis mittere ex collegio ſuo, qui ut moras omnes itineris, jam tandem abrumperet, quam diligentiſſime iterum eum urgeret. Quemadmodum autem oſtenſum eſt, & invictiſſimus Rex proficiſcebatur, & tum invaletudinem fratris, Regis Galliæ intentus, eo magis in omnes moras ſe verſabat, admonitione tamen illa benigne accepta, oſtendit ante XXIII. Novemb. ob expectationem Marſalci ſui, qui cum omnibus impedimentis ſe ſequeretur, movere ſe non poſſe, petere æquo animo moram hanc quinq; dierum ferrent. Oſtendit poſtea à Palatino Rheni literas ſe accepiſſe, quibus oppidum Heſerlanter, per quod Metis eundum ſibi fuiſſet, peſte infectum ſignificaret, itaq; alia nunc via quam Metenſe, Moguntiam ſibi eundum. Conficta ex inſtituto à Gallis res fuerat, partim quod Cæſareos delegatos Metis expectare ſcirent, ut tanquam in Germanici non Gallici imperij urbe Regem nomine imperij exciperent, partim quod ne tumultus aliquis plebis exiſteret, vererentur. Præterquam quod hac ipſa etiam mutatione itineris, nonnihil moræ acceſſurum videbant, Legati & ſi quid rei eſſet jam ſubſenſiſſet dummodo quacunq; tamen via tandem iret, non inviti aſſenſi. Itaq; eodem Metis delegati etiam Cæſarei accerſiti, Ludovicus Comes à Leuenſtein, ejusdem nominis à Seyn in Withgeſtein & Wolffgangus ab Eiſenberk Comites, quibus conjunctim vel diviſim Regis per Imperij ditiones deducendi demandata à Cæſare cura fuerat. Literis redditis, Rege Cæſaris ſui nomine ſalutato, mandata ſua exponendi, tempus facultatemq; ſibi dari petierunt. Datum illis conſilium, præſentib[9] præter legatos noſtros, Regina matre, Alanczonio quatuor Cardinalibus, & octo Principibus Gallicis. Cum paratos ſe eſſe oſtendiſſent, juxta decretum Francofurtenſe, & commeatum Cæſareum, Regem deducere, gratiæ ab ipſo Rege illis Cæſariq; actæ, ſed cum iter quod antea præſcriptum fuerat, ob contagionem non ſatis tutum jam eſſet, quæſitum qua via deducere in animo haberent, an quæ proxima in Poloniam duceret, an quæ præſcripta antea fuiſſet. Præterea de curribus, & onerariis jumentis, quo loco ab illis haberentur, intrane, aut extra numerum ducentorum. Reſponſum, & ſi à præſcripto Cæſareo, ne minima quidem in re diſcedere ſibi integrum eſſet, cum tamen gravis cauſa peſtis interceſſiſſet, ſumpturos ſibi hoc, ut infecta ea loca vitarent, alia via ducerent: dummodo poſtea ad Moguntinenſem viam, & illam quæ aſſignata jam eſſet mox deflecteretur, à qua diſcedere nulla ratione poſſent. Fruſtra contendendum cum illis videbatur, cum & ad mandata ſua appellarent, & verendum eſſet, ne ad Cæſarem referre vellent, quæ res non parvam moram afferre itineri potuiſſet, id ſolum legatorum noſtrorum monitu nomine Regis ab illis petitum, ne forte fraudi Regi eſſet, quod extra viam ſibi deſignatam deflexiſſet, voluntate illorum id factum, ſcripto fidem facerent, negarunt cum vivos ſe ejus rei teſtes futuros promitterent. De currulibus, & onerariis, ne numero permiſſo comprehenderentur, aſſenſere: id ſolum poſtulantes, ut juxta decretum Francofurtenſe, in tria agmina comitatum partiretur: commeatus difficultatem cauſati; quod tamen alij aliter interpretabantur. Dum per aliquot hoſce dies Nancei hærent, à Duce Lotharingiæ ad filiæ Baptismum, quæ ſub id tempus nata ei fuerat, legati præter Epiſcopum Poſnanienſem reliqui omnes: invitati una cum Reginis matre & Navarrena, Duceq; Alanczonio, Baptiſmo eam exceperunt, regiis Ceremoniis & pompa à Duce adhibitis munera infanti à legatis data. Cum propter moras eas nulla ratione ad diem decimum quintum Decemb. in finibus quemadmodum literis in Poloniam ſcriptis promiſerat Regem eſſe

eſſe poſſe cernerent. Monitu illorum, ad Marſalcum & Theſaurarium regni literas Nanceo dat; quibus moram cum valetudine fratris Regis, tum privatis negotiis ſuis, tum tractationibus, cum delegatis Imperij, ſeu Cæſarei excuſat: ne fruſtra commeatum paratum adhuc habeant: literas de certo Miedzirzeciam adventu ſuo expectent, quas biduo poſtquam de ratione tranſitus per Germaniam, cum de legatis Cæſareis omnino conſtituiſſet, certo miſſurus eſſet: interim Senatores etiam qui ad excipiendum illum deſignati eſſent, ea de re monerent. Eadem de re legati etiam ad Senatum ſcribunt: cum eaſdem cauſas moræ oſtendunt; tum privatas miſſitationes quorundam ex Polonia ad Regem pacata omnia & tranquilla pollicentium accuſant; ob quas minus etiam fortaſſis efficaces preces, rationesq; eorum apud Regem fuerint. In expectatione illa, quo valetudo Regia evaſura eſſet, non parva deliberatio cum de Principe Condæo, tum Baſtardo, ut vocabant Galliæ, ob ſtudia in illos Hugonotorum, vel ſecum in Poloniam ducendis, vel domi relinquendis, ducti tamen Olamonem usq; fuerunt, itidem Lotharingicæ ditionis oppidum, quo viceſimo nono tandem Novemb. ab eodem comitatu Reginis nimirum matre, & Navarrena, fratre Alanczanio, Carolo Duce Lotharingiæ, tribus Cardinalibus Lotharingiæ, Guiſio & Borbonio, frequentibusq; aliis Principibus & univerſa aula deductus fuit. Venit eodem die ad Regem filius Palatini Electoris Chriſtophorus, unaq; cum eo Comes Naſſavius, frater Wilhelmi Ducis Auraniæ, gratus regi adventus Chriſtophori fuit, gratior oratio, qua remonens à Patre rumores de impediendo itinere, per ditionem paternam, à patre ſe ad illum miſſum ſignificabat, patremq; ipſum in itinere eum convenire, ſalutareq; in animo habere. Dum digreſſum à matre de die in diem ibi Rex ducit, interim civitatum etiam aliquot legati, per quas, aut agrum earum, iter faciendum Regi erat, maxime Argentoratenſium, & Hanovienſium Regem ſalutant, adventum gratulantur: pretium commeatus, propter caritatem annonæ, ut vix ſe liberosq; ſuos tolerare poſſent, excuſant, ut ex præſcripto decreti Francofordienſis, omnes ſe gererent petunt.

Ex Polonia vero eodem Nicolaus Koſſobucius, ſcriba terreſtris Plocenſis cum privata legatione à Karnkovio Epiſcopo Cujavienſe, Sluzevio Brzeſtenſe, Dzialinio Culmenſe, Palatinis, Stanislao Krisky Raciaznenſe Caſtellano, cum veniſſet, nullas autem à quoquam ad ipſos Legatos literas haberet, non mediocriter ea res legatos offendit. Auditus à Rege præſentibus legatis, longa oratione, cauſas ob quas præ cæteris ordines Regem eum elegiſſent demonſtrare, oſtendere pericula Regni: tumultus inteſtinos aliquos commemorare, ut iter quam maxime acceleraret, hortari. Ex conſilio legatorum gratiæ Senatoribus illis actæ: oſtenſum ne legatos quidẽ iter quam maxime urgere intermiſiſſe: Simulq; quæ cauſæ moræ fuerint. Motibus qui commemorarentur non adhibere fidem à legatis juſſus, ut quorum nulli quicquam ea de re ex Polonia nunciatum eſſet: de legationibus etiam hujusmodi non rite fieri, quod quæ in communi republica ad omnes pertinerent, pauci ſibi uſurparent. Priusquam Blamone moverent, ſingulis legatis, terna millia Francorum ex munificentia Regis data. Uno die deinde legatis præcedentibus, Rex diem ſubſtitit, quam in valedicendo, matri, ſorori, fratri, cæterisq; amicis inſumeret, tandem multa nocte multis cum lachrymis digreſſi. Rexq; quarta Decemb. ad tabernas Halſaticas ditionis Epiſcopi Argentoratenſis progreſſus ab Epiſcopo obviam illi progreſſo, honeſtiſſime exceptus, inque arcem deductus, alterum etiam diem ibi ſubſtitit. Inde Hanovium, liberam imperij urbem. Rediit eo ad Regem Chriſtophorus filius Electoris Palatini, cum ſexcentorum equitum comitatu, cum quo per ditionem paternam Regem deduceret, ad quem poſtridie Weiſenburgi, Hanovienſis etiam, & Naſſovienſis comites, cum centum circiter equitum comitatu Regi itidem adventum gratulantes ſe adjunxere. Eodem vero à Lithuanicis Senatoribus, ex conventu Vilnenſe, familiaris quidam Chotkievicij præfecti Samogithiæ, cum literis ad Regem venit, quas legatis mox Rex propoſuit, gratias agebant pro benevolentia, per Baſinum ſibi delata, Studium fidemq; indubiam conteſtabantur. Gentem Gallicam, & in ea Andegavenſem ſummis laudibus in cœlum tollunt, decus illud peculiare, quod à primordiis religionis chriſtianæ, non ſolum ſui generis, & ſanguinis Principes, ad hoc usq; tempus ipſi habuerint, verum aliis etiam nobiliſſimis aliquot regnis chriſtianis ut Poloniæ, Ungariæ, Boemiæ, eosdem communicarint, poſtulare non dubitaverint domeſticorumq; Regum deſiderium Gallicæ virtutis admiratione & expectatione lenire. Finium diligentem à ſe curam habitam, mox enim poſt mortem Auguſti firmiſſima in finibus præſidia contra Moſcum à ſe collocata, quorum armis fines defenſi, & hoſtis ad annuas inducias adductus fuerit, nullam alioquin occaſionem, invadendæ Lithuaniæ, ſi nudatam eam præſidio animadvertiſſet, intermiſſurus. De Kyovia, Podlaſiia, Volhinia, paulo ante mortem Auguſti à corpore ſuo abſtractis queruntur, deinceps in communi omnium ordinum conventu repetituros ſe oſtendunt, nunc propterea ejus rei mentionem facere, ut oſtendant, quamvis vires illorum ſeceſſione ea non parum imminutæ fuerint, quod illorum municipiorum ſibi vicinorum virtute, ac viribus, & qui tum etiam ſine comitiali ulla deliberatione parati ſemper erant, ſæpe hoſtes propulſare ſoliti fuerint, nihilo-

minus nunc quoque contendiſſe, ac contendere, ut integram Lithuaniam Regi ſervarent, id unum vereri ne proxima legatio in Moſcoviam, quæ ſine juſſu ac mandato ſuo, certum tempus definire, auſa fuiſſet, quo niſi Rex adeſſet, ſententiã deinde denuo mutaturi eſſent, incommodi aliquid afferet, alteris literis omnia quidem ſe tentare, & vel fortunas ſanguinemq; pro ſalute patriæ dignitateq; regia, paratos eſſe oſtendunt: ſed ope ac præſente ejus auxilio celerrimoq; adventu opus eſſe: jam antea, cum integra omnia ſua tenerent, & fortiſſima tria municipia, conjuncta haberent, ægre tamen ſæpe numero Moſcorum vires ſuſtinuiſſe: & tum ſolum Lithuaniam defendendam habuiſſe: nunc debilitatis etiam Livoniam defendendam eſſe; itaq; conſuleret rebus eorum quam celerrimo adventu: interim ex pacto in ſtipendium militum quod promiſſum eſſet, numerari juberet, hactenus enim promiſſa legatorum nondum apparere. Simul diploma mittunt à primoribus in Senatu & equeſtris ordinis, in conventu eo Vilnenſe ſubſcriptum & ſignatum, quo Gallicæ gentis laudibus ex antiquiſſima memoria repetitis, Electionem Varſavienſem denuo confirmant, quiq; contra eam, quid ſuſcipere aut tentare auderet diris execrationibusq; devovent, & hoſtem publicum declarant. Reſcriptum à Rege humaniſſime gratiæ pro conſtantia illorum actæ: in ſtudio eo confirmati: mora itineris excuſata, adventus quam celerrimus promiſſus, à Rombuleto qui ex Gallia jam ante miſſus fuerat, quadraginta millia Francorum, in ſubſidium illis interim delegata, iisdem fere de rebus ad Senatum etiam Regni literæ datæ; tum diligentiſſime mora iis excuſata, cauſæq; ejus demonſtratæ. Tarnovius etiam accuſatus, qui præter voluntatem ordinum, de novis comitiis Moſco promiſiſſet. Weiſenburgo cum Landaviam Rex veniſſet conſilium tam Principum Gallorum quam legatorum noſtrorum, de Palatino Rheni Electore conveniendo habuit. Is cum ultro antea & ſtudium ſummum, & ipſe ſe ad Regem in itinere venturum per filium obtuliſſet, poſtea ſecretario ſine ullis literis miſſo, valetudine excuſabat. Rex Galliq; omnes ſummopere ut eum Rex conveniret, cupiebant: quod & Rex diſerte id fratrem à ſe contendiſſe oſtenderet, plurimumq; univerſæ Galliæ ob avertenda auxilia Germanica, quę ipſo maxime autore Hugonottis frequenter ſubmittebantur, ut eum ipſe videret intereſſe exiſtimaret: alij etiam Principes Galli magnam rem patriæ ſuæ in eo agi demonſtrarent. Noſtri diſſuadebant, quod non ex dignitate Regis ſatis eſſe arbitrarentur, ut Principis alicujus viſendi cauſa ex via deflecteret: & propter exules Gallos, qui frequenter apud Palatinum verſabantur, interq; alios Amiralij cæſi filius major natu, non ſatis eſſe tutum, itaque ut vel omnino conſilium id intermitterent, rogabant, vel quam cautiſſimè omnibusq; rebus prius exploratis eo progrederetur. Rex ſui Principumque Gallorum animi ſententiam ſecutus, cum per Chriſtophorum filium ejus, adventum ſuum prius ei denunciaſſet, Spiram mox deflectit, ubi ab Epiſcopo quidem urbis introductus, ab armata autem civitate, & cum tormentis, tum aliis omnibus rebus, quaſi ad pugnam inſtructa cum Plateas ferreis catenis clauſiſſent exceptus fuit.

Heidelbergam inde ingratus hoſpes venit, præter eum comitatum, qui cum filio Chriſtophoro eum deducebat, nullus ei obviam miſſus, & in arce nullus excipiendi ejus cauſa progreſſus. Itaque cænaculo ei demonſtrato, in quo Palatinus decumbebat, ibi & ipſum & conjugem, & Gynæceum ſalutavit. In quo Borbonia Monpenſierienſis, propinqua ipſius, ex monaſterio profuga imprimis inviſa. Colloquium ad effigiem Admiralij in Gallia cæſi illi datum, pungentibus paſſim verſibus, quibus ſævitia Gallica notaretur, inſcripti. Fuit tamen per duas noctes integrumq; fere diem, remotis arbitris, inter ſe collocuti fuere; Caſu autem accidit, ut ipſo Rege præſente literæ ejus, quibus Palatinum ad Coronationem invitabat ex Polonia miſſæ Palatino redderentur. Immunitatem boum ex Polonia agendorum à Rege petens, quod ſigillum Regni nondum in poteſtate Rex haberet, dilatus. Cæteroquin & ipſi, & conjugi, filiæq; & filio, munera à diſcedente data: Monpenſieriæ etiam illi, quæ monialis quondam fuerat; cui dotem etiam nupturæ promiſiſſe ferebatur, miniſtris etiam ſeu concionatoribus Palatinalibus eum ſalutantibus, non modo manum non dedignatus fuit, ſed inter illos quoque munera aliqua juſſu ejus diſtributa. Moguntiæ ab Archiepiſcopo, & ſplendide & humaniſſime exceptus, dum per Rhenum comitatus traduceretur, per duas etiam noctes ſubſtitit. Inde Francofurtum ſummam ibi civium humanitatem expertus, eoq; majorem, quod civibus ſuis, qui in Polonia negotia haberent, quam maxime benignitatem Regiam conciliatam cuperent, ab exulibus Gallis, quorum plena tum civitas nõ extra periculum fuit, quorum cõſpiratio, cum ſub adventum Regium, non obſcuris indiciis ad magiſtratum delatis, uno atq; altero capto ſuppreſſa fuiſſet, præſente jam in urbe Rege denuo erupit.

Aulicis miniſtrisq; Gallicis immixti, aliquot locis urbem incendere conſpiraſſe ferebantur, eo conſilio, ut multitudine Regios autores incendij ejus exiſtimante, omnes ab irritato populo cæderentur, quæ res per quæſtiones certo à magiſtratu cognita, & ſi ex inſtituto celabatur, cum tamen non paucis in cuſtodiam conjectis, vulgata ad legatos etiam promanaſſet, illique de periculo Regio ſolliciti, ut nullam ibi moram faceret ab eo petiiſſent, Rex omnium nihilominus rerũ ſecurus, non modo per biduum adhuc ibi ſubſtitit,

ſed amœnitate urbis, & varietate mercium captus, à prandio ut plurimum, cum uno atq; altero lectica clauſa per urbem vehebatur, ad mercatores aliquot privatos, tum in Judæorum etiam oppidum, inſignioris vel auri, aut argenti, aut aliorum rararum mercium ſpectandarum cauſa deſcendebat, ternis inde itineribus, XXIII. Decemb. Fuldam inde venit, ibiq; ab Abbate Fuldenſe liberaliſſime acceptus; natalitia Feſta ad diem XXVII. Decemb. usq; religioni opera data. Cum Fuldæ autem, tum ante etiam in itinere eo, aliquot ex Polonia nuntij ad eum pervenere, pleriq; quidem privati, maxime Karnkovij Epiſcopi Cujavienſis. Fuldæ vero, nobilis quidam Gallus miniſter Rambuleti legati in Polonia Regis, quem præſentibus legatis, quæ ex Polonia attuliſſet exponere Rex voluit. Narrabat is cum Cracoviam veniſſet, ſub idem tempus conventum plerorumq; Senatorum ibi fuiſſe. Veniſſe ad Conventum eum Chotkievicium præfectum Samogitiæ: oſtendiſſe certis indiciis ordines Lithuaniæ compertum habere, Moſcum maximis copiis, & triplici adeo exercitu Lithuaniam petere, quorum cum uno ipſe Poloniam contenderet, alterum cum filio Vitepciam mitteret; Tertium Magno Regis Daniæ fratre, Duce in Livoniam. Quod hujusmodi literas Rambuletus à Rege attuliſſet, ut ſi quid gravius, quod ad rempub. pertineret incidiſſet, cum illo omnibus de rebus communicarent, in Senatum qui de auxilio, quod à Chotkievicio petebatur Lithuanis ferendo habitus fuiſſet, accerſitum fuiſſe: præſens periculum & inopiam auxilij abſente Rege ei demonſtratum quod neque nobilitas ſine Rege præter jus publicum libertatemq; ſuam moveri ſe paſſura eſſet, neq; tributum ſine omnium ordinum autoritate, qui neq; facile, neque cito abſente præſertim Rege convenire poſſent induci, accuſaſſe tam diuturnam abſentiam Regiam: Ex promiſſis Varſavienſibus oratorum Regiorum pecuniarium interim ſubſidium ab illo, quem mandata de hujusmodi rebus habere litteræ Regiæ indicarent, petiiſſe: Rambuletum, cauſis moræ Regiæ demonſtratis, de promiſſis oratorum ne minimum quidem dubitare eos juſſiſſe: Verum cum & de induciis annuis cum Moſcho confirmatum Regi fuiſſet, ab aliis etiam finitimis, omnia pacata nunciata fuiſſent, neq; Regi in mentem veniſſe quicquam de hujusmodi ſubſidiis ſibi mandare, neq; ſe ſine mandato Regio quicquam recipere poſſe: Itaque ut potius id tributum, quod in Comitiis electionis ordines ſciviſſent, in ſubſidium id converterent autorem fuiſſe: Verum cum id in alios uſus reipublicæ jam expenſum ſignificaſſent, adduci paſſum ſe fuiſſe, ut decem millia florenorum Chodkievicio numeraret, ex quo miles, vel ad adventum usque Regis, in finibus aliquis haberetur.

Cæteroquin in maxima & expectatione & deſiderio adventũ Regium apud omnes eſſe, reliqua etiam omnia pacata. Gedanenſes quam primum Koſtka Caſtellanus Gedanenſis militem quem in vicinia habuerat dimiſiſſet, ipſos etiam quem ipſi ſcripſerant, mox dimiſiſſe, cauſatos non ſeditionis alicujus, ſed ob ſolum metum à Daniæ Rege, ut interregni tempore, coactum à ſe fuiſſe, paratamq; legationem habere, qua advenienti Regi ſe fidem obſequiaq; ſua deferant. Cum à Ruſſiæ etiam, tum aliis omnibus finibus tranquilla pacataq; omnia nunciari. Vinum ut cum ad confirmandos hominum animos, tum nuntium de propinquo adventu regio, idem in Poloniam remitteretur.

Verum Vachani legatio ea dilata, quo viceſimo octavo Decemb. Rex pervenit: à Wilhelmo Landgravio Haſſiæ, cujus ditionis oppidum illud eſt, cum ſexcentorum equitum ſatis ornato comitatu obviam illi progreſſo, neceſſitudinemq; deceſſorum ejus Regum Poloniæ maxime autem Caſimiri, qui ex domo Haſſiaca uxorem habuiſſet commemorante, ſtudiumq; ſuum prolixe ei deferente, honorifice exceptus venit, lauteque habitus fuit. Inde igitur in Poloniam is remiſſus, ſimul nomina Principum & primariorum Gallorum, qui cum Rege venirent ſecum attulit. Primi quaſi ex hiſce erant, Dux Mænius, & hic quidem ex inſtituto eo conſilio, ut ſi matrimonium urgeretur, in Regis locum ſubderetur: Marchio de Bonff, uterque Guiſius: Gonzaga Dux Nivernenſis: Marſalcus de Keiſs. Albertus de Condi: tum à Galliæ Rege legatus Bellevius Cancellarius Bibracius, priusquam Vacha moveret Sophia ſoror Auguſti, qui Henrico Brunsvicenſi Duci nupta fuerat, ſeu jus potius ſucceſſionis ipſius cum Regi ipſi, tum legatis noſtris, diligentiſſime à Landgravio commendatum fuit, tota res ad autoritatem omnium ordinum, jus publicum regni æquitatemq; rejecta. Vacha viceſimo ſexto itinere ad fines regni ſeu Miedzirzeciam pervenit. Nam cum quod & Galliam ſubinde reſpectaret, & in Germania plæraque ſuſpecta haberet, non valde iter maturaret. Ratione itineris ea fere utebatur, ut invia carpento veheretur, oppida eques ingrederetur. Marſalci loco per Germaniam Caſpar Schonbergius aulæ præerat, quemadmodum autem commeatu Francofurt. & poſtea Cæſareo præſcriptum fuerat, equitatus Gallicus ſparſim ibat. Itaq; cum præteriret, non ſatis magnus eſſe Germaniæ Principibus, quorum fines attingebantur inſtructo cum equitatu eum excipientibus minus ſpecioſus videbatur, peditatum tamen ex Helvetiis eo præſtantiorem habebat. Cum per ditionem Sax. Halam verſus iret, Joan. Caſimirus Palat. Rheni qui à Marchione Brandeburg. Achiepiſcopatus Magdeburgenſ. adminiſtratore redibat, ei occurrit, regreſſusq; cum eo, Halam eum deducit, in itinere de familia Brandeburgica, propter Pruſſiæ beneficium, quod à Polonia habet, conſultatum quomodo tractanda eſſet, probatum, ut propter dignitatem autoritatemq; in Germaniæ familiis non poſtremam non minore cum dignitate, quam alij Germaniæ Principes haberentur. Saxoniæ elector Auguſtus ad colloquiũ invitatus, decreto impe. ut per oppida duceretur, excuſare, itaq; Torgam recta, inde Torga Lukam Luſatienſe Cæſareæ ditionis oppidum, ubi à Duce Brigenſi & nobilitate Sileſiaca, cum mille quingentorum circiter equitum comitatu, ſplendidiſſime tandem nomine Cæſaris exceptus fuit. Sub idem autem fere tempus, Lesnowolſcius etiam, cum literis à Cæſare redierat; quibus manu ſua, linguá Hiſpanica ad Regem ſcriptis prolixe omnia Regi deferebat, quæ utraq; non parva cura noſtros liberarunt, cum eousq; & amicitia & ditiones Cæſareæ ſuſpectæ illis fuiſſent. Jam ante Joannes etiam Zborovius & Ramboletus, adventum Regis urgentes, in itinere ex Polonia ad Regem redierant. Francofurto quo ex Cæſarea ditione egreſſus venerat, ab equitatu Brandeburgico Electorali, tridui itinere ad fines usque Regni deductus fuit. Ad quos poſtquam pervenerant, delegati qui cum equitatu ad deducendum eum ab Electore miſſi fuerant, nomine Principis ſui, omnia fauſta illi precati, ſtudioq; ejus erga Regem & regnum conteſtato, ut eandem erga ipſum etiam benevolentiam retineret, petierunt quam primum retrocedere cœperunt, qui ab ordinibus regni ad excipiendum Regem legati fuerant, in iisdemq; finibus Regem jam expectabant, mox ad eum acceſſerant. Præter Joannem Sirakovium autem Lancicienſem, & Joannem de Dzialin Culmenſem Palatinos, omnes reliqui qui delegati fuerant, convenerunt Stanislaus Karnkovius Epiſc. Wladislavienſis, Joannes Sluzevius Brzeſtenſis, Joannes Krotkovius Inowladislavienſis, Anſelmus Goſtomſcius Ravenſ. Palatini: Joannes Koſtka Caſtellanus Gedanenſis, Andreas Opalenſcius curiæ regni Marſalcus. Hi cum uno atq; altero die ante Miedzirecij conveniſſent. Opalenſcius in oppidum Solencz pridie quam Miedzirzeciam, aut fines regni Rex ingrederetur, literis regiis evocatus fuit, cum quo de ratione ingreſſus in regnum tanquam Marſalco communicaret. Ibidem vero ipſi etiam Senatores, cum de ratione ſalutandi excipiendiq; Regis, conſilio inter ſe habito conſtituerant, tum ut monetæ Gallicæ quam Rex, aut qui cum Rege eſſent, in regnum inferrent, ad comitia usq; is valor, edictis publicis vulgaretur, quo in Gallia eſſet, cum Rex, ſi quid detrimenti ea ex re quis caperet, præſtiturum ſe id recepiſſet. Pax item publica, ut ex edicto Varſavienſi, à Marſalco per præconem publicanda curaretur: contra quam ſi quid à Gallo aliquid committeretur, ut Marſalcus Regni, re cum Marſalco Gallico communicata, uterque jus de eo dicerent, & comitatus Senatorum, aliorumve eo ordine ingrederentur, quo ipſi Senatores: tum ut cum ad Regem vel prandentem, vel alterius officij cauſa convenirent, Gallis tanquam hoſpitibus dextera pars permitteretur, noſtri levam tenerent, aliisq; non multis de rebus. Ex Senatus igitur conſulto, poſtquam ſuo quisque ordine manum Regiam oſculati fuiſſent, Stanislaus Karnkovius Epiſcopus Wladislavienſis, longam ad Regem orationem habuit, qua tota regia Electione commemorata, eademq; in tria tempora partita, in ipſam nimirum renunciationem, unumq; quod electionem præceſſiſſet, alterum quod ſubſecutum fuiſſet, qua omnibus illis temporibus, & ordinum erga Regem ſtudij, & divinæ voluntatis ſignificatio fuerit, quæque viciſſim ordines ab illo expectarent, cum demonſtraſſet, ad extremum fauſtiſſimis quibusque ominibus ac votis progredi eum juſſit. Reſponſum à Rege per Bibrachium, poſtea equo conſcenſo, comitatus Senatorum transgredientes ſpectavit.

Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, literis regiis accerſitus Opalenſcius, ultra fines jam obviam progreſſus illi fuerat: Satis inſtructum hic equitatum habebat: aliorum ſenatorum qui in finibus convenerant, non ſatis ornati, tum frigora, quo longius à Gallia verſus Poloniam progrederentur intenſiora, oppida in finibus minuta & anguſta, diverſoria incommodiſſima, animos Regis Gallorumque quaſi dejiciebant.

Verum dimidio fere à Miedzirecia miliari, Stanislaus Gorkanus, compluresq; ex nobilitate majoris Poloniæ, qui ex inſtituto remanſerant, cum ſplendidiſſimo ſexcentorum circiter equitum comitatu Regem excipientes: tum in itinere aliorum Senatorum equitum præſtantior equitatus: ad Poſnaniam autem Andreas Gorkanus, aliiq; pleriq; majoris Poloniæ Senatores, cum trium millium circiter equitum ſplendidiſſime inſtructorum numero ei occurrentes, tum non minus ipſa etiam Poſnania, quo tertio poſtea itinere Miedzirecia perventum, cum ſplendore tam ſacrorum, publicorumque, quam privatorum ædificiorum, quam ipſorum civium elegantia, ornati pedites obviam progreſſi illi fuerant, non parum rurſus eos recrearant; claves Czarnkovius Posnanienſis & majoris Poloniæ Præfectus, tanquam Regi legitime electo, & legitime mox coronando, obtulit. Jam Miedzirecij autem, & cum ob infrequentiam Senatorum res dilata fuiſſet, & poſtea in itinere de certo tempore coronationis conſultatũ à Rege cum Senatoribus fuit, ante autẽ à minoris Polon. Senatorib[9] dies 21. Feb. propoſita fuerat, referebat igitur per Opalenſcium Rex ad Senatores qui cum illo erant, ſi eundem diem ipſi quoq; acciperẽt

ut per præconem Marſalcus eum publicaret, majores Poloni,& minorum Polonorum quaſi præjudicium illud moleſte ferebant, ut maxime autem dies ea accipienda eſſet, non Regio nomine per Marſalcum, ſed communicato conſilio Senatus nomine edicendam: cum ante inaugurationem, nihil juris aut imperij uſurpare Rex poſſet imprimis Stanislao Karnkovio Vladislavienſe Epiſcopo in ſententiam eam incumbente, quæ ſententia Senatorum, cum per Palatinum Siradienſem Laſcium, ut putabatur enunciata è conſilio Regi fuiſſet non ſine offenſione accepta ab eo fuit, poſteaque poſtridieque Posnaniam veniſſet, juſſu ejus Opalenſcius per præconem Poſnanienſem diem XXI. Coronationis Regiæ publicandum curavit, qua de re cum alij Senatores cum illo expoſtulaſſent, mandatum Regium conſenſumq; minoris Poloniæ obtendit. Ut in re affecta ex ſententia Karnkovij eo tamen decurſum, ut quisque Palatinus in ſuo Palatinatu edictis propoſitis, denuo eandem diem nobilitati indicerent. Poſnaniæ triduo quieti dato Calendis Feb. Cracoviam verſus movit, quo decimo octavo ejusdem menſis pervenit. Prima die Kurnikij apud Stanislaum Gorkanum pernoctavit; Splendidiſſime omnibus rebus ab illo acceptus, in itinere publico ſumptu lautia præbita. Cum tributum quod Comitiis Electionis decretum fuerat, in lautia Regia major Polonia convertiſſet. Cumq; via Regia per Pizdri, Caliſſiam, Vielunum Cracoviam iret, ex ſingulis municipiis quotidie fere ſumptu ac ſplendore inter ſe certantes, cum Senatorum, tam equitum comitatus illi occurrebant. Pridie ingreſſus à Palatino Cracovienſe,& Marſalco Regni Fierleio, Balicij prædio Firleiorum, ſplendide exceptus fuit. Convenerant jam Cracoviam, tanquam ad Comitia Coronationis omnes fere, cum Regni tum Magni Ducatus Lithuaniæ, ac cæterarum partium Senatores, legati etiam nobilitatis è ſingulis municipiis delecti qui omnes quam ornatiſſime inſtructi, certatim Regi obviam progreſſi, in campo eum præſtolabantur. Secundum hos cives etiam Cracovienſes pedites, ſatis ipſi etiam eleganter inſtructi, Senatores globo inter ſe facto conſtituerant, ad quos poſtquam modico intervallo Rex acceſſiſſet, equo deſcendit, inde ſuo quisq; loco Senator manum ejus de more oſculatus fuit, qua ſalutatione à ſingulis peracta, omnium nomine Petrus Miskowsky, Epiſcopus tum Plocenſis verba ad eum fecit. Reſpondit Rex per Bibrachium: Aula Auguſti olim Regis peculiari etiam agmine inter ſe facto, obviam progreſſa Regi fuerat, à Marſ. Regi demonſtrati, commendatiq; fuerunt. Poſtea civitatum Cracovienſium, & Academicorum ſalutationes ad ſecundam fere horam noctis, ingreſſum in arcem Regis retardarunt, ubi in ipſo templi aditu à Valentino Debinſcio Decano, nomine univerſi collegij Canonicorum ſalutatus, ad majus deinde altare ductus, imprimis crucem cum reliquiis, inde caput ipſum D. Stanislai ab Archiepiſcopo ei porrecta oſculatus, hymno peracto infantem quæ è regione templi diverſabatur convenit, ſatisq; magna cum honoris teſtificatione ſalutavit, paucisq; verbis commutatis, tandem quarta fere hora noctis in cænaculum ſuum demum ſe recepit. Ut in tanta autem hominum ex univerſo Regno frequentia, & ſua ſponte maxima diverſoriorum difficultas eſſet, & à Firleio nolente Gallos Poloniæ aſſuefieri, ex inſtituto opera data erat, ut vel nulla diverſoria haberent, vel incommodiſſime diverſarentur. Inopia igitur diverſoriorum in ipſam arcem à Rege recepti, omnia fere cænacula occuparunt. Cellarium etiam Regium lectiſſimum ab Auguſto adhuc, & nonnullis ſuperioribus Regibus præſtantiſſimis & nonnullis longe petitis vinis inſtructum, aliorum vinorum inopia, ab initio mox in turbam ipſam direptum fuit. Prima poſt adventum Regium inter Legatos nobilitatis, cum de ratione Regem ſalutandi, tum maxime de confirmationibus ante coronationem ab eo exigendis deliberatio fuit. Delectus à Belzenſibus ad comitia hæc coronationis legatus, abſens in Gallia Zamoiſcius fuerat. Is igitur & legatis nobilitatis maxime autor eſſe; ut more Pariſienſe ante coronationem confirmanda à Rege omnia curarent, & à Collegio legatorum delectus, ad Senatum, eadem de re verba fecit, reclamatum à Gallis: maxime Bibracio, moram ſaltem injici clamante, prolixeq; promittente, non modo atramento, ſed vel ſanguine, ſi opus ſit, mox poſt coronationem Regem omnia confirmaturum. Ad hoc cum pridie diei, quæ coronationi dicta erat Senatus conveniſſet, Abrahamus Szonſcius, nobilis imprimis, & clarus eques Polonus, in pleno Senatu, inclamare Archiepiſcopum cœpit flagrare domum ejus. Cum Archiepiſcopus ad familiam quæ incendium reſtingueret invocandam ſe proripuiſſet, ſiſtere eum pauliſper jubet, non hujusmodi ſe incendium denunciare, quod ea operâ ad reſtinguendum opus haberet: ſed quo non modo ejus, ſed omnium, & publica quaſi univerſæ reipublicæ domus conflagraret, per tantum temporis ſine Rege, ſine lege nos fuiſſe: multa injuſte: multa violenter, contra fas, cum publice tum privatim perpetrata: cui incendio quaſi publico, nulla alia res, quam legitimum imperium Regis, legitime jam electi mederi poſſet, neq; tamen deeſſe in utroq; ordine, qui non modo impedire coronationem velint, ſed minis etiam alios deterrere non dubitent. Juſſus autorem minarum nominare, publicam famam appellabat. Præterquam igitur, quod ultra in aſſentationem omnes ruerent, hujusmodi etiam partim vocibus, partim

incommodorum metu impulſi, ut die dicta poſtridie nimirum, confirmationibus ante non exactis, inaugurauretur, alij decernunt, alij aſſentiuntur. Simul igitur legatis etiam viſum, ut prius ipſi etiam Regem ſalutarent, adventumq; ei gratularentur. Marſalcatus iis comitiis nobilitatis penes Lithuanos erat, è quibus Agrippa ad munus id delectus, cum non ſatis idoneus orator exiſtimaretur, Stanislao Czarnkovio, partes eæ delegatæ, Oratio hujus in explicando ſtatuto Caſimiriano, de dignitatibus conferendis tota fere verſari. Cum animis igitur hominum tum omnibus rebus ad inaugurationem præparatis ſtatuta die XXI. nimis Februarij ſolenni inſtituto, & cæremoniis in ſummo templo arcis Cracovienſis ab Archiepiſcopo tum Gnesnenſe Jacobo Uchanſcio, in Regem inunctus inauguratusque & corona aliisq; inſignibus regni indutus fuit.

Poſtulabat nobilitas autore Zamoiſcio, & exemplo in Vladislai coronatione introducto, nobilitatem, an coronari Regem juberet, Marſalcus prius interrogaret, maxime in ipſo juramento, inter Catholicos ſeu eccleſiaſticos, & diverſæ religionis homines, non levis controverſia, & ex ea in ipſo templo tumultus fere ortus: cum Epiſcopi formam juramenti Pariſienſis mutare quibusdam in rebus vellent. Pervicerunt qui à Senatu & equeſtri ordine cuſtodes juramento exigendo adjuncti fuerunt. Itaq; quam primum Marſalcus ex forma juramentum præſtitum pronunciaſſet, turba omnis mox etiam conquievit. Legationes coronationi illi externæ ſatis frequentes interfuere, Pontificia, Cæſarea, Gallica, aliorumq; plærorumq; Principum. Altera poſt coronationem die, inſtituto vetere, in foro Cracovienſe, ſolio ad eam rem præparato, magiſtratus Civitasq; Cracovienſis, homagium ei præſtitit. Ibidemq; de more equites etiam, atq; inſigniores aliquot ab eo cincti; edicto antea, quo qui fiduciam virtutis ſuæ haberet, invitabatur, publice propoſito. Coronatione peracta, Legati nobilitatis de confirmationibus, quam primum iterum agere incipiunt, imprimis Zamoiſcio hanc in rem incumbente, qui & levitatis opinionem vitandam diſputabat, neve rebus hiſce tam facile infectis, feneſtraq; ſemel patefacta, omnia pari facilitate tollere Reges aſueſcerent. Accedebat huc juramentum Regis Pariſiis jam ſemel in conditiones eas præſtitum: conditionum plærarumq; inſignis utilitas: aliarum minus utilium, ſuo tempore abrogandarum ſpes. Diſcordia inde inter legatos; Palatinatibus plerisq; Maſoviæ, & maxime Koſobutio Maſovitico Legato, Karnkovio Epiſcopo Vladislavienſe autore, conditiones Regi propoſitas, quas articulos vulgo vocabant, ratas non habentibus: aliis è contra, maxime diverſæ religionis hominibus, qui quo magis eæ res in dubium vocarentur, eo in majorem metum adducebantur, dimoveri ſe ab iis non patientibus. In Senatu minus controverſię, aſſentationis plus erat. Imprimis Epiſcopi libertate diverſarum religionum, veræ religionis libertatem, vel omnino opprimi, vel in graviſſimum periculum adduci, non immerito indigne ferentes, alij etiam Regi gratificantes, quod ſcitis illis Varſavienſibus, de imperio & dignitate Regia diminuebatur, quanto maxime poterant ſtudio eis ſe opponebant. Imprimis Karnkovio rationes earum inficiendarum proponente, quod tertio ordine Rege nimirum nullo tum exiſtente, altero autem eccleſiaſtico nimirum integro contradicente, neque ſuo loco aut tempore lata vim legum habere non poſſent. Aliorum honores petentium ambitio, ſtudia oſtentant ſe Regi eo magis incitabat. Potiſſimum tum inter Zborovios & Thencinios, cum quibus Fierlei & Mielecius conjuncti, æmulationes erant, utrosque potentes: utrosque gratiam Regis aucupantes.

Dum autem hiſce de rebus, tam in collegio Legatorum, quam in ſenatu diſputabatur intervenit caſus, qui & multorum magnorum motuum in Polonia poſtea cauſa extitit, & animos utriusq; partis jam ante inflammatos, magis etiam incendit. Samuel Zborovius juvenis & genere & opibus & annis & ex iis animo ferox, cum diem ingreſſus regij prævertere non potuiſſet, poſtea feſtivitate dierum Saturnaliorum, in quos coronatio inciderat, uſus cum equitatu ſuo, quem omnium cum admiratione elegantiſſime ſplendidiſſimeque ornatum habebat, in arcem venit, ſpectandumq; ſe Regi ſtetit. Ex arce diſcedens, haſtam publico in loco in area arcis defigit: Præconio addito, qui pro ſalute Regis ſe devovere, concurrereq; cum illo vellet, eam tolleret. Sublata haſta fuit, ab homine quidem ut ferebatur militari, ſed obſcuro Charuato quodam, qui in familia Thencinij Caſtellani tum Voinicenſis erat, cujus ut hominis externi & tenuis humilitatem in ſuum contemptum Zborovius interpretatus, remq; à Thencinio inſtructam ſuſpicatus, queſtusq; ea de re apud fratres, per eosdem Thencinium appellandum cura illi negare ſuo ſcitu, aut juſſu factum. Poſtulare inde Zborovij, mandaret familiari, illi ſuo ut haſtam eam in locum ex quo eam acceperat referret. Thencinius operam ſuam polliceri: hominem tamen liberum, & quamvis tenuem tamen in militia ab ineunte ætate verſatum, ac gloriæ militaris cupidum non in ſua poteſtate eſſe, oſtendere. Agit nihilominus diligenter cum eo Thencinius: Poſtquam nulla ratione adducere eo illum poteſt. Zborovius iram in Thencinium vertit: Biduoque interjecto, circa horam viceſimam ſecundam, qua Rex de more Senatu egredi ſoleret, cum comitatu armato, armatus in arcem venit.

Præter conſuetudinem tum Rex in Senatu adhuc erat: itaq; fratres ſuos Andream, qui gladifer tum erat, & Chriſtophorum Zborovium, in Senatum ad Thenciniummittit, qui ejus verbis ad certamen cum eo illum provocarent. Thencinius conteſtatus nihil in injuriam ejus unquam à ſe ſuſceptum: cum tamen tantopere negotium ſibi cum illo eſſe cuperet, paratum ſe eſſe illi ſiſtere: fratreq; Andrea Thencinio, Caſtellano tum Belzenſe, & propinquo Andrea Vapovio Przemislienſe Caſtellano aſſumptis, ut ipſe etiam ſe armaret, mox è Senatu egreditur. Ex arce digredientem, iterum Zborovius inclamat. Ille ſi vel mox in armis cum inermi congredi vellet paratum ſe eſſe oſtendere: ſin armatus Zborovius concurrere vellet, ſibi etiam arma induenda, aſſentitur Zborovius, expectaturumq; ibi ſe illum conſtituit. Etſi ſemotis arbitris acta in ſenatu res fuerat, fieri tamen non potuit, quin & ex vehementia geſtuum, & orationis, cum à Senatu, tum Rege ipſo animadverteretur, itaq; monitus à Senatoribus Rex, cum ſua etiam ſponte periculoſam inter potentes familias contentionem futuram exiſtimaret, Andream Opalenſcium curiæ Marſalcum, qui certamen cohiberet miſit; Hic cum verbis Regis primum Zborovio, ut certamine intermiſſo, quam primum ex arce diſcederet mandaſſet, deinde ad Thecinium etiam, ne in arcem veniret miſiſſet, à neutro paritum fuit; cum uterq; ſummo cum dedecore ſuo futurum interpretaretur, ſi vel mandato Regio ad actus alteri cederet. Cum ad viceſimam quartam circiter horam Zborovius in interiore arce expectaſſet, jamq; ex arce recipere ſe vellet, Thencinius cum ſuo comitatu in arcem venit, ſubq; ipſam interioris arcis portam, inter templum & domum præfecti, in qua Reginula Anna tum verſabatur, in Zborovium incidit; qui cum mox illi exprobraſſet, quod contra fidem datam ſe non ſtetiſſet, Thencinius autem, quam primum parare ſe potuiſſet, ſtetiſſe ſe eum argueret, utrinq; ad arma mox prorumpunt, interjicit ſe inter illos Andreas Vapovius, qui dum certamen dirimere conatur, à Zborovio ſeu familiaribus ut ferebatur ipſius, aliquot graviſſimis vulneribus conciſus, ad extremum clava etiam aliquot illi in capite vulnera inflixa: ſimul familiaris Thencinij Laſo, dum ſimiliter turbam ſedat, vulneratur; Ex Zborovij parte, nullus vulneratus fuit. Tumultu hoc ex clamore ipſo cognito, nullus in arce, aut per porticus erat, qui non arma ſtringeret, cumq; aliis permiſceretur, infinita autem hominum multitudo in arce tum adhuc erat, quod Senatores nondum ex arce digreſſi fuiſſent, omneſq; illorum comitatus eos adhuc obſervarent. Itaq; miraculo à plerisq; tributum, quod in tanta turba, qualem in Polonia nemo meminiſſet, plures læſi non fuiſſent; eoq; magis, quod nullus ex Senatoribus, nullus ex magiſtratibus extitiſſet, qui turbæ illi ſe immiſcere, & vel autoritate, vel imperio ſedare eam auſus fuiſſet; ſed quisque ſuo angulo ſe tenens loco ſibi caveret. Rex incænaculum ſuum jam ſe contulerat, per Gallos aliquos, tumultu eo cognito, cum forte eo die gravis in Senatu de juramento ejus, & confirmationibus, inter ipſos Senatores, alios formulas confirmationum Pariſienſium exigentes, alios Regem iis liberantes contentio fuiſſet, eademq; ad legatos etiam nobilitatis promanaſſet, à Gallis autem ignaris quid ageretur, Catholicos cum Evangelicis pugnare ei nunciaretur, imaginem quandam Pariſienſis cædis expectabat. Itaq; omnibus Gallis, qui in arce eſſent convocatis armatisque, hortatur, ut quodcunq; futurum eſſet commune periculum omnes ducerent, globo illorum ſeptus, armatus ipſe etiam præſente animo eventum rei expectabat. Itaq; inſtructus, à Senatoribus aliquot, qui poſtquam ex tumultu eo ſe collegerant, ad Regem mox concurrerent, inventus dicebatur. Zborovius re ad eum modum peracta non diu in arce moratus, mox ſe recepit Thencinij cum cruento Vapovio mox in arcem adque ipſum Regem irrumpunt. Vapovius Senator regni ſanguine totus perfuſus, injuriam ſuam oculis ipſius Regis ſubjecit. Rex etſi dolorem non mediocrem ex caſu eo percipiebat, quod tamen tempus ipſum, nocturnum jam ſuadebat, in aliud tempus cognitionem differt. Cumque rumore quodam perlatum in arcem fuiſſet, Zborovium in vico Caſtrenſe per quem eundem Thenciniis erat, ad excipiendos eos agmen inſtructum habere, Rex miſſo Chotkievicio præfecto Samogithiæ, Ducatusq; Lithuaniæ tum Marſalco, ut pacate ad cognitionem usq; Regis cum omnibus ſe gereret ei mandat: ferebatur, ut ſponſione eum obligaret Chotkievicio mandaſſe: Chotkievicium qui ſororem ejus germanam in matrimonio haberet, affinitati id condonaſſe: ex loco tum eo illum deduxit. Similiter Thenciniis & Vapovio, ut nihil vel hoſtile ſuſciperent, vel hoſtilitatis cauſam darent, ſub fide & honore mandatum. Usq; ad tertiam tamen fere horam noctis, non ceſſare homines armati, hinc & inde inter urbem & arcem, non modo agminibus integris, ſed acie fere inſtructa commeare, non ſine ſumma omnium admiratione, quod ſine ſanguine & cæde nox ea peracta fuiſſet. Aliquot poſt diebus per Marſalcum Regni Firleium dies partibus apud Regem dicta. Vapovius morti jam vicinus cum ipſe in judicio adeſſe non poſſet, Thencinij & ſuam & ipſius injuriam proponunt: Zborovium graviſſime accuſant. Zborovius primum ipſe reſpondet, & innocentem ſe demonſtrare conatur: Deinde ſcriptum ejus nomine Caſtellanus Miedzirzecenſis Andreas Gorkanus recitat; quo tamen magis ad gratiam, ac miſericordiam Regiam confugiebat, quam cauſæ fidere videbatur. Multis ultro citroq; verbis commuta-

tis, in aliud tempus cauſam Rex differt, per negligentiam, ſeu in advertentiam quod plериq; requirebant, ſponſione judicio ſiſtendi non exacta. Interim Vapovius moritur, uxor cum Thenciniis aliisq; propinquis, corpus in arcem deferunt: juſtitiam Regis fletibus, ac lachrymis quam maxime miſerabiliter implorant. Primum quod juris eſt poſtulantibus illis, qui vulnera inſpicerent, miſſi poſtea die partibus dicta, Zborovius ipſe non ſtetit: fratres ac propinqui defenſionem ejus ſuſcipiunt, ne ipſi quidem procuratores, cum in omnes partes ſe verſarent, quomodo cauſam eam tutarentur, habebant, multo major in Senatu difficultas, poſtquam ſententiæ dici cœptæ, erat. Qui integri nulliq; parti addicti erant, ſtatutum Sigismundanum urgebant, quo cædes quocunque loco ex inſidiis, in comitiis autem quocunq; modo vel fortuito perpetrata in præſente, capitis pœna, in profugo aut in jure non comparenti, exilio, publicatione bonorum, & infamia punitur. Qui Zborovianarum partium erant, qui imprimis potentes tum in Senatu erant, mirifice cùm jus, tum ſententias ſuas torquere: omnes tamen fere petere, ut alia potius pœna aliqua, quam ſtatuti Sigismundani puniretur: vel ad certi temporis & numeri militiam contra Barbaros in Podoliæ finibus damnaretur, vel ad carcerem aliquem non nimis gravem. Sententias ſenatorum, Miskovius Epiſcopus Plocenſis, addictus tam Zboroviis, ut quibus affinitas cum illo intercederet, lingua Italica interpretabatur. Rex cum in re tam gravi, tantam diverſitatem ſententiarum videret, in craſtinum ſententiam differt. Sequenti die per Bibrachium Senatum hortatur, operam dent, ut conſentiant: ſe novum Regem ignarum legum eſſe: illos quid juris ſit, non poſſe latere: paratum ſe eſſe illorum ſententiam ſequi, modo in unam ſententiam conveniant: neq; præter jus ſuamve, aut illorum conſcientiam quicquam ſibi ſuadeant, ad extremum proteſtatur, ſi ignoratione juris aberraturus fortaſſis, judicio eſſet non ſuum, ſed illorum peccatum fore, cohortatione hac Regis incitati denuo ſententias dicunt: Verum ſine ullo fructu: cum pertinaciter Zboroviani in ſententia ſua perſtarent. Cum plurimum apud Regem gratia Zborovij valerent, atq; ita magnam partem Senatus in poteſtate haberent, tandem cum parte inſtantiſſime ſolicitante, differri diutius judicium non poſſet, Zborovianis evincentibus, invitus quaſi ut videbatur, decretum Rex fert: quo exilium illi irrogat: honore ſeu fama ei conſervata, infamia liberat: bona una manu adempta ſeu publicata fuere: altera per interpoſitam fratris perſonam ad filium, perq; hunc ad ipſum rurſus translata, accuſatores nullis pro decreto, quod moris eſt, cum decretum accipitur, gratiis actis, tanquam contra jus eo lato, ex judicio diſceſſere. Si ulla autem res animos hominum à Rege alienare videbatur, judicium illud plane ab eo avertit; nam & primum erat, quod poſt inaugurationem adminiſtratum ab eo fuerat, & contra leges publicas gratia Zboroviorum condonatum aperte homines vociferabantur, maleq; auſpicato initio hoc judiciorum, multo pejus inpoſterum etiam ſibi ominabantur: quamvis nonnulli magis Senatores gratiæ, & commodorum privatorum ſervos, quam ipſum Regem, tanquam & linguæ, & juris ignarum accuſabant, ante omnes in maxima invidia Zborovij eſſe, quam multo magis etiam poſtea auxit. Caſtellanus Przemislienſis poſt mortem Vapovij Droievio affini Zboroviorum collatus: non ſatis fuiſſe viri primarij & Senatoris impune quaſi cædem perpetratam, niſi ſpolia mox ei detracta, ad hæc in domum illorum transferrentur. Non multo poſt id decretum, alia in cauſa Przyemſciana cum Konopaciis, & ordinibus Pruſſiæ ſententia ab eo lata. Quemadmodum ſupra oſtendimus, Pruſſi poſſeſſiones eas, quæ executione ſtatuti Alexandrini, non multo ante mortem Augusti illis adempta, aliis advitalicio jure collata à Rege fuerant, poſt mortem Regis poſſeſſoribus pulſis vi occuparant. Inter quos Czemij ab Alberto Pierchlinsky Kriſtburgum, Konopacij à Stanislao Przyemſcio, in Culmenſe tractu Lopatkij, in Pomeraniæ Libno & Rudno, aliasq; ignobiliores Villulas nonnullas vi receperant. Verum Czemij à Pierzchlinſcio & litem, & ipſius Kisburgij poſſeſſionem pecunia poſtea redemerant. Przyemſcius injuriam ſuam, tanquam publicam primo ad conventus Poloniæ detulerat, à quibus ordines Pruſſiæ per Joannem de Sluzewo Brzeſtenſem & Joannem Krotkowsky Inowladislavienſem Palatinos, ut ſecundum conſtitutiones & pacta interregni in violatores pacis publicæ agerent, appellati. Cum optimo jure occupata bona ea à ſe oſtendiſſent, quod vi ſtatuti Alexandrini cui Pruſſia ſubjecta non eſſet, temporibus Sigismundi Augusti Regis ſe reclamantibus, & recuſantibus, erepta fuiſſent, jus ſuum & publicam autoritatem facti ejus ultro agnoverant. Itaque re ad univerſum Senatum & ordines Regni à Przymſcio relata, reſtitutio intra certum tempus decreta illi fuerat; quæ cum à Pruſſis non præſtaretur: in ipſa electione regia eo rem adduxerat, ut univerſa reſpublica ſuam cauſam eam facere, exequique eam vellet, qua re in metum nonnullum Pruſſi adducti, & cum Przyemſcio pepigerant, ut in ipſarum quidem villarum poſſeſſionem, ipſum Przyemſcium mox mitterent, reditus à tempore facti perceptos, damnaq; data, ex arbitrio Joannis Koſtkæ Caſtellani Gedanenſ. & Andreæ Opalenſcij curiæ Marſalci, intra duas ſeptimanas ſarcirent. Sed quod ne ea quidem transactio in rem collata fuiſſet, in conventu hoc coronationis, multis, maxime autem Gorkanis, & majoribus Polonis urgentibus, in judicium adducta fuit. Rex cauſam

publicam eſſe decernit: rationes à Pruſſis demonſtratas, jam ante jure communi, ac conſtitutionibus publicis regni ſublatas, nullam inpoſterum etiam ambiguitatem facere poſſe, quin Pruſſia executioni generali jurium regni, tanquam membrum corpori ſuo ſubſit. Itaq; in reſtitutionem villarum & damnorum, in quæ actor juraſſet, refuſionem partem condemnat. Et quamvis pœnas ob turbatam contra jus publicum, & ſanctiones interregni pacem publicam, cum in ordines Palatinosque loci ejus ordinarium magiſtratum, tum in ipſos Konopacios eodem decreto ſibi reſervaſſet, quod tamen & juramentum in damnum actori decreviſſet, & pœnas violatæ pacis in ſuſpenſo quaſi reliquiſſet, apud plerosq; ne hoc quidem decretum invidia caruit: quod & in gratiam partis condonatum nonnulli ſuſpicarentur, & non ſtatim exactas pœnas, ne inpoſterum licentiæ, feneſtra aperiretur, vererentur. Talia inter frequentes ſententias quæ ferebantur, non pauca occurrebant, quarum tamen omnium invidiam quemadmodum oſtenſum eſt, non tam Rex, linguæ, juriſq; ignarus, quam Senatores, qui tanquam ambitionis, avaritiæ, cupiditatumq; ſuarum ſervi, accuſabantur, apud plerosq; ſuſtinebant. Inter hæc de confirmationibus, à Rege impetrandis, cum inter ipſos Legatos, tum ab illis cum Senatu à Rege maxime agebatur. Prudentiores cum in discordia ordinum paratiſſimum effugium Regum habiturum intelligerent, forte obrependum rati autore Zamoiſcio, imprimis legationis Gallicæ rationes expoſcunt. Per Stanislaum Czarnkovium, ad quem ut ſupra oſtenſum Marſalcatus delatus fuerat. Gratias publice apud Regem legatis agunt, quod integros in ea legatione ſe præſtitiſſent, quod quæ ab ordinibus mandata eis fuiſſent, diligenter perfeciſſent, quemadmodum jam ex illis intellexiſſent, Regem omnia poſtulata ipſorum, non modo accepiſſe, ſed juramento etiam confirmaſſe, atq; merito ſe gratias illis agere, maxime iis qui mandati publici memores, audientias privatas non ambiiſſent, neq; privatim quicquam à Rege ſibi aut ſuis petiiſſent; gratias deinde agunt Regi, quod tam prompte omnia poſtulata accepiſſet, juraſſetq;: quod ad legationes quaſcunq; quæ privatim illum conveniſſent, legatos noſtros adhibuiſſet, eorumque conſilio in omnibus uſus eſſet: gratias ad extremum ipſi fratri etiam regio, Galliæ Regi, gentiq; Gallicæ, pro liberalitate, & hoſpitalitate agunt. A Gallis qui artificium ſubolfacerent, cautiſſime reſpondetur. Secundum hæc uno articulo publice introducto, cæteros per tacitum quaſi conſenſum eo ipſo approbatum iri exiſtimantes, declarationem conditionis de deputatis conſiliariis, nobilitatis etiam mentione injecta, cum hoc capite, Rex tanquam deteriore poſthac conditione futurus maxime moveretur, publice agitare incipiunt, ut controverſia iſta, vel definita vel ſuſpenſa, cæteri tacite quodammodo confirmati viderentur. Gallos autem diſſenſum hunc inter Senatum & nobilitatem avide arrepturos putarent. Verum res maxime à Marſalco de Rais Italisque nonnullis animadverſa, non ſolum invidiam, ſed minas etiam Zamoiſcio, quem autorem inventi ejus ſuſpicabantur, conflavit. Sed dum hiſce de rebus diſceptatur, crebri de valetudine Galliæ Regis deſperata nuntij allati quæ res à confirmatione hujusmodi, qualem legati poſtulabant, eo magis animum Regis avertebat. Sive enim maneret in Polonia, ſive in Galliam rediret, nihil de priſtino jure dignitateq; Regum in ſe imminui ad dignitatem ſuam pertinere ſtatuebat; maxime autem confœderationis confirmationem utrobique, imprimis vero in Gallia apud ſuos invidioſam ſibi futuram judicabat. Ut de reditu ante in Galliam ſi quid fratri humani accidiſſet, diligentiſſime cogitaret, multa eum vehementiſſime permovebant. Primo patrium Regnum idque ampliſſimum, deinde Reginæ matris, totiusq; Guiſianæ factionis & Catholicorum Gallorum ſtudia in eum tanta, ut poſt diſceſſum ipſius Monlucius quaſi ſtudio partium Hugonoticarum, ſtudioſe in Poloniam eum extruſiſſet, non parva invidia, nonnullo etiam in periculo eſſet. Præterea vero, ut neceſſe erat evenire, non pauca ſæpe eveniebant, quæ ut in ſummo imperio, atque poteſtate nato, partim odium, partim iram Regi Galliſq; commovebant. Invitatus interfuerat nuptiis Andreæ Zborovij, quemadmodum & nepotis poſtea etiam à Firleo Marſalco ad filij, cui ab eo in ſacro fonte ſuſcepto Henrici nomen inditum, per Baptiſmum. In quibus conviviis, cum non ſalva Majeſtate familiarius verſatus videretur, à Gallis admonitus conviviis poſtea abſtinuit. Inter Gallos autem & noſtros crebra Cracoviæ jurgia, ex jurgiis nonnunquam cædes exiſtebant. Inter alia autem, cum Saffraniecius, Fierleius Præfectus Sendomirienſis & alij nonnulli, ſcriptum quoddam de controverſia iſta confirmationum, privatim offerendum ei exiſtimaſſent. Etſi Zamoiſcius id improbaret, perſuaſus tamen ab iis Gallice id conſcripſiſſet, à Fierleioq; objectum Regi fuiſſet, ad lachrymas indignitate ſui eum commovit, ita ut cum multa in oratione ejus obſervarentur, maximeq; Zboroviano proximo tumultu permotus fuiſſet, nonnunquam vel recenti Reginæ Scotiæ exemplo, quæ aliquo tempore ante, capta à ſuis fuerat, terreretur. Supra omnia autem matrimonio infantis animus ejus abhorrebat. Accedebant ad hæc, maxime inter ipſos proceres partim æmulationes, partim de honoribus contentiones. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt duæ potiſſimum factiones erant, Fierleiorum, quibus Thencinij, & Mielecij conjuncti, & Zboroviorum, quæ cum graviſſimis odiis inter ſe diſſentirent, vel ipſius Fierlei Marſalcatus, ut quem

quem per leges publicas, una cum Palatinatu Cracovienſe retinere non poſſet, appetitus à Zboroviis fuit. In ejusdem odium Mniſcones, quorum ſororem in matrimonio Firleius habebat oppugnant. Subornatus ab iis Zielinskij Mniskoni probro objecto, probationeq; promiſſa, cum ſtructor menſæ Regiæ eſſet ipſo coronationis die, à miniſterio menſæ Regiæ Mniskonem excluſit; cumq; artificio quodam, vel ad ſejungendos eos inter ſe, vel ad ludibrium, Firleio filio munus id delatum fuiſſet, conſtanter ab eo repudiatum fuit, magna tamen utriusq; partis contentione, decretum inter Zielinſcium & Mniſconem latum fuit, pronunciatum non liquere. Itaq; regreſſu ad eam criminationem cuilibet de populo relicto, authoribus Zboroviis ampliatus fuit, ſimul pincernatus, qui promoto ad Caſtellanatum Sandomirienſem Stanislao Miskovio vacabat, Chriſtophoro Zborovio delatus, maxima de majore ſigillo contentio eſſe. Tenebat id Franciſcus Kraſinſcius, paulo ante mortem Auguſti ex vice cancellariatu ad Epiſcopatum Cracovienſem provectus. Itaq; cum jure publico in primis Comitiis abdicare ſe magiſtratu eo deberet, Firleio & Mielecio rem impedientibus, ut qui in alia ordinaria comitia rem differrent, coronationis comitia extraordinaria eſſe docerent, ut magiſtratu abiret adactus fuit. Commodabatur maxime Regi à matre Hieronymus Rozdrazevius, qui & ipſe à pueritia in Italiæ Galliæq; ſtudiis educatus, & per ſe & per fratrem, qui domui Reginæ Galliæ juniotis Auſtriacæ præerat, magnum aulæ Gallicæ uſum habebat. Illi ab aliis Stanislaus Koſtka Pruſſus, cui Epiſcopatus Culmenſis in ſolatium poſtea datus, qui & ipſe cum externarum rerum Italicarum imprimis & Gallicarum, magnum uſum habebat, ingeniiq; ac doctrinæ elegantia inſigni erat, oppoſitus. Verum evicere Zborovij pro Volſcio: & ipſo elegantiſſimi ingenij homine, ut qui ab ineunte ætate in Hiſpania Italia verſatus, majorem externarum quam domeſticarum rerum uſum haberet. Maxime autem Zboroviorum gratiæ id datum; quo pecuniaria promiſſa Zboroviis facta vacantibus hujusmodi Rex diſſolveret, quamvis & uxori Palatini Sandomirienſis clenodia aliqua in eam rem à Rege donata, & in reliquam ſummam Soderini Florentini mercatores, qui Cracoviæ negotia ſua habebant, delegati ei poſtea fuerint: pauloq; poſt à diſceſſu Regio, acerbiſſime ab eodem exacti. Omnia autem fere eam ob cauſam Zboroviis tum Rege tribuente, Radomienſis etiam præfectura ampla imprimis, à morte Podlodovij vacans. Andreæ Zborovio collata fuit. Gregorio autem Chotkievicio ſub id tempus mortuo, Caſtellanatus Vilnenſis, Joanni Chotkievicio fratris filio, qui ſororem Zboroviorum in matrimonio habebat, adjectus.

Non minor fere quam de ſigillo, de cubiculi præfectura contentio erat. Quod magiſtratus is majorum ſuperiorumque Regum, omnium ſecretorum conſiliorum, & actionum regiarum conſcius, ac tanquam inſpector quidam eſſet. Itaq; à Sigismundo Auguſto, à morte Nicolai Trebuchowij ſuppreſſus adhoc tempus fuerat.

Legatus Pontificius tanquam Catholicos Thencinios promovebat: Zborovios ob eandem cauſam religionis, ut diſſentientes oppugnabat. Miskovius Epiſcopus Plocenſis, cum pro Zboroviis obtinere eum poſſe deſperaret, Zamoiſcium, ut qui nullarum eſſet partium proponit. Verum dum contentionibus intra privatos cubiculi Regij parietes certatur, de confirmationibus interim ſcriptis à Rege auferendis, graviſſime publice diſceptatur. Præter Evangelicos, qui metu rerum ſuarum maxime inter legatos in eam rem incumbebant, alia duo etiam hominum genera, quæ turbarent erant. Unum eorum qui promiſſa acceperant, quibus non ſatis fiebat: alterum qui adverſati Electioni Henricanæ fuerant: quorum utriq; ipſi etiam negotium ſuum agunt; invidioſiſſime negatas confirmationes, quamvis earum rerum, quæ antea jam confirmatæ juramento eſſent, exagitat. Ita fiebat ut Firleius antea nobilitati inviſus, tum magnus vulgo haberetur: quemadmodum è contra Zborovij omnibus inviſi, non modo ob potentiam ambitionemq; ac gratiam Regiam: Verum lenociniorum etiam nonnullorum ſuſpiciones, quæ maxime quem Przeslavium clientem eorum, nonnulla tamen ipſos etiam Zborovios invidia involvebant.

Itaq; cum exceptis Maſoviis, cæteri legati omnes in urgenda confirmatione, etſi diverſis alijs de cauſis omnes tamen publici boni obtentu conſentirent, conſiliaque, quorum ſupra mentionem fecimus non procederent, aperte jam appellare de ea Regem & Senatum non intermittunt. Ratio inter ipſos & Regem agendi: hæc fere erat: à nuntijs Gallice Zamoiſcius Regi interpretabatur à Rege Latine Bibracius reſpondebat. Rex cum urgere nuntij non deſiſterent, quo per ſe minime ſtare rem oſtenderet, ad conſenſum cum Senatu, adeoq; inter ipſos nuntios rem rejicit. Conveniret modo inter omnes, quamcunq; ex communi conſenſu confirmationis formulam ſibi obtuliſſent, eam promptiſſime accepturum. Legati priorem conſenſum omnium ordinum oſtendere, ex quo & conditiones primo ſcriptæ eſſent, in quas legati Gallici, quos conſenſus ejus teſtes appellabant, ipſius nomine juraſſent, & poſtea reliqua etiam poſtulata atque mandata ad illum ſuis legatis data eſſent, quæ ſimiliter juramento ipſe quoq; Lutetiæ confirmaſſet, quod ſi eccleſiaſtici contra caput de confœderatione proteſtati fuiſſent, id nunc quoq; integrũ illis

illis eſſe: aliis tamen rebus in quas communis conſenſus extitiſſet, derogare id non poſſe, neq; quenquam à priore conſenſu ſe recipere. Cum aliud nihil referrent, petunt tandem, ut ſe præſentibus publice Senatus ſententias dicat, partim ut qui autores inficiendæ rei tam ſalutaris eſſent, publice conſtaret, partim ut qui conſenſum eum in conditiones agnoſcerent, referre ad nobilitatem poſſent. Cum diu recuſaſſent, tandem juſſu Regio, in Corona legatorum nobilitatis omnium ſententias dicunt; Miras hic non ſolum ſententias, ſed vultus etiam notare licuit. Cum in adulationem privati commodi ſtudio obcæcati omnes proni, ab altera vero parte populi etiam invidiam timentes, mirifice in omnes partes ſe verſarent, alij tamen conſenſiſſe in conditiones eas, quæ legatis in Galliam datæ eſſent, negare: alij præterquam quod neq; loco neque tempore ſuo, neque eo quo oporteret modo, neq; omnibus conſciis latæ eſſent, de dignitate etiam ac jure Regio non parum iis detrahi oſtendere. Itaq; ut vetere ſolenni formula nihil immutata confirmatio ederetur cenſere, inter has autem de confirmationibus in Senatu, atq; collegio nunciorum diſſenſiones, Lithuani & Pruſſi etiam, de oneribus poſtulata ſua urgent: ut priusquam ad confirmationem deveniatur, ea explicentur, proteſtatione etiam interpoſita urgent. Rex diſtractionibus iſtis vehementer ſe dolere oſtendit: cumq; verendum ſit, ne major etiam aliqua diſſenſio ſeu dismembratio potius ex ea naſcatur, ad concordiam aliorum etiam maximorum regnorum diſcordia everſorum exemplo ordines hortatur: ac non modo ſolita conſuetaq; formula, ſed in qualemcunq; ipſi unanimi conſenſu obtuliſſent, modo de certa aliqua inter eos conveniret, confirmationem offert. Declarat ſimul juramentum Pariſiis à ſe factum, non alio animo quam ſub conditione conſenſus omnium ordinum, quem in coronatione futurum ſibi promiſiſſent, à ſe præſtitum in ipſa etiam Coronatione juramenti à ſe præſtiti memoriam repetit, quod non aliud quam ex ſtatuto vetus & ſolenne præſtiterit. Clauſula ſaltem de pace inter diſſentientes de religione adjecta, & ſalvis juribus uniuscujusque. Interim quas ipſe per fratris & ſuum legatum ordinibus conditiones obtuliſſet, quemadmodum jam ante juratæ à ſe fuerint, ita omnibus rebus integras ſemper obſervaturum. Quod ad Varſavienſes etiam articulos pertineret, quamprimum modo omnium conſenſus ad eas accederet, eos quoq; confirmare ſe paratum eſſe: quemadmodum quidem in eventum eum conſenſus iſtius confirmatos ratosque eos jam haberet, habiturusq; ſemper eſſet. Interim conſueta formula generalem confirmationem offert, ad extremum quo minus de voluntate ſua dubitari poſſet, juramenti in manus Archiepiſcopi præſtiti perpetuo conſtanterq; ſervandi, ſecundum jus publicum confirmationem omnium jurium ac libertatum, ſub uno verborum contextu formula ſolita, manu ſignoq; regio in Theſaurum Regni Magniq; Ducatus Lithuaniæ inferri mandaturum: facultatem omnibus edendæ ejus permiſſa, qui copiam ejus fieri ſibi poſtulaverint.

Inter haſce de confirmationibus altercationes, Reginula etiam infans per varias delegationes primum ducta, ad extremum omnino neglecta fuit; Neq; ſolvi poſtulata ejus de teſtamento Auguſtano, alimentisq; ei conſtituendis: ſed cum certos proventus nullos conſtitutos haberet, ipſa etiam partim ita egebat, partim miſericordiæ conciliandæ cauſa egeſtatem hujusmodi præ ſe ferebat, ut aliquando ne prandium quidem ſumeret, matronæq; ſymbola plæræq; ei conferrent. Legati nobilitatis, cum omnibus rebus tentatis, à Senatoribus deſerti fruſtra omnia à ſe fieri intelligerent, de proteſtatione agere inter ſe incipiunt. Quemadmodum in tres fere de ipſis confirmationibus ſententias diſtracti erant, ita de proteſtationibus, non una etiam omnium ſententia erat.

Primi ut in omnes conditiones ſine ulla exceptione confirmationem exigebant, ita ob eam non præſtitam, nulla alterius confirmationis, mentione aut ſuſpenſione admiſſa, ſimpliciter obedientiam renunciandam Regi contendebant.

Alteri plane his contrarij, ut nullam omnino confirmationem requirebant, ita non contra Regem, ſed eos qui ob non præſtitam confirmationem ab officio diſcedere vellent, ſuam erga Regem fidem conteſtati, contra ipſos proteſtabantur.

Tertia media ſententia erat, quæ ut generalem confirmationem proponebat, ita non tam ob non præſtitam, regnum jam abrogabat, quam totam rem integram ad conventum nobilitatis, & nova comitia rejiciebat. In moderatiore hac ſententia, Zamoiſcio etiam imprimis annitente, pleriq; Ruſſici etiam Palatinatus erant, qui præter alia ob periculum etiam Turcicum, ut illi maxime vicini, à Rege vetuſta & arcta Galliæ Regum amicitia cum Turcis conjuncto, non temere metuentes, ſolicite conſilia communicabant. Propoſuerat Zamoiſcius exquiſitiore formula aliud commodius in tempus dilata, generalem aliquam confirmationem, qua utriq; parti, & Regi & ordinibus ſatisfieri poſſet, in præſentia petendam eſſe, qua nimirum omnia jura, libertates, privilegia, leges, in quocunque conventu legitime latæ, generaliter confirmarentur. Diverſum cum alij ſentiebant, tum maxime Saffraniecius & Firleius Lublinenſis Præfectus, ſatius ij exiſtimabant, nulla potius quam tali accepta, cum proteſtatione diſcedere, exemplo Caſimiri, & Jagellonis Regum, ſub quorum hoc ſero admodum datam

tam ordinibus confirmationem fuiſſe, ex ſtatutis ipſis appareret: de illo autem ſatis conſtaret, non à principio datam fuiſſe. Refutabatur quidem hoc à Zamoiſcio, cum Jagellonis confirmationem veterem novis cum juribus repetitam potius, quam novam totam fuiſſe: Caſimiri autem exemplum pernitioſum eſſe doceret. Valedictio inde confuſa & turbulenta, cum tempus comitiorum jam exiviſſet. Prima per Skarzevium Judicem Lublinenſem, majoris & minoris Poloniæ proteſtatio recitata fuit; qua quemadmodum oſtenſum eſt, ob confirmationem petitam non præſtitam, obedientia Regi renunciabatur, altera contraria huic per Koſſobucium nomine Maſoviæ: tertia media per Wenceslaum Vroviecium nomine Palatinatuum Ruſſiæ. Ita Comitiis ſolutis, per univerſum regnum edicta nomine Regio proponuntur. Quemadmodum ex conſenſu omnium ordinum ad Regnum hoc divinitus ſe vocante maximam voluptatem cœpiſſet, ita non minorem dolorem, primum ex ipſorum mox oratorum in ipſa Gallia diſſenſu, ex religionis potiſſimum diverſitate orto. Cum publicæ tamen, tum ipſorum gentis Poloniæ legatorum exiſtimationis cauſa, cum in omnium gentium oculis res ea ageretur, quamvis diverſas conditiones adverſus editas, omnes approbaſſe, eo omnino animo & ſpe, quod in Coronatione omnium ordinum conſenſu futurum, ſibi confirmaſſent, itaq; patria, matre, fratribus, omnibus quæ inter homines chariſſima ſunt, in perpetuum relictis, neque graviſſimis regni patrij negotiis, à fratre Rege fidei ſuæ commiſſis, impediri ſe paſſum, alieniſſimo tempore, longiſſimum moleſtiſſimumq; iter ingreſſum: non opum aliqua indigentia, quæ beneficio Dei virtuteq; majorum ſuorum abunde ſibi ſuppeterent: non regnandi ambitione, cum & illic, quibus imperaret ſibi non defuiſſet: non vana aliqua gloria ductum, ſed vero & chriſtiano animo vocationem divinam in Regnum hoc, tanquam illuſtria omnium Regni hujus ordinum ſtudia ſequentem. Quo itinere per Germaniam profecto, tam in finibus regni, quam per univerſum regnum, ab iis quibus res ea demandata fuiſſet, omniumq; adeo profuſiſſimo in ſe ſtudio, non ſolum honorificentiſſime exceptum, Cracoviamq; ſedem regni deductum fuiſſe: Sed ibi etiam cum univerſi Senatus, tum legatorum nobilitatis, omniumq; adeo ordinum hominum, ſummam erga ſe obſervantiam expertum fuiſſe. Acceſſiſſe ſummum ſtudium, coronam inſigniaq; Regni per Archiepiſcopum, coronatorem Regum, ſibi imponentium, juramentum deinde ſibi præſtantium, eaque ipſa re, dignitatem ſalutem; fortunasq; ſuas fidei ſuæ concedentium, quæ res omnes ut ordinum erga ſe obſequium, fidem atq; obſervantiam, maxime declararint, ita ſuum quoque erga eos amorem, atq; benevolentiam mirifice auxerint, agnoſcendum haud dubio beneficium divinum: & cum gratias DEO agendas, tum enixe precandum, ut quemadmodum cœpit, ad ſalutem dignitatemq; publicam cum regni, tum univerſæ chriſtianitatis omnia converteret.

Quum autem more majorum confirmatio jurium ordinibus petentibus ſcripta à Regibus dari ſolita fuerit, ſe etiam interpellatum ea de re, pro officio ſuo maxime paratum ad eam rem fuiſſe: id unum requiſiſſe, ut omnium conſenſu una communisque formula ſibi præſcriberetur, qua in deliberatione cum aliquot ſeptimanas Senatores cum legatis conſumpſiſſent, certam in formulam nullo modo convenire inter eos potuiſſe. Quomodo deinde tota res acta ſit, quæ quamque diverſæ, cum inter ipſos Senatores, tum in collegio legatorum, ſententiæ ea de re fuerint: quid à ſe reſponſum, quid oblatum, quomodo ad extremum re infecta diſceſſum commemorat. Cum diſceſſus hujusmodi ne à ſe cauſam ullam præbitam inſimulari à quoquam poſſet, publicis literis iſtis, quomodo tota res geſta eſſet, ſignificandum duxiſſe, ſimul quemadmodum providentia divina, omniumq; ordinum non ſolum conſenſu, ſed ſtudio etiam maximo, in regnum vocatis, exceptusq; veniſſet: ita non minore publico conſenſu à ſtudio in æde primaria Cracovienſe. Divi Stanislai publice coronatum inſignia regni accepiſſe: libertates ſimul omnes & jura, tam publica quam privata cujusque Juramento, tum etiam quemadmodum ſupra meminiſſet, conſueta ſolenneq; literarum confirmationis formula, ſub uno contextu verborum confirmaſſe ſe ſignificat, repetita alterius etiam cujuscunq; confirmationis promiſſione, qualiscunque, modo communi conſenſu ſibi offerretur. Vetera tamen jura, libertates, ac conſuetudines in dubium non vocando; quibus cum à deceſſoribus ſuis Regibus Poloniæ feliciter regnum hoc adminiſtratum fuiſſet, res Polona non ſtetiſſet, ſolum ad hoc tempus, ſed præ ceteris regnis, cum imperio rerum geſtarum gloria & dignitate, tum maxime libertate floruiſſet. Fœderationem de religione pacis cauſa inſtitutam ſe exiſtimare: in pacem igitur ſervandam ſe quoque juramento obſtrinxiſſe, eamq; ſervaturum. Si ſub nomine eo, aliud quod ſecum haberet, quod vel cum periculo, aut detrimento publico, vel etiam nominis divini offenſione conjunctum eſſet, neſcire ſe an ſalva conſcientia aſſentiri ei poſſet. Jactatum inter alia caput etiam id, quod de obedientia inter conditiones eſſet, fuiſſe: Sibi quidem minime grave id eſſe, cum ita ſe gerere in animum induxiſſet, ut nunquam eo rem deventuram confidat. Similiter deputati conſilij præſentiam, non modo non fugere ſe, ſed gratiſſimum potius ſibi futurum, qui adminiſtrationem eam non modo delegatorum, ſed omnium,

atq;

atque univerſi adeo orbis oculis exponere non dubitet, moneri etiam ſe. Si qua in re admonitione opus habeat, libenter paſſurus eſſet. Sed tamen ne de hiſce quidem conſenſum extitiſſe: pluresq; fuiſſe, qui cum fortiter iis rebus ſe oppoſuiſſent, tum incommodo cum aliquo, & periculo potius reipub. futurum id diſputaſſent; Itaq; ſe quoque, quid in hoc diſſenſu faceret, non habuiſſe. Cum autem ſine juris ejusque dictione nullum Regnum ſubſiſtere poſſet, ut novis aliis judiciis, non expectatis, de quibus convenire non potuerit, judicia quorumcunq; tribunalium & ſubſelliorum more vetere obeantur, mandat: magna ſiquidem cum injuria læſorum futurum, ſi dum nova judiciorum ratio conſtituerentur, nulla omnino adminiſtrarentur; cum ſontes aut qui alios injuria afficere vellent, vel ex induſtria rem impedire, & protrahere poſſent; itaque vetere more judicia interim exercenda, dum nova conſtituerentur: neq; prius illa dimittenda, quam de his conveniſſet. Hortatur ad extremum, ut quisq; officium ſuum faciat, curam, laborem, benevolentiam, amorem, officium regium pollicetur: ac non modo ea quæ per legatos ultro promiſerit, ſed quid præterea etiam ad ſalutem, dignitatemq; regni, & cujusque privatim conferri à ſe poſſet, libentiſſime præſtiturum: ab omnibus viciſſim ea expectaturum, quæ deceſſores ſui Reges Poloniæ ab eorum majoribus & expectaſſent ſemper, & experti fuiſſent. In iisdem comitiis de Cancellariorum etiam munere, Cancellariæq; ratione actum; cum omnes invidia maxime Dembinij, qui intemperantius, magiſtratu poteſtateque ea abuti exiſtimabatur, certis quibusdam Cancellis, omnibus alioquin legibus, præterquam jurisjurandi ſolutum, magiſtratum eum circumſcribendum putarent.

Itaq; certæ leges quibus aſtringeretur, non tam publica comitiorum autoritate quam ſententiis Senatus conſcriptæ; alter Cancellarius altero inſciente nequicquam ageret, vel ederet, communibus conſiliis ut uterentur. Quæ donationis aut beneficij alicujus vim haberent, ſine ſubſcriptione manus Regiæ nihil ederet: cum ſuperiorum Regum temporibus Cancellarij voluntate Regia relata, ipſi omnibus diplomatibus ſubſcriberent. Quamvis jam ante Auguſtus ipſe ante mortem ſuam, ejusdem Dembinij etiam ſe inconſulto nonnulla edere ſoliti licentia offenſus, publice, niſi quod ſubſcriptum manu ſua eſſet, ſervaturum ſe profeſſus, in eum locum jam rem adduxerat, ut niſi quæ Regia manu ſubſcripta eſſent, rata jam haberentur. Diplomata quæ ad commoda aliqua Regia aut fiſcum pertinerent, nulla ederent ſine ſcitu theſaurariorum Regni, juratorumve theſauri quæ hujus generis à Rege ipſo ſubſcripta non eſſent, ne rata eſſent: ſimul tamen iisdem Cancellarius ſubſcriberet, cujus cura, aut opera confecta res eſſet, aliorum negotiorum literis, quæ juri publico ſub nomine Regio edi è Cancellaria ſolerent, Cancellarius ſubſcriberet, à quo literæ auferrentur.

Capita autem ſingularum literarum peculiari regeſtro connotarentur. Regeſtra omnium literarum uniforma terna ut eſſent, apud ſingulos Cancellarios ſingula: tertium apud Regem, in quod ſummæ ſingularum literarum, ab utroque Cancellario referrentur. Judicia omnia tum Theutonica quæ vocant cauſarum civilium non in privato, ſed in publico loco, ſive in arce, ſive in curia celebrarentur: publicarenturq; eadem uterq; Cancellarij mutuo conſenſu: officiales ad eadem pertinentes, ut referendarij cæteriq; omnes ad ea adhiberentur: Senatoribus etiam qui in aula præſentes eſſent, volentibus intereſſe iis liceret: alter ſine altero ea ne exerceret, niſi forte aut abſens, aut valetudine gravive aliqua occupatione impeditus alter eſſet. Nemo Cancellariorum mandatum Regium opponeret. Si alter inſciente altero, contra jus quid edidiſſet. Uterq; Cancellarij juratos peritosque, cum decretorum, tum aliorum negotiorum, & regeſtrorum ſcribas haberet.

Decretis omnibus uterque Cancellarius ſubſcriberet: bina ſimilia acta haberent; quo altero ab aula abſente, ab altero facultas decretorum fieri poſſet. Si magiſtratus ſenatoresq; omnes præſentes, inter ſe diſſentientes, convenire certam in ſententiam non poſſent, ut integra cauſa ad judicium Regium referretut: Decreta quam aptiſſimis verbis perſcriberentur, ne declaratio earum denuo in ipſa executione ab aula petenda eſſet: vel ſemel judicatæ ne aliqua ratione retractarentur. Relationes etiam cauſarum, ne in conclavi Regio, ſed in loco publico magiſtratibus Senatoribusq; omnibus præſentibus fierent. Similiter quæ per libellos ſignatos ad aulam actiones deferrentur, ut publice omnibus præſentibus aperirentur, cognoſcerenturq;, de quibus, ſi inter ſe diſſentirent, ad judicium Regium referrent: id vero ipſum præſentibus magiſtratibus ac Senatoribus, qui pro tempore in aula eſſent, fieret. Sententiæ ut ex ſcripto pronunciarentur, idque ab utroque Cancellario ſubſcriptum ſcribis traderetur. Si quis Cancellarius præter officium quid feciſſe à quoquam incuſaretur, verbo incuſatum, ſine ullo libello, coram Rege Senatoribusq; præſentibus, mox ſe purgare, factiq; ſui rationem reddere teneretur. Quodcunq; vero juri communi contrarium editum fuiſſet, nullius valoris ut eſſet. Similiter quæcunq; diplomata, ſive literæ privato ſigillo conſignatæ deprehenderentur, quemadmodum & ſi quæ vel privato vel publico ſigillo per interregnum editæ docerentur. Ad legationes externas nullas, ut reſponderent, ſine ſcitu aliorum magiſtratuum, & Senatorum Regni, qui in aula tum eſſent, ad frequentiorem Senatum ut differretur: quod quidem

de iis tantummodo negotiis accipi deberet, quæ ad rempub. pertinerent. Quæ quidem plæraque non inutilia, pro arbitrio tamen Regum, vel ipſorum etiam Cancellariorum, vel ſervata aliquando, vel intermiſſa, vim tamen legum non habuerunt: ne ſine Regis tamen ſubſcriptione ullum beneficium ratum eſſet, uſu jam obtinuit. Comitia Regi acerba, cum aulicorum, tum militum emerita ſtipendia flagitantium, non minus ingrata poſtulata excipiunt, atque aulicis quidem cum primum novo ſane tum exemplo argentum regium ab Auguſto relictum, in ſtipendia diſtribui cæptum, militibus ſuperior cautio prorogata. Ante omnes tamen petitores Regi moleſti, cum inter cæteros una præfectura Rodlenſis, morte Joannis Bielecij vacans ad triginta competitores haberet. Paulo ante autem in ipſo comitiorum exitu Firleius Marſalcus idemq; Palatinus & Præfectus Cracovienſis, Rohatinenſisq; non ſine ſuſpicione veneni deceſſerat, de cujus magiſtratibus & præfecturis, maximæ contentiones erant, Epiſcopi cum legato Pontificio, Zborovium à quo ob diverſitatem religionis maxime cavebant, quantum poſſunt removent. Obtinet nihilominus Cracovienſem prefecturam præſentem. Palatinatus Cracovienſis, quod Sendomirienſis Palatinatus quem Zborovius tenebat, Joanni Koſtkæ Caſtellano Gedanenſi in gratiam Mielecij connubium illi procurantis deſtinaretur, dum ſecundum jus poſſeſſionem prius in Palatinatu eo Koſtka adipiſceretur, dilatus tam diu fuit. Opalenio major Marſalcatus cum Rothatinenſe præfectura ceſſit: minor Andreæ Zborovio, cui quemadmodum ſupra oſtendimus jam ante Radomienſis præfectura data fuerat. Inter hæc ne Thencinij quoque vel omnino rejecti, vel Rex uni tamen factioni dare ſe videretur, præfectura cubiculi Joanne Thencinio eo facilius obtenta, Zamoſcio Kniſſinenſe præfectura objecta. Georgius Jasloviecius Palatinus Ruſſiæ, qui tanquam vir militaris, & fama rerum geſtarum clarus, non parva cum ſpe beneficij alicujus impetrandi in aulam venerat, cum inſignem equum Turcicum Regi donaſſet, pro præfectura homo acinaci Sarmatico ab ineunte ætate aſſuetus, gladio & pugione Italico ridicule donatus, vacuus dimittitur. Ita è comitiis diſceſſum fuerat, ut non ſolum legati, ſed Senatores etiam omnes fere ſuam quisque domum dilaberetur, nullo certo conſilio quemadmodum conſtitutum fuerat penes Regem relicto. Reſtiterant quidem in aula, præter Zborovium præfectum tum Cracovienſem & fratrem ejus Andream, minorem Marſalcum, Karnkovius etiam Epiſcopus Wladislavienſis, Cancellarius Dembinius Chriſtophorus Radivilus Lithuaniæ Marſalcus, ex quibus plerique indulgendum potius Regi juveni rati, conviviorum, voluptatumq; ejus adminiſtri, atq; adjutores etiam erant. Itaq; Rex inſpectore quaſi omni remoto, cum Gallis qui circa illum erant, partim venationibus, partim ludicris fere rebus, & chartarum luſibus, choreis, tempeſtivisq; conviviis totum ſe dare, in quorum nonnullis nudæ etiam puellæ introductæ, ſpectandæq; exhibitæ fuiſſe dicebantur. Excurrerat ad eum ex vicino Karnovienſi Sileſiæ Ducatu, Georgius Fridericus Marchio, qui cum ob valetudinem Alberti Friderici unici tum Pruſſiæ Ducis, in proxima expectatione Ducatus Pruſſiæ eſſet, præterquam quod de ſimultanea, quam vocant inveſtitura, appellandus Rex ei eſſet, hoc etiam officio excolendum eum exiſtimavit: una cum eo Electoris Brandeburg. legati, Electoralis ſtirpis jus ipſi etiam tuebantur, cujus illi collati, cum paulo ante exceſſum Sigismundi Auguſti valetudo ea Pruſſiæ Duci incidiſſet, ideoq; pœnitere jam fere homines beneficij ejus collati cœpiſſet: utriq; quidem ad comitia, & Senatum, hi vero cautiſſime etiam rejecti fuerunt. Cæteroquin & exquiſitis cōviviis, & haſtarum, chartarumq; etiā luſibus, omniq; genere benevolentiæ, honorificentiſſime à Rege exceptus, tractatusq; fuit. Interim inter ludos, conviviaq; iſta non pauca ſeria etiam miſcebantur, quæ non parum animos hominum offenderent, cum & contra proteſtationem, precesq; legatorum diſcedentium, magiſtratus honoresq; privata autoritate, Senatoribus non conſultis, hominibus partim adoleſcentibus, nonnullis etiam levibus conferrentur: officia aulica, præfecturæq; menſæ regiæ pro arbitrio, à veteribus & benemeritis aulicis, ſumma cum indignitate in alios transferrentur quæ res cum animos hominū, tum aulā maxime diſſenſionibus ægritudine, odiisque mutuis, implebat. Ad extremum idem in advitalitiis perpetuis terreſtribus officiis tentatū, quo minus procedēte, viventib' alij ſubſtituti, avaritia, ambitione plerorumq; noſtrorum, per Gallos partim miris rationibus emēdicantium, partim ementium, ultro etiam ad ea Regem invitante. Proventus autem quibus victus regius conſtat, donativis penſionibusque immoderatis per ſalinas, vectigalia præfecturasq; menſæ regiæ plerisque aſſignatis, ita imminute, ut vix quo ſe toleraret, reliquum quicquam ſibi feciſſet, non majorem quidem triginta millium redditū ſub deceſſum ejus, integrum ſuperfuiſſe ſatis cōſtat. Fiebat hiſce rebus omnibus, ut maxima in invidia, cum Rex, tum, qui circa illum eſſent, omnes verſarentur. Ita ut in libero populo dictorum, libellorumq; famoſorum plena erant omnia inter quos, unius loco libelli ſupplicis ipſi Regi in manus traditus, non parum eum exacerbavit, nonnullis familiæ quædam ultro etiam ſe appetebant. Inter alios uni in Epiſcopus Plocenſis edito non minus acerbe ipſe reſpondit. Maxime tamen voluntates hominum in judiciis nobilit. & quidem non ſine motu aliquo nudatæ, quæ per univerſum regnū omnia fere turbata, quod cū Regis nomine publicata eſſent, agnoſcere Regem nollēt.

Primus quidem Mielecius Korcinensia Castrésia judicia sub regio nomine administrare cœperat, ea cum hominis & autoritate pleriq; moverentur, quiete administrata, terrestria autem cum Cracoviensia, tum reliqua per regnum frustra nonnullis opponentibus, omnia fere turbata. Ad Sendomiriensia terrestria, Stanislaus Ossovius Referendarius Sendomiriam, tumultus ejus sedandi causa missus, vix non violatus fuit. Interim cum mors Regis Galliæ vix non certa in expectatione jam esset, Principes Galli, sigillatim se subducentes, commeatum cum apud Austriacos, tum per Italiam Regi procurant. Cum postea XXX. Maij non procul Lutetia mortuus Rex Galliæ fuisset, primus Dudicius legatus Cæsareus qui in aula apud illum versabatur, decimo quarto Junij certum ejus rei nuntium detulisse ad Regem dicitur; quo accepto Senatum mox habet. Omnibus comitia suadentibus, assentiri se simulat: & quo rectius quæ agitaret perficeret, literas gubernationis, quibus regnum Galliæ matri interim commendaret, in Senatu exhibet. Eadem deinde simulatione, ad hortos, qui in Vivario sunt, Reginula Anna invitata, solenni apparatu convivium instruit, quo inter cantus, choreasque in multam noctem producto, Regina aliisq; matronis, quas una cum ca invitarat dimissis, tandem circa horam tum noctis, quæ decimam octavam Junij secuta fuit, ex arce Cracoviense, cum paucis gallis consciis quam secretissime discedit. Cubiculi præfectura etsi Joanne Thencinio Castellano Voinicensi jam data erat, penes Gallos tamen cura administratioq; ejus adhuc erat: cum aulæ constitutionem, cum ipsum Thencinium, tum rem totam de die in diem Rege differente. Itaq; quod custode, præterquam consciis Gallis, omni remoto, non difficile ei fuit, cælatis etiam pueris, noctu per culinam, & minorem portulam arcis, omnibus rebus ad iter secretissime prius præparatis instructisque, ad Vistulam pervenit. Inde equa Turcica, quam celerrime ad fines Silesiæ progreditur, & quamvis noctu aliquantum aberrasset, omnes tamen prævertit. In mensa ad diversos Senatores literas scriptas reliquerat, quibus necessitate discessus demonstrata, reditus spem faciebat, regnumq; interim illis commendabat. Res per Dominicum Alamanium Florentinum, quem culinæ magistrum fecerat primum animadversa, ad Thencinium defertur, Tumultus inde nocturnus, non secus ac si hostis ad muros esset, cum in urbe tum in arce ortus. Zborovius Palatinus, cum facibus per urbem currit, arcem utiq; salvam clamitat. Irrumpitur inde à primoribus qui concurrerant in cubiculum pueri interrogati, quicquam se scire negant, postea ad dominam rejiciunt. Mox ut quis se vel ex primoribus, vel aulicis promptissimis persequi eum instituunt. Et ex iis qui cum autoritate aliqua essent, primus Thencinius, Pilsenam Austriacæ ditionis jam ingressum adipiscitur. Verum cum neq; precibus neque hortationibus ullum locum daret, infecta re revertitur. Rex autem per Vienam, Vennetiasq; & Italiam in Galliam pervenit exquisitissimis honoribus, cum à Cæsare, tum Venetis, aliisq; nonnullis Italiæ Principibus, exceptus, cultusque. A Pontifice ex Cardinalibus nepos honoris causa ad eum missus. Venetiis cum alij Principes aliquot tum maxime Ferrariæ Dux præsto ei esse. Qui ex Gallis atq; Helvetiis omnium rerum inscij, deserti, relictiq; fuerant, magna in consternatione erant. Opera tamen infantis, humane dimittuntur. Suppellex Regia in argento, maxime autem tapetis preciosissimi operis, aliisq; nonnullis rebus erat, vix non predæ cessit. Tapete quidem, cum unicornu quod à Laissiis Augusto Regi in summam centum millium creditum fuerat, à Voinicense tanquam cubiculi præfecto occupati, neque postea repetenti per legatos Henrico, stipendij, seu donativi promissi obtentu, non sine infamia publica non redditi.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab excessu Sigism. Augusti.

LIBER II.

DIscessus Henrici, ut diversos animorum motus, ita reipub. perturbationem atque ex ea metum, eundem omnibus fere attulit. Quemadmodum enim qui diversarum partium fuerant, discessu ejus recreati quodammodo videbantur; ita qui eligendi ejus autores fuerant, maxime mœrere: neq; tam ipso discessu ejus, quam quod & se sua spes, & ipsi aliorum opinionem fefellisse viderentur, quod autem Regnum non solum omni præsidio destitutũ, verum in incerto etiam statu relictum videbatur, in communi maximoq; metu omnes esse. Quod vero omnibus temporibus accidere solet, ut adversi rerum exitus maxime hominũ studia, ut in quosq; animati sint nudare soleãt, idem tum quoq; accidere. Præcipuus Galli eligendi autor quod autem maxime hominũ animos commovebat, non gratuitus Petrus Zborovius Palatinus Cracoviensis habebatur. Is à Mielecio, qui quemadmodum & cæteri diversarum partium, clarus magnusq; haberi, & cum forte Korczinio Cracoviam accurrisset, videntibus omnibus concisus, nec minore invidia Episcopus Cujaviensis Karnkovius esse, ut à Joanne Miskovio equite, non modo convicio publice lacesseretur, verum equus etiam cui insidebat per contumeliam ei vulneraretur. Ne Zamoiscius quidem extra invidiam esse, maxime ob suspicionem oblatæ ab Henrico præfecturæ Knissinensis. Quod enim conditiones ejus, qua de inauguratione Henrici, non exacto prius in omnes conditiones juramento ejus, transactum fuerat, ipse imprimis autor fuisset, cum in aliis conventibus nonnullis, tum maxime in nobilitatis Russiæ Leopoliense, ab iis maxime, à quibus in electione ipse dissenserat, varie exagitatus fuit. Mox enim post discessum fere Henrici, in plerisq; Palatinatibus conventus habiti. Inter quos in Prossoviense quidem conventu nobilitatis Cracoviensis, tanta omnium invidia in Zborovium Palatinum Cracoviensem exarserat, ut vel sororis ejus filius Stadnicius, stricto ense ipse necem publicè ei minari non dubitaret. Sendomiriensis & Lublinensis nobilitatis conventus, Autore Andrea Firleo Præfecto Sendomiriensi valde tum grato, in Soliec habitus, Judiciorum quæ sub tribunalis nomine postea instituti fuerunt initium exemplumq; aliis etiam municipiis præbuit. Quorum cum Andreas Zborovius ob Henricana tempora nobilitati invisus, ipse etiam adjutor fuisset, nobilitatem alioquin maxime in se concitatam, hac re captatam aliquo modo placaverat. In isto motu animorum communique periculo, cum Cracoviensibus maxime, aliisque regni Senatoribus, re communicata, Warsaviam Conventum Archiepiscopus indicit. Interim res variæ in regno turbari, multaque violenter etiam fieri.

In Russia Starzeckovij Drohibicensem præfecturam, summæ Samboriensis, partem quandam sibi non solutam prætendentes, vi occupant. Uchanscius Krasnostavum, quod Joannes Mnilek tenebat. Pretficius Sacaukam, ob coronationem Uchanscio datam; Zabielam prædium Knissinense, Stephanus Bielavius: in Lithuania Nicolaus Dorostaisky Sressovum armata vi ingreditur. Miles vero Russicus, stipendiorum emeritorum obtentu, præfecturas aliquas Russicas ipse etiam invadit. Qua re instigante præsertim in militem, ducemq; militiæ Campestris Jasloviecium Palatinum Russiæ, Mielecio, nobilitas maxime commota, Duces Nicolaum Herburtum, & Stanislaum Landskoronscium sibi deligit; quorum ductu & fines defenderent, & militum injurias propulsarent. Interim cõvocationis dies adesse. Primo in ea sive controversia, sive dubitatio mota, Regem ne adhuc, an interregnum haberemus, cum utraq; sententia suos autores, eosque primæ autoritatis haberet. Archiepiscopus in diversorio fere se continens, potestatem in publico sui nullam faciebat. Episcopus Cujaviensis à plerisq; exagitatus, discedit. Quo melius ab universis ordinibus, tota de re statueretur, terni utrinq; constituti, quorũ alteri Regis absentis causam agerent, alteri cõtra Regem dicerent. A Rege Christophorus

Warſavicius maxime dicebat: Interregnum Zbonſcius imprimis aſſerebat; eo usq; ut ad jurgium cum Warſavicio deſcenderet, qui cum à Zboroviis juvaretur, Zbonſcius ad probationem ſe offerre. Decretum tandem in Mielecij Podoliæ Palatini ſententiam, fit: Legati ut mittantur: certaq; dies præfiniatur, intra quam niſi veniat, pro abdicato habeatur, diesque extrema adventui ejus præſtituta conſequens novæ Regis Electioni initium præberet.

Legati Hieronymus Rozdrazenius, Secretarius tum major, & Joannes Thomas Drojevius deſignati. Dies ad menſem Majum ei prorogata, intra quam niſi veniret, alio edicto non expectato ad novum Regem eligendum Stenziciam omnes convenirent. Interim ſub pœna infamiæ, nemo quicquam ab eo vel peteret, vel acciperet, neq; quicquam datum ratum validumve eſſet. Quæ omnia frequentiſſimo conventu, Lithuanis tamen & Pruſſis fere abſentibus, juramento, fide, honore, aliisq; vinculis, & pœnis fœderum ſolennibus ſancita. Eodem in conventu, in ſtipendia militum, quarta decreta. Verum minus cum ea ſufficeret, Præfecti in quorum præfecturas per vim milites ingreſſi fuerant, quo eas à tenentibus illis recuperarent, certo pretio quod pacti fuerant, in reliqua ſtipendia numerato, militarium ſummarum initium & cauſam præbuerunt. Infanti ploranti, inſtantique omnibusq; orbitatem ejus miſerantibus, in alimenta bina millia menſtrua, præfecturarum inde aliquot reditus, Warſavienſis maxime, Lomzenſis, Tikocinenſis, Vilnenſis, Bilſcenſis, aſſignati. Jurisdictio tamen Warſavienſis nobilitatis, morte Sigismundi Volſcij præfecti vacans, Nicolao Volſcio fratris ejus filio interim commiſſa, judiciorum ratio in violentos conſtituta, visq; inpoſterum prohibita; Convocationem mox per omnes fere Palatinatus, Conventus ſubſecuti, in quibus quæ Varſaviæ acta eſſent, nobilitati renunciarentur, judicia in prioribus Conventibus à nobilitate conſtituta ipſi etiam confirmant. Dum hæc omnium rerum partim incertitudo, partim expectatio Poloniam teneret, partim in Valachia etiam res tentatæ, partim à Tartaro irruptio facta. Sub ipſum fere diſceſſum Regis, Iwonia qui Bogdano ſuffectus fuerat, cum à Turcis copias contra ſe mitti cognoviſſet, Danubium verſus obviam illis progreditur, viribus impar à ſuisq; deſertus, prælio victus capitur, camelisq; alligatus diſcerpitur.

Uxor Choroskovam ad Struſſios confugit, poſtea per Czauſium repetita deditur. Iwoniæ Petrus ex ulterioris Valachiæ Principum ſtirpe præficitur. A Tartaro ſub ipſum comitiorum tempus legatus ad Henricum miſſus fuerat. Orbum, ſeu ut ipſi vocabant viduum hactenus regnum oppugnaſſe ſe noluiſſe: nunc cum Rex creatus eſſet, amicitiam ſecum colere eum debere, conſuetaque munera, quæ aliquot annorum repetebat ſibi mitteret: quod ni faceret equum ſe conſcenſurum, idem ipſe faceret. Retento legato, cum interim Rex diſceſſiſſet, frater Czarij Machometis Chereij cum exercitu ſub ipſum tempus convocationis Varſavienſis, incurſionem in regnum facit. Dux Oſtrogius Palatinus Kyovienſis, & Jasloviecius aliquos milites habebant: cum propter æmulationes, quæ inter eos erant, in tempore ſe non conjunxiſſent, Turcarum finibus evaſtatis, Backolam per Nieſtrum in Valachiam evaſit, unum tamen agmen ad Mikaſcinum Jasloviecius adeptus, concidit. Legati noſtri cum in Gallia Regem conveniſſent, ſpes reditus iis facta. Verum jam ante ad ipſam convocationem à Ferrarienſe Duce, qui Regnum ambiret, legatus à recente cum Rege congreſſu miſſus, deſperati quaſi reditus regij præjudicium hominibus faciebat, Ferrarienſis tamen cum etiam poſt convocationem in regno nihilominus poſtea hæreret, ad quoscunq; aditum modo habere poterat, principis ſui nomine ſolicitabat: maxime in iis Zborovios. Verum quod & Reginæ Bonæ memoriâ, & proximum Gallorum imperium inviſa fere hominibus eſſent, etſi non rejiceretur, negotium tamen ejus nullus ſuſcipere auſus. Conſilio igitur à Zborovio Cracovienſe, Jasloviecio Ruſſiæ Palatinis, Gorkano, Andrea Firleo Sendomirienſi Præfecto, aliisq; nonnullis, initio ad Roſembergium, Chriſtophorus Zborovius clam mittitur, qui regni ſpe ei injecta, animum ejus exploraret.

Interim ad diem præſtitutam Rege non reverſo, ex vi ſanctionis Varſavienſis, Stenziciam frequens utriusq; gentis, tam Senatus quam equeſter ordo convenit. Omnes ij in tres fere partes diviſi erant. Firmiſſima Auſtriacorum erant. Piaſto enim ſuperiore electione fere exploſo, inque contemptum apud homines adducto, Longinqui autem imperij incommodis Henrici diſceſſu nudatis, Auſtriacum, qui quod finitimus eſſet, non multum domeſtico abeſſe videbatur, plærique ſpectabant.

Clerus imprimis omnis: tum ex reliquo Senatu & nobilitate non pauci: imprimis Palatinus Podoliæ, qui à convocatione palam, ſtudere jam Auſtriacis in animum induxerat. Lithuania deinde omnis, neque ſolum autoritate ac numero partes eæ præſtabant, verum etiam viribus: comitatus enim inſtructos & armatos plerique habebant. Secundæ ab illis Gallicæ partes erant, eorum, qui vel ex literis regiis, vel voto ſuo ſpem aliquam redditus regij adhuc habebant, quorum Princeps Archiepiſcopus: aula itidem univerſa: tertiæ eorum erant, qui non tam Gallo ſtuderent, quam Auſtriacũ averſarentur: & quibus cum canditatũ

certum nullum haberent, unum id, ut Auſtriacum impedirent, propoſitum erat. In iis magna pars equeſtris ordinis eſſe, ut qui ab Auſtriacorum Principum Imperio ſemper fere abhorrerent, quorum facile capita tum erant, Stanislaus Gorkanus, qui Palatinus poſtea fuit Poſnanienſis, Nicolaus Firleius Sendomirienſis, & Joannes Zamoiſcius Belzenſis tum præfecti, quos & reliquæ nobilitatis, maxime autem Ruſſiæ magna pars ſequebatur. Verum iis ex Senatu etiam aliqui ſe conjunxerant.

Imprimis Petrus Zborovius Palatinus Cracovienſis, qui cum maxima invidia Henricani imperij, cujus ipſe & ſequeſter & moderator fuiſſe exiſtimabatur, Judicijq; fraterni, largitionumq; ab Henrico in eum factarum flagraret, quo eam minueret, partim dabat ſe equeſtri ordini, partim ne eam augeret, reſiſtere ei non audebat. Præter hunc vero Joannes Tarlo etiam Lublinenſis, Andreas Thencinius Belzenſis Palatini. Conventu ad Stezicam die XXII. Maij Anno ſalutis humanæ, M D LXXV. In primo mox conſeſſu ante omnia conventus præteriti Varſavienſis ſcita, literæ itidem ad Regem ex conventu eo datæ, ſanctioq; ejus lecta. Inde legationes renunciatæ: Imprimis Gallica, Drojovius noſtrorum quorundam operatione & legationi ſuæ in Gallia fidem non adhibitam, & conſilia noſtra prodita ſignificabat. Frequenti cum Senatus, tum maxime equeſtris ordinis flagitatione autorem nominare juſſus, cum paratum ſe eſſe oſtendiſſet. Si prius pœna in eum tanta ſtatueretur, ut fieri plerumque amat, & impetus populi, & una cum eo res ipſa tempore diſcuſſa fuit.

Ad primum conſeſſum Lithuani ipſi non adfuere: Legatos miſere: Sanctioni Varſavienſi cum non interfuiſſent, minime etiam ſubjectos ſe eſſe velle teſtantur: ad Electionem tamen una acceſſuros, ſi Regnum legitime prius Henrico abrogetur. Pro Duce Slucenſe petebant, ut locus in Senatu ei aſſignaretur. Diſceptatum inde Electionis ne comitia iſta habenda eſſent confeſtimq; ne adminiſtrari ea poſſet. Cum à plerisq; vel hodie, ad eum accedi poſſe, acclamatum eſſet, à nonnullis cum minis vox ea excepta fuit. Sententiis tamen nonnullis variantibus, majoris partis ſententia obtinuit electionis comitia eſſe, cumq; ſcripto ne Lithuanis id poſtulantibus in eam ſententiam reſpondendum eſſet, quereretur: pleriq; in eo convenire, ut cum ſatis ſanctione Varſavienſe de eo cautum ſit, ridiculum fore ſanctionem eam alia ſanctione munire; quin potius quemadmodum ipſi verbo quæſiviſſent, ita illis verbo reſponderetur: ipſiq; potius profiterentur, an penes ſanctionem Varſavienſem ſtare vellent; cui cum ſub juramento & honore omnes devincti eſſent, etiam concordiæ cauſa eam tuendam. Poſtulatum igitur ab illis, ut concordiæ & ipſi ſtudere, & aliis autores eſſe vellent: de loco Ducis Slucenſis reſponſum: ipſe Dux veniret: jura ſua proferret: libenter cum ordinibus Lithuanicis de eo communicaturos. Ab Archiepiſcopo ſimul literæ regiæ probatæ, publiceq; lectæ. Pecuniam legatosque mittere: literæ itidem Pruſſicæ Regem expectaturos ſe oſtendentes, legatosq; ſuos in Galliam miſſos, à Polonicis neglectos querentes. Actum inter hæc de ordine ſive legibus conventus: maxime quidem ut miles externus omnis, tormentaq; inſtrumentumq; bellicum omne ſub pœna perduellionis amoverentur aliaque ejusdem generis capita plæraque, ad normam pœnasq; preteritæ electionis Varſavienſis revocata, Marſalcorumq; itidem poteſtati permiſſa.

De majore Marſalco Regni motum ipſe ne etiam Germanum peditem dimittere deberet, aliis ut in eorum locum Polonicum peditatum ſubſtitueret, cenſentibus, aliis permittentibus quidem, ſed ut loco ſclopetorum ad dirimendas rixas bardas præferrent, ea conditione retinere eos permiſſos, ne in exemplum res traheretur. Leges ex communi ſententia à Marſalco conſcriptæ, publice exhibitæ, omnium fere conſenſu receptæ fuerunt, ita tamen ut ad Lithuanorum congreſſum tota res ſuſtineretur. Qui cum ceſſarent, bini ex Senatu, bini ex equeſtri ordine ad eos miſſi, qui ne ſanctioni Varſavienſi communiq; concordiæ ſe ſubtraherent, eos hortarentur. Sanctioni Varſavienſi nullo modo ſubjectos ſe eſſe velle, ad Electionem tantum venturos, ſcripto reſpondent. Simul quas ad conventum Varſavienſem miſerant literæ lectæ, à præfecto autem Samogitiæ, eodemq; Marſalco Lithuaniæ Chotkievicio, in legibus etiam quæ à Marſalco conſcriptæ eſſent, non pauca quæ contra ſe facerent eſſe demonſtratum.

De ſanctione Varſavienſe reſponſum, ne ipſos quidem eam vituperare, aut noxiam eſſe oſtendere poſſe. Itaq; niſi veniant ad electionem etiam illis abſentibus, ad proximum diem Veneris, acceſſum illis denunciatur. De legibus fruſtra eos queri, cum in ipſorum congreſſum tota res integra ſuſtineatur. Poſtulatæ per eos dies Turcicæ, etiam & Valachicæ legationis rationes à Jarnovio fuerãt: Quod literæ quas haberet Lithuanis etiam inſcriptæ eſſent, & adventus eorum expectaretur poſtulabat. Diutius jam illis in ſententia moraq; ſua perſeverantibus renunciare juſſus, tam à Valacho, quam fratrem ejus Moldavo amicitiam offerebat: conditiones quas nomine Regni illis tuliſſet omnes accepiſſe, præter unam, ne perditiones ſuas tranſitum in Poloniam hoſti permitterent: de ea cum Baſſa Turcicoq; imperio agendum. In Turcica legatione quas difficultates habuiſſet qui cum Baſſis ſermones: quæ de nobis conſilia, quam intentos in nos Turcæ oculos haberet, quamquam omnem contra nos occaſionem captarẽt oſtendebat. A Baſſa verbo ſibi reſponſum

pacem cum Cæſare meo habebitis, ſi & curæ vobis erit, & tueri eam ſciveritis, & eum quem Cæſar meus vobis commendaverit Regem elegeritis. Maxime vero ne vel Moſcum vel Auſtriacum, vel alium quempiam ex hoſtibus ejus Regem crearent ſignificaſſe, ſed vel ex corpore aliquem ſuo, vel Tranſilvaniæ Palatinum, vel Regem Sueciæ: ad quem literas etiam ſibi dediſſet, quas Senatui reddidit: addidiſſe ſecus ſi fieret, mentione omni fœderis ſublata mox, equum contra nos conſcenſurum. Eędem literæ, quas cum ab ipſo Principe Turcarum & Machomete Baſſa ad ſenatum, tum ab eodem Baſſa ad Mielecium Podoliæ Palatinum habebat, idem ſignificabant: in literis hoc etiam amplius, duo in finibus regni, quo firmior, ut ipſe præ ſe ferebat pax eſſet, caſtra excitare ſe cogitare. Suſpectiora omnia faciebat, quod cum neque ab Hiſpano bellum ullum eo tempore expectaret: cum Cæſare autem & Venetis induciæ illis eſſent, per omne tamen imperium ejus, ut ad edictum viritim parati eſſent, mandatum eſſe diceret. Mielecius qui, ut ſupra oſtenſum eſt, totus Auſtriacus erat, ne minis Turcicis moverentur Senatum monebat: à primario Vaſallo Turcico ſe monitum; qui è re noſtra maxime eſſet, Regem ſibi deligerent; quod ſi conſentientes nos viſurus eſſet, nihil Turcam in nos moturum. Subinde Sueticus legatus auditus. De amicitia Regis ſui omnibus tam æquis quam iniquis temporibus erga nos conſtante, de regno hoc ſolicitudinem ejus teſtificatus, ut familiæ Jagellonicæ ratio haberetur æquum cenſebat, debitum inde trecentorum millium florenorum repetebat. Trium Poloniæ infantium hæreditatem, executionemq; teſtamenti Sigiſmundi Auguſti Regis. Nam & à Duciſſa Brunſvicenſe, in eandem rem Senatui literas reddebat: poteſtatem illis eidem oratori omnium quæ ad ſe pertinerent, exigendorum, nomineq; perceptorum liberandi dabat. Ad extremum deceſſum defuncti Regis, Regem ſuum dolere, conditionemq; rerum ipſius miſerari oſtendebat: quod ſi tamen novi Regis electio procederet de voluntate Regis ſui admonitos eos velle præſeferebat. Infans per præfectum curiæ de nobilitate Varſavienſe, maxime autem Enſifero tum præfectis nonnullis querebatur, jusq; ſibi de iis dici poſtulabat, quod partim prædia nonnulla ſua, maxime Jezori occupaſſent, partim minus honorifice eam tractarent, dictoq; audientes illi eſſe nollent, vel etiam proventus debitos inferre: aurum gemmæq;, mundusq; alius qui apud magnum procuratorem eſſent, ut ſibi traderentur poſtulabat. Ad querelas eas à Varſavienſe nobilitate aliæ querelæ relatæ, abſolute eam dominari ſibi velle. Jeziorienſia bona cum perpetuo ad juriſdictionem Varſavienſem pertinuiſſent, recte ſurrogatori à ſe attributa: inhonorifice aliquid contra eam à ſe actum negare: Mundi mentione facta, Joannes Dulſcius Caſtellanus Culmenſis, qui una cum aliis ad res inſpiciendas Tikocinum miſſus fuerat, quo in ſtatu eas reperit renunciat. Penes infantem legatus Ducis Pruſſiæ à Principe ſuo literas reddit, quibus locum in Senatu urget, ſimul pro infante intercedit. Itidem à Curlandiæ Duce periculum regionum earum denunciantes literæ redditæ. Maximo cum tædio, & vix non convitio omnium electio ducebatur. Res tota in eo verſabatur, quod qui Auſtriacarum partium erant, ut Lithuani fere univerſi, Senatus vero regni pars maxima, ex nobilitate etiam non pauci, ut priusquam ad electionem accederetur, regnum legitime prius Henrico abrogaretur, urgebant. Quin novus Rex rite eligi poſſet, cum ex ſanctione Varſavienſe, tum die à Rege non ſervato, nemini dubium erat. Sed ea à Principe ſuo Cæſarei legati mandata habebant, aliter quam publice prius Henrico abrogatum, communiq; conſenſu ad ſe delatum ne regnum ſuo nomine acciperent: pactorumne cum regno Poloniæ reſpectu, quorum capite quodam diſerte cavetur, ne alter ad ulterius regna aſpiret, an Gallicæ amicitiæ, incertum.

Verum eadem res cum ad adverſarios etiam, qui vel Gallicarum partium, vel Auſtriacis contrarij erant emanaſſet, de eo potiſſimum ſumma contentione utrinq; actum: omnibus quidem electionem poſtulantibus, verum aliis nonniſi abrogatione præmiſſa accedere ad eam volentibus aliis & ſupervacuam eſſe, & novatione ea ſanctionem ipſam Varſavienſem in dubium vocari contendentibus. Qui abrogationem urgebant, inter quos præter Lithuanos, maxime Mielecius, Oſſolinius Caſtellanus Sendomirienſis & plerique alij erant; contemptum noſtri apud Regem, qui tam facile nos reliquiſſet, ac pro derelictis fere haberet, exaggerare: adventum ejus cum fruſtra expectatum iri, tum ut nunc tempora eſſent non ſine periculo: abrogatio autem niſi permitteretur, verendum ut vir bonus regnum, quod certo vacare non conſtaret, accipere vellet. In imperio quidem Germanico ſimili ex cauſa comitem Swarcenburgenſem olim id recuſaſſe ſatis conſtare, ne ipſis quidem nobis regi imperio prius legitime non abrogato ad novi Regis electionem accedere integrum eſſe. Cum hujusmodi quidem Principe negotium eſſe, qui jam à majoribus ſuis & per orbem potens, clarusq; & de repub. chriſtiana optime meritus eſſet: Verum ubi de ſalute, univerſæ reipub. patriæq; ageretur, huc alia omnia poſtponanda, cum legibus præſertim noſtris ex communi omnium conſenſu, vel præſentem Principem indicto conventu deponere primas poſſet, quanto magis abſentem, qui pro derelictis quaſi nos haberet, nec in perpetuum unquam viſurus eſſet. Oſſolenius hoc

amplius addere, etiam ſi non diſceſſiſſet, jam ſex ad eum legatos, inter quos ipſe etiam fuerit, deſtinatos fuiſſe, qui niſi conditionibus ab eo ſemel acceptis promiſſisq; ſuis ſatisfaceret, ex lege electionis obedientiam ei renunciarent.

In eo omnes fere convenire, ne vel degradationis, vel abrogationis, aut aliquo non ſatis honorifico Principi titulo, ſed vel ſignificatoriarum, vel manifeſti, vel quocunque minus contumelioſo nomine, publicatio ea appellaretur; Contentionem jam ante ſtudio partium ſatis accenſam, magis etiam Eſpeſani miniſtri Regis Galliæ adventus incendit. Hic diplomate à Duce Wirtembergenſe exhibito, quo Bibracum à Gallis nonnullis in itinere ſpoliatum, captumque, ideoq; in tempore adeſſe non potuiſſe fidem faciebat, ſeipſum & alios duos equeſtris ordinis, quos ſecum habebat, fidei cauſa obſides offerens, univerſos ordines per DEUM per eorum Reges benevolentiam, majoribus eorum ſemper uſitatam obteſtatur, ne quid in Regem ſuum innoxium indicta cauſa ſtatuerent: potius conſilia ſua tempore maturari quam præcipitatione in periculum aliquod agi paterentur: haberent rationem non ſui, ſed Regis, neque tam Regis quam reipublicæ, Regem nos & noſtra non negligere: hæc & alia plura quæ noſtra referrent, oratores ipſos expoſituros eſſe: inter cætera per quos ſteriſſet quo minus Rex ad dictam diem Maij ſeſiſteret, cur conditiones non confirmarit, & ſimilia. Confœderationem Varſavienſem, non ejus omnino momenti eſſe ut nos ſana conſilia pro regni ſtatu & occaſione ſequi impedire debeant, præſertim cum Varſavienſis ille conventus, nec ex autoritate Regia adminiſtratus fuerit, nec ex communi conſenſu omnium aſſenſi ei non ſint. Præterea nos diem Regi præfiniviſſe, non ut eum abſterreremus, ſed ut vocaremus, impoſſibile tamen Regi fuiſſe: nam ab eo tempore quo legatos noſtros & Lithuanorum audivit, vix ipſi duorum menſium ſpacium dabatur, ad inaugurationem regni Galliæ, ad ſalvum conductum à Germanis petendum, & impetrandum, ad Galliam univerſam pacandam, ad ea denique omnia quæ tam longo itineri neceſſaria erat, comparanda & expedienda. Niſi vero id velimus, quemadmodum hinc, ita ex Gallia repentinus evolaret, atque ita utrumq; regnum in diſcrimen conjiceret. Hæc & alia nos multo uberiora ex legatis regiis propediem cognituros: pecunia qua ſolvantur ſtipendia, militibus & aulicis à legatis ferri. Acceſſere huc Aulici, qui & literis Regiis, & ab ipſo Eſpeſio ut in fide manerent admonebantur.

Duces eorum Thencinius Caſtellanus Voinicenſ. tanquam cubiculi præfectus, tum ex literis quibusdam Regiis, Jacobus Czecignievius, aulicæ militiæ præfectus ſe gerebant, qui in Senatū progreſſi, de officio ſuo Senatū conſulant: Priusquā ab eo cui jurejurādo fideq; aſtricti eſſent, religione fideque, quam dextris ei dediſſent, vel ſaltem legatis ejus ſolverentur, alium Regem agnoſcant, licere ſibi dubitare. Marſalci utriusq; gentis, quod ſe præteritis, per quos aditum ad Senatum parare ſibi debuiſſent, in Senatum veniſſent, graviter ferre: de Czeciguievio, quod in alienum munus ſe ingereret queri. Illi præfati confœderationi Varſavienſi, ulla in re contravenire in animo ſe non habere, alieni magiſtratus partes ſe non uſurpare oſtendunt: Sed cum Marſalcus, qui autores ejus rei, vel maxime ſibi eſſe debuiſſent, negligere eam animadverterent, ipſos ſibi de eſſe non potuiſſe, quin de juramento, fideq; ſua, ſoliciti eſſent, curamq; ejus haberēt. Poſtulata eorum non iniqua plerisq; videri: agi enim de juramento, fideq; Regi ab illis data. Alij tamen ut ſi quis miniſterium Regium perſequi velit, ut ſine offenſione publica integrum ei eſſet, cenſere: alij æque omnes Senatores juratos Regi eſſe diſputare, cum Varſavienſe tamen ſanctione, tum conditione ab ipſo Rege accepta, quaſi quid contra juramentum maxime à Senatu admonitus admiſiſſet, juramento ultro eos liberaret, imprimis poſt Varſavienſem ad eum legationem eo abſolutos, cum præſertim non tantum Galliæ Regi qui nunc eſſet, ſed tanquam Poloniæ omnes fidem dediſſent, quo regno ipſe quaſi ultro ſe abdicaſſet.

Itaq; ne à Varſavienſe ſanctione ſe ſejungerent admoniti. Quod ſi id ab illis ſpectaretur, ut à quo ſtipendia præmiaq; præſtitorum miniſteriorum expectanda ſibi eſſe ſcirent, cum Marſalco ea de re deliberandum. Simul leges conditionesq; quæ ad modum, ordinemve electionis pertinerent, varie iterum jactabantur, primum inter Senatum & nobilitatem, poſtulantibus plerisq; maxime Andrea Thencinio Belzenſe Palatino, ut juratus quisque Regem eligeret, alij contra diſputare: liberam virtutem fidemq; eſſe debere. Si quis juramento eam aſtringeret, exiſtimaturos homines, niſi juratos bonos eſſe non poſſe: qui malus ſit, juratum meliorem non futurū: ſceleratumq; æque injuriatum, atque juratum à DEO puniri, juramenta non vulganda. Inter alios qui juramentum admittebant, nemo promptius Zborovio Palatino Cracovienſe id amplectebatur: cum nolle ſe amplius præjudicato animo Regem eligere diceret: Semel ejus rei periculum, non ſine ſuo periculo feciſſe. Præter hæc Senatus modum electionis prioris nonnihil corrigendum, ad easq; ad libertatem juraq; publica pertinerent, recognoſcenda, nonnullaq; addenda, in eamque rem deputandos aliquos cenſebat. Equeſter ordo & ſi deeſſe nonnihil priori modo agnoſceret, cum tamen ad eam rationem ſervandam ex Warſavienſe edicto jam conveniſſent, fruſtra jam id tentari. Libertatem nulla auctione, aut emendatione opus habere, pæ-

nes priorem confœderationem ſe ſtare: quæque in univerſum ad rempubl. conditiones pertinerent, pleraſq; jam conſcriptas: quæ ad Regem ipſum futurum, eas ex electi perſona concipiendas.

Pacem Senatus ad ſuperioris electionis exemplum ſanciebat, equeſter ordo id amplius addere, ut non modo locis conſilij publici, ſed intra ſtativa etiam, duaſq; ſeptimanas poſt electionem, ſub eadem ſanctione ubiq; obſervaretur. Ne aliter quam præſidiis finium; modoq; defenſionis certo conſtituto diſcederetur, inter omnes convenire. Culmenſis Caſtellanus Joannes Dulſcius, in ſententia ſua mentionem fecerat, queſtos in proximo conventu Laſſinenſe ordines Pruſſiæ, frequenter ſe ab ordinibus regni negligi, & ne ad hunc quidem conventum legitime vocatos fuiſſe: cujus rei injuria pleroſque, qui alioquin venturi fuiſſent, domi retinuerit: de eo etiam quærere, quam recte ordineq; ad conventum hunc è Gallia Rex vocatus fuerit. Senatus igitur electionem Pruſſis denunciandam cenſere, equeſter ordo electo jam Rege ipſam electionem. Suffragia ſi diverſa eſſent, Senatus ponderanda, equeſter ordo ſorte dirimenda ſtatuere. Legati externi ut ante nominationem omnes audirentur. Mielecius duas præterea res ſuadere, unam Electionis quæ poſteritatem obligaret, in perpetuumq; obſervaretur: alteram judiciorum generalium formam: utriusq; conſtituendæ, interregni opportuniſſimum tempus eſſe. Verum earum hæc non multo poſt, ſub ipſum Stephanani regni initium exitum reperit: altera magno reipub. bono ſæpe tentata, privatis nonnullorum ſtudiis & ambitione, ad hoc usque tempus diſcuſſa adhuc fuit. Cætera quæ ad modum conveniendi, diſciplinamq; familiæ, ſimiliaq; pertineret, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, ſuperioris electionis exemplo, Marſalcorum miniſtrorumq; eorum poteſtati permiſſa.

Eadem cum Lithuanis etiam poſtea communicata, atque ab utriusq; gentis delegatis examinata, cum iterum in Senatu lecta recognitaq; fuiſſent, jam de plerisq; fere conveniebat, ſola intentio, de decreto abrogationis electionem morabatur. Vicit tandem majoris partis ſententia. Archiepiſcopus juſſus imperium illi abrogare, recuſat. Cracovienſis Epiſcopus Craſinſcius, cum rem ſuſcepiſſet, jamq; ornatum Pontificalem ſumeret, interpellatus deterretur. Inter alios Joannes Laſcius, ſtructor Belzenſis, ſtricto publice in comitio gladio Auſtriacæ factioni minatur: factum id acclamationes totius fere nobilitatis probarunt. Abrogationem nullo vel audente, vel volente ſuſcipere, electio tamen ad diem XXVI. Maij per præconem à Marſalco publicatur. Improbatus præco à Palatino Cracovienſe. Marſalcus cum ſuperioris electionis exemplo factum defendere, cum non imperium promulgatione ea Regi à ſe abrogatum, ſed ex ſanctionis Varſavienſis vi, electionem pronunciatam eſſe. Etſi electio autem à Marſalco promulgata jam eſſet, nihil tamen adhuc procedere. Nam & qui Gallicarum partium, inter quos Princeps Archiepiſcopus erat, & qui Auſtriacis adverſabantur, obſtabant, & maxime cum Lithuanis convenire non poterat; qui ad electionem quidem paratos ſe oſtendebant. Varſavienſi autem ſanctione, quæ abſentibus ſe rogata eſſet, nullo modo teneri ſe velle: inſtantiſſime vero abrogationis decretum urgebant. Inter hæc Eſpeſius nuncius Gallicus, cum ad priora poſtulata ſua reſponſum petebat, tum novum addebat, ut quæcunq; de Rege conſtituerentur, in acta publica inferrentur. Dum res ita ducitur, utraq; factio, tam eorum qui Gallo ſtudebant, quam qui Auſtriacum averſabantur, inter quos è Senatu Zborovius Cracovienſis Tarlo Lublinenſis, Andreas Thencinius Belzenſis Palatini, ex nobilitate autem primarij non pauci, Ruſſica autem nobilitas fere omnis, conſiliis viribusq; inter ſe communicatis, ad veteris cujusdam caſtri, Seczechovæ ruinas ſeceſſere. Locus conſilij publici pergula ſpatioſiſſima ut æſtate, ex materia frondibusq; ſubitario opere excitata foſſisq; propterea circumdata erat. Qui locus cum electioni conſiliisque publicis publico omnium conſenſu dicatus eſſet, quicquid extra eum ſuſciperetur, minus rite præterque jus fieri alij interpretabantur. Ad eos igitur qui ſeceſſerant Epiſcopus Cracovienſis arbitrio concordiæ privatim ſuſcepto, cum fruſtra apud eos laboraſſet, haſce tandem conditiones ad Senatum retulit. Lithuani ut ſanctionem Varſavienſem acciperent: Decretum abrogationis urgerent, peditem, militemq; omnem externum, tormenta aliudq; inſtrumentum omne bellicum, ut ab omnibus ablegaretur: Auſtriacus ne nominaretur: ad extremum ſi hic convenire non poſſent, ut locus tempusq; electioni aliud aſſignaretur. Inter alias vero diſceſſus ſui, quem denunciabant cauſas maxime expectationem incurſionis Tartaricæ etiam afferebant. Etenim publice per eosdem dies nuntij in Senatu lecti fuerant; quibus in procinctu Turcas eſſe perſcribebatur: & de Valacho ſatis conſtabat, mandatum ei à Turca eſſe, ut eventum electionis, conventusve ejus quamprimum ei nunciaret: nominatim vero Tartari, maxime viribus ad invadendum regnum parare ſe nuntiabantur.

Ex eo tempore omnia confuſe perturbateq; agi: Qui ſeceſſerant in ſententia ſua perſtare: cum neq; numero, neq; copiis, & comitatu, neq; armis, ſi quid hiſce agendum eſſet pares ſe tum Auſtriacis viderent, omnia tentare, ut infecta re diſcederetur. Itaq; & Senatores ſuos maxime Leopolienſem & Sanocenſem Caſtellanos denuntiationibus abducere

ab aliis

ab aliis nitebantur, & non modo reliquam partem equeſtris ordinis, ut ſecum ſe conjungerent ſolicitabant, ſed famulitia etiam cum Senatorum, tum aliorum primariorum equeſtris ordinis, quæ ex nobilitate fere eſſe ſolent, ut in cauſa publica non herorum, ſed reipublicæ libertatisq; ſuæ memores eſſent appellabat. Non penes tecta aut locum ſed homines, jus autoritatemq; eſſe. Alia pars ad æqua omnia paratam ſe eſſe cum illis accedere, oſtendere, modo in loco ſolennni, à quo honeſte diſcedere non poſſent, conſilia conferrent: in eandem ſententiam à miniſteriis etiam, quæ ex nobilitate eſſent illis reſponſum: non penes heros, ſed cauſam juſtam ſuo loco ſe ſtare. Senatus reliquus univerſus ſeceſſionem eam deplorare: miſſitare ad illos: rogare ad locum legitimum, ſolennemque ſecum convenirent: promittere brevi conſenſum futurum: omnes rationes concordiæ quærere: maxime Lithuanos orare, ut concordiæ cauſa à decreto abrogationis urgendo deſiſterent, ſanctioniq; Varſavienſi, ipſi etiam ſe ſubjicerent, exorati tandem Lithuani, cæteroquin in Auſtriacos propenſi, hiſce conditionibus aſſentiuntur. Imprimis loco, conventusq; Stenzicienſis tempore ſanctio ea finiretur, in quo niſi electus interim Rex eſſet, amplius ea non tenerentur. Conditiones Kamenenſes ratas habituros in futuraque coronatione una urſuros promittunt. Denunciatum id alteri parti, ſpesq; concordiæ facta, illi quod ſemel propoſitum illis erat, electionem inficere, ad Senatum aliquot ex ſuis miſſis ad electionem acceſſuros ſe negare: de ordinata conventus ejus ſolutione, alteriusque indictione deliberare ſe cum illis paratos eſſe. Objecta illis ſanctio Varſavienſis, inter primos Mielecius, de cujus integritate etiam qui minus illi volebant, bene tamen omnes exiſtimabant, ut officij erga rempub. ſui, maxime autem fœderis Varſavienſis, cujus ſub fide, & honore in ſe onus ſuſcepiſſent, rationem haberent, obteſtari: nominatim, ne decipiſſe ab iis putarentur, qui illos proderent: Sacroſancte confirmans eſſe quoſdam, qui ne conſilia rationesq; ſuæ aliis paterent, ſoporem oculis illorum offunderent. Vilnenſis vero Caſtellanus eo verbis provehi: ut qui Sanctioni Varſavienſi non ita obedit atq; ego, non eſt tam bonus atque ego, diceret. Ad ea legati alterius partis cum reſponſo miſſi, priorem ſententiam confirmabant: ad invidiam vero iis, qui remanerent faciendam, non ſolum ut integri Palatinatus, ſed ſinguli, quot è quoq; Palatinatu remanerent nomina profiterentur, poſtulare. A Palatino autem Podoliæ flagitare, ederet, quos caliginem offundere ſibi ſignificaſſet: non modo contra eos cum illis ſenſuros, ſed ultro vindictam de iis ſumpturos: quod tamen non procul ad ripam Viſtulæ conſtitiſſent, difficulter objici ſoporem oculis ſuis poſſe.

Ad prius poſtulatum ab eis qui ex nobilitate in comitio remanebant, reſponſum, etiam ſine indicibus, aut albis illorum, notum fore Poloniæ cui ſalus ſua curæ fuiſſet. Mieletius quæ dixiſſet probare ſe paratum eſſe oſtendit, ſi in eum locum, in quem jure deberent, omnes convenirent: Legatos, ut ſalutis publicæ curam haberent, ad eandemq; eos etiam à quibus miſſi eſſent adducerent, hortari: ne electionem diutius differendo, patientiam divinam tentarent. Vix non in ipſis foribus hoſtem exitiumq; ſuum videntes; quæ à ſe in quoſdam dicta fuiſſent, neq; malo animo, & ædificationis reipub. cauſa dicta, quam aſſecuturus non eſſet, ſi vel in paucitate iſta, vel apud legatos iſta proferret, ejus tamen Vaticinij ſui meminiſſent, futura electione, ſi aliqua futura eſſet, non omnes ſed paucos quoſdam, & eos fortaſſis, qui jam ante præmeditatum, paratumq; habuerint Regem electuros, hujusmodiq; eis Regem daturos qui vel neq; ipſos, neq; nos noſſet, vel ipſorum conſilio omnia adminiſtraturus eſſet. Cujus orationem Oſſolienius, Sandomirienſis Caſtellanus excipiens, eſſe quendam inter ipſos addere, qui quemadmodum ſuperiore electione Piaſtum extentoriis eliminaret, ita nunc abrogationem Regni Henricanam è pergula extricaturum ſe gloriari non dubitarit. Plærique autem quisnam modus ordinati diſceſſus, quem expetere ſe oſtenderent eſſe poſſet, quærere. Quemadmodum in domo ſine patrefamilias ordo nullus conſtare poſſet, ita in Regno ſine Rege, Electionem in tempus certum prorogari eos velle. Præterquam quod Warſavienſe ſanctione, quæ firmiſſimis vinculis aſtricta eſſet, nunc violata, omnium quæ inpoſterum unquam conſtitui poſſent, autoritas vel tolleretur, vel tollendis certe feneſtra aperiretur, quem præterea ſponſorem eſſe poſſe, facultatem ejus habituros, ac non vel hoſtem aliquem præoccupaturum quodq; illi ſibi comitiorum, hoc ipſum belli illis tempus præfiniturum? Cum fruſtra omnia illis inculcarentur, tandem peditatus, militem, tormenta, vimque, ob quam libere electio adminiſtrari non poſſet, periculum etiam Tartaricum, ob eundemq; non paucorum etiam ex nobilitate diſceſſum cauſat', cauſas eas ſcripto comprehendunt: eadem ut in alium conventum res integra differatur, maxime ne abrogationis iſtius ceremonia adhiberetur, poſtulant: aliter ſi fiat, quicquid ſe & reliquo ordine equeſtre abſente actum eſſet ratum non fore teſtantur, certos ex corpore ſuo delegant, qui partim aliorum qui remanerent conſilia obſervent, partim ſi quid de ratione diſceſſus & futura electione ſtatuere vellent, in medium cum illis conſulant. Penes quos cum ſcriptum id reliquiſſent, Nicolaus Sienicius Succamerarius Chelmenſis in Senatũ cum iis venit: diſceſſus ſuorum eas quæ ſupra oſtenſæ ſunt cauſas affert, ſcripto reddit:

tanquam

tanquam à nobilitate delegatos denunciat ſiſtitve, eam autem ad rem delegatos ſignificat, ut de ordinato diſceſſu, & ſi quid ad eam rem pertineat, cum iis conſultarent. Sanctionem Varſavienſem quæ objiciebatur ita interpretabatur, ut ad ſolum Regem pertinere eam dicerent, quaſi ſolum id cautum ea eſſet, ne pro Rege amplius eum haberent, non vero etiam, ne ulterius differri electio poſſet. Ita conventu è manibus quaſi elabente externi legati, nonnulli auditi. Cæſarei legati, quod de certo interregno conſtare ſibi non dicerent, legationem exponere ſe non poſſe per literas oſtendunt, quin potius omnia felicia regno precati, ut Henrici Regis ratio habeatur, Principem ſuum velle teſtantur: quod ſi certum ſibi eſſet, ad novam electionem acceſſum iri, in eum eventum non deeſſe, quæ ex mandatis Cæſaris cum illis agerent. Apud Marſalcum de Stanislai Zolkievij Ruſſi nobilis Palatini poſtea Belzenſis contumeliis, verborumq; injuriis queruntur; quibus cum diverſorium eorum tranſiiſſet, jus gentium in ſe violaſſet. Andreæ Dudicio aliquot annorum legato Cæſareo, qui Epiſcopus quinqueeccleſienſis vir alioquin imprimis doctus amore nobilis Struſſiæ puellæ ex Gynæceo Reginæ captus ſtatu religioneq; mutata primo ipſam Struſſiam, inde ea mortua ſororem Zboroviorum viduam uxorem in Polonia ſub id tempus duxerat, ab iis qui vitæ ſalutiq; ejus minarentur, fide publica caveri petunt. Alij nonnulli publice auditi. Duciſſæ Brunsvicenſis orator executionem teſtamenti Auguſtani, hæreditatemq;, quæ ad principem ſuam cum aliis ſororibus pertineret, petebat. Pomeranus debitum centum millium Auguſto mutuatorum uſurasq; ejus, tum quatuor millium penſionem, uni ex ducibus ſuis ab Auguſto promiſſam, pro hominibus nonnullis ducalibus, qui itidem nomina in Regno haberent intercedebat; Suffragium in electione Regis, quod antiquitus ut ferebat, habuerint, poſtulabat, ad extremum dislimitationem ditionum ducalium à Regno. Valachus confirmationem juramenti afferebat: invicem literas à Senatu petebat, per quas de amicitia cum Regno ſecurus eſſe poſſet: jus hominibus ſuis, qui negotia in regno haberent, dici poſtulabat, cum ipſe noſtris ſine ulla mora in ditionibus ſuis jus reddat, redderetq; ſemper paratus eſſet: Commentarium damnorum quæ ſui à noſtris accepiſſent offerebat. Secundum hos à generali majoris Poloniæ literæ quibus adventum Bibracij nunciabat, tum ab ipſo Bibracio redditæ: cauſas affert ob quas minus in tempore adeſſe potuerit: aliumq; legatum in itinere jam eſſe ſignificat. Senatus inde habitus, cum de univerſo reipub. ſtatu; tum de præſidiis finium, infante, legatorum externorum poſtulatis, ad eademq; reſponſis. Statum reipubl. diſceſſumq; illum partis ejus equeſtris ordinis, communiter utriusq; gentis Senatores deplorare; diras ultoremq; DEUM autori ejus imprecari: Quæ diverſæ parti frequentiſſime inculcata fuerant, repetere: peſſimi exempli rem eſſe: eodem enim modo à paucis aliquot re communicata, ſeceſſioneq; facta, conventus, comitiaq; omnia turbari, dirimiq; poſſe. Quod enim vinculum, quod jus poſt hac firmum futurum, cum tam firmum fœdus ab omnibus ſancitum, paucorum temeritate, idque impune violatum eſſet. De ordinario diſceſſu, aut aliqua alia re, non cum nunciis, ſed cum delegatis à privatis hominibus, qui cum mandatis hujusmodi nullis domo, aut è conventibus ſuis veniſſent, aliquid agi, aut præterquam de electione quicquam ſtatui poſſe, plærisq; non videbatur. Itaq; ut ad electionem nihilominus accederetur, eaque finiretur alij ſuadere: cum Sigismundano jure nitentes, tum ſanctione Varſavienſe: maxime quod difficulter alia electio expectanda eſſet. Cum alias multas ob cauſas, tum quod nemo poſthac, futurus eſſet, qui eam indiceret. Alij inter quos maxime Mielecius, ut quacunq; alia tamen ratione pacate, ordinateq; diſcederetur, obteſtari: ne diſcordia noſtra in hoſtium oculos, qui ſine dubio intenti in eam eſſent, incurreret: non imitandos in ea re inferioris ordinis, qui ſeceſſiſſent fratres: quin potius amore patriæ, quæ ab illis turbata eſſent ſananda.

Lithuani electionem univerſi urgere: DEUM hominesq; teſtari ad omnia reipub. ſalutaria paratos ſe fuiſſe. Neque nunc ullam in ſe moram eſſe, quo minus Rex eligatur. in aliam actionem nullam ſe conſenſuros: cum & ab initio jam profeſſi id fuerint, de eoque ſibi caverint, & nullam etiam aliam ad rem quam ad electionem vocati veniſſent. Quod Varſaviæ ſanctioni illi ſcribendæ non affuerint, ſibi gratulari: honeſtius enim jam & liberiore animo Stenzicia diſceſſuros: In ſervitutem eam, qua paucorum aliquot cauſâ univerſi reipub. conſulere non poſſent, graviſſime invehi. Pericula M. D. Lithuaniæ demonſtrabant. Livoniam univerſam, à Moſco ita vaſtatam, ut è ditionibus ſolum regiis ad quadraginta millia capitum per id tempus in ſervitutem abducta fuerint. Propugnaculum maritimum centenis aliquot militibus noſtris cæſis, in poteſtatem à Rigenſibus redactum. Parnaviam pecunia à Dano oppugnari: milites Germanos qui in præſidio eſſent, ſola conventus ejus expectatione adhuc ſuſtineri: per omnem fere Livoniam militem nullum eſſe: nobilitatem oppidaq; Livonica aperte defectionem ſpirare: Moſcum cum quo induciæ jam exirent, copias exercitumq; cogere: noſtros aut nolle, aut non poſſe ſe defendere: itaq; teſtari ipſos ſibi conſilium capere oportere; Si in poteſtatem alicujus venire debeant, malle ſponte quam coactos, quod ſi pereundum illis fuerit, nun-
quam

quam de nobis queri ceſſaturos, oſtenſurosq;, quales per id tempus ſinceros conſtantesque amicos Regno ſe præſtiterint, tales poſtea hoſtes eſſe poſſe: In aliam electionem conſentire ſe non teneri: ex fœdere enim unionis, de una ſola, non de duabus aut pluribus adminiſtrandis ſibi conſtare: quamvis illa ipſa unione non amplius ſe teneri, ſatis jam ante præſetuliſſent. Archiepiſcopus jam ab aliquo tempore valetudinem cauſatus, in Senatum non veniebat; miſſi qui rogarent, ut vel ipſe veniret, vel ſententiam ſuam, Senatui ſignificaret; Scriptum ad Senatum mittit, quo ut electio in aliud tempus differretur petebat: frementibus è contra Lithuanis, aliisque Auſtriacarum partium, electionem urgentibus. Quod niſi animus, conſenſusque tum Auſtriacis partibus defuiſſet, omnibus qui reſiſtere potuiſſent dilapſis, non dubium eſt, quod facillimo negotio Auſtriacum tum creare potuiſſent. Ad Henrici enim imperium quod attinet, cum ſanctione Varſavienſe, & adventus ejus, & niſi ad eam ſe ſiſteret, novæ electioni certa dies præfinita fuiſſet, cum ſanctione ea Varſavienſe, tum proprio ejus judicio regnum ſatis abrogatum ei videbatur. Ad abſentes vero quod pertinebat, cum diſerte legibus, maxime autem Sigismundana conſtitutione jure ſuffragij privati ſint, neq; horum diſceſſum, neq; aliorum abſentiam, quo minus qui remanſerant, electionem perficerent impedire poſſe ſatis conſtabat. Quod ſi illi qui remanſerant, non jure ſolum, ſed viribus etiam ſine controverſia ſuperiores, tum feciſſent, quis vel conſilij vel animi habiturus tantum fuiſſet, ut Rege jam electo, ſine certo præſertim capite, conſilioq; alium contra eum excitare, vel à paucis aliis regnum delatum accipere auſus fuiſſet, cum quemvis non ſolum opes partium tam firmæ, ſed vel ipſius ſanctionis Varſavienſis, novæ quam ſancturi fuiſſent, diræ denunciationes deterrituræ fuiſſent. Verum fata, ſeu DEUS potius, qui fata Regnorum omnium nutu adminiſtrat, novoq; Regi & rebus in Regno hoc viam tum ſternebat, neq; Auſtriacis tum mentem eam dedit, ut ſine decreto abrogationis, accipere regnum vellent, neq; partibus illorum vel conſenſionem eam vel animum, quem res temporaq; ea tum poſtulabant. Maxime tamen Mielecij bellum civile deteſtantis, quo minus ad electionem alij quamvis prompti ac parati accederent, autoritas obſtitit. Ita igitur ruptus potius conventus is, quam ſolutus. Priusquam tamen diſcederetur, de aliis rebus de quibus ſupra fere mentio facta, actum potius aliquid inter Senatores quam conſtitutum. Per conventus ejus tempus Lithuanici milites, qui ab Henrico autoritati fuerant, tum Livonici qui in Parnavienſe præſidio plæriq; erant, ſtipendia ſua flagitarant. Aliis ut ad futurum Regem rejicerentur, aliis vero ut cum peculiare ærarium Lithuani haberent, quemadmodum ex Polonico ærario Polonicis, ita ex Lithuanico Lithuanicis ſolveretur, cenſentibus: in eo perſtitum, ut in præfecturis Lithuanicis Senatorum Lithuanorum ſubſcriptionibus ſolutio illis aſſignaretur, quæ à futuro deinde Rege præſtaretur. Maxime curam publicam præſidia Camenecenſe, Barſcenſe, Circaſſienſe, Scepuſienſe, aliaq; in finibus Podolicis & Ungariæ requirebant, à quorum præfectis aliquot ad conventum, cum literæ allatæ fuiſſent, neceſſitates defectumq; artium illarum denunciantes. Partim ad quartam, partim ad reliqua contributionum rejecti; ex quibus cum emerita ſtipendia præſidiariis ſolverentur, tum in ſupplementum novi ſcriberentur, præfecto Strijenſi, Nicolao Sieniavio, jam enim aliquanto ante Jasloviecius mortuus fuerat, committerentur, qui ex uſu periculisq; finium Ruſſicorum & Podolicorum, opera illorum uteretur. Non deerat tamen, qui de ſuo etiam privatim ad quartam adjecturos pollicerentur. Quæ extra controverſiam ad infantem ſpectarent, ut ſine cujusquam impedimento ea perciperet, omnes equum cenſere: de aliis rogandam, ut una cum repub. feliciora tempora expectaret: Regiè autem ut ab omnibus coleretur, neq; quid minus honorifice, aut cum injuria à quoq; in illam fieret: Curam ejus, ut quemadmodum cepiſſet, ita ad exitũ usq; Epiſcopus Chelmenſis haberet, honorisq; ejus cauſa circa eam verſaretur, Cæſareorum legatorum injuriam reipublicæ maxime cauſa omnes dolere: jure gentium etiam inter tela hoſtium tutos legatos eſſe debere: Violationem ejus ſæpe graviſſimorum bellorum, non raro exitij atq; ruinæ, multis potentibus etiam populis, cauſam attuliſſe: deplorare ferociam, inanemq; virium fiduciam noſtram, qua nonnulli ſublati, neq; Gallicum, neq; Germanicum, Chriſtianumq; aliquod, neq; barbarum ullum imperium eſſe, quod contemnere, irritareq; non dubitarent. Allegatus ad eos ex Senatu, qui partim ſatisfaceret eis, partim vicem eorum doleret: utque temporibus reipubl. quæ ſine ullo capite nunc eſſet injuriam eam condonarent, peteret. Zolkievium excuſabant, in virum gravem, maturæq; ætatis, & qui optimæ ſemper exiſtimationis fuiſſet, minime id cadere, non in legatos ille dixerat, ſed noſtros deferri ad ſe, alium ejus culpa affinem eſſe, quicunq; tamen eſſet, non impune laturum. Dudicij ſecuritati fide publica cavebant. Aliorum legatorum expeditio & reſponſa, quemadmodum quidem & Cæſareorum, Cancellariæ commiſſa, à qua ad futurum fere Regem plerique, negotiaq; eorum rejecta. Moſcoviticus legatus Lithuanis delegatus. Erant ad id usq; tempus in poteſtate adhuc Theſaurarij, Abbatis Cyri ſcrinia, opera Caſtellani Gedanenſis cum ipſo Cyro, quemadmodum ſupra demonſtratum, intercepta, ea tum reſtitui juſſa. Reliquum erat, ut decretum ſcitumve aliquod conventus ejus conciperetur,
ede-

ederetur ve: convenire nihil potuit, quemadmodum ne de proteſtatione quidem an ei, quam equeſtris ordinis pars illa reliquiſſet, alia opponenda, an ipſa potius concordiæ cauſa, ne memoria aliqua ejus extaret, ſcindenda abolendaq;. Ita primum Lithuanici Senatores, cum de loco Ducis Slucenſis in Senatu fruſtra iterum ſe interpoſuiſſent, Polonicis Senatoribus valedictis, deinde ipſi Polonici dilapſi. Conventum Stenzicienſem eum ad modum plærorumq; maximo cum dolore infectum, non multo poſt menſe Septembre. Tartarica excurſio excepit. Adleus Chereius qui in Perſia poſtea periit, Machometis frater omni fere barbarie Scythica ſedibus excita, maximo cum exercitu, regnum ingreditur. Ut mos eorum eſt, exploratum duo agmina præmittit. Jam ante Jasloviecius primo vere mortuus fuerat. In locum ejus nobilitas Nicolaum Sieniavium finitimæ militiæ ducem interim crearat. Mieliecio prius ſibi delatum munus id deteſtante, nobilitate autem Mielecium nihilominus fere ſpectante, omnemq; in eo ſpem habente, quamvis ob ſtudium in Auſtriacos inclinata jam fere autoritate. Ex iis qui explorandi cauſa præmiſſi à Tartaro fuerant, unum agmen ad Beſſarabi, quo loco Oſtropolis eſt deinde condita, Vadum à Palatino Kyovienſe qui cum Mielecio conſentiebat, in reditu obſeſſum, & cæſum. Alterum agmen ad Sieniaviam ſe contulerat, cum ut vulgo videbatur ſagæ Tartaricæ, incantationibus ſuis uſum tormentorum, qui ibi erant plane iis ademiſſent, oppidum jam diripere inceperant. Interim Mielecius, cum Sieniavio, qui nuncio adventus hoſtilis ante accepto, nobilitatem domo exſciverant militemque omnem coegerant, ſupervenere: maximeq; Jacobo & Georgio Struſſio, fratribus alacriter in oppidum irruentibus, hoſtis ad copiarum noſtrarum conſpectarum, primo ad exercitum, inde ipſe exercitus, retro fruſtra Koſacis, qui à Mielecio & Sieniavio miſſi fuerant eos ſpeculantibus, ſubito ſe recepit, inſidias nihilominus plærisq; verentibus, maxime Mielecius nonnihil in armis ſe contineret, neq; domos mox dilaberetur, autor nobilitati erat, ſed ſurdas ad ea plærisque aures habentibus, hoſtemque territum, in interiores hordas, recepiſſe jam ſe exiſtimantibus, domumq; dilapſis, Mielecius etiam Uſciam ſe recepit. Octiduo poſt univerſus exercitus Tartarorum, quem Koſs illi vocant reverſus ad Tarnopolim conſedit; quo agmina more ipſorum diverſa omnes in partes, jam ante ad Rozwornam, Mogillam quaſi divortij tumulum dimiſſa, vaſtitatem incendiaq; per univerſam fere Podoliam Ruſſiamque, ſub ipſam fere Leopolim & Sokalã usque, ac per Halicienſem tractum Volhiniamque, ad eum redituri. Cum nonnullis aliquot in locis pugnatum: ubique infeliciter. Zbaraſij, Michael Viſnioviecius Circaſienſis, Joannes Zbaraſius Krzemenecenſis, Prethvicius Trembowlienſis præfecti, & alij nonnulli erant, aliisq; conflictum fere diſſuadentibus, famulitiumq; tantum emittentibus, Prethuicius ut confligeretur obtinuit. Tartaro prædam ruſticis, quibus in paucitate ſua maxime noſtri fidebant objiciente, male res geſta. Ad Choraczkovum Stanislaus Wlodky, Struſijq; fratres, cum aliis nonnullis, cum quinquaginta tantum Tartari ab initio ſe oſtendiſſent, eruptione in eos facta eos profligant: inſidiis autem mox animadverſis ſe recipiunt. Trebowliam ad quadringentos circiter ex nobilitate ad Mniskowſcium confluxerat; in inſidias poſt pecora omnes fere circumventi. Joannes Koſtka, qui Palatinus Sendomirienſis tum erat copiasq; nonnullas circa ſe habebat, per tempus id irruptionis Satanovij ſubſtiterat. Non procul inde Sieniavius iter Krichmanenſe obſervabat, eosq; reliquos etiam per edicta convocabat, non paucis tamen quod & accidit per Valachiam potius ituros, etiam prævidentibus & denunciantibus. Itaque pleraq; nobilitas, imprimis vero Palatinus Belzenſis Tencinius, præfectus Belzenſis, Zamoiſcius, aliique non pauci, qui comitatum non contemnendum ipſi etiam compararant. Kameneciam potius eundum cenſebant. Sieniavij tamen autoritate permoti, una cum Palatino Sendomirienſe Grodekum verſus ad Balinam usque progrediuntur, ibi Sieniavium reperiunt, Palatinum item Kyovienſem Andream Viſnioviecium Palatinum Braclavienſem, præterq; Boguſſum Koreczium Wolhiniæ Palatinum, qui Koreczij tum æger decumbebat, alios Wolhinios à perſequendo hoſte jam revertentes, diverſumque diſceſſum ejus nunciantes. Tartarus enim Trebowlia mox agminibus omnibus coactis ad Kameneciam, Valachiam verſus ſe receperat, ibi in prædam intentus cum eripere ſe illis poſſe eam exiſtimarent, cives, erumpentes male habiti. Cum ſub ipſis muris Kameneciæ fines regni vaſtaret, legati ejus, quos retentos ſupra oſtendimus, Kameneciæ adhuc hærebant. Cauſſius etiam Turcicus ſub idem tempus per media Tartarorum agmina Uſciam ad Mielecium contendit. Clades, vaſtitasq; ubique magna accepta; cum plærique & ſua ſecuritate vere hoſtem ſe recepiſſe credentes, & propria hoſtis ejus celeritate, nihil omnino metuentes, vel in domibus ſuis epulantes, vel in agris palantes ſecuri, inermesq; oppreſſi ab hoſte fuiſſent. Itaque innumera maxime etiam ex nobilitate captivorum multitudo abducta, qui tamen quo ad cis Nieſtrum hoſtis adhuc erat, ſpem aliquam in propinquis ſuorum auxiliis habebant. Poſtquam ad ripam Nieſtri ventum, nullumq; omnino à quo opis aliquid ſperare poſſent, circumſpicerent, fruſtra DEUM hominesq; implorantes, diraq; omnia civibus ſuis imprecantes à quibus deſerti, in miſerrimam ſervitutem abducerentur, pleriq; vero mortem ipſi ſibi imprecantes, magno cum gemitu & lachrymis,

majore etiam fœminarum, & imbellis ætatis ejulatu, alij vincti, alij pecudum more acti Neſtrum traducuntur, tantus autem terror incurſione ea illatus, ut non ſolum Neopolomicia ſupra Cracoviam jam dessereretur, Cracoviaq; fuga & terrore impleretur. Sed non minus vicina Sileſia trepidaret. Wratislaviæq; etiam per muros & propugnacula, tanquam in propinqua hoſtis expectatione, tormenta conſtituerentur, aliaque ad ſuſtinendam obſidionem inſtruerentur.

Cum Palatinus Siradienſis Albertus Laſcius Cracoviæ tum forte eſſet, inque concione à Joanne Kuroſcio deſertæ patriæ accuſatus, ingratitudinem patriæ, & inopiam cauſatus fuiſſet, à Cracovienſibus civibus pecuniæ aliquid corrogatum ei fuit; qua accepta incendiis aliquibus ſupra Leopolim factis novum terrorem excitavit. Eodem anno in Livonia etiam, acriter rem Moſchus gerit. Parnaviam quæ de Sueco primum capta, ab Uberfeldianis tum tenebatur, intercepit. Vicam occupat, Oſiliam populatur. Inter has cum publicas clades, tum privatas turbas: nam privatim etiam vis, cædesq; multæ committebantur, perturbationisque & metus omnia plena erant, de Rege eo magis ab omnibus cogitabatur, quo magis omnium ærumnarum iſtarum cauſa interregni, ſtatusque is ſine ullo imperio certove capite, ab omnibus judicabatur. Eædem autem fere factiones manebant, quæ Stezicienſem conventum diſtraxerant. Verum Auſtriacæ partes eo etiam firmiores factæ videbantur, quod Archiepiſcopus etiam, qui ob Galli ſtudium cunctantior in partibus fuerat, deludi jam ſe à Gallo animadvertens, palam in partes deſcenderat, quæ Czecignievio Duce aulæ & familiæ Regiæ perſonam quaſi repræſentabat. Ad vires conſilium adjungunt. Cum enim magna pars nobilitatis, maxime autem Ruſſica nobilitas Auſtriacis mordicus nihilominus adverſaretur, comitia ſub ipſum tumultum Tartaricum, quo abſentibus Ruſſis, electio adminiſtraretur, in menſem Novembr. Warſaviam indicunt. Ruſſi re animadverſa cum Tartarus jam receſſiſſet, partim opulentiores ipſi ad electionem advolant, partim legatos ſumma cum poteſtate mittunt: ab illis quæcunque conſtituta fuiſſent, quod ad multa poſtea profuit, tutaturos ſe fidem dant. Qui Auſtriacis ſtudebant, in quo numero Senatus univerſus fere erat, Principesq; Archiepiſcopus, & Palatinus Podoliæ, eodem Mielecio autore, ita inſtituta ambitus ratio erat, ut ex Auſtriacis Maximilianum ipſum Cæſarem fere ſpectarent. Movebant Mielecium, ut in eo non longi ævi principe futuro, Valetudinario certe Auſtriaci Imperij periculum prius fieret: autoritas deinde ejus apud omnes Principes ſumma: Spes hinc auxiliorum, ſi movere quid Turca vellet: ad extremum quod facilius perſuaderi eum poſſe putaret, quam juvenem, qui alieni ab Auſtriaco diverſarum partium erant, candidatum fere certum nullum habebant.

Palatinus Cracovienſis Zborovius nulli fere operam ſuam negans, maxime tamen Ferrarienſi qui liberaliſſime promittebat, favere exiſtimabatur. Verum de voluntatibus hominum deſperans, à Roſembergio etiam cum aliis qui in eum conſenſerant, rejectus, fato viam novis rebus ſternente, ad Stephanum Tranſilvaniæ Principem convertere ſe cœpit, qui cum Bekieſſium Forgaraſſio primum exuiſſet, eundem deinde cum Germanicis auxiliis in Tranſilvaniam redeuntem fudiſſet, non obſcuram ex eo nominis famam ſibi compararat. Zboroviorum autem ſtudia, Samuelis, qui poſt decretum exilium ad eum ſe contulerat, receptu ſibi adjunxerat. Itaq; cum per Zborovios maxime autem Sam. tentatus primum fuiſſet, ad res communicandas Hieronymus Phillipovius miſſus abeo ad Zborovios in Poloniam fuit, & regnum quidem aperte, vel judicio non petebat, vel petere non audebat: ne ex Auſtriacis Principibus aliquis eligeretur, cum ipſorum Auſtriacorum Tranſilvaniæ imminentium, tum belli Turcici metu, cui ipſe medius inter ditiones, utriusque interjectus, maxime obnoxius futurus eſſet laborabat.

Itaque indigenam tantum, partim ſuadebat, partim petebat, centum millium aureorum ſubſidio, ſi quo opus ei eſſet, promiſſo. Reſponſum non poſſe niſi ipſum, itaque miſſi ad comitia legati, cum exceptione tantum de Auſtriacis. Cum ſtudia partes eadem, quæ antea, obſtinationem autem animorum, contentionemque majorem ad conventum eum attuliſſent, Auſtriaci quemadmodum ab initio egerant, ne Pruſſi adeſſent, ita properanter mox omnia agere. Defenſionis ſeu præſidij regni firmandi aliqua obiter ab initio mentio facta, jurium aut libertatum conſtituendarum nulla omnino. Ac defenſio quidem omnis ad futurum Regem rejecta: temporarij præſidij rationes demonſtratæ ſolennis illa primum quartæ tributi, cum novi conſtituendi, tum reliquorum exigendorum: capitale à Judæis: ex quibus miles quidem in Podolia & Ruſſia ſcriberetur, præfecti autem ex Polonia tantum nonnulli, quod in Palatinatibus Lublinenſe & Belzenſe, factum erat, ut in ſingulis Palatinatibus fieret, cenſere, certusque numerus militum ſcriberetur: non defuturos præfectos, qui vel ſua pecunia commilitones interim ſuſtinerent, dum tributum exigeretur.

Nobilitas vero, quæ Conventuum quorundam, interque eos maxime Viſnenſis ſanctionibus pœnæque illarum metu ad comitia frequens confluxerat, ultro iis ſoluta, arbitrioque uniuscujusque, intereſſe ne electioni vellet permiſſum; non obſcureque Saffraniecius Caſtellanus

Biecenſis, in invidiam à quibusdam ut excitæ multitudinis præcipuus autor vocari, raptim omnino omnia fieri, utq; legationes ſaltem quamprimum audirentur, urgeri. Turcicus legatus Leopoli adhuc hærebat, nonnullis ut arbitrio Cancellariæ ibidem expediretur cenſentibus, aliorum ſententia ut accerſeretur, decenterque dimitteretur, obtinuit. Alij legati plerique ipſi fere rem ducebant: Collegarum alij abſentiam ut Cæſareus & Tranſilvanicus, valetudine alij, ut Sueticus. Plerique ut certa dies legationibus præfiniretur cenſere, intra quam niſi qui legationem ſuam expoſuiſſent, fruſtra poſtea admitti ſe peterent. Ita ante alios Cæſareus legatus Epiſcopus Wratislavienſis introductus primo, perpetuum Principis ſui erga Regnum hoc ſtudium, optimamque voluntatem, teſtari: pro ea Regem regno huic, qui maxime ex re ejus ſit optare: Quod ſi è ſua domo penatibusq; talis, exiſtere quis poſſet, ex filiis ſuis imprimis Erneſtum Regem regno huic offerre: non modo optime eum educatum, ſed omnibus regiis virtutibus, Præclariſſimisq; & animi & corporis dotibus, egregie inſtructum. Præterquam enim, quod tanta familia natus ſit, majoribus etiam ſuis, minime degenerem jam animum oſtendere: linguarum complurium notitiam habere: inter eas Boemicæ: pro cujus cum Polonica cognatione, Polonicam etiam non male jam intelligere, ſpes ut ſit brevi non incommode eam intellecturum. Ad quæ commoda, quæ ex ipſius Principis virtutibus ac moribus percepturi eſſent, acceſſura alia non minora, cum concordiam neceſſitudinemq; inter regnum hoc, ditionesq; Cæſareas multo majorem arctioremq; quam antea, tum in omnes partes amicitiam & tranquillitatem: neque cum vicinis ſolum, ſed pro ea neceſſitudine quæ domui Auſtriacæ cum plærisq; intercedat, cum Italicis etiam, ac Germanicis omnibus Principibus, cum univerſa deniq; Europa. Conditiones quas ſuperiore interregno propoſuerit, quæque Hiſpani item Regis legatus promiſerit, quas denique vel ex aliis candidatis, quicquam offerret, & præſtare poſſet, Principem ſeu ipſum quoque in ſe recipere nominatim vero controverſiam, quæ de Livonia & Pruſſia, imperio cum Regno intercedat compoſiturum pacemq; & fœdera cum imperio conciliaturum: ſimiliter Moſcum, Danum & Suecum in amicitiam cum regno reducturum, navigationem Narvicam expediturum: Ducatum Barenſem, Comitatum Roſanenſem regno recuperaturum: penſionemque quæ ex Regno Neapolitano Regibus Poloniæ ſolvatur explicaturum: cum Hiſpano ditionibusq; ejus ſempiternum fœdus conſtituturum; cum Boemis & Ungaris renovaturum: à Turca vel pacem induciasve præſtiturum, vel bellum non detrectaturum: ad Ungarica vero bella Polono milite nullo, niſi qui ſponte ſtipendia merere voluerit uſurum: Scholam Cracovienſem, & ſtipendio ex ſuo aucto, & compluribus doctis hominibus accitis aucturum ornaturumque, ducentenos adoleſcentes nobiles impenſa ſua in externarum regionum ſtudiis, ſuo ſumptu præſidium aliquot millium militum ſi opus eo regno ſit, ſuo quoq; ſumptu, contra hoſtes regni habiturum: ærarium publicum conſtituturum, nomina quæ ſuperiores Reges reipub. cauſa fecerint, Senatus judicio ſtipendia itidem militibus & aulicis, ſua pecunia diſſoluturum: in religionis controverſiis, eo temperamento quo in ſuis ditionibus utatur, hic quoque uſurum: quæ omnia rata fore, ſui filijque nomine, ſancte promittere ſpõdereq;. Ad extremũ quod collega ſuus, imperij item legati nondũ adveniſſent, cum veniſſent, ne poteſtas eis Senatus adeundi negaretur, petere. Cæſareum legatum, Archiducis Ferdinandi, ut ejusdem domus Principis legatus, mox ſubſecutus, imprimis Principem ſuum, cum ab animi, corporisq; dotibus, dignisq; Rege virtutibus, tum imprimis Boemicæ etiam linguæ, ex qua Polonica etiam non difficulter uteretur, notitia prædicare; Theſauri quem ingentem haberet, bonam partem regni, hujus neceſſitatibus deferre. Nominatim vero, centum quinquaginta talerorum millia annua regno præſtiturum. Ad ædificandas autem in finibus arces, quinquaginta millia; peditis itidem Germanorum, contra incurſiones hoſtium, ſi ita ordinibus videatur, aliquot millia annua: arces ſuo ſumptu per confinia, & ubi commodum videbitur extructurum: ad extremum ut electio hæc univerſo regno benevertat, precatur; ut in cujus ſalute quantum univerſæ Europæ poſitum ſit, non ignoret. Sueticus orator, ſtudio meritisq; Principis ſui in regnum commemoratis, quæ vel mutuo, vel jure uxoris ſuæ, ſeu ſucceſſorio, ſeu naturali, vel quocunq; alio ſibi deberentur, repetebat: vel eorum nomine Livoniam ſaltem jure feudi. Quod ſi regnum etiam ad ipſum vel filium ejus deferre placeret, quæ ante per legatum obtuliſſet, re ipſa perfecturum: mare pacaturum. Livoniam à Moſco vindicaturum: claſſem tormenta, omnisque generis inſtrumentum bellicum, opes deniq; omnes ſuas huc collaturum: domi publicum inſtituturum, ex quo nobilitate pro ſumptibus, in electione hac ſua factis ſatisfiat. Auſtriacum tamen domum in regnum maxime ipſe etiam commendare: de religionis tranquillitate ſpondet.

Ad Baſſam ut epiſtolam ejus, qua ipſius literis reſpondet, cujusque exemplum ſimul exhibebat, mitteretur, petebat. Simonem Voina inde accuſabat, cum ventis ad littus Samogiticum delatus fuiſſet, primo humaniter ab eo exceptũ, poſtea acerbiſſime tractatum fuiſſe, navim ſecuribus effractã: pecuniam, tormenta, inſtrumentumq; cum bellicum

tum navale, omne ſibi ademptum, ne in ipſas literas quas ſecum habent manus inferrentur, easq; aperirent, vix vitæ ſuo periculo ab ipſo comitibusque ejus obtinuiſſe: fide etiam eadem via reverſurum, denuoq; ſe illis ſtaturum adactum. Inter hæc Caſtellanus Irocenſis, ut Lithuani, qui in itinere jam eſſent, expectarentur, reclamante nobilitate fruſtra petebat. Poſtridie Ferrarienſis orator legationem ſuam ſcripto comprehenſam reddidit, ea publice lecta. Ducem virtutibus gentis noſtræ incenſum, jam diu noſtri percupidum fuiſſe: optare, ſi è re regni futurum id eſſet, affinem ſuum Galliæ Regem, etiam nunc nobis imperare: Auſtriacam domum, maximo quoq; imperio dignam eſſe. Quod ſi in ipſo quoque hujusmodi aliquid ordines animadverterent, quod eum illis commendaret, ſe regno huic Principem præſtiturum, quo ad laudem, gloriamque maximum incrementum habiturum eſſet. Conditiones haſce ſe offerre. Omnia ſua, ipſumq; adeo in noſtra poteſtate fore: immunitates libertatesq; omnes, non ſolum tutaturum, verum etiam aucturum. Pacem religionis inter diſſentientes ſervaturum, ſcholam Cracovienſem doctorum hominum copia ſuo ſumptu inſtructurum, artium extruendarum, omnis generis artifices ſecum adducturum, commerciorum cum Italia, maximo bono publico rationem demonſtraturum inſtituturumq;. Contra Moſchum aliosq; hoſtes, ſuo itidem ſumptu, quatuor millium Italorum Sclopetariorum quotannis habiturum, intraque ſemeſtre ſpatium eosdem adducturum. Periculum omne regni, ſuo ſuorumq; periculo redempturum, bello ipſum ſemper præfuturum, æs alienum publicum legitime contractum, onere diſſoluturum. Proventus omnes ſuos ad tutandam ſolummodo ditionẽ, neceſſaria parte relicta, huc illaturum. Carnutum in Gallia ducatum ſuum, aut regno incorporaturum, aut ſi Galliæ Rex redimere eum velit, pecuniam ex eo redactam, regno dicaturum. Adoleſcentes nobiles ad quinquaginta quotannis in Italiæ ſtudiis ſuo ſumptu exhibiturum; duorum menſium ſpatio, ſi in Regem eligatur, trecenta millia in Poloniam mox præmiſurum, quod ſummum autem foret, orbus cum eſſet, pro liberis nos ei fore: linguas quinq; callere: in quibus Germanicam: Latinam vero exactiſſime. Grata legatio fuit: ita tamen, ut magis aures hominum oblectaret, quam animos moveret. Inter hæc varie altercatum; partim Lithuanis, ut Liwam electio transferretur, ſurdo plane ad ea equeſtri ordine contendentibus: partim Ruſſis, niſi tutela finium eorum prius conſtituta, ad ullam electionem acceſſuros ſe negantibus. Varie ea jactata, alij non tributum ſolum, ſed de ſuo etiam privatim reipubl. opes ſuas deferre; alij nullo tributo ſcito, viritim eundum cenſere. De Duce etiam exercitus agitatum, ut ex ſuperioribus partibus Poloniæ quis eligeretur: neq; dux ſolum, ſed neq; præfecti ipſi turmarum, ut ex limitaneis eſſent, ut omnis privatus quisq; cum comitatu ſuo contra hoſtem proficiſci deberet. Cum Lithuanis etiam, quorum pleriq; interim adventarant, eadem de re controverſum. Lithuanicis ordinibus ipſis etiam à Regno auxilium poſcentibus: regni Senatores cum per omne interregni tempus, quemadmodum regni proventus Polonici Senatores, ita ipſi Ducatus Lithuanici in poteſtate habuiſſent, ut vel rationem eorum utrinque ſibi redderent, ac vel ex proventibus communibus utriq; ſe tuerentur, æquum cenſentibus, vel quemadmodum ipſi tributum in ſe ſciviſſent, ita Lithuani quoq; ſuo tributo ſe tuerentur. Ad ea Lithuanis nullo ſuo tributo pares ſe Moſco eſſe poſſe, aliquot præſertim Palatinatibus per injuriam à regni ordinibus acciſos, Relatum à Polonicis Senatoribus fuit, cum de commodo aut honore aliquo ageretur, alteram plane, & tum cum de periculo aliquo propulſando, minorem ſemper ſe partem reipubl. minus æque conſtituere. Non ſolum autem de Ruſſicis Lithuanicisq; finibus conſtituendis actum, ſed non minus de Cracovienſe quoq; arce, regioneq; verſus Ungariam Pedemontana, & Sepuſio, à Cracovienſe nobilitate poſtulata. Cum legati ab Imperio adveniſſent, Senatu ſalutato, votisq; electionem eam proſecuti, ut ſalutarem cum univerſo orbi Chriſtiano, tum regno ipſi Regem eligerent, optabant, talem ex Auſtriaca domo facillime habituros, ſi & nobilitatem ejus, & Erneſti imprimis indolem virtutesq; ſpectare velint, quam gratiam apud ſuos, reliquosq; chriſtiani orbis Principes inituri ſint, ſi ex Auſtriaca domo Regem eligant, oſtendunt, quod ſplendidiorem legationem brevitate temporis conſtricti non miſerint, excuſant. A Stephano Tranſilvaniæ Palatino, cum alij nonnulli, tum & Georgius Blandrata, & Martinus Berzevicius commiſſi eſſent, illo in itinere morbo correpto, cum fruſtra expectaretur, Blandrata, capita ſaltem legationis ſcripta in Senatum miſit. Studij in regnum Principis ſui teſtificatione, votisque præmiſſis, eundem cum ab animi, tum corporis, fortunæq; etiam bonis prolixe ordinibus commendabat, à quibus, ſi è re ſua ordines ut Regno huic præeſſet, ducerent, præ cæteris ad id idoneus eſſet. Quod ſi id nonnullos moveret, quod & tributum Turcæ pendat, & ab eodem illis commendaretur, minime vel impedimento, vel fraudi ea ſibi eſſe debere. Cum in illo Iſabellæ Reginæ Auguſti ſorori, filioq; ejus Joanni ſucceſſerit: commendatio autem à mandato diverſa ſit, eoque minus libertati electionis obſiſtere poſſe videatur, quod duobus ſaltem, Auſtriaco & Moſco, ut hoſtibus ſuis exceptis, & ſi Principem ſuum illis commendant, liberum tamen ut de eo, ita de aliis omnibus arbi-

trium illis permittat. Præter alias conditiones, cum aliis competitoribus communes, cum Turca firmum fœdus, à Tartaris ſecuritatem promittebat ; bella non ſolum auſpiciis, ſed ductu etiam ſuo geſturum, à Moſco ablata bello recuperaturum : fines muniturum : qui in ſervitute & captivitate ex noſtris apud Barbaros ſint redempturum, ducenta millia in uſum regni mox præmiſſurum. Goncio Moſcovitico, ita qui ante majorem legatum mitti ſolet, appellant: ab Equeſtri ordine qui honoris cauſa obviam illi irent, decem aliqui miſſi fuerant. Novum id, neque ullius Chriſtiani Principis legatis præſtitum: itaque reprehenſi in eo à Senatu, in Senatum introductus, literas à Principe ſuo reddidit, quibus querebatur, legatos ſuos non admitti, fidem publicam per minorem hunc, majori legato, utque diplomata, commeatusque fines transgreſſo præſto eſſent poſtulabat. Eum quæ ex re Chriſtiana eſſent, cum Senatoribus acturum conſtiturumve : Pacem ab omnibus ditionibus ſuis cum regni ditionibus, una Livonia excepta, ſervari mandaſſe. Conſtantinus Dux Oſtrogius Palatinus Kyovienſis, per literas novum tumultum Tartaricum ſe expectare ſignificabat : à Wolhiniis ne tali tempore à finibus diſcederet, rogatum, electioni intereſſe non poſſe: ut arx Kyovienſis muniretur, ſibique, Zbaraſij præſidij præfecto remoto, cuſtodia ejus mandaretur, petebat. Similes à Ruſſica nobilitate nuntij aliquot proferebantur: eoque magis, ut ſecuritati finium eorum quamprimum, & ante electionem quidem ullam conſuleretur, ab eadem flagitabatur: Verum cum & Senatus, & reliquus equeſter ordo ad electionem properarent, fruſtra curam finium Ruſſis prius exigentibus, die decimo octavo menſis Decembris, Sancti Spiritus præſentia, & auxilio ſolenniter ab Archiepiſcopo prius invocato, electio cœpta, inq; ſuffragiũ Senatores miſſi. Cumque more majorum Princeps Archiepiſcopus ſententiam diceret, hujusmodi orationem habuit. Cum ex proximo Conventu Stezicienſe, palantes, diverſique, ac deſperabundi pene de republ. diſſentiremus potius, quam diſcederemus, quotus noſtrum fuit, qui tot non ſolum periculis imminentibus, ſed intus etiam in tot partes ſtudiaque omnibus diſtractis, liberi alterius Conventus, aut Electionis facultatem nobis promitteret. Præſtitit eam nobis DEUS, ſed ita, ut tentatæ tum patientiæ ipſius, graves prius à nobis pœnas exegerit, ab una parte nobiliſſima regni provincia Ruſſia, cum & Regia & publica cura deſtituta fuiſſet, crudeliſſima interim Barbarorum incurſione, ad ſummam vaſtitatem redacta & afflicta, tot ingenuorum liberorumque quodque majus autem eſt, chriſtianorum inſontiumque capitum omnis ſexus ætatisque millia, in fœdiſſimam ſervitutem à barbaris abducta: ab altera parte Livonia, non minus graviter à Moſcho, non vaſtata ſolum, ſed magna etiam pars ejus occupata : domi ſumma omnium rerum perturbatio, & regij imperij & legum metu ſublato, viq; injuriisq; mutuis, tum cædibus omnia fere permiſcuit ; quibus omnibus tamen rebus, moneri nos potius à DEO exiſtimo, ne diutius patientia ejus abutamur, graviora deterioraque paſſuri, niſi hujus ipſius temporis tabula, quam præter ſpem divina benignitas, nobis obtulit, è naufragio hoc quamprimum, emergere conabimur.

Rege igitur nobis opus eſt, atque hujusmodi quidem Rege, qui non nomen ſolum regium, ſed imprimis virtutes, tum opes etiam Regias ad regendum tutandumque regnum afferat. Primum igitur de religione pietateq; in DEUM ejus certus ſim : prudentia deinde in eo ſit, juſtitia in dictis factisque, conſtantia, clementia, inque omni actione moderatio, ſine quibus virtutibus ſi quæ aliæ in Principe ingenij animique dotes, & vel præclariſſimæ artes ſint, inſtrumenta potius opprimendorum vexandorumque populorum, quam virtutes exiſtimandæ ſunt.

Accedat huc uſus rerum maxime bellicarum. Non ſolum deinde animo virtutibusque iis inſtructus ſit, ut velit me juvare, defendere ac ſciat : verum opibus etiam ijs, facultatibusque ut poſſit. Autoritate imprimis apud reliquos Principes populosque chriſtianos præſtet ; quam fere cum familiæ Majeſtas, tum maxime virtus, opesque conciliare apud homines ſolent, nobis vero non ſolum ob autoritatem, ſed ob tot tamque potentes hoſtes vicinos, potente etiam Rege opus eſt ; ne qui me defendere debeat, ipſe defenſione opus habeat.

Non ſolum igitur autoritate, ſed cum affinitatibus, clientelisq; inter Principes chriſtianos, à quibus auxilij aliquid ſperare poſſit, tum propriis etiam opibus ſuis ſubnixus ſit, quæ ut uno verbo dicam quod ſentio, ut in cæteris ſingula forte eſſe poſſint, in ve præ cæteris Cæſare, ita certe omnia ſunt, ut quæ aliis cum illo communia eſſe poſſint, in eo præ cæteris emineant ; religionem Catholicam, pietatemque in DEUM à majoribus traditam, nunquam in domo illa vacillantem, vel fando quisquam cognovit, de reliquis autem virtutibus ejus, ut in omni re prudentia, morum gravitate ac conſtantia, cum eadem vero admirandæ cujusdam copulæ, ſummæ comitatis, inque omnium adeuntium deſideriis, cognoſcendis facilitate, juſtitia item, atque æquitate ſingulari quid attinet dicere, cum non pauci noſtrum præſentes non ſine admiratione ea ſpectaverimus. Verum eæ quidem virtutes, neſcio quomodo communes quaſi uni-

verſæ

verſæ domui Auſtriacæ ſint, cum diſciplina, à tot Auguſtis majoribus accepta, omnes imbuantur, prudentia autem fere ſcientiaq; cum aliarum, tum bellicarum etiam rerum : qui ætate ipſa exque rerum & hominum tractatione fere comparatur, ut qui à tot jam annis Romani imperij rebus, ampliſſimisq; tot regnis, iisdemq; diverſarum linguarum, ac morum gentibus, non ſine maxima publica laude præfuit, & bellum cum potentiſſimo hoſte, ſi non magno cum commodo, pro hoſtis tamen ejus opibus, non maximo etiam detrimento adminiſtret. Jam vero autoritate, eaque non repente collecta, ſed in domo ea plane inveterata, opibusque inter Reges Principesq; chriſtianos, quis unus conferri cum eo poteſt ? ſummum imperij ſcilicet Romani locum, à tot imperatoribus Regibusque, avis, atavis, atque majoribus, inter eos tenet, neque vero ipſius tantum loci Majeſtate, ſed imperij etiam Germanici robore, omnium orbis chriſtiani Principum cognationibus, atque affinitatibus tum ampliſſimarum ditionum, regnorumque aliquot viribus ſubnixus. Hiſpania una cum illo domus. Rex patruelis illi frater, ideoque affinis, cum præter Hiſpaniarum regna, cum Vicario jure univerſa fere Italia, tum hæreditario Belgium, magnaque Galliæ pars, bello autem & armis extremæ Indiæ univerſusque novus, idemque aurifer orbis patet. Italia Germaniaq; omnis partim imperij, partim multiplicibus affinitatibus, neceſſitudinibus illi devinctæ.

Cum Gallica domo æmulatio intercedit, ſed ita, ut ex Burgundica domo, cui Galliæ regia initium præbuit, cognationis, & recentium affinitatum jura inter æmulationes eas maneant, accedunt ad ea propriæ vires, cum Auſtriacæ ditiones totius Germaniæ fere nobiliſſimæ, tum Ungariæ Boemiæque regna, non copiis ſolum ſed vicinitate etiam, vetuſtaque neceſſitudine, ad omnes caſus noſtros nobis opportuniſſima, quo minus mirum videri debet, competitores omnes ultro quaſi faſces ei ſummittere, libentesque adeo locoque ei cedere, & nos dubitamus omnibus præferre eum, quem omnes ipſi ſibi præferunt? At potentia quidem opesque ejus magnæ, ſed remotæ, ac longinquæ, ut vel ſera, vel lenta inde auxilia nobis expectanda, nullius externi Principis ditiones, vel viciniores nobis, vel majore terrarum ſpatio nos ambiunt ; cum Boemiæ Ungariæque regnis, maximo terrarum tractu fines nobis ſunt: Vienna quod caput Auſtriæ eſt, minus fere aliquanto hinc diſtat, quam Cracovia, Vilna Lithuaniæ caput : Inter quas Regum noſtrorum ſolennis, atque annua, fere commeatio eſſe ſolebat ; ita ut illo Rege electo, vires ejus vix non pro domeſticis habere poſſimus.

Inde ad omnia dubia ac repentina, non certum modo, ſed dubium etiam rebus noſtris auxilium, neque auxilium modo, ſed Ducem atque caput rerum ipſum Regem petere. Quod enim quidam objiciunt, per leges Imperij ſeu conditiones à Principibus Imperij ei latas, excedere eum imperio non poſſe, non modo omnium ſuperiorum Imperatorum morem, ſed ejus ipſius exemplo, refutatur. Non ſolum enim à ſuperioribus Imperatoribus, cum in Italiam, tum vel ipſam Aſiam, & quocunq; vel rei chriſtianæ, vel regnorum ſuorum neceſſitas eos vocabat, frequentes longinquasque expeditiones ſuſceptas ſcimus: Sed vel nuper adeo, cum Carolum V. Patruum, tum Ferdinandum patrem hujus, & nunc hunc ipſum Maximilianum, vix non majorem partem in aliis regnis ſuis, vel Hiſpania, vel Boemia, vel Ungaria, quam in Germania habitaſſe. Non tantum igitur apud univerſam chriſtianitatem glorioſius nihil nobis erit, quam eum nobis Regem delegerimus, quem orbis Chriſtianus univerſus ipſe ob Majeſtatem Imperij venerabundus colit : Verum cum ad res etiam noſtras conſtituendas, tum hoſtes tot tamque potentes reprimendos, nullum magis idoneum deligere poterimus. Non erit mihi terrori Turca cum eas vires quæ furorem ejus ab aliquot jam ſæculis ſuſtinuerunt, & adhuc ſuſtinent, mihi pacatas eſſe ſcivero. Nam aut libens pacem induciasq; amplectetur, quas vel nunc cum Maximiliano viribus regni hujus nondum adjunctis frequentius fere, quam bellum ſpectat : Vel ſi paci bellum præferre voluerit, quid regni hujus ad Auſtriaca arma acceſſio poſſit, non ſine gloria regni hujus penſurum eum ſpero. Sed quod à Palatino Podoliæ, quem honoris cauſa nomino, ſummo Senatore denunciatum nobis fuit, facile credite mihi, non modo tantarum virium conjunctio, ſed vel ſola noſtra concordia eum continebit, in beneficioque & gratia, oblatam pacem potius accipiet, quam bello nos laceſſet, reliquos hoſtes, vicinosve, cum quibus controverſiæ aliquid nobis intercedit, quis eſt qui non vel ſola nominis ejus fama, atque autoritate pacatum mox iri videat. Moſcum & vetuſtis fœderibus, atque amicitia, & nominis Imperijq; Majeſtate in poteſtate fere habet, neque ipſe obſcure præ ſe fert Moſcus, ſi eum elegerimus, de jure ſuo controverſiisque, quas habere ſe exiſtimet, non difficulter ſe deceſſurum. Danum & Suecum quis vel contra Majeſtatem Imperij quod quamvis non ſubjecti, vel comiter tamen quaſi colunt, vel tot neceſſitudinibus, cum Principibus Imperij, ex quo ipſi profecti devincti obſervant, vel contra tantas opes tentaturum aliquid quis putet? Idem de aliis vicinis quorum minores opes ſunt exiſtimare poſſumus. Quas quidem ob res, ut eorum quos faſtigio huic præficere poſſemus, ex magna copia deligendorum ſumma

facultas nobis esset, vel unum tamen hunc Maximilianum potissimum præ omnibus aliis deligendum existimarem. Jam vero eo etiam redacti sumus, ut præter unum hunc, quem ex re, atque utilitate publica præficere regno huic possimus, nullus fere alius reliquus nobis est. Gallica electio tam splendida quorsum nobis verterit videmus. Non est quod speremus, otium atq; delicias Gallicas, cum regno tot bellis implicito, frigoreq; hoc Sarmatico quenquam commutaturum, multo minus è tam longinquis regionibus, per tot terrarum gentiumq; spatia, illis relictis hoc petiturum, quamvis in hoc quidem cum aliis tamen itidem bonis, me ipsum etiam errasse quid est quod negem; Verum semel errasse sufficiat, priorisq; peccati agnitio, inposterum saltem futuri cautio nobis sit, neve vel longinquos, vel à majoribus regnive hujus rationibus remotos spectemus, nos admoneat. Itaq; de Ferrariense etiam, quid frustra verba faciam? in quo ut omnia essent, cum propinquitas tamen, tum linguæ, morum, institutorumq; nostrorum usus ei deest, ut taceam, quid à majoribus imperioque Italico cavendum nobis sit, patrum memoria Bonam Reginam documento nobis fuisse. Ex aliis Moscus ob crudelitatem, morumque barbariem, apud omnes fere infamis. Turcam autem, cum magis fere quam Austriaci electio ejus irritatura esset, præsidij contra eum, quid ab illo expectandum nobis esset. Regnum ditionesq; habet amplissimas, sed magis tractum terrarum populorumq; multitudine, quam vel robore, vel facultatibus, vel disciplina. Gens quemadmodum scimus, rudis & inepta, non ad pacis solum artes, verum etiam belli, proximis hisce, ante excessum Sigismundi Augusti, atque interregni temporibus, Polotia intercepta, Livoniæque magna parte nuper vastata, & occupata, magnus evasit; Verum nostra desidia, quid facilius, quam occupare aliena nullo prohibente. Verum quoties armis obviam illi itum est, quid vel contra nos possit, cum Staroduba, & Orsa, tum haud ita dudum Nevelia testantur: vel contra alios, cum Livoniæ magistri aliquot, tum nuper Tartari etiam, & ipso ex omni ditione ejus fere pulso, & sede imperij Moscho incensa, omniq; regno ejus evastato, infinitaq; hominum multitudine, in servitutem abducta. Ad hæc ne ipse quidem petit, quod sive fastu facit, sive ex animo regnum non ambit, quid indignius, quam vel rejici ab eo nolente, vel ne dignos quidem judicante, à quibus petat, ultro id ei deferre. Conditiones autem vel maxime nobis necessarias, quomodo vel nos illi feremus, aut ipse accipiet, cum etiam sine ulla conditione regnum non ambiat, quas tamen ut maxime accipiat, quis servaturum eas nobis spondebit, quem neque populis suis, neque aliis fidem ullam servare scimus; & nuper adeo Livonia per inducias ab eo violata, documento nobis esse potest. Ad extremum religio diversa: humanitas literæq; nullæ, quæ ne apud nos quoque cum imperio ejus interirent, verendum nobis esset, neque de iis solum, verum quod omen DEUS avertat ne de libertate quoq; in discrimen veniendum nobis esset. Quomodo enim liberis imperabit, qui liberos nullos omnino in imperio suo habet: vitæq; adeo ac necis potestatem, ab incunabulis ipsis acceptam, promiscue in omnes suos usurpare assueverint, quam quidem ob rem, ut alia taceam, ne Suecus quidem probari sane mihi potest, in regno & natus, & assuetus, in quo nobilitas exigua admodum est, rustica plebs rerum fere potitur. Ad hæc & ipse non remotus solum, sed mari etiam sejunctus: cujusque majores à Dano ægre se defenderint: hic à Mosco vix se tutatur; Nostra autem pericula, & paratum & certum auxilium requirunt. Filius ejus, sanguis Regum nostrorum est: sed qui ex cunis vix excesserit, regno multo magis vero tam negotioso, difficilique quomodo idoneus esse potest? Non deerunt fortassis qui Battoreum etiam Transilvaniæ Palatinum suadere non dubitabunt, qui cum Vasallus Turcæ sit, si eum nobis Regem ascisceremus, quid aliud quam Turcico imperio ipsi nos subderemus, quo vel libertati nostræ periculosius, vel apud omnes populos christianos ignominiosius esse nobis posset? At non imperat eum nobis Turca, sed commendat, quid tum: Primo tamen vasallum vel si honestiore nomine appellare eum libet tributarium suum: deinde quis ita rerum ignarus est, qui potentiorum precibus imperij fere semper, admixtum aliquid esse ignoret? demus modo locum precibus ipsius, mox lenibus, inde gravioribus imperiis assuescere nos volet. Reliquum est indigena, inter quos primus jure sine ulla controversia locus Reginæ infanti dandus esset, nisi præsens rerum status, regniq; pericula muliebre imperium sua sponte respuerent, Virum requirerent. Cui tamen si ratio habenda est, quemadmodum justissime est, Cæsare electo, qui vel filio, vel propinquo honeste, nuptam eam elocet, rectissime consuletur. Ut è privata familia eligendi Regis autor sim, fides mea quam reipubl. debeo non patitur. Superioribus iisdemq; modestioribus sæculis vix persuaderi eum potuisse existimem, quid hisce temporibus, quibus fastus, luxus nataque ex iis avaritia omnia occuparunt, quis ei parere in animum induxerit, cui paulo ante par ipse fuerit; nec ipsi solum, sed uxori, liberis, fratribus, cognatis, affinibus: omnes enim ij jam Regia domus erunt, atque in alios eos si non imperij prærogativæ certe aliquid habere se existimabunt; Itaq; non uni Regi deferendum erit, sed quicunq; necessitudine aliqua eum attigerint, omnes colendi præhensandique. Opes autem privatas cum exiguas ipse fortassis habiturus sit, publicis cui prius sufficiet, avaritiæ ne nostræ semper aliquid à Regibus expe-

ctanti, inhiantique, an reipubl. necessitatibus, nisi forte neutris hisce succurrere voluerit, sed sibi suisq; solis, sapiens & commodus, partim in suos potius publicum Patrimonium profundet, partim in eos quorum suffragiis electum se ad regnum existimaverit, ac fortassis non defuturi essent, qui vel bene secum actum existimarent, ut nihil omnino à pristino vicino, nunc novo Rege beneficij acciperent, modo pro gratia maleficium non referrent. Cum enim in hac libertate nostra & factionibus fere omnia implicita sint, & ultra partium studia, sive privatis controversiis, vel de finibus cum vicino, vel de aliqua alia re inter alios vix quisquam sit non unus fortassis verebitur, ne quod haud ita dudum gravis vicinus, aut adversarius sibi fuerit, mox multo gravior Rex futurus sit, neq; metus is, inter privatos solum versabitur, sed non minus fortassis inter partes reipubl. integras, Polonum eligamus, minus eum sibi equum Lithuanus existimabit. Lithuanus Rex sit, ne Volhiniam, Podlassiamq; nobis ademptam, Lithuaniç per omnes occasiones id querenti, efflagitantiq; adjungat, verebimur. Ad Prussum Regnum deferamus, à corpore regni abstractos, in peculiari quasi repubi. quod jam ab initio agunt, Prussos suos confirmabit. Atque hæc quidem domi: ad exteros si nos convertamus, quod vel maximum, ac vix non unicum regnorum firmamentum esse solet, autoritas quæ ejus erit, qui nullis vel propriis opibus suis, vel regio genere aut imperio clarus, hodie privatus, cras Rex illis nunciatus fuerit, quis vel fœderatus eum magnopere colet, quem tanquam inferiorem, non modo prætulerit sibi, verum non magni ante fecerit, vel hostis metuet, quem haud ita dudum contempserit, quæ pericula reipubl. immineant, scimus omnes: præter ista vero ære alieno non parvo obstricti adhuc sumus: partim à Divæ memoriæ Augusto in publicos usus conflato, partim per interregnorum horum tempus, in militem aliasq; necessitates contracto, arces finitimæ, quæ omnes fere ruunt, maximo sumptu reparandæ, præsidiis instrumentoque necessario instruendæ sunt, infinita alia, quid adhæc præsidij privatus afferet? Quid aliud igitur, quam & apud Turcam, aliosque potentiores hostes metu pacem, à nobis autem nunciisq; præsertim terrestribus, victum semper emendicando: precarius quasi Rex futurus esset. Verum ita ego adhuc ago, quasi ut maxime expediret, convenire aliquid de eo posset; & non desperata plane, apud plerosque ejus rei concordia sit, ne frustra tempus teramus, æqualitas hæc paritasque, quam inter nos esse existimamus, sua sponte indigenam respuit, quis enim quem parem sibi esse statuit, suo suffragio libens Regem sibi imposuerit, quis non se potius quam alium quo minus mirandum majores nostros, cum in Casimiro Monacho stirps Regum nostrorum defecisset, compluresq; annos sine Rege fuissent, quod tamen vel convenire in aliquem inter eos non posset, vel incommoda privatæ fortunæ, si fastigio Regio admoveretur, ante oculos haberent: potius quam ex corpore suo Regem eligerent, monachum sæculo relicto sacris Deoque jam dicatum, è monasterio longinquisque regionibus, à summo Pontifice multis precibus, legationibusque repetere maluerint. Et enim quem mihi fere privatum quis ostenderet, qui vel sine insigni rerum motu, non per seditionem, tyrannidemque, adeoq; vel sine cæde & sanguine, vel maximo detrimento rerum publicarum, ad regnum conscenderit. Ut imperatores Romanos militum seditione elegi solitos præteream, vel nostræ, vel paulo superioris ætatis exempla documento, ejus rei nobis esse possunt. Boemis Georgij Bogebracij Regnum Silesiæ secessione constitit. Matthias cum ab avunculo exercitu accepto, coque cervicibus patriæ imposito, per vim electus Ungariæ Rex fuisset, cum avunculum ipsum in vinculis postea habuisset, tum ut regnum armis extortum, libertatemq; popularium oppressam armis constrictam teneret, exercitibus semper succinctus, non externis solum, verum suis etiam terrori semper fuit. In eodem vero regno Ungariæ Joannes Rex cum simili fere secessione electus Rex fuisset, ad Turcica auxilia postea confugere coactus, cum se, tum patriam, in miserrimam servitutem, atque in exitiabile bellum præcipitavit. Cum è contra apud nos externa imperia Ludovici quidem libertatem eam, qua maxime nunc gaudemus Princeps fere nobis, & confirmaverit, & viam ad eam patefecerit. Jagellonis autem tantum accessionem ad regnum hoc fecerit, quantam omnes intelligimus, quo minus dubitare horum potius exemplo, tam potentis, vicinique Principis electione rempubl. augere, quam eorum, qui externi Principis odio, suum cum exitio publico eligere maluerint, in discrimen aliquod eam præcipitare. Movere nonnullos video quod Germanus sit, quasi vero non laudi potius ac gloriæ apud omnes esse nobis debeat, ex ea gente Regem nos delegisse, quæ & bellicarum rerum gloria, & Imperij Majestate, & maximarum urbium frequentia, omnique generis cultu, inter primas facile numeratur, & ex qua universi fere orbis christiani Reges Principesq; sint.

Hæc Galliæ Franciscum Carolumq; & sequentium Regum genus dedit. Hæc avorum memoria nuperq; adeo Hispaniæ suos Reges, quorum sceptris non Italiæ solum Europæq; magna pars, sed remotus etiam, atq; incognitus antea nobis orbis patet. Ex hac Ungaria Boemiaq; ab aliquot sæculis Reges habent. Sit sane inter pueros plebesq; nostras, quæ natura vulgi mutuo sese infectantis est odij nonnihil: Vererer æstimanti vix ullam gentem commemorare poterimus, cum qua major necessitudo, pluraque ac ma-

jora amicitiæ vincula nobis intercedant, auſim & dicere, quæ ut ſub eodem cœlo poſita, ſic animorum ſimilitudine, morumq; ſimplicitate & integritate, nobis conjunctior ſit, propiusve ad ingenia noſtra accedat. Primo qui primus ad amicitiam aditus eſt, ipſa vicinitas nos conciliat: ex eadem quidem nonnunquam aliquid diſſidij: Verum & cum uxore aliquando & cum fratribus propinquisve & neceſſariis ex aſſiduo contubernio frequentius tribusculi aliquid nobis intercedit, quam cum remotis & alienis: Verum eadem cum mutua charitas, communisq; utilitas, non ſolum facile tegit, ſed diſſentiuncula aliqua, amorem interpellatum fortius etiam redintegrat. Itaq; cum nulla gente ſanctiora nobis fœdera: cum nulla non ſolum publica Regum, ſed inter privatos etiam frequentiora connubia. Commercia etiam cum nulla, vel plura, vel majora, ut nullum omnino neceſſitudinis genus deeſſe inter nos videatur, niſi quod ſub uno nondum Principe degamus, quod hac electione aſſequi poterimus. Cætera quæ illi objiciuntur, ut revera ſunt, pro vanis habenda ſunt: Egentem ipſum eſſe aliqui dicunt, utinam apud nos, cum ad bellum alendum, tum ad pacis ornamenta ea omnium rerum copia eſſet, quæ circa illum eſt. Turcæ ipſum prædæ eſſe. Nihil adhuc præter Sigetum amiſit; quod detrimentum, & immenſas hoſtis ejus in obſidionem eam collatas vires, & communem belli aleam ſpectanti, minus certe mirum videri debet. Verum ſubjectis gravis eſt, maximoq; nobilitas Germanico imperio in ordinem redigitur. Si hujusmodi imperium, in quo ſua quidem cuique ordini dignitas conſtat, ſed licentia cujusque legibus coercetur, vel injuſtum, vel grave exiſtimaverimus, eadem quæ dehortari alios ab illo poſſet, ut vel maxime eum expetam cauſa mihi erat. Nolim ſane nimia vel ſeveritate, vel juſtitia conſtrictam libertatem: ſed tamen ſi è duobus incommodis alterutrum mihi deligendum ſit, auſim dicere, ſub hujusmodi imperio vivere me malle, in quo nihil cuiquam liceat, quam in quo omnia omnibus. Jam dudum libertas noſtra in licentiam effuſa, ac non humana ſolum, verum divina etiam permiſcens, ſalubri aliquo legum temperamento, moderationeq; opus habet. A nullo ea rectius quam à Cæſare adhiberi poterit. Principe omnium confeſſione prudentiſſimo ſapientiſſimoque, & qui cum non modo diverſarum gentium, populos, moribus linguaq; diſcrepantes, ſed religione etiam inter ſe diſſentientes ſub imperio ſuo habeat, ea inter omnes moderatione imperium temperat, ut nemo ſit qui aliorum regnorum ſtatum ſpectans, non felicem ſe ſub imperio ejus exiſtimet. Nullæ quemadmodum in aliis nonnullis regnis videmus, ob religionem cædes, ne gladius quidem ullus ſtringitur, neque tamen ulla etiam in religionem Catholicam vis, templorumve, aut aliorum ſacrorum locorum direptio. Sed venia potius quam libertate nonnullorum ſeu errori, ſeu imbecillitati permiſſa, ſuus tamen catholicæ religionis integer etiam honos manet. Exactiones tributaque, ſi quæ in Turcicum bellum exiguntur auſim affirmare, aliquot partibus minora eſſe, quam quæ à nobis conferri ſolent: & ea moderatione exiguntur, ut neminem ſane gravent. Atque hæ quidem quas commemoravi laudes, vix non univerſæ domus Auſtriacæ communes, quaſi ſunt. Itaque ne Erneſtum quidem ſummæ expectationis juvenem, neque Ferdinandum maturo jam judicio, regiisq; virtutibus virum, aſpernatus fuerim: Verum cum non ſolum ſummo genere, ſummis virtutibus, ſed autoritate etiam opibusque præſtantem, tempora periculoſa noſtra Regem requirant, quod felix fauſtumque ſit, reipubl. omnibusq; nobis bene vertat. Maximilianum Cæſarem ita tamen, ſi conditiones, quas publico nomine ei propoſuerimus prius acceperit, juramentoq; confirmarit, meo loco ſententiaque Regem Poloniæ creo, ejusdemq; creandi, vobis etiam quam maxime poſſum autor ſum. Civis veſter nobili inter vos loco natus ſum: non modo Senator, deinde more majorum Princeps etiam Senatus ac ſacrorum adeo in hoc regno mea fide, capitisq; atque animæ adeo meæ periculo eum eligite. Ita hoſtiis iis, quas indignus ſacerdos, aſſidue pro veſtra publicaq; ſalute DEO offero; vobis mihiq; DEUS placatus ſit: è contra ſi fefellere, vel ſententiæ hujus meæ vos pœnitebit, adverſa omnia, in mea meorumq; capita avertat. Archiepiſcopi ſententiam, Epiſcopi deinceps qui aderant omnes, ac Principes quidem Cracovienſis, Franciſcus Craſinſcius, Plocenſis Petrus Miskovius ſecuti: diris omnibus prius ſe devoventes, ſi vel fallerent, vel aliud quid præter publicam ſalutem in ſententia ſua ſequerentur, quod ſolenne quaſi juramentum reliqui Senatores omnes etiam fere ſententiæ ſuæ præmittebant.

Ex ſæcularibus Senatoribus Princeps Zborovius Palatinus Cracovienſis: Caſtellanatus enim tum vacabat: cum judicio quidem in eligendo Rege labi ſe potuiſſe, fidem integram ſemper reipubl. ſe præſtitiſſe, præfatus fuiſſet, niſi quod Auſtriacum non obſcure improbabat, certi in ſententia nihil explicabat. Appellatus ab Archiepiſcopo & Marſalco majore, ne more regio ultimum ſuffragio ſuo locum reſervaret, Roſembergium tandem nominabat. Sendomirienſis Palatinus Koſtka, inter Podoliæ Palatini amicitiam, & nobilitatis ſtudia, quæ captabat ſuſpenſus, mediam orationem habere. Ni faſtus, luxus, invidia, tenuitasq; noſtra obſtarent, indigena nullum magis idoneum regno eſſe poſſe: nunc quod tam intricati regni difficultates ſint, rectius Cæſare ea & prudentia, & juſtitia, opibusq; & autoritate Principe explicare poſſe nullum ſe videre, non ignorare ſe quidem incom-

incommoda non pauca eum ſecum habere. Cum commodis tamen ſi incommoda penſentur, illa ſuperare. Cæteri Auſtriacum fere omnes, niſi qui in Maximilianum, Erneſtumq; diſtracti. Cum Siradienſis Palatinus Laſcius Erneſtum, eique conſortem thori Reginam infantem deſtinaret, nomine nobilitatis Ruſſicæ interceſſum ſententiæ illi fuit. At Palatinus Vilnenſis Princeps Senatus Lithuanici, qui quod ſerius advenerant, ſequentem diem non ſuo loco ad ſententias dicendas ſibi ſumpſerant, injuriam, ſervitutemque publicam interpretatus, præſcribi ſibi, quid in ſententia ſequeretur, queſtus, Erneſtum ipſe etiam cum infante reliquiq; deinceps Lithuani omnes fere nominabant, Lublinenſis Palatinus Joannes Jarlo, Belzenſisque Andreas Thencinius, ſoli fere indigenam ſeu Piaſtum aperte ſuadere.

Ex quibus Thencinius, cum ad eum ventum eſſet in hanc ſententiam verba fecit. (Tencinij oratio) Si mos animusq; majorum maneret, facilis, quamvis ſummæ rei explicatio eſſet, quam nunc degenerans à majoribus, non morum modo, quod ipſum dolendum eſſet, ſed quod indignius eſt, imperij etiam externi amor difficilimam reddit. Majores noſtri, cum poſt diuturnum interregnum diſſolutionis domeſticæ pertæſi, quemcunque tandem Regem eligendum exiſtimarent, eo ſe demittere maluerint, ut vel oppidanum Cruſvicenſem Piaſtum Regem ſibi deligerent, quam ex tot vicinis potentibusq; Regibus ac Principibus externo ſe ſubjicerent, neque conſilium eventus improbavit. Per multa ſæcula, non ſolum regno feliciter ſtirps ejus præfuit: Verum cum non magnum id accepiſſet, armis rerumq; geſtarum gloria maximum clariſſimumq; reddidit: Provincias aliquot Regno adjunxit, Victoriisq; ac triumphis plurimis maximisque id illuſtravit: iidem cum ex ſtirpe illa, unus Caſimirus Monachus reliquus eſſet, ex ipſis Monaſterij clauſtris eum eruere, legationeq; ornatiſſima publice miſſa à ſummo Pontifice exorare non dubitarunt: non quo Principem aut regia familia Regem haberent, quemadmodum alios interpretari id video: ſed ut indigenam, quorum quidem exemplum, ut nullus apud nos regno dignus eſſet, ſequendum tamen potius exiſtimarem, quam externo imperio, à quo ſemper & majores noſtri, & ipſi non ſine cauſa abhorruimus, cervices ſubmittere mus. Jam vero cum tanta copia, & ſapientiſſimorum Senatorum, & fortiſſimorum equitum inter nos ſit, quanta auſim affirmare, in ulla alia gente vix ſit. Ipſi ne non tam nos ſinguli, quam patriam univerſi honore dignitateque hac, publico quaſi judicio noſtraque ipſorum conſenſione abjudicabimus? eam ne notam apud exteros nobis inuramus, in tam amplo populoſoque, atque nobili adeo regno nullum omnino qui regno dignus ſit reperiri. Quod enim glorioſum aliqui futurum nobis putant, ſi ex Auguſta domo, quæ univerſum fere orbem chriſtianum Imperiis complectitur, Regem nobis delegerimus, illis fortaſſis honorificum id fuerit, nobis certe non modo non glorioſum, ſed infame pene apud omnes futurum exiſtimo, niſi externum tot locorum intervallis in regnum aſciviſſemus, Regem habituros non fuiſſe. Senatum Romanum, Regum conſeſſum quidam olim appellaſſe, quotq; Senatores in eo viderit, tot Reges ſe vidiſſe, vetuſtis illis reipubl. temporibus dixiſſe fertur. Idem Sigismundi Primi temporibus, de noſtro Senatu, Turcici cujusdam legati dictum fuiſſe ſcimus; abſit invidia dicto, ne hujus quidem Senatus pœnitet, compluresq; adeo video, quos ſapientia, prudentia, gravitate, omnibusq; regiis virtutibus, non ſolum conferre, cum plærisq; Principibus poſſim, verum nonnullis etiam anteponere. A regio genere non ſunt, ne eorum quidem majores regiis natalibus orti fuerunt, qui nunc Reges ſunt. Satis mihi generoſus erit quem Reſpubl. patriaq; Regem mihi genuerit: Satis magnus, atq; adeo Rex mihi erit, qui regiis virtutibus, dignum ſe regno præſtiterit, quas cum maxime in Rege deligendo ſpectare debeamus, cur externum præteram civi illi, in quo non ſolum pares, ſed fortaſſis ſuperiores etiam illæ ſint. Cum ut paria omnia in utroq; ſint, rerum tamen, hominum, legum, moris, inſtitutorum patriorum, linguæ denique notitia, ſuperior certe, magisque idoneus civis ſit, neceſſe eſt, in quo quantum poſitum ſit, quid attinet dicere? nemo clavum committit ignaro maris: nemo currum vehendi imperito: nemo Ducem itineris, viarum regionumq; ignarum deligit. Externus ne, qui de facie nunquam me viderit, multominus quo majores mei in regno hoc loco, quibus meritis fuerunt, vel ipſe adeo ſim ſciat: qui neq; legum, inſtitutorum, judiciorum noſtrorum formam unquam animo conceperit, qui denique neq; me intelligat, neque à me intelligitur, regnum rite adminiſtrabit: ille ne quod unum legitimo Principi in omni adminiſtratione potiſſimum eſſe debet, ut illi' cura atq; labore ego beatus ſim, vel vellet efficere, vel ut velit poterit. Citius credite mihi vel qui nunquum mare viderit, è maximis tempeſtatibus navem explicabit, vel ducatum cæcus mihi præſtabit. Verum dicat aliquis, aptior fortaſſis regno indigena, quam externus, verum idem egens, infirmus, humilis, nihil vel ad ſe, vel ad regnum tutandum præſidij afferet. Primum ea ipſa potentia, quæ ad externum Principem, maxime autem Cæſarem eligendum alios invitat, me deterret, nolo nimis potenti domino ſervire: Regem habeam qui ſecundum leges imperando, amari à me malit, amoreq; ſui à me potius omnia impetret, quam per vim metumque extorqueat.

Notum vetus Samotulij Poſnanienſis Palatini teſtamentum eſt, quo præcepiſſe liberis fertur,

fertur, ſi qui ex illis in Senatu aliquando futuri eſſent, ne nimis Princeps abundaret, ſed ſubjectorum potius ope egeret, quam ſubjecti omnia ab illo expectarent, pro ſe quisq; operam daret. Etenim rite ſecundumq; leges imperanti ſatis illi in republ. civiumq; concordia, & amore præſidij erit. Alium ſi ſe præſtiterit, in reipubl. tamen poteſtate, ut ſit volo: ex ea ne nimiis opibus ſe eximat, gravisq; mihi ſit, aut omnino me opprimat nolo, nolo externa præſidia adducat; nolo affinium cognatorumq; Principum auxilia, in caput meum, libertatemq; publicam invocet. Deinde opes illas quæ ab externis nobis ingeruntur, vereor ne oſtentatio potius præſidij alicujus, quam verum præſidium ſint. Omnia magna imperia, ut proventus magnos habent, ita difficultates ſuas non minores, quæ ut non pauciora perdenda quotannis ſint, quam percipiuntur faciunt, quis vadem ſe nobis præſtabit, non magis noſtro auxilio illum opus habiturum, quam nos illius. Tu ne mihi Impe. regni Boemici, Ungariciq; vires oſtentes, quæ bello Turcico jam ardent, propioraq; adeo periculo ſunt, quam nos ipſi? illis ne hoc regnum tutaberis, aut hujus regni copiis illam? adeo ne vel externas vires ignoramus vel noſtras? Non unum hoc regnum eſt, ſed multa: ſingulæ partes provinciæq; ejus, regnorum quorundam inſtar ſunt, ut Poloniam utramque, quæ caput rerum eſt, taceam, Lithuania, Ruſſia, Pruſſia, Livonia, nonne ſingulæ ex hiſce cum regionum ſpatio, tum nobilitatis hominum, urbiumq; frequentia, portuum nonnullæ etiam opportunitate vectigalium ad extremum, ſi ad exterum morem exigantur, copia ac magnitudine, cum nonnullis Europæ regnis non comparandæ ſolum, ſed aliquibus fortaſſis præferendæ; quæ quidem opes publicæ, ut tantæ non eſſent, concordia certe noſtra ſit modo ea, & quibuscunq; domeſticis opibus facile contra quemvis externum hoſtem nos tutabimus. Certum eſt animo nullam tam parvam gentem eſſe, quæ modo concordibus animis ſalutem publicam tueatur, quæ externis viribus deleri poſſit. Exemplo nobis vel hæc ipſa patria noſtra eſſe poteſt. Cum Poloniæ ſola per tot ſæcula, ſine ditionibus illis, quæ poſtea acceſſerunt, ſub Piaſtis aliisq; indigenis regibus ageret, quibus externis præſidiis opibusque, non ſolum à vicinis hoſtibus, Germanis, Boemis, Ruſſis, Lithuanis, Crucigeris, Valachis, Scythis, illuvieq; illa Barbarica, non ſolum tutata ſe fuerit, ſed quam latiſſime imperio propagato, tot nobiliſſimas provincias adjunxit? Pudet conditionum, quas tam amplo regno publice ferre alios non pudet. Cum alij centena aliquot millia, alij ne aliquot quidem ſed ſingula, juventutiq; noſtræ alimenta, artium munitiones, ſimiliaq; pretium quaſi regni offerre nobis non dubitant; tantulane igitur ſumma regnum hoc æſtimetur, quod ditionum amplitudine, vectigalium copia, ſi ad externam præſertim formam revocentur, cum florentiſſimo quoq; Europæ regno facile conferri poteſt? Si quæ paucis hiſce annis in exercitus noſtros, quos contra Moſcum, Suecum, Tartaros aluimus, aliasq; neceſſitates publicas erogata publice fuerint computaverimus, quantam ſummam futuram exiſtimatis? neq; tamen quisquam noſtrum, vel publicis vel privatis vectigalibus ſuis quicquam deceſſiſſe, animadvertere poteſt; ærarij modo publici curam ſuſcipiamus: Vectigalia conſtituamus, largitionibus nimiis modum certum præſcribamus. Satis credite mihi, quicunq; Rex erit, ut opes ad regnum ipſe nullas omnino afferat, cum publicis tamen vectigalibus, tum noſtra etiam benevolentia dives abundansq; erit. Satis luculenter, cum domi tum foris & ſuam dignitatem, & regni Majeſtatem tutabitur. Nam quod autoritatem etiam eum non habiturum, nonnulli diſputant, non video cur Senator ex privato factus in honore apud me ſit, Rex eſſe non debeat? Palatinum qui modo privatus fuit veneramur, Regem factum contemnemus? Non dicam nunc, quod à ſapiente quodam profectum, à multis uſurpatum ſcimus. Omnes Reges à ſervis, omnes ſervi à Regibus, illud vere dici poteſt, omnibus Regibus, privatum certe aliquem initium præbuiſſe; qui primus igitur ex privatis Rex fuit, niſi in ſumma apud populum veneratione fuiſſet, quomodo vel ad tantum faſtigium pervenire, vel evectus ad id continere in officio populum potuiſſet? Circumferamus modo per alios populos atque gentes oculos, in ampliſſima Veneta republ. Duce mortuo, qui heri privatus fuit, hodie dux, & magnus quidem, in potentiſſima republ. dux fit; Quod illi vel à civibus, vel ab externis honoris genus non defertur? non ſuam enim ſed reipublicæ perſonam gerit. Quicunq; igitur Rex erit, regni certe in eo Majeſtatem non ſui modo ſed exteri colent. Quem hoſtem Matthia Rege Ungaria timuit, aut quis non vicinus illum? Ametur modo à ſuis, & arma in manibus novus Rex habeat, in majore apud omnes veneratione erit, quam iners maximorum quorumcunq; Regum poſteritas. Idem illis respondeo, qui ſi ne motu aliquo, aut ſeditione privatum fieri Regem non poſſe putant. Præterquam enim, quod privati utique Regibus omnibus initium præbuerunt, qui ſuperiorum ætatum res inſpexerit, plurium externorum certe imperium, vel ſeditionem vel exitium, vel aliquid mali ſecum traxiſſe reperiet, quam privatorum indigenarum, ne longe abeam, externum Regem unum, ante Henricum hunc, omni memoria Ludovicum regno huic præfuiſſe ſcimus. Jagellonum enim, qui ſe ſuaque omnia regni poteſtati ac ditioni permiſit, non pro externo, ſed noſtro habendum puto. Sub Ludovico autem, quæ illo in Ungaria deſidente, perq; vicarios regnum adminiſtrante, rerum facies, quam præter publicam negle-

glecti quaſi regni indignitatem, miſer etiam triſtisq; ſtatus fuerit, quis ignorat? quis non ſimilem ſtatum nunc etiam Cæſare electo non expectare poſſet? aut vel viciniores, nunc Germania, Boemia, Ungariave nobis ſunt, quam antea fuerint: vel præſentiam ejus minus nunc, quam hunc Ungaria Ludovici, deſiderant? At indigena electo, neceſſarios ejus omnes, plurimosq; adeo pro uno Reges habebimus: Suos deniq; ante alios provehet, è publicisq; vectigalibus locupletabit, alios vel benemeritos præteribit, vel inviſos premet: ad extremum ne convenire quidem de eo poterit. Neſcio ſi de externo convenire poſſit, cur de ſuo non poſſit? aut tot diſceptantes ſententiæ, ad unam redigi non poſſint, cur vel majori parti ſuffragiorum, vel ſorti, ſæpe in ſimilibus, maximisq; aliis rebus frequentatæ non committantur? in commodis autem quæ ex indigenæ imperio expectanda nonnulli putant, cur non eadem ratione obviam eamus, quibus externis. Externo conditiones ferendas putamus: feramus & indigenæ. Si de eo enim agitur, ne ſi Lithuanum eligeremus, magis Lithuanis faveat, quam Polonis: itidem Polonus Polonis, & quis magis ſuo quam alieno; multo magis Gallus Gallo, Italus Italo, Germanus Germano cupit. Sed quemadmodum conditionibus & lege ſuffragatores eorum obviam ei rei iri poſſe exiſtimant, eadem ratione indigenæ, conditiones modumq; certum præfiniamus. Lege caveamus, ne quicquam ſuis ne liberis quidem, niſi intra certum modum conferre poſſit, ne in quenquam niſi benemeritum reipubl. beneficia conferat, quas leges conditionesve, ſi vel aſtu aliquo eludat, vel vi perrumpat, cum ſuis benefecerit, non alienos tamen, aut exteros in honoribus videbimus, apud cives neceſſarios, ſanguinem denique noſtrum beneficia reipubl. erunt. At qui Cæſarem tantopere commendant, ſaltem quid in vicina Ungaria fiat, videant: nonne omnia Germanorum plena? Nonne Ungarorum, fides, & ſuſpecta fere illis, & inviſa? Nullum fere alicujus momenti præſidium in Ungaria eſt, quod non à Germanis teneatur, Ungari propria patria ſua quaſi extorres, vel exemplo ſaltem ſuo Ungaria nos moneat, ne quorum conſilia imitemur, eorundem exitus nos maneat. Cum Germanis & majoribus noſtris, & nobis hodie complures ſane neceſſitudines intercedunt: ſed inter frequentes Regum noſtrorum cum illis, & privatorum affinitates, aliaq; neceſſitudinis vincula, ſuam tamen una quæq; gens ſemper rem agere, curareque, neq; vero plebs ſolum, puerorumq; odiis, non raro inter ſe exarſiſſe, ut Henricorum, aliaq; ſuperioris ætatis bella taceam, vel Cruciferorum arma oſtendunt, quibus haud ſcio an ullis aliis, vel diutius, vel gravius exagitata Polonia fuerit. Ut quam breviſſime igitur me explicem indigenam ſuadeo. Hic & noſtrum unumquemque noſcet, & nos illum, idem moris, juris, legumq; noſtrarum gnarus, minus certe injuriæ facere cuiquam poterit, ad eum non per interpretem, ſed ipſi adire, deſideriaq; noſtra deferre poterimus: nulla ab eo externa vis, nulla peregrina arma metuenda, nullo ille externo ſatelletio latus; nullis externis cubiculariis miniſtrisque, privatos ad ſe aditus, obſepiet: omnes noſtros circa illum videbimus: qui vel gratia regia freti, peccare aliquid auſi fuerint, rationem ejus legibus reddendam ſibi ſcient. Ut uno verbo dicam, pater mihi Rex ſit non vitricus, qui quemadmodum ego illum veneror tanquam Regem, ita me amet tanquam civem, ſanguinemque adeo ſuum. Nomine omnium Pruſſiæ Palatinatuum, Nicolaus Dzialinius Palatinus Culmenſis, & ſuo loco & ab aliis legatus, Erneſtum nominabat. Interpellatus à Zborovio Palatino Cracovienſe, unius ſe ſuffragium accipere, abſentis jure ſuffragium nullum eſſe. Similiter cum Theſaurarius valetudine impeditus ad Vicecancellarium ſcriptum ſuffragium ſuum miſiſſet, ne in exemplum res traheretur, recitari non permiſſum. Stephanum Battoreum, qui non multo poſt, felicioribus regni hujus fatis, à magna parte nobilitatis iisdem comitiis electus Rex fuit, ante Andream Zborovium, minorem Marſalcum, nemo è Senatu nominare auſus. Etſi enim legatus Turcicus Leopoli adhuc hærebat, legatio tamen, quæ Battoreum, aut indigenam commendabat, vulgata jam erat, quæ res non ſolum à Battoreo animos plærorumque fere avertebat, eoque magis quod tributum Turcæ illum pendere, omnibus conſtabat: Sed Piaſtum etiam apud nonnullos, qui nihil à Turca ſanum ſincerumve expectandum diſputabant, ſuſpectum fecerat. Andreas Zborovius, qui pro loco Marſalci curiæ, inter ultimos ſententiam ſuam ferebat, cum Indigenam ipſe etiam improbaſſet, imprimis quidem Ferrarienſem, quem alij etiam nonnulli pauci tamen nominarant, ſecundum eum Battoreum ſententia ſua & primus, & in Regem creabat: cum tributum non ab illo profectum, ſed à deceſſoribus ipſius Tranſilvaniæ Principibus in eum transmiſſum excuſaſſet. Sententiis à Senatoribus dictis, ab equeſtri ordine in conſilium itum. Mos per Palatinatus ſententias dicendi, quæ in unum poſtea conferrentur, ſuperiore electione uſurpatus, jam in Stenzicienſe conventu intermiſſus fuerat. Itaque hic quoque ad ſuffragium ferendum univerſa nobilitas unum in locum convenit, magno popularitatis incitamento, cum quo popularius quicquam ab aliquo dictum, à circumſtantibus imperitioribus mox exciperetur, acclamareturq;, acclamationibus iis ſana etiam pars plerumq; vel traheretur, vel cedere neceſſe haberet. Ab initio duo fere tantum diverſis concionibus jactati, Auſtriacus & illi oppoſitus, ſine ullo certo adhuc nomine indigena. Auſtriacum complures commendabant, imprimis tamen Nico-

Nicolaus Firleius Caſimirienſis Præfectus, Jacobus Cziecigniovius, Joannes Kochanovius celeberrimus idem noſtrorum temporum Poeta, Chriſtophorus Zborovius, Stanislaus Czarnkovius, qui Auguſto Rege Referendarij munere maxime celebris fuerit. Inter eos qui Piaſtum ſuadebant, Princeps fere Joannes Zamoſcius Belzenſis Præfectus, & non ſolum ob ingenium opinionemq; de eo hominum maximæ apud pleroſq; autoritatis, ſed à ſex etiam tum Ruſſiæ Palatinatibus Legatus.

Pro Auſtriacis Czarnkovius in hanc fere ſententiam verba fecit.

Czarnkovij Oratio pro Auſtriaco.

Convenit mihi, aliisq; qui ejusdẽ, mecum ſententiæ ſunt, cum parte illa, inquit, nonniſi noſtræ gentis Regem nobis deligendum, noſtræ autem gentis, omnium interpretum ſacrorum, ipſiusq; adeo Scripturæ Sacræ autoritate, ac teſtimonio eligere me Regem ſtatuo, cum Chriſtianum eligo. Omnes enim qui Chriſti DEI nomen profitemur, unum populum, unam gentem nos eſſe, quis vel tam ignarus eſt myſteriorum Chriſtianorum, ut ignoret, vel tam impius, ut negare audeat. Omnes Iſrael: Omnes ſemen Abrahæ ſumus. Quod ſi intra unius linguæ gentem jactare præceptum id voluerimus, eadem ratione, ne connubia quidem cum aliis populis chriſtianis libera nobis erunt. Ejusdem enim legis autoritate, qua Reges ab exteris petere Judæi prohibebantur, nubere etiam in exteros vetitum illis erat. Verum ſi à tot ſæculis, quibus religio chriſtiana viget, nullus omnino repertus fuerit, qui connubia inter populos chriſtianos interdicere auſus fuerit, ratioq; adeo ipſa, & mos omniũ gentiũ chriſtian. id reſpuit, qua ratione connubia, aliarumq; rerum commercia nobis permittunt, regni imperiorumq; excludunt. Quod ſi ex ſolius linguæ commercio Reges legemus, infinitos Reges habebimus. Sed neque ego fortaſſis, neque tot alij quamvis linguæ noſtræ peritiſſimi, ob id Reges eligimus quamvis poſſem ſpem facere, quod multorum horum Regum, ad externa regna electorum exemplo nobis promittunt, ne linguæ quidem quencunq; elegerimus, diu expertem fore. Id tamen quod res eſt dicere malo, alia certe quædam quam linguæ noſtratis uſum, in eo, quem tam dubiis præſertim temporibus, admovere gubernaculis regni velimus nobis ſpectando. Alia regia munia, virtutesque ſunt, hujusmodi mihi Rege opus eſt, qui non in me primum regnare diſcat, ſed cum artes regnandi à majoribus imbiberit, documentum etiam earum in aliis jam dederit; famulum aut villicum cum eligimus, expertem quisque deligit, non qui in noſtra re familiari periculum faciat, & Regem eum deligendum exiſtimabimus, qui non modo ipſe unquam regnarit, neque domi ſuæ vel per ſomnium unquam regnum viderit. Ego vero non talem ſolum aſciſcendum ſtatuo, cui regnum nomenve Regium nihil novi afferat. Verum quod non artibus modo, ſed præſidiis etiam regiis egregie munitus, & domi legibus & foris armis autoritateq; nos tueatur. Itaque non ea ſolum ſpecto, quæ ſola plerique inter opes numerant, regna nimirum, arma, vectigalia, ſed non minus alia, affinitates nimirum, clientelasque, cognationibus mihi orbem Chriſtianum complectatur: Principes chriſtiani alij ament eum, tanquam propinquum, revereantur alij tanquam ex Auguſta domo profectum: hoſtes autem non ſolum opes armaque ejus metuant, verum neceſſitudinem etiam, conſenſumque cum eo reliquorum Principum Chriſtianorum, in quo quantum poſitum ſit, cum infiniti teſtentur, ne longe abeam, quid Caſimirum pacavit? affinis. Quæ pericula nos circumſtant videtisne? Moſcus aperte in armis eſt, Danus homines regni jam dudum prædæ ſibi ducens cauſam armorum vel dat, vel quærit. A Sueco niſi quæ petat largiamur, quid amici aut pacati expectare ab eo poterimus. Imperio Germanico quæ de Pruſſia controverſiæ nobis intercedant, non ignoramus. Cum Tartaro æternum bellum: cum Turca nunquam fida pax, pro beneficio imputante[illegible] quem ultimum ex ſociis comedat. Si non omnia pleraque certe pericula, aut Auſtriacus, aut nemo tollet, alios ut Germaniam, Danum, Suecum, Moſcum, vel neceſſitudine, vel ſola nominis autoritate pacabit, Tartarum armis ulciſci, Turcam princeps iis opibus, atque affinitatibus, vel ancipiti metu, in pace continere, vel bello arcere poterit. Neque tamen quisquam exiſtimet, claſſicum jam contra Turcam me canere, cujus arma quemadmodum majores noſtri ſemper, ita ne ego quidem temere irritanda putem. Unum ſcio affirmare auſim; plus chriſtiano tamen ſemper fidendum quam Turcæ. Ad tot vero partim aperta, partim incerta pericula arcenda, quid Piaſtus, vel auxilij vel acceſſionis nobis afferet? affinitates cognationesq; privatæ & quæ graves quidem eſſe nobis poſſent, præſidij nihil habeant. Jam enim non ſolum ne ipſe Rex ex privato factus, ſed patres etiã, propinqui, neceſſarij, affinesque ejus, mores cum Regno mox mutent, proque uno multos dominos habeamus vereor: magnum ſanguinis vinculum. Itaque majores noſtros præter unum Piaſtum, non ſolum privatum nullum regno admoviſſe videmus, ſed ut ne Reges quidem in familias quamvis nobiles potentesq; nuberent, domeſticaq; Regum connubia, plures domi dominos illis imponerent, ſemper caviſſe, non immerito autem caviſſe, vel Helizabeta, vel Barbara documento nobis eſſe poſſunt. Præſidia certe opesque quas utrasque à nobis ſolis vel habere, vel expectare poterunt? Ad quemcunque non modo nuncium ſed metum ſtrepitumque belli, tributum, expeditionemque indicant. Semel iterumq; feremus: progreſſu temporis, ne

frequentia tributa expeditionesq; aut nihil, aut raro beneficij aliquid à Regibus auferentes, frequentes autem tributa pendentes, merentesq; una cum ipſo Rege, opinione noſtra citius in odium nobis veniant vereor, cum è contra Auſtriacus, non ſuis ſolum ſed plerorumq; Principum Chriſtianorum ac totius fere Europæ autoritate, opibus auxilijsque, ſubnixus, non modo ſublevare difficultates noſtras, vel ſolus vel maxime poſſit, ſed augere etiam regnum hoc ornareque. Ille ad domeſticas vires noſtras, imprimisq; equitatum, quo præ cæteris nationibus maxime præſtamus, non ſolum equitatum, tum Germanicum tum Ungaricum, Boemicumque, ſed legiones etiam Germanicas, Italicas, Hiſpanicasque, easq; ſuis ſtipendijs adjunget. Ille & novis arcibus præſidiisque, qua re vel maxime opus habemus, fines regni contra diverſos hoſtes, per quos quam latiſſime extenduntur muniet confirmabitque: & vetera munimenta operaq; vel collapſa, vel ſint neglecta, reſtituet, inſtaurabitq; ille nobilitatem ad externos etiam honores beneficiaq; provehet, urbes oppidaq; artificiis, legibus novisq; Coloniis excolet, univerſum autem regnum, cum operibus novis, tum inſtitutis exornabit; quibus rebus gentes eæ floreant quis ignoret? quæ illic munitarum arcium frequentior, quis urbium ſplendor? quæ artificiorum omnis generis copia? quis per omnem regionem nitor? quæ elegantia non oppidorum ſolum, ſed ſingularum pene Villarum? vel una res documento eſſe poteſt.

Cum apud nos in plerisque oppidis rata horologia ſint, illic nulla fere villa eſt, quæ præter alia ornamenta, non horologia etiam ſua habeat; quo minus mirum eſt, patrum adhuc memoria in Germaniam fere plerosque ad excolenda ingenia liberos ſuos miſſitare, & artes artificiaque omnia inde fere petere, ſolitos. Jam à Reginæ Bonæ temporibus magis quidem Italia quam Germania à noſtris frequentatur, artificia tamen plæraque, urbesq; adeo ipſas noſtras, quæ ab ejus fere gentis hominibus coluntur, Germanis certe fere debemus. Tyrannidem aliqui ſuperbiamque, & impotentiorem dominatum, maxime autem aliena imperia occupandi, continuandiq; libidinem eis objiciunt, quibus quid iniquius? Confirmare auſim, nullam regiam cum aliis virtutibus regijs, tam maxime liberalitate, atque clementia magis claruiſſe: à nullo Principe mitius benigniusq; populos haberi. Sine tributis quidem nulla reſpubl. foris præſertim, quæ tot tantisq; bellis implicata ſit, geri, adminiſtrarique poteſt: Sed ea ita apud illos moderata eſſe ſcio, ut poſſim oſtendere, minora illos populos ſuis Principibus, quam nos noſtris Regibus tributa pendere. Æqualitatem illic tributorum quam quis non potius laudet, quam in vitio ponat? ea nimirum, quo non capita egentiorum, cum locupletioribus, ſed facultate & cenſu exequentur; Qua quid juſtius? plus poſſides: plus in commune confer: egeſtatis vel id ſolatium ſit, ut cum pro opibus cujusque à ditioribus respublica juvetur, ob ea ſupra vires ejus nihil ſaltem exigatur.

Juſtitiæ certe, clementiæque eorum, non modo ditiones urbesque & homines earum omnibus rebus florentes, argumento nobis eſſe poſſunt, ſed imperij etiam diuturnias felicitasque. Per quadringentos jam fere annos, non in Germania ſolum gens hæc rerum potitur, ſed in maxima parte Europæ; Uno Alberto qui patruelis fraude perijt, excepto, nullæ in ea cædes, nihil violentum extitit, qui non ſicca morte ſine cæde & ſanguine functus fuerit, quorum utrumvis ne veterum Imperatorum, Tyrannorumque minas, ac facta repetam, haud ſcio an in quacunque alia regia oſtendere facile ſit. In Imperio Romano, ab aliquot jam ſane ſæculis, invicem ſibi ſucceſſerunt; ſed voluntate Principum: commune enim imperium in proprium dominatum eos non vertiſſe, non modo cujusque vel Regis Romani, vel Cæſaris electio ſuffragiis Principum electorum, omnibus temporibus adminiſtrata, ſed aliorum interpellatio, aliorum præteritio oſtendunt. Nam & à Lucemburgicis, & à Bavaris, interpellatum, continuationem eam imperij in domo illa ſcimus: & nuper cum à Carolo V. Philippus filius, ſi hæreditatum ſucceſſionumque jura valuiſſent, ſuccedere debuiſſet, minor natu frater, Ferdinandus ejusq; poſteritas ſucceſſit, quorum neutrum fieri potuiſſet, ſi hæreditario jure comitia, imperitandique viciſſitudinem ſuſtuliſſent. Boemorum jura ſi violata eſſent, cum merito illorum id accidiſſet, quis reprehendere poſſet. Belli Germanici temporibus, non modo à Rege ſuo eos defeciſſe, verum uxorem ejusdem Reginam, eamq; gravidam, una cum liberis ita obſeſſam ab illis ſcimus, ut mortem non multo poſt, ex terrore inopinato ſubierit. Præter aliarum rerum novarum conſilia, quæ Brukio Jurisconſulto capto ſe aperuere, quæque ſignis eorum teſtata, cum ad noſtros etiam Reges miſſa eſſent, mihi ipſi videre contigit, & tamen non niſi in autores ſontesque pœna vertit.

Si quid vel ipſi Auſtriaci in Maſoviam, vel imperium Germanicum in Pruſſiam juris ſibi uſurpant, non modo abſterrere id nos ab iis, ſed invitare etiam debet; cum & Maſoviæ Jure, ſi ex ipſis quis eligatur cedere, & de Pruſſia cum Imperio pacare nos paratos ſe oſtendant.

Ut in pauca rem conferam, non modo qui magis è republica, verum etiam qui Regibus noſtris regnoque adeo à multis ſæculis conjunctior ſit, quenquam creare poteritis, præter vicinitatis

aliorumque commerciorum jura, affinitates quàm frequentes, nuper adeo laudatissimas uxores duas regia hæc defuncto Regi nostro dedit: nulla unquam earum mali quicquam nobis importavit. Si prolem nullam nobis dederunt vel Dei voluntati, vel peccatis nostris imputemus. Quod bene igitur vertat, quemcunque volueritis ex domo ea Regem eligite, Si pater vobis placuerit, summæ autoritatis, expertæq; prudentiæ, ac moderationis, maximisq; opibus, ætas maxime nunc integra, cum quinquagesimum annum nondum attigerit: Valetudine nonnunquam tentatur, Verum quæ rebus gerendis impedimento non sit, podagra nimirum, molesto magis quam vel periculoso, vel assiduo morbo. Si filius magis probatus fuerit, eorundem regnorum affiniumque opibus subnixum, maxime autem ejusdemq; non dubiæ expectationis, tum annis viribusq; florentem Regem habebimus: utrum elegeritis neutrius vos pœnitebit. In eandem sententiam alij, qui supra demonstrati sunt, verba fecerunt: omnes à magna parte nobilitatis ab Austriacis abhorrente cum tædio fere auditi: ex Czarnkovij vero oratione horologiorum mentio, in risum & jocum ab adversariis arrepta, vix non aliam etiam orationem ejus elevavit, maxime tamen Zamoiscij oratio eam oppressit.

Zamoiscij pro Indigena Oratio.

Si quis inquit, vestrum miretur, me qui superiore interregno nominis, Majestatisque regiæ vix non inter primos propugnator fuerim, nunc privati ad fastigium regium evehendi autorem esse abeo, primum ut quæ tempora tum voluntatesq; hominum fuerint, cogitet petam; deinde si durior iniquiorque in me esse voluerit, saltem ut ætati huic meæ, una cum majoribus natu & sapientioribus, vel erranti, tum vel deceptæ veniam hanc det rogabo. Omnia ætas fert: hunc judicij quoque vel errorem demsit, vel maturitatem attulit.

Augusto nuper admodum mortuo, quamvis in liberrimo regno natus, cui tamen non splendor, Majestasq; nominis regij ob oculos adhuc versabatur? quis in tam recente memoria augustissimi Regis æquo animo privati mentionem fieri patiebatur? cui non sæpius in mentem veniebat, quis fuisset, qui proxime regnasset, an qui futurus esset, quem eligeremus? quis deniq; regio solio quenquam, quam qui regio genere natus esset dignum regno judicabat.

Postquam usus resq; ipsa, & præsentia pericula, quid reipublicæ maxime expediat, plerosq; etiam majores natu: me vero præter ista ætatis etiam qualiscunq; hæc accessio edocuit, cur me pudeat, ex usu & temporibus reipubl. sententiam potius mutare, cumque ætate secundas, easdemq; sapientiores cogitationes consiliaq; sumere, quam vana constantiæ laude tuenda, si non in gravius, simile saltem periculum, pro mea parte etiam rempublicam conjicere.

Meos etiam oculos, animumq; fateor, idem qui aliorum fulgor tum quidam nominis regij perstringebat, & ut magna præclaraque una cum aliis Principum nomina mihi videbantur, ita alienum à dignitate publica esse, Regi nonnisi Regem aut Principum saltem familia ortum suffici.

Nunc sive originem, sive munus Principum cogito, nihil omnino video, quare cuiquam equestri ordine, in quo modo virtus equestri ordine digna sit anteferri quisquam eorum debeat. Ne enim illud jam dicam, multorum Regum Principumq; familias, quæ vicissitudo est rerum humanarum ex multo humilioribus etiam initiis profectas, quam multi enim Reges ab ovili atq; aratro, inferioribusq; ministeriis aliis ad regnum evecti, ut maximum quodque imperium fuit, ita ab humillimis initiis profectum. Nobilius certe ipsi nullum sui initium ostendere vel possunt, vel solent, quam equestrem ordinem; cujus ea apud omnes gentes dignatio est, ut apud alios ipse summa imperia administret: apud alios Regum atq; imperatorum seminarium sit. Cumque tantum abest, ut quosdam summos Reges, Principesq; puduerit, ut cum sanctius aliquid confirmare voluerint, nobilis hominis seu equitis fide confirmando originem suam, non modo libentes ipsi agnoverint, verum gloriari quasi ea soliti sint.

Quid enim ducum ista, Marchionum, Comitum ac similia nomina, naturæne potius, quam dignitatis, ac magistratuum esse putatis; quibus illa ab initio tradita fuerunt, equestris ordinis homines fuerunt, qui si ad posteritatem illa transmiserint, tantum abest, ut conditionem reliquæ nobilitatis exuerint, ut accusandi potius sint, quod quæ publica fuerint omnium, ea privatim sibi suisq; usurparint.

Ex vestro sensu conjecturam facite, apudq; animos vestros cogitate, si nunc vel Palatinus, vel Præfectus, vel judex, vel quicunque alius magistratus officium, quod vicissitudine quadam totius nobilitatis commune est, in familiam suam transferre velit, temporariumque magistratum, familiarem facere, vicesque istas per orbem officia ista capessendi, obeundique, quæ maxime æquandæ libertati sunt, tollat, bonumne eum virum judicaretis, ac non potius odio, quam honore dignum censeretis.

Jam vero non modo origo utrorumque communis, cum ab equestri ordine Principes etiam profluxerint, sed artes etiam studiaque eadem. Propria quasi apud omnes gentes equestris ordinis sunt, vel domi Magistratibus obeundis rempublicam gerere, vel militaris Rei studia tractare: hasce quasi proprias artes equestris ordinis homines ubique exercent.

Aliane

Aliane cujuscunque ut quam optime instituti Principis, vel munia, vel studia sunt? Idem vero ordo, eademq; ejus studia, cum si in ulla gente, apud nos certe vel maxime vigeant, quis iste tantus error mentes nostras obcæcavit, ut non modo quod domi habeamus aliunde quæramus, sed magno etiam cum incommodo, externum nostro præferre velimus.

Ad rem ipsam modo, naturamq; mentes oculosq; referamus, quis est qui sua sponte non mox intelligat, quanta in quocunq; externo incommoda, quanta commoda in cive sint, qui qualiscunque, aut quocunq; ingenio futurus sit: quod tamen in regno natus sit; quod homines rationesque regni norit, aptior certe, quam quicunq; externus, cui ignota omnia sint, erit: qui cum linguæ ipsius ignarus sit, qui ad illum aditus, quæ communicatio cum eo illis, qui linguæ ejus expertes sint. Cum præsertim ut fortassis aliæ nonnullæ, ita maxime Slavica, sua etiam quædam habeat, quæ ne proferri quidem alia lingua possint. Quocunq; oculos convertamus, domestici imperij raro, externi ut plurimum pœnituisse homines reperiemus. Post Boemum vix intra quadragesimum annum regnum hoc ad se rediit. Ludovico Rege quæ facies reipublicæ hujus fuerit, ex annalibus repetere quilibet potest. Jagellonem pro nostro habeo: priusquam enim electus Rex fuisset, communia omnia sua, cum regno hoc fecit. Omnino externum DEO non placere, quid clarius quam proxima electio ostendere potuit? noluit diuturnum ejus imperium apud nos DEUS esse, discessus ejus tam repentinus inexpectatusque, omnibus fere nationibus ostentui nos exposuit, saltem propria nostra seu pericula seu experimenta sapientiores nos faciant. Nobis ille mutus erat, nos illi. Si quæ per interpretem ad illum deferebantur, quam frigide? Ut verba enim fortassis mea reddere interpres possit, interiores vel doloris, vel alterius cujuscunq; affectus sensuiq; quos vix viva oratio effingit, nunquam certe ille exprimet. In incerto per omne id tempus statu respubl. erat: promissis, aut conditionibus nullis satis fiebat, vel vestigia saltem propria nostra nos terreant. Ut uno verbo dicam, non modo curam nostri majorem gerat; Verum qui rectius etiam nostro præesse nobis possit, nullum reperiemus, difficile naturam mutare est: ingenitum id unicuique, ut suis quisque faveat: Civis civi, externo externus. Quo magis Candidati ejus rationes expendo quem majores nostri semper fugerunt, nunc plerique nobis commendant, eo magis horreo.

Jam dudum eosdem, ut ex occidente Reges nobis eligere necesse haberemus, decreto etiam in aliena causa interposita, egisse video; quod cum tum vigilantia majorum nostrorum averterit, nunc ipsi ultro ei nos subjiciamus? eosdem inter nos Prussosque aliosque vicinos contentiones sævisse: diadema sociis nostris, quo saltem à nobis eos sejungerent, detulisse: fœdus societatemq; cum Moscho contra nos junxisse: Silesiam à nobis avertisse: omniaq; omnino facere, quo quam maxime obnoxios nos sibi habeant. Jam dudum sane ut fœdere contra Barbaros nos illigent, laborant, ut idem scilicet qui alios exitus nos maneat. Vel patrum memoria Vladislai Jagellonij ad Warnam cæsi recentissima, vel nostra Venetorum qui ab illis destituti, iniquissimis tandem conditionibus cum Turca pacem facere coacti. Amicitiam scilicet & fœdera nobiscum jungere quærunt, cum Prussiæ interim Masoviticiq; juris mentio tamen non intermittatur, neque dubitandum fortassis, quin si ex illis aliquem eligamus, pro suis Prussiam Masoviamq; habiturus sit, quis enim non sibi potius vellet quam alteri, aut non prius illi satisfacere se debere putet, cui prius religione jurisjurandi se obstrinxerit, quam cui posterius? Verum Austriacorum Principum, & dignitas & fama, eximia sane est; neq; à me quicquam derogatum ei velim, ne & ratio gubernandi, & leges, moresque gentium earum proprij, quibus utuntur à libertate nostra alieniores sint, non immerito vereri me existimo.

Libertas nostra tribus fere rebus continetur, quæ ita propriæ nostræ sunt, ut vix non & soli eas usurpemus, & aliæ gentes admirabundæ quasi partim suspiciant eas in nobis partim celebrent. Reges primo viritim eligimus, neque quisquam nostrûm imperium cujusquam agnoscit, cui non ipse in se imperium dederit. Vel cum major pars alium elegerit, suffragium tamen de eo tulerit: Subjectis deinde nostris, sine ulla provocatione, non modo absoluta cum potestate imperamus, sed vitæ plane necisque potestatem in eos habemus: quæ vero vix est libertatis nullam in nos Reges, aut ullus omnino magistratus potestatem habent, nisi quam ipsi id est secundum leges publicas potestatem illis in nos concessimus: itaq; neque honore, neque vita, neq; fortunis, neque exilio, neque vinculis mulctare quemquam nostrum Reges possunt, nisi jure publico prius victus condemnatusq; sit.

Contraria hisce apud illos omnia video. Primum principatus omnes fere ab antiquo hæreditarij, quæ suffragiis tradi solita fuerunt, ut imperium Romanum, Boemiæ, Ungariæq; regna, cum antiquitus etiam certorum tantum Principum arbitrio transferrentur, nunc vel in hæreditarium jus versa, vel imaginariis saltem electionibus interpositis, longa successione pro hæreditariis, quasi usurpari videmus. Cumque ipsi absolutum fere in populos imperium exerceant, idem tamen in suos subjectos nobilitati negant: inter quos vix non æque atq; pares, partim jus dici,

H 2 par-

partim provocationem eſſe ſcimus. Ex vinculis autem quam multos cauſam dicere meminimus? quam multos prius condemnatos quam auditos? non quæro nunc jurene an injuria: quin ſecundum illos mores, & leges quibus utuntur juſte potius omnia fieri interpretor: id ſolum à noſtra libertate, juribusq; ac moribus alieniſſima ea eſſe diſputo. Neque fortaſſis mirandum, tam diverſa apud eos jura eſſe, apud quos ratio adminiſtrandi gubernandique diverſa plane ſit. Noſtris legibus plebeius nullus in magiſtratu eſſe, aut honores gerere poteſt: apud illos cum tractationem armorum ſolam dignam ordine ſuo nobilitas fere judicet, alterius partis reipublicæ Judiciorum nimirum, legum interpretandarum juris dicundi, atque ut uno verbo dicam, togatarum artium poſſeſſione plebeis fere conceſſit. Itaque per Juriſconſultos homines plebeios, omnia fere ibi adminiſtrantur; quid mirum igitur ubi plebei homines rerum fere potiantur, plebeia itidem conſilia, plebeia jura maxime vigere. Itaque lex illa à veterum Tyrannorum mancipiis dictata, quod Principi placuit, legis vim habet, quorum magis in ore, quam Juriſconſultorum illorum verſatur: aliter apud nos, & omnes liberos populos: Quod populo placuit, id & in populum, & Principem ipſum valeat, iisdem juribus cum liberis reipubl. Rom. temporibus nefas haberetur, ex vinculis civem cauſam, dicere cogi, nunc Principes aliquando nobilitatis priusquam damnati ſint, carcere vinculisq; mancipantur. Auſim affirmare plures in Vicaria carcere Neapolitano Duces, majore quidem titulo, ſed non libertate, quam per univerſas Poloniæ turres nobiles eſſe, metus enim infamiæ apud nos loco carceris eſt; neque Rex dominus legum ſed cuſtos: cumque homo ſit, Senatus medius interjectus, qui cum nobilitate corpus reipubl. conſtituunt, Rex totius corporis anima eſt. Apud alios autem, quo fere alio numero magiſtratus habentur, quam in peculio, apud nos magiſtratus Regem caput agnoſcunt, non dominum, membra ejus non mancipia. Juramentum Senatorium. Et ne opponam, mox pro rebellione haberent. Per cubiculi miniſtros, aut Doctores omnia fere ibi expediri, quis ignorat; ſecus apud nos. Contra ſucceſſionem auream bullam ſcimus, ſed non de nomine queritur, ſed re. Octavium Auguſtum, cum poſt Julium imperium occupaſſet, Regem ſe non dixiſſe, ob quod nomen Julius interfectus fuerat: neque dictatorem conſtat. Sed tamen vel Imperatoris, vel tribuniciæ poteſtatis, vel Pontificis nomine tyrannum egiſſe. Exceptos in Ungaria præfectos militiæ, ſub hac exceptione, hic etiam novos homines introductum iri. Accidit quidem, ut Auguſtus tanquam ſucceſſor coronaretur: ſed improbatum, & ne in poſterum id fieret, cautum, & ne cogitaretur quidem. Quid enim puerum regno præficere, corruptelæ ejus ab adulatoribus, diffidia aliquando cum ipſo patre: continuata imperia, ſtabilimenta ſervitutis; interpellatio nova libertatis, omnibus nota ſunt: titulis obſepieri viam, & campum virtutis exercendæ, cum enim hæreditarij illi ſint, & illos ſegnes neceſſe eſt fieri, & reliquam nobilitatem cum aſpirare ſe eo poſſe, deſperet. Hic meritis in patriam, & virtute dignitas, comparatur, cum nemo in dignitate ſuccedere poſſit, niſi quem virtus extollat. Et illi quidem libertatem noſtram confuſionem vocant, putantque, rectene juſteque, quivis facile judicare poteſt. Si enim populus cætus eſt hominum, jure conſociatorum. Reſpublica noſtra, non ex fece plebis, ſed ex nobilitate conſociata eſt, moderatiorq; fere temperatura ejus eſt, quam Romanæ, duabus certe rebus melior, quod non annuum in ea tanquam conſulare imperium, ſed perpetuum ſit, & morte tamen viciſſitudinem regnandi, æquandæque libertati viam aperiens, altero, quod non Varrones ex macello, aliosque ſedentarios ad honores vocet: nobilitas cum arma ferat, juſte etiam ſuffragium fert; quæ ſi ad honores vocatur, primum honeſto genere, omnes nati vocantur: in quibus bene natis, bene educatis, nullum tale, quale infima plebe flagitium, temeritas, aut vilis animus eſſe poteſt; neque tamen interim, ſi quis virtute etiam nitatur, ſellulariisque iſtis, & vilioribus exercitiis ſe non contaminarit, ne virtuti quoque via ad nobilitatem præcluſa. Itaque floreant ſane, ibi niteantque oppida & Villæ: plebejus nimirum ordo: Si diminutione libertatis ſplendor ille mercandus mihi eſt, carere iis malo, quam abundare: neque enim tam artificiis iſtis mechanicis, vel muris ſubſtructionibusque, atriisque atque ædificiis amplis, quamvis ne ea quidem usquequaque nobis deſint: quam libertate, virtute, morumq; elegantia, beati homines exiſtimandi ſunt; quibus rebus nulli alij nationi concedere nos exiſtimo. Opes, potentiamque domus Auſtriacæ, in immenſum tolli à quibusdam audio: quæ illis blandiuntur, expetendaque imprimis videntur, ſuſpecta eadem maxime mihi ſunt, non ſolum quod libertati potiſſimum inde metuam, ſed non minus gloriæ etiam, dignitatique publicæ. Quod in fluminibus uſuvenire videmus, ut minora majoribus permixta nomen ſuum amittant, idem ne nobis accidat, vereor. Abſque eo proprium quaſi hoc occidentalium gentium eſt, ut alios nos, qui ſub ſeptentrionem remotiores ſumus, pro ſimplicioribus, ſeu rudioribus quaſi habeant.

Itaque vix quisquam inter eos ſutor, aut humillimus de plebe reperiatur, qui non ea arrogantia ſit, ut ingenio & conſilio, vel primario apud

apuod nos Senatori cedere velit. Accedat huc imperium: mox in Germanicum nomen Polonicum defluet: Regij nominis fulgor gentis gloriam ſecum trahet. Germanum Regem habebimus: omnia quæ domi, forisq; pręclare geſta fuerint. Germanus ſibi arrogabit. Germano oppida, arcesque condemus: Germano militabimus, pro Germani gloria, Vitam ſanguinemque profundemus; atque ut uno verbo dicā, Colonia quaſi, aut provincia Germanica fiemus, non multo poſt fortaſſis hæreditas etiam futuri. Fruſtra enim alium electionis ejus exitum polliceri nobis poſſemus, quam aliæ gentes tulerint, ſemel jugo accepto difficulter id excuties, niſi forte Ungaris, Boemisque, vel ipſis adeo Germanis feliciores futuros nos exiſtimemus, non vi quidem fortaſſis ab initio continuare regnum volent: mea autem quid intereſt, Vine, an precario, an arte libertas violetur, quacunque ratione libertas electionis vel tollatur, vel intervertatur, ſerviendum erit, frænumq; accipiendum, cum ad propagandum ad poſteros imperium, non modo artes, ſed ne color quidem defuturus ſit. Qui enim nunc Maſoviæ jus aliquod pertinere ad ſe præſeferunt, quid ſi in poſſeſſionem regni admiſſi fuerint, facturos putatis. Ego vero ſi, Joannis Boemiæ Regis jure uti adverſus nos velint, ne eo colore, univerſum etiam regnum, non multò poſt ſibi vindicent, vereor. Neceſſitudinem quidem & conjunctionem eam, quæ inter utramque gentem, à tot ſæculis mutua interceſſit, quæque à plerisq; commemoratur, ego quoq; libenter prædico. Idem tamen quantum fidendum illi ſit, ſuperiorum etiam temporum exemplis moneor. Cum Jagellonibus quidem primum communis hoſtis, Matthias Ungariæ Rex Auſtriacos conjunxit. Cujus cum commune vel odium, vel metus, arctiſſimo fœdere eos copulaſſet, per illud ipſum tamen fœdus, & cum Moſco in caput noſtrū, Auſtriacos coiiſſe, & in fraudem noſtram, regniq; Poloniæ, regium nomen, inſigniaque deferre ei non dubitaſſe, ſcimus. Sileſia per quos à Polonia avulſa. Pruſſiam itidem, qui jurejurando recuperare Imperio Germanico ſe obſtrinxerint, qui deniq; quod ſupra commemoravi, intra viſcera regni Maſoviam adhuc vindicent, obſoletum fortaſſis commemoraſſe ſit. At de Pruſſia, Maſoviaque promittunt; ego vero & dona ferentes metuo, quos ante non certos per omnia amicos expertus ſum. Jam vero quanti hoc faciendum exiſtimamus, ne electione iſta potentiorem aliquem Principem, vicinumque offendamus.

Galliæ Rex, ut nihil aliud, Rex certe noſter fuit, cujus vel unius rei memoria, & honoris ejus merito rationem habendam nobis exiſtimo, & ne à nobis exacerbatus, aliqua re nobis noceat, providendum. Remotus ſane à nobis eſt: ſed idem cum Turca, eodemq; potentiſſimo vicino noſtro, confœderatus: longas Regibus manus eſſe ſcimus, non difficile illi fuerit, à nobis irritato, vel per Turcam, vel per Tartarum, vel iras ſuas in nos effundere, vel injurias ulciſci. Dubium ne autem cuiquam eſſe poteſt, Auſtriacum ille malit, an indigenam; cum illos perpetuos Valeſia domus æmulos habeat, ab hoc omnem benevolentiam polliceri ſibi poſſit. Cujus ſi minus rationem habendam quis exiſtimet, Turcam certe, à quo & gravius, & præſens periculum ab electione ejus imminere, nemo tam cæcus eſt, quin videat, quomodo contemnet: Neque vero ego tam humiliter de regno hoc nobisque ſentio, ut vel Turcica, vel quæcunque externa arma metuenda tantopere exiſtimem, ut ſervitutis aliquid eorum metu ſubire nos velim. Sed primum cum plærosque Principes Chriſtianos horrere opes ejus videam: Cum Venetam rempublicam potentiſſimam, cum Imperatorem denique Chriſtianum ipſum, de quo electione hac agitur, tributo, redimere ab eo pacem ſciam, ego temere arma ejus irritare debeam? ego tam demens eſſe ut alieni honoris gratia, me fortunasque meas in præſens diſcrimen conjiciam, molem ſedemque belli, periculumque adeo omne in me ipſum ab aliis transferam. Quod enim Auſtriacis opibus adjunctis, facile periculum id nos diſcuſſuros nonnulli diſputant, quale ſit, nemo non videre poteſt: diſcrimen nimirum certum erit, exitus belli incertus. Si enim tam parata de eo victoria eſt, primo à ſuis eum cervicibus removeant, Ungaria Græciaque pellant, deinde periculi ejus vades ſe nobis offerant. At fidi Barbaro non debet, atque ut in præſens à nobis abſtineat, cum reliquos Chriſtianos omnes ſubegerit, ne ultimis quidem nobis parcet; ne ego quidem aliter de eo judico; at moriendum quoque mihi certo ſcio: neque tamen ſi mox quis mori me jubeat, libens illi obtemperem. Sed quemadmodum unumquemque noſtrum, longioris vitæ ſpes ſuſtinet, ita cur non etiam, vel temporum meliorum, vel mutationis alicujus expectatione, cum tam potente hoſte pacem ſuſtineamus potius, quam temere in bellum periculumque ruamus.

Cujus ſi ulli merito habendi ratio eſt, nobis certe qui in Ruſſia ſedes habemus, præ cæteris habenda eſt, ut qui & furori ejus maxime objecti, & omnibus non ipſius modo, ſed Scithycis etiam Vicariis ejus excurſionibus expoſiti ſumus; quo minus nobis, municipibusque noſtris Palatinatuum Ruſſiæ ſuccenſere nos æquum eſt, quod ſalutis noſtræ præcipuam rationem habendam eſſe eximemus. Cum præſertim cum noſtra publica omnium veſtrum ſalus conjuncta ſit. Deinde vero à tot jam ſæculis fœdus cum eo nobis,

majoribusq; noſtris intercedit. Cujus non video cur pudere nos debeat, cum & plærosq; alios Principes Chriſtianos, ſeu fœdere, ut Gallum, atq; Anglum, ſeu quæ ſpecies fœderum eſt, induciis certe ut Venetos, Imperatoremq; ipſum, conjunctos cum eo videam: idque non ad juvandum eum contra alios Chriſtianos, ſed ad noſtrum otium pacemque tuendam comparatum ſit; non imperat nobis indigenam ſed ſuadet: unum deprecatur, ne hoſtem ejus eligamus; & quantum ego judicare poſſum æquum poſtulare videtur; ejus igitur ſi ipſi violandi autores ſimus, ne juſte arma, irasque ſuas in nos convertat, nobis videndum. In commoda hæc, tam interna, quam domeſtica, quæ externi imperium invehere nobis poterit, indigena electo, omnia evitabimus. Primo contemptus mutuus, qui inter diverſas nationes exiſtere fere ſolet, contentionesq; contemptus ejus comites, nullæ omnino erunt. Externo quemadmodum, habitus, amictus, cibi denique noſtri, vel ſordent, vel novi quaſi ſunt; ita morum etiam, Juris, Judiciorum, rei militaris, rationisque bellandi noſtræ, cœli ad extremum hujus, inſolens eſt. Nullum cum eo vel domi, vel militiæ ſermonis commercium; noſtrum ſi elegerimus, dupliciter Scripturæ Sacræ, ſeu præcepto potius divino ſatisfaciemus. Nam & Chriſtianum, & noſtræ linguæ Regem habebimus: gnarum linguæ: gnarum hominum; gnarum legum: inſtitutorumque reipublicæ. Et quemadmodum Ruſſus Villicus, rei familiari Ruſſicæ, Lithuanus Lithuanicæ, rectius adhibetur quovis alio, ita Polonus rectius adminiſtrabit regnum cujus gnarus eſt, quam vel Italus, vel Germanus. Qui in odium adducere indigenam apud vos volunt, Helizabetam ac Barbaram etiam commemorare non dubitant. Utcunque ſane populo connubia ea præter autoritatem Senatus contracta non placuerunt, certe tot incommoda reipublicæ vix invexerunt, quam Rixæ malitia attulit. Qui vel opes, vel autoritatem eum habiturum negant, partim de regno hoc, nimis exiliter ſentiunt, atque adeo non regni modo vires, ſed ſe ipſos fere ignorant, partim ſuperiorum temporum atque ætatum, ignari omnino ſunt. Regno inter ampliſſima Europæ, ſive vires, ſive arma, ſive omnis generis, quæ ad uſum hominum pertinent, facultates, copiamq; ſpectemus, quæ omnino res, quam vel ratio certa ea adminiſtrandi ordove deeſt? Modus ſaltem certus adhibeatur, non ſolum ſeipſum, omnibus rebus facile tuebitur, ſed præ plærisq; aliis abundabit. Idem modo Rex atque paterfamilias bonus ſit, nihil omnino ei deerit, cum ad Majeſtatem Regiam ſuſtinendam, tum ad injurias hoſtiles, non modo propulſandas, verum ubi opus ſit, etiam ulciſcendas. Re ipſa enim cupiditas, avaritiaque, non opum vitium eſt, ſed animi: qui cum compoſitus moderatusq; eſt, mediocribus etiam opibus, facile & privatas & publicas neceſſitates tuetur: cupiditate è contra, æger ne opibus quidem ullis expleri poteſt. Eadem res quæ opes, etiam autoritatem ei præſtabit. Vir ſcilicet ſit, virilique prudentia & virtute, nemo certe, qui ante fuerit, ſed qui nunc ſit ſpectabit. Quid novi virum fortem quamvis novum hominem, regio ſanguine, aut Principibus in regno præferri? Ita Hugo in Gallia, non ſolum regiæ ſed quod magis multo Auguſtiusq; erat, ipſi Carolinæ ſtirpi prælatus. Rudolphus Habsburgenſis, primus Auſtriacæ dignitatis, atque imperij conditor, Otocari Boemiæ Regis curiæ Præfectus, non modo ipſi Otocaro Regi ſuo, verum aliis omnibus Germaniæ Principibus. Quod ſi filium à nobis Regem electum non aſpernaturus Cæſar eſſet, quanto minus regni filium, quem nimirum reſpubl. ipſa ſibi pepererit, cum ex noſtro corpore Regem elegerimus contemnere poterit! Factiones alij metuunt, diſſenſusq; noſter ne obſtet, quo minus convenire in eum poſſit. Factiones æque ab externo exiſtere poſſunt, atque ab indigena, diſſenſus noſtri ſi ſuperbia cauſa eſt, ob rem tam ſalutarem, atque ſalutem adeo ipſam communis patriæ, cur eam non ponamus: Si injuria forte aliqua, jus publicum eſt, quo finiri ea poſſit. Ita nihil cum obſtiturum indigenæ ſit, omnia autem ad illum nos invitent, eum certe potius eligamus, qui & nobis notus ſit, nosq; noſcat, quam qui non minus ignotus nobis, quam nos illi, ne reſpondere quidem ea qua ſalutatus à nobis lingua fuerit, poſſit. Grata adeo omnibus oratio fuit, ſæpe ut gloriari ſoleat, duabus maxime contrariis, ac diverſis in rebus, ſummo non modo aſſenſu, verum applauſu etiam populi, ſe verſatum, una cum excluderet Piaſtum, altera cum eundem ſuaderet. Cum in Senatum deinde, cum univerſo ordine equeſtri veniſſent, utraque pars candidatum ſuum Senatui commendavit. A Piaſtanis Nicolaus Sienicius, Succamerarius Chelmenſis verba fecit, paucis præfatus, moram excuſavit. Præſens reipubl. periculum priorisque electionis exitus, ſolicitos nos habens, cauſa nobis ſunt, quo minus deliberationem hanc, in qua ut reipublicæ ita omnium noſtrum ſalus maxime poſita eſt, vel citius explicare, vel præcipitare potuerimus, deinde in ſententiam Zamoiſcij oratione fere habita, cum iis inquit quas commemoravi, tum multis aliis de cauſis, externum quantum poſſumus deprecamur, noſtrum poſcimus. Sententiis Senatus deinde non expectatis, aut auditis, intra ſepta tamen comitij definita ſecedunt, & non modo reliquam nobilitatem quã vel ſecum ſentire exiſtimabant, vel quæ Moſco ſuffragabatur, ad conditiones cum illis deſcenſuros promittendo, verum Senatores etiam qui ſuæ ſententiæ eſſent, ad ſe invitabant. Cum ſententiæ hac de re à Senatu dicerentur, plerisq; maxime autem Mielecius Podoliæ Palatinus, peſſimi exempli rem eſſe demonſtrare, Senatorem loco ſedeque ſua relicta,

vel conſilia ſua à Senatu ſejungere, vel popularibus concionibus ſe jactare. Zborovius Cracovienſis, Koſtka Sendomirienſis, Tarlo Lublinenſis, Tencinius Belzenſis. Tum & Lancicienſis Palatini, Caſtellani itidem nonnulli, maxime Gorcanus Miedzirzicenſis Saffraniecius Biecenſis, qui è Senatu ad conſilium id ſe contulerant: non ſeceſſionem illam à Senatu eſſe dicebant, ſed colloquia Senatorum cum ſua cujusq; Palatinatus nobilitate concordiæ cauſa ſemper ante hac etiam uſurpata, aliis è contra privata ea ſemper colloquia, privatimq; in diverſoriis fere uſurpari ſolita fuiſſe contendentibus. Publice ſuo quemq; loco in commune conſulere debere. Piaſtani ita enim appellabantur, nullius alterius quam indigenæ rationem haberi, aut mentionem admitti ſe velle, fœdereque adeo contra omne externum imperium, maxime autem Auſtriacum ſe obſtrinxiſſe, per legatos Senatui teſtabantur: honoris tamen Senatus cauſa illi permittere, ut ipſe quicunque ei videretur indigenam ederet. Fœderi illi reliqua nobilitas, quæ cum Senatu ſentiens, in Senatu remanſerat, ut quod contra libertatem publicam ſuffragiorum eſſe diceret, reclamabat: non deerant in Senatu, ut Epiſcopus Cracovienſis, maxime autem Mielecius in omnibus conſiliis ſuis concordiam ſpectans, qui concordiæ cauſa in ſuffragia mittendum de indigena exiſtimarent: ſed ita, ut cum non ſolum de ipſo Candidato ſuffragia ferenda, ſed conditiones etiam prius omnes pertractandæ, an uxor ſimul coronanda, ne liberos propinquosque ſupra privatam fortunam extolleret, vel præ benemeritis dotaret, aut beneficia reipubl. iis conferret, ſi convenire vel de ipſo, vel conditionibus non poſſet, ut ad externum regreſſus eſſet: Piaſtani econtra, ita indigenam nominari volebant, ut nominatione ea, externi omnes ſine ulla mentione in perpetuum poſtea excluderentur. Altercatio inde per aliquot dies inter Senatum Piaſtanosque hiſce de rebus eſſe. Cum illi obſtinatiſſime indigenam flagitarent, Senatus non convenire de eo poſſe, ipſisque adeo ut priores ipſi communi conſenſu eum ederent, referrent, unanimi mox conſenſu Joannem Koſtkam Sendomirien. Andream Thencinium Belzenſem, Palatinos nominant. Optionem alterutrius ex hiſce Senatui dant. Inter Principes partium Auſtriacarum, Andreas Opalenius Marſalcus Regni tum erat. Autore hoc ut conſenſum eorum diſcuteret, difficultatibus, periculisq; reipubl. propoſitis, pares ne iis ſe eſſe poſſe confiderent, ſuſcipereq; rem vellent, interrogandos Senatus cenſuit. Thencinius mox renuncivit, Sendomirienſis, quod rogatus à nobilitate erat, ut ſi ſuſcipere rem nollet: quemadmodum vere nolebat, ſaltem diſſimularet, deliberaturum ſe reſpondit. Cum per aliquot ſeptimanas ducta jam ita res eſſet, Auſtriaci monitione in eam rem in privatis conſiliis prius inter ſe facta Archiepiſcopum ut Regem tandem proderet hortari. Piaſtani minas contra ea ac præſens periculum, ſi prodidiſſet intentare, cum ad extrema potius omnia, quam in Auſtriaci imperium conſentiant, deſcenſuros ſe oſtenderent: ad extremum optionem illis dare, ut excepto Auſtriaco, ſine ulla conditione quicunq; eis videretur alium eligerent. Profectum id à Zboroviis putabatur, ſi forte ad Ferrarienſem, cui cum tacite fvaerent, nominare publice eum non audebant, rediri conditione hac poſſet. Perſtare in ſententia ſua Senatus, quique cum Senatu erant, cumque Ruſſos maxime adverſarios ſententiæ ſuæ haberent, quo magis metu ſubactos in partes ſuas eos traducerent, tributum quod in militem cõtra Tartarũ poſcebatur, inter cætera impediunt, tandemq; Piaſtanis minime expectantibus die XII. menſis Decembr. Separatim Comitio relicto, verſus oppidum comitati, inſtructique conveniunt. Legatos inde ad nobilitatem, quæ tota fere in comitio convenerat, Sendomirienſem Podoliæq; Palatinos, Andream Opalenium Regni Marſalcum, cum aliquot Ruſſiæ Caſtellanos, ut aſſentiretur mittunt. Periculorum publicorum magnitudine demonſtrata, darent hoc publicæ ſaluti, amoriq; patriæ ne diſſenſione ſua eam turbarent hortantur. Dum illi pertrahendo eos morantur, priusquam legatio renunciaretur flagitantibus Archiepiſcopum qui cum illo erant, ſole jam occidente, Maximilianum Regem pronunciat, & legati Auſtriaci pro Erneſto maxime contenderant: & ex ſuffragatoribus non pauci etiam in eum propenderant: verum Mielecius iis quæ ſupra demonſtrata ſunt, cauſis adductus potiſſimum obſtiterat. Comitiorum eorum exitu, reliqua nobilitas, quemadmodum oſtenſum eſt, in Comitio convenerat, ad arma fere capienda exacerbata. Verum Auſtriaci Maximiliano Rege prodito ab Archiepiſcopo admoniti, mox dilapſi, poſtea oppido occupato ſolennes ſupplicationes pro more obeunt. Ibidem cum legatis Auſtriacis de conditionibus tractantq;, perficiunt legationem cum dignitate, tum numero inſignem deſignant. Verum ex iis Albertus Laſcius Palatinus Siradienſis Joannes Dulsky Culmenſis Stanislaus Goſtomſcius Sochacovienſis Caſtellani, Stanislaus Czarnkovius Referendarius, Nicolaus Firleius Præfectus Caſimirienſis, Chriſtophorus Zborovius, Paulus Uchanſcius, Archiepiſcopi fratris filius, Jacobus Ponetovius ſoli fere iere. Altera interim pars varia conſilia agitare, cum in omnes partes animum verſarent, Thencinio Palatino Zamoiſcio Præfecto Belzenſi, qui inter Principes tum fere in partibus illis erant, de Infante ita uno tempore in mentem venit, ut cum interpretes mutuo transegiſſent, de eodem tempore de eo utrique ab altero nunciaretur. Cum ad favorem populi, tum ad Tikocinum Theſaurosq; Tykocinenſes, te-

nendum plurimum pertinere id viſum. Re probata Infantem ab altera parte territam ſuſcipereque nolentem, per Joannem Laſcium, & Adamum Pilchovium, Secretarium ejus, privatim tentatam adjungunt, in ſententiamque ſuam perducunt. Cumque Zborovius Palatinus Cracovienſis, à Dudicio interim affine ſolicitatus, ſpem tranſitionis ad Auſtriacos feciſſet, ſimulationem ſaltem dum animi refrigeſcerent popoſciſſet, eaque vox increbuiſſet, Zamoiſcius acriter in frigus illud quo priſtina quaſi virtus congelaſſet, invectus, tandem niſi communicato conſilio reipubl. conſuleret, Ruſſos ipſos privatim ſibi conſilium capturos, ſuo aliorumq; Ruſſicorum legatorum nomine teſtatur. Moxque nomine ſex Palatinatuum, Ruſſici nominis Annam Jagelloniam infantem, Reginam nominat, neve pactione aliqua ad Auſtriacos redire res poſſet, Zboroviis inprimis adnitentibus Stephanum Bathoreum Palatinum Tranſilvaniæ iiſdem ſuffragiis Regem, maritumq; illi adjungunt. Ita Stephanus clariſſimus, mox Rex futurus, ſed ut plærisq; tum ignotus, fœlici potius auſu, unius partis, quam vel ex autoritate Senatus, vel publico omnium conſenſu Rex electus. Cum legatis deinde Tranſilvanicis de conditionibus tranſigunt. Legati à Bathoreo ad comitia ea erant, Georgius Blandrata Italus Medicus, Martinus Porzevicius, conditiones ab illis ultro hæ proponebantur. Quæcunq; ab ordinibus poſtularentur, primum ſe deinde Principem ſuum juramento confirmaturum. Æs alienum Regni nomine liquidum diſſoluturum. A Moſcho occupata, ſi ordinibus bellum decernendum videretur, confeſtim recuperaturum, in eamque rem veteranas copias ſuas non recuſaturum. Fœdus cum Turca renovaturum, confirmaturamve à Tartaris pacem præſtiturum limites Regni ita muniturum, ne hoſti cuiquam patere poſſent: paratæ pecuniæ ducenta millia Florenorum in ejus Regni præmiſſurum, bella non per legatos ſed ipſum, geſturum: cum gratia tum impenſa ſua quod nuper à Tartaris ex Ruſſia captivi abducti eſſent, è captivitate liberaturum. Quæ cum à noſtris acceptæ eſſent, ultra eas ab illis hæ etiam propoſitæ. Ante omnia Annam Jagelloniam Reginam à ſe electam matrimonio ut ſibi jungat, ita tamen ut ſi vel illa non concederet, vel conſenſum in matrimonium id præbere nollet, dignitas Regia integra inviolataque ei maneret. Jura omnia, conditionesq; Henrico ante ab ordinibus oblatas, juramento ut confirmet: Si quid præter eas conditiones regni ad publicas libertates augendas in proximo conventu Coronationis poſtulaturi eſſent, publico diplomate ut approbet. Ad repentina regni præſidia mille equitum, & quingentorum peditum legati quam primum ut expediant: ſine Senatus ordinumq; autoritate auxilia externa ulla, ne in regnum inducat, ſine eademq; extra regnum nullum etiam militem educat. Quibus utrinq; acceptis, probatisq; legati Tranſilvanici, mox Chodkievicium Caſtellanum Vilnenſem Marſalcum Lithuaniæ eundemq; Samogithiæ Livoniæq; Præfectum, vel potentiſſimum tum Lithuanum, & Stanislaum Kriſcium Caſtellanum Racnizenſem cujus magnæ in illa alia factione partes erant, pecunia adjungunt. Legati in Transſilvaniam delecti. Joannes Tarlo Palatinus Pilsnenſis Præfectus, Georgius Mniſſek inciſor Regni Sanocenſis & Sokalienſis Præfectus, Albertus Starzechovius Succamerarius Leopolienſis, Palatinides Podoliæ, Nicolaus Jasloviecius Palatinides Ruſſiæ Præfectus Camenecenſis, Joannes de Oſtrorog, Martinus Lwowſcius de Oſtrorog, Joannes Plaſa, Georgius Niemſta, Adamus Goralſcius, Stanislaus Laſi, Stanislaus Pſtrokonſcius, Joannes Beldovius, Joannes Radzieievius, iere omnes. Quod vero maximi ad rem momenti poſtea fuit, cum majoris autoritatis electioni ſuæ adjungendæ, tum animorum conciliandorum cauſa, tanquam in re controverſa, totius nobilitatis conventus indicunt: quæ ultra electio magis legitima ſit, ipſa dijudicet.

Primo, ſingulis Palatinatibus ſuus cuique locus, deinde ad decimam octavam Januarij proximi inituri anni LXXVI. Andrzeioviam univerſis, Podoliæ tamen Volhiniæ Braclavienſi Palatinatibus exceptione cautum, ut ob præſens periculum, per legatos obire conventum integrum illis eſſet, in privatis conventibus ut non modo de vi publicæ libertati ab Archiepiſcopo illata nobilitas edoceretur præſcribunt, verum pœnas etiam in eos qui conventum Andrzeiovienſem obituri non eſſent. Tributiq; & judiciorum ſibi conſtituendorum, magnum incitamentum popularitatis, arbitrium permiſſum. Ex omni numero qui ſumma cum poteſtate atque fide omnium nomine iſta ſignarent. Chriſtophorus Landskoronſcius Caſtellanus Maloſtenſis nomine nobilitatis, ex ſingulis Palatinatibus ſinguli. Quod Cancellarij autem in aliis partibus eſſent, Zamoiſcio decreti electionis, tum legatorum Tranſilvanicorum dimittendorum, tum conſiliorum ſcriptorumq; omnium publicorum expediendorum curam committunt: albaq; adeo ſigillis ſuis obſignata, in eam rem apud illum relinquunt. Literæ inter alia ex ejus ſententia ad Cæſarem etiam datæ, quibus utriusq; electionis jure & ratione ei demonſtrata, ab adeundo eum regno dehortarentur. Verum Cæſar cum legati invitandi ejus ad regnum cauſa ad eum veniſſent, plane ab accipiendo iis conditionibus regno ſua ſponte alienum ſe oſtendit; non modo quod Erneſto, non ſibi valetudinis ſuæ ſibi Conſcius id cupiviſſet: Verum etiam quod inter alias conditiones, ea maxime illum offenderet, ne ulla omnino cauſa, vel colore interpoſito de ſucceſſione quicquam agitaret. Perſuaſus tamen tandem à Czarnkovio

kovio

kovio accipit: In conditiones publice jurat, confirmationemque, non tamen ſine clauſula edit. Cura regni ſuſcepta ad Stephanum inde Fiſenbachium cum mandatis mittit. Partim arces nonnullas in Ungaria, aliasque conditiones ei offerendo à Regno avertere, partim difficultatibus demonſtratis, deterrere eum conatus. Comitia ſimul imperij Ratisbonam indicit; cum præter alias difficultates maxime Turcicum etiam bellum metueret. Stephanus expectatione conventus Andrzeiovienſis, ſimiliter rem ducebat. Interim cum aliorum Palatinatuum per Regnum, tum maxime univerſæ Ruſſiæ Viſnæ conventus habetur. In quo cum animi negatione etiam tributi maxime irritati eſſent, & quæ à legatis ſuis acta eſſent, rata habent, & ut Andrzeioviam viritim eatur decernunt. Pro Palatino Hieronymum Sieniavium Caſtellanum Kamenecenſem ſibi conſtituunt. Eum Andrzeiovienſis Conventus non multo poſt inſecutus, aliquot tamen diebus ſerius, quam in dictus fuerat, circa viceſimam octavam nimirum Januarij, Cæſareani à Conventibus omnibus ex inſtituto abſtinebant: Verum dum, ne conventus eos approbando electionis ſuæ jus indubium vocare viderentur, caute ſe agere putant, cauſam ultro produnt. Nullis enim contradicentibus qui diverſarum partium erant, liberrime in alios omnia decernere. Itaque in Andrzeiovienſe etiam conventu, nulla vel dubitatio vel diſſenſio eſſe. Cum ob invidiam Henricanam omnibus publicis actionibus hactenus Karnkovius Epiſcopus Vladislavienſis abſtinuiſſet, in conventu eo poſt diſceſſum Henrici primum ſe iterum venditare nobilitati cepit, accepta ejus opera fuit. Præter illum ex Senatoribus Zborovij Palatini Sendomirienſis & Belzenſis, Caſtellani aliquot, nobilitas autem frequentiſſima, convenerat. Primo itaq; ante omnia conventum Andrzeiovienſem è republ. legitimeque indictum decernunt, cum quodcunque pro ſalute reipubl. fiat, legitimum habendum ſit. Electionem Annæ Stephanique, ut quæ in omnibus conventibus minoribus recepta, approbataque fuerit, tum communi etiam conſenſu approbant, ratamq; habent. Vocem populi, vocem Dei eſſe: non nominationem aut promulgationem, ſed conſenſum omnium Regem dare: Cæſaris electionem non ſuo ordine, neq; vel loco, vel tempore ſuo, multis quorumcunque ordinum contradicentibus adminiſtratam. Itaq; hanc damnant, omnemq; autoritatem, jusq; ei adimunt, hanc agnoſcunt: conditionem addunt, ut poſt coronationem ſucceſſioni, juriq; omni, quod controverſiam aliquam regno parere poſſet, Anna cedat, fœdere ſolenni electionem ſanciunt, pro hoſtibusque patriæ adverſantes ei declarant, deferendorum eorum legatis nobilitatis cura officioq; demandato.

Diem Coronationi, eundemque nuptiis quartam Maij præfiniunt: ſine qua conditione, vel etiam aliis, de quibus cum legatis conveniſſet ne Rex recipiatur, aut inauguretur, cavent. Regina ut legatis Regem excepturis, idonea mandata ad ſponſalia de præſente contrahenda det, curaturos ſe recipiunt. Magiſtratus, Principes feudales, Civitatesq; ad ſolennia inaugurationis pertinentes, legati itidem ex ſingulis Palatinatibus, ut nullis aliis edictis expectatis, ad inaugurationem ſeſiſterent. Ad Reginam Cracoviam deducendam Joannes Sienenius Zarnovienſis, Stanislaus Kriſcius Raciazenſis Caſtellani vel Dembinius Cancellarius, Andreas Zborovius Marſalcus curiæ deſignati. Ad Regem in finibus excipiendum, ex Epiſcopis Cracovienſ. Kraſſinius, & Lucas Koſcielecius Przemislienſis ex reliquo Senatu Sendomirienſis, Ruſſiæq; Palatini, Joannes Chodkievicius Caſtellanus Vilnenſis, fratres duo Thencinij, Andreas Palatinus Belzenſis, & Joannes Caſtellanus Voinicenſis, Gorkanus Miedzirzicenſis Caſtellanus, Nicolaus Sieniavius præfectus campeſtris, Andreas Zborovius Marſalcus Curiæ, Raphael Sieniavius, Chriſtophorus Radivilus Pocilator, & Præfectus Campeſtris militiæ Lithuanicæ, ex nobilitate Martinus Myrzinsky Subjudex Zembrovienſis, qui cum Cæſareanarum partium nonnulli eſſent ex inſtituto lecti, vel ad ſuſpectos ſuis faciendos, vel partibus conciliandos. Cæſar primum literas, deinde ornatiſſimam etiam legationem, Roſembergium ad conventum eum miſerat. Quod à potiſſima Senatus, majoreque nobilitatis parte electus eſſet, regnumq; publice in oculis univerſæ Chriſtianitatis ſibi delatum, acceptum jam à ſe eſſet, ut ad majoris potiorisq; partis autoritatem, ipſi quoque aſſenſum ſuum adjungerent, petebat. Legatio ea non contemnendo numero Senatorum, maximo autem equeſtris ordinis hominum demonſtrata, re ipſa refutata fuit, neve controverſo regno contra libertatem publicam nobilitatis, accipiendo non modo regnum Poloniæ, ſed univerſam chriſtianitatem, in difficultates aliquas conjiceret, petitum, quibus de rebus, qui & ipſum & univerſam chriſtianitatem rectius edocerent, legati ſimul Albertus Sobiesky de Staroziebij, Epiſcopus Chelmenſis, Chriſtophorus Landskoronsky, Caſtellanus Malogoſtenſis, Joannes Laſcius, Succamerarius Belzenſis, ad Imperij comitia decreti. Miſerat & Battoreus Hieronymum Phillippovium, ab aliquot ante annis in familia ejus verſatum, gratum ſibi ſtudium ordinum, quod in eligendo ſe declararint, accidiſſe: omnia ſua viciſſim reipubl. defert: nominatim conditionibus omnibus promptiſſime, ſatisfacturum ſe pollicetur: quamprimumq; modo legati cum regno perventuri ad ſe eſſent, iter in regnum acceleraturum.

Reſpon-

Reſponſum ab ordinibus quo prolixi de conſtantia judicij ſui, fideque erga eum tuenda ei confirmatum; tempus autem inaugurationis, per peculiarem ex conventu eo nuntium, Paulum Orzechovium ei denunciatum. De judiciis ſine provocatione ſeu ſummo tribunali ibidem ſtatutum, ut cum propter præſentes difficultates in conventu eo nihil ſtatui de iis potuerit, ut nos poſt inaugurationem, peculiaria in eam rem comitia novus Rex indiceret, in quibus nulla alia de re agi liceret, quam de judiciis iis, certaque ac perpetua liberæ electionis ratione: quibus rogationibus, neq; Rex, neque quisquam intercedere vel deberet vel poſſet: ac de judiclis quidem ſi convenire non poſſet, ut tum ſinguli Palatinatus penes eam quam ipſi ſibi interregno conſtituiſſent, judiciorum rationem permanerent. Ad comitia inaugurationis, vel quæ proxime ſecutura eſſent, compoſitio inter ſtatus etiam rejecta, quæ ſi communi conſenſu expediri non poſſet, ut tum novus Rex pro munere ſuo curam autoritatemq; ſuam interponeret. Eodem edicto ad eadem inaugurationis comitia, qui pecuniæ publicæ adminiſtrationem aliquam habuiſſent, aut haberēt, ad rationes ejus reddendas citati; cumque à tempore electionis plurima per vim admiſſa eſſent, ut eæ inhiberentur, injuriamque paſſis ſatisfieret, edictum: quod niſi fieret, in proximis comitiis inaugurationis delatio injuriarum, viſne eis data. Juſtitium ad exitum usque comitiorum inaugurationis indictum, exceptis judicijs executionis tributorum. Nobilitate Ruſſica pro Hieronymo Sieniavio, quem morte Georgij Jasloviecij Palatini Ruſſiæ Viſſnæ Palatinum ſibi elegerant. Lublinenſe autem nobilitate pro Andrea Firleo præfecto Sendomirienſe, à morte Stanislai Slupiecij Caſtellani à ſe deſignato contendentibus, honores eos illis confirmant, utque ratos eos habent, eodem, quo alias conditiones jure à novo Rege exigendas decernunt. Palatinatibus iis, qui legatos ad inaugurationem nondum elegiſſent circa XVI. & XVII. Februarij conventus ad eam rem indicti. Ante omnia autem tuendæ defendendæque electionis ejus ratio conſtituta, cumque vis & arma ab altera parte non minus expectarentur, duces ſi quid bello gerendum eſſet, Stanislaus Gorkanus qui Palatinus Poſnanienſis, poſtea fuit, & Stanislaus Cikovius Succamerarius Cracovienſis deſignati, mercenarius itidem miles decretus: Stipendiumque in eum, viceni floreni trimeſtres equiti: pediti dena: in ipſos duces quaterna millia in omne tempus: tormentariæ itidem rei cura, ſumptusque in eam eorundem arbitrio permiſſa. Præter hæc & tributum, reliquorumque omnium exactio, & expeditio publica, ſi quęvis oſtentaretur, certusq; ejus modus conſtitutus: maxime autem, ut nullo excepto, omnes Andrzeiovia Cracoviam recta irent, communiq; conſilio, & opera ſecuritati loci ejus, in quo tantum reipubl. univerſæ poſitum eſſet, proſpicerent. Legatos omnibus hiſce de rebus ad Lithuanos, Raphaelem Slatkowsky Caſtellanum Konarienſem, Stanislaum Karczinicium, Subjudicem Syradienſem, & Albertum Grzibovium, qui iſtos quoq; in partes perducerent, ex eodem conventu mittunt, ad Pruſſos Dzialinium Caſtellanum Dobrzinenſem, indeque quemadmodum conſtitutum fuerat, recta Cracoviam ſe conferunt; imprimis maximo numero Ruſſi. Cum Cæſareanorum etiam aliqui eo confluxiſſent, inter quos Princeps Stanislaus Jarnovius, Caſtellanus tum Ciechovienſis excedere coacti, cum iisdēq; Dudicius jam Auguſtanorum temporum Orator Cæſareus. Priusquam Orzechovius in Tranſilvaniam veniret, Stephanus jam ante exitu conventus ejus cognito, Maximiliani conditionibus repudiatis, regnum acceperat, juramentoq; in ſummo templo oppidi Meggyes VIII. Februarij ſolenni ceremonia præſtito, ſecundum formulas Henricanas, omnibus rebus adminiſtratis, confirmationem conditionum ediderat. Quod tardius tamen prima legatio ad eum perveniſſet, ad diem coronationi præſtitam adeſſe ſe non poſſe ſignificaret. Confirmationes tamen juramentaq; à ſe præſtita, per Albertum Starzechovium Succamerarium Leopolienſem Joannemq; Radzieiovium, ex numero legatorum Polonicorum, Emericum, autem Suliok à ſe illis additum miſerat, qui de aliis etiam rebus, ſi quæ reliquæ eſſent, cum ordinibus conſtitueret. Itaque ab iis qui Cracoviæ erant, maxime autem Cancellariis, qui ad partes ipſi quoque jam acceſſerant, quibusque promulgandorum jurium eorum munus, & pro ratione officij ipſorum, & mandato novi Regis incumbebat, per univerſum regnum literæ, nuncijq; iis de rebus miſſi, coronatioq; ad octavam menſis Aprilis prorogata. Stephanus interim rebus pro tempore domi compoſitis, duorum millium circiter peditum, & mille equitum comitatu, cum ditiones Cæſareas ſine commeatu attingendas ſibi nō exiſtimaret, per Valachiam ad fines venit. In finibus cum præter unum atque alterum Sieniavios neque multi admodum, neque clari ex nobilitate ei occurriſſent, excipiendi ejus partes ad Martinum Mouzinſciam ſub judice delatæ. Dubitare inde vel de actis quæ ad ſe delata eſſent, vel ne animi poſtea mutati eſſent. Verum non multo poſt Haliciam & Leopolim verſus progreſſus, cum & ex legatis aliqui, & frequens ornataq; nobilitas ei occurriſſet, recreatus rurſum fuit. Leopoli milites ſtipendia flagitantes, nonnullaq; extorquentes moleſtè ei eſſe. Jaroslaviam inde per Grodecum tendenti, Mieliecius cum Grodeci ipſe tum eſſet, portas cum caſtri, tum oppidi omnes pandi juſſit, ipſe neque vidit eum neque invitavit. Secus Herburti, quam-

vis diverſarum partium eſſent, & Viſnæ tamen & Przemisliæ lautiis, aliisq; officiis eum coluêre. Jaroslaviæ autem à Palatino Sendomirienſe Koſtka, lautiſſime tractatus. Cracoviam inde juſtis itineribus contendit, in Mogillenſi monaſterio, uno à Cracovia milliari, per Paſchatos dies ſubſtitit, Sacramentis corporis Domini ab Epiſcopo Cujavienſe ibidem procuratus. Cracoviam inde venientem cum univerſa nobilitas quæ ibi erat, tum alij ordines omnes, ſummo cum gaudio effuſi excepere. Inter haſce verò moras, cum altera dies coronationi præſtituta iterum effluxiſſet, jam ante decimā menſis Aprilis ex conventu eo Cracovienſe, ſeu coronationis denuo per regnum literæ dimiſſæ fuerant, quibus Regem in regno jam eſſe ſignificabatur, inaugurationis autem dies, ad proximam diem Dominicam iterum prolata, maxime ut Lithuanorum, aliorumq; Senatorum, qui longius abeſſent, ratio haberetur, eoque rectius ad omnium notitiam pervenire res poſſet, aliis tamen interim capitibus, cum Varſavienſib⁹, tum Andrzeiovienſib. edicti, ne quid mutatione hac diei coronationis derogaretur, ſub eorundem edictorum ſanctione, diligentiſſime iterum caventes.

Quamprimum Cracoviam Stephanus veniſſet, ad conſilia publica, maxime Coronationis mox acceſſum: cumque ante omnia confirmationes jurium denuo ab eo peterentur, ipſe non tam de edendis iis hærebat, ut quas & in Tranſilvania ſemel jam edidiſſet, & à quibus ob clauſulam Tranſilvanicis illis inſertam, qua Cancellariis facultas edendarum earum permittebatur, receptum ſe non habere intelligebat: quam priusquam ad Coronationem accederetur, de ſubſidiis tuendi regni, in tanta præſertim ejus diſſenſione, conſtitui nolebat. Maxime autem duabus de rebus ſatagebat; de matrimonio infantis, à quo ob ætatem ejus tam provectam abhorrebat: & expeditione publica, quam ut partim etiam ſine comitiis pro ut tempora reipubl. poſtulatura eſſent indicere: partim cum pluribus hoſtibus in diverſis partibus reſiſtendum eſſet, ex uſu neceſſitatibusque reipubl. dividere eam poſſet: quorum utrunq; conditionibus Henricanis vetebatur. De matrimonio ea ratio inita, ut ſimul quidem & coronarentur, & jungerentur: nuptiæ tamen copulaque in aliud tempus, quo ſcilicet pacatius regnum futurum eſſet differrentur. De diviſione expeditionis diutius diſputatio tenuit, ut contra quam in Tranſilvania proteſtationem jam antea Rex interpoſuiſſet. Itaque poſt coronationem usq; ſuſpenſa fuit; quo tempore à Zamoiſcio tandem Rex perſuaſus, eam remiſit: teſtimonio nihilominus proteſtationis in Tranſilvania interpoſitæ à legatis prius accepto, difficultas inde ipſius coronationis expediendæ, non parum ipſa quoq; moræ afferebat, quod cum non ſolum more inſtitutoq; vetere, ſed recente etiam lege Auguſtana ad Archiepiſcopum jus id pertineret, in diverſis partibus is eſſet, nonnullis ut Archiepiſcopatu ei abrogato, Cujavienſi qui præſens eſſet is conferretur ſuadentibus, cum publico nomine appellatus hac de re à legatis Rex eſſet, Archiepiſcopum ſanari à ſe malle quam tolli, reſpondit: quod ſi ſtudio Karnkovij id à ſe peterent, ei ſe caſui id ſervare malle, qui ab ea Archiepiſcopi ætate non longe abeſſe poſſet. Declaratione tandem res expedita, qua Auguſtana lex declararetur, ita ad Archiepiſcopum jus id pertinere, ſi à publico nobilitatis conſenſu ſe non ſejungeret. Quod quoties fieret, cum minor Polonia ſedis regiæ, & inſignium cuſtodiæ præ majore Polonia prærogativam haberet, qui in poteſtate nobilitatis dignitati illi proximus è majore Polonia Epiſcopus eſſet, ille Regem inaugureret: quæ tamen lex poſtea ſuppreſſa, in numerum legum ſeu tabulas non pervenit. Ita cum ſubſidia etiam, tributum, & expeditio publica promptiſſime ei offerrentur. Calendis tandem Maji in ſummo templo arcis Cracovienſis, ab Epiſcopo Cujavienſe, cum ipſe, tum Anna Regina inſignibus regni ſolenni ceremonia inaugurati fuerunt. De nuptiis etiam, cum ut differrentur, antea conveniſſet, omnium tamen interpellantium precibus ceſſit: poſtridie peractæ: moxque à Senatoribus etiam juramento, civitateque Cracovienſe homagio præſtito, per univerſum regnum edicta ijs de rebus miſſa, quibus ut & publice per præconem inauguratio ubique proclamaretur, inque acta referrentur, & judicia jurisdictioq; quæcunq; ſub nomine tituloq; regio, ſuo jam modo atq; ordine poſthac exerceretur, edictum. Quemadmodum ante oſtendimus Cæſareani à conventibus quidem Battoreanis, maximeque Andrzeiovienſe ſuo quodam conſilio planè abſtinuerant, ne tamen ipſi quoq; ceſſare viderentur, contrarium quaſi Andrzeiovienſi Loviciam in diem ultimum Febr. ſuæ partis conventum Archiepiſcopus indixerat, miſſi eo ante adventum regium, ex conventu Cracovienſe legati, neceſſitate conventus Andrzeiovienſis, & officij ſui, tali reipublicæ tempore demonſtrata, primum cum ipſo Archiepiſcopo, civiliter quidem non obſcure tamen expoſtulant, partim quod totius nobilitatis conſenſione in conventu Andrzeiovienſe jam perſpecta, unus homo contra omnes conventum Lovicenſem indicere non dubitarit: ordinis quidem cauſa primum in republ. locum eum tenere, non tamen propterea omnium aliorum loca atq; jus, quæ in ſolidum à ſingulis teneantur, occupare eum potuiſſe, aut poſſe: partim etiam quod literis quibusdam, quas eodem illo tempore per regnum univerſum publicaverat, inq; acta publica referendas curarat, in odium atq; in invidiam hominū adducere conatus ſe fuiſſet, qui ita pro libertate

publica contra eum ſtetiſſent, ut in cæteris tamẽ rebus mutuam tum cum reliquis omnibus diverſum ſentientibus, quam etiam cum ipſo illo concordiam modis omnibus colere, & quantum in ſe eſſet tueri cuperet. Ad concordiam deinde denuo eos invitant. Nec enim debere eos pigere, ſi in re qua ſalus reipublicæ contineatur, de ſententia ſua nonnihil decedant, cumque ſine dubio in deſignando Rege, eundem quem ipſi ſalutis ac libertatis publicæ portum propoſitum habuerint, nunc mutato potius nonnihil curſu, eum teneant, quam cum periculo eum, quem ipſi cepiſſent, aut inſtituiſſent. Cæſarem quem ipſi à ſe electum dicerent, tanto jam tempore nullam adhuc in partem voluntatem ſuam declarare: ſuum contra electum ſic adventare, ut ſub id tempus regni fines jam ingreſſum putent, adferre ſecum ſummam religionem, ſingularem prudentiam, juſtitiam amorem in hanc rempublicam incomparabilem: quod caput autem eſſet, primo pacem cum Turcarum Imperatore adventu ſuo repræſentaturum: deinde autem domeſticas diſſenſiones, cum indulgentia ſua, tum ſtudiis omnium in eum erectis, maximeq; præſidio matrimonij infantis ei deſponſatæ facillime diſcuſſurum, conſtituturumque quarum rerum ut cæteros forte in ipſorum quoq; deſignato eſſe concederent, quæ tamen poſtremo loco commemoraſſent, ita proprias hujus eſſe, ut in commemorationem earum nemo alius venire poſſe videretur. Et quoniam ſcripto quodam Archiepiſcopi ita ſe perſtringi viderent, quaſi vel inſcientia, vel temeritate ſervitutem quandam in rempubl. introducturi eſſent: magis ab eo ſervitutem metuendam oſtendunt, qui unus arbitrio ſuo regem omnibus imponere vellet, quam ab iis qui Regis eligendi libertatem æquam & omnibus communem defenderent: Itemq; eo, qui Rege ſuo eligendo præpotentis Barbari arma apertiſſime concitaret, quam qui malum quieſcere turbulentiſſimis reipubl. Chriſtianæ temporibus, quantum poſſent potius à ſe averterent. Conventus infrequentiſſimus fuit. Paucis tamen reſpondent: Contentionem comparationemq; omnem, utrius partis conſilia magis è republ. fuerint, tempori ſe permittere magiſtro veritatis: à concordia nunquam ſe abhorruiſſe, aut adhuc abhorrere: ejus cauſa ut Varſaviam ad diem IX. menſis Aprilis denuo conventum indiceret, ab Archiepiſcopo ſe impetraſſe: eo venirent, conſilia ſecum, atq; adeo Pruſſis & Lithuanis, qui eodem eſſent per ipſos invitati conferrent, non obſcuram ſpem facientes, ut primum Stephanus in regnum veniſſet, officioq; ſuo ſatisfeciſſet, in fidem ejus ſibi quoque concedendum; idem in literis ex eodem conventu ad Cæſarem non obſcure ſignificant, regnum prius occupantis fore. Ad oratores vero ſuos qui Viennæ erant, diſertius etiam ſcribunt, ſi conventum Varſavienſem ad IX. Aprilis indictum adventus Tranſilvani prævertiſſet, nua cum aliis Majeſtatem ejus agnoſcendi ſibi quoq; neceſſitatem allatum iri, queruntur cum à legatis Cæſareis in electione non ſemel promiſſum ſibi fuerit, intra menſem unum Cæſarem in Polonia futurum, nunc tertium jam menſem non comparere: omninoq; conditionibus acceptis intra tempus non ſatisfieri. Quemadmodum ſupra enim demonſtravimus, plane in accipiendo Regno Cæſar ab initio hærebat: perlatum in Poloniam ſub id tempus reſponſum quoddam oratoribus, ad ſe miſſis ab eo datum fuerat: jus quidem regni bonis rationibus adeptum legitime acquiſiviſſe, conditiones modo quasdam ſibi partim differendas, partim mitigandas, partim etiam omnino tollendas videri. Ad legationem etiam adverſæ partis, quæ ut ſupra oſtendimus omnibus de rebus rectius edocendi ejus cauſa miſſa intra id tempus ad illum fuerat, non alieno plane à concordia animo reſpondiſſe Cæſar videbatur, cum in eam fere ſententiam reſpondiſſet, fidem tamen interea illis quoque abrogare ſe non poſſe, qui diverſum hiſce de rebus antea ad ſe retuliſſent: interim recte & ordine facturos, ſi vel oblatas concordiæ rationes acciperent, vel alias ipſi proponerent, inirentur. Omnibus hiſce ex rebus optima concordiæ ſpes omnibus injecta ad diem Conventui Varſavienſi præſtitutum denuo legationem ad eos miſerant. In his manifeſtiſſimis Divinæ ira indiciis, quæ ſceleribus omnium merito imminere viderentur, ſatis ſibi conſcios eſſe, nullam à ſe concordiæ rationem prætermiſſam: teſtes ejus rei eſſe cum conventum Andrzeiovienſem, tum frequentes ad eos partim literas, partim legationes ſuas. Eo magis nunc, quod à quietioribus conſiliis non abhorrere eos intelligant, bellum autem civile omni ratione refugere, magnam ex eo animo ipſorum voluptatem capere, eoque confidentius ab illis petere, ut à quo pridem non plane abfuturos ſe oſtendiſſent, nunc re ipſa præſtarent, & ad ſe accederent. Si enim quas ſemel ingreſſi eſſent partes, ſequi non deſiſterent in apertum plane diſcrimen conditionum ſuarum, primo carptim alieno arbitrio juratorum, deinde in ambiguo plane relictorum incurſuros: ſin explicare inde ſe velint, quemadmodum velle profecto deberent, cum Juramentum Regium omnium inter Regem & ſubjectos vinculorum firmamentum ſit, unum refugium ad ſe illis patere: quod neq; habuiſſent conditiones illas, neque cum juramento illo quicquam commune haberent: cum ab altera præſertim parte ſuus electus, omnia quæcunq; modo propoſita ſibi fuiſſent promptiſſime jurejurando jam confirmaſſet, inq; finibus regni jam verſetur, Cracoviæq; ſumma prudentia, religione juſtitia, vitæ integritate, inprimis autem ſuorum amore

amore commendatus, Princeps propediem expectetur. Tranſirent igitur ad ſe & cum regi ipſi ſuo tanto Principi tum infanti etiam adhærerent, quam abſque ſummo ſcelere, divinique ſupplicij metu deſerere nequaquam poſſent ſimul molem belli ejus quod ex electione ea Cæſarea certiſſimum immineret, declinarent. Sparſæ ſub id tempus literæ à Cæſareanis fuerant, ad Cæſarem à Turcarum Imperatore ſcriptæ, quibus à Poloniæ Regno adeundo tanquam ſuo graviſſimis minis interpoſitis Cæſarem dehortabatur. Ei igitur invidiæ ſimul reſpondent, quod non deſint, qui Turcam jam nunc jactent regnum hoc pro ſuo ducere electumq; ipſorum Turcæ beneficiarium eſſe, pro nihilo reputari. Alterum enim fœderis ratione, quod antiquiſſimum cum regno ei intercederet, à Turca dici cum qui nos violaret fœderatos ſuos, violaturum intelligi vellet, quod vel ex induciarum Turcicarum, cum Cæſare nuper pactarum formula facile perſpici poſſet: alterum ſuo judicio non invidioſiſtimum debere videri cum præſertim formulæ illius, quæ nunc Tranſilvanici dominatus ſit, non ipſe autor ſit, ſed per manus à majoribus acceptam, ſumma cum tranquillitate tueatur. Adeſſent igitur ad Regem eum inaugurandum, in communeque de republ. conſulendum: cætera ſine ullo negotio facile inter ſe compoſituros. Miſerat etiam Cæſar ad Conventum eum legationem: non ambitione aliqua ſed communis reipubl. Chriſtianæ, ſtudio ad petendum regnum Poloniæ acceſſiſſe, ſeu potius non tam ſibi, quod aliis Imperiis & regnis occupatus ipſe in Polonia eſſe non poſſet, id petijſſe, quam Erneſtum filium ejus obtuliſſe, in quo ſi quid forte per ætatem deeſſet, cujus liberaliſſima ipſius educatione, tum patria autoritate, tum Senatus Polonici conſilio expleri, ſarciriq; potuiſſet, poſt Henrici deinde Regis diſceſſum, cum à multis & coram, & per literas invitatus, ſolicitatusq; fuiſſet, eademque diu excuſaſſet, precibus perſuaſionibusq; eorum victum; ea tandem ſpe regnum ſuſcepiſſe, non multo poſt ſumma ordinum voluntate, onere eo in Erneſtum filium translato, liberatum ſe iri. Nunc omnibus rebus tentatis, quo minus ad extrema deveniretur, in id tamen diſcrimen adductam jam rem eſſe, ut ſine armis vix obtineri jam regnum poſſet, ex quo & Poloniæ, & publicæ libertati, conditionibusque ultro citroq; acceptis, non minus vero vitæ capitisq; cujusque ſummum periculum imminere neceſſe eſſet, cum à ſuo exercitu, tum maxime Turcico qui per ſpeciem defenſionis, ſine dubio admixturus ſe eſſet, bello illi ſe implicare, cum valetudine, tum Ungariæ defenſione, induciarum deniq; Turcicarum octennalium recentium religione impedito, integrum ſibi non eſſe. Ob haſce igitur difficultates, in deliberatione hac diutius hærenti, id maxime, ad quod recurreretur in mentem ſibi veniſſe, operam qui nominis ipſius ſtudioſi eſſent darent, ut infans, quam ipſe nunquam regio honore arceri voluerit, eadem conditine qua Tranſilvano nubere deberet, Erneſto nuberet, quod ſi fieret, filij quidem conditionum ſponſorem ſe futurum: quæ ad ſe autem proprie pertinerẽt, ut de Pruſſiæ, Livoniæque Barique controverſiis componendis, omne ſtudium operamque non ſecus ac ſi ipſe Rex eſſet, cum fide interpoſiturum. Cum in finibus legatio ea ab adverſa parte facile vel retineri, vel arceri potuiſſet, mandatis tamen iſtis cognitis partim ne res cum Cæſare magis exaſperarentur, partim quod ex moderatione iſta Cæſaris, Erneſtianæque conditionis difficultate, magnam ſpem tranſitionis aliorum concepiſſent, Varſaviam ire permiſſa fuit. Verum ſive quod novæ quædam ſpes factæ illis eſſent, ſive plæriq; magnis pollicitationibus ipſi inflati, alios etiam inflammarent, legatio Cracovienſis re infecta ab illis dimiſſa, novusque conventus ad diem tertiam menſis Jun. ab iisdem iterum Varſaviam indictus fuit. Cum quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, Cracoviam interim Stephanus veniſſet, ac non modo ijsdem regni inſignibus, ſed nuptiis etiam cum infante conjunctus fuiſſet, atq; in eo nihilominus ſtatu res eſſent, maxime autem Cæſar Ratisbonæ de rebus Polonicis comitia agitare nunciaretur, denuo legatio ad Cæſarem conventumq; Imperij ordinum Polonicorum nomine, iis de rebus decreta. Miſſi Joannes Krotoſcius, Palatinus Inouſodaslavienſis & Joannes Demetrius Sulikowſcius Secretarij Regij, qui electionis ejus ratione, omnibusq; quæ partim cum Cæſare, partim cum Cæſareanis, hactenus interceſſiſſent demonſtratis, Regem non modo in regnum inauguratum, nuptiisq; cum infante celebratis, juramentoq; à magna parte Senatus exacto, in poſſeſſione etiam ejus jam eſſe oſtenderent: à quibus rebus quod nonnulli paucorum quorundam factioſorum operatione abfuiſſent, & adhuc abeſſent, bonam tamen ſpem, cum in benignitate Dei Opt. Max. pro optimis ac ſedatiſſimis Regumq; ſuorum ac reipubl. amantiſſimis hominum noſtrorum ingeniis, proq; ſingulari illa felicitate qua regnum hoc in ſummis & maximis ſæpe perturbationibus, ſalvum atque incolume permanſit, ordines habere, quicquid reliquum diſſenſionum eſſet, communi ac concordi bonorũ virorum ſtudio, & conſilio brevi compoſitum iri: augere eam ſpem quod ab una parte res illi ſit, cum Cæſare, Principe optimo, moderatiſſimo benigniſſimo pacisque & concordiæ communis ſtudioſiſſimo, regibus autẽ multis neceſſitudinibus, regnoque antiquiſſimis fœderibus conjuncto quemq; adeo ornandi potius, augendique ſui rationes quæſiturum ſibi perſuadeãt, quam ulla occaſione ad ſe pariter ſuosque & regnum hoc inexplicabilibus difficultatibus, ſummo cum totius reipublicæ chriſtianæ periculo implicandi abuſurum: ab altera parte Regem eum habeant,

quem fortuna multis variisq; casibus exercitum; ita ad omnes suos impetus sustinendos erudivit, ita ad comparanda hominum summorum pariter, & infimorum benevolentiam formarit, ita æquanimitate, prudentia, humanitate, eloquentia, corporis etiam & animi robore atque magnitudine instruxerit, ita rebuspubl. & libertati communi amicum, ita in rebus gerendis industrium, vigilantem, & ad omnia summa cum maturitate & dignitate in republ. expedienda quam maxime aptum genuerit, ut nihil excellentius desiderari posse videatur, eoque minus vereantur, res inter duos heic acta, aliquid reipubl. Christianæ, communiq; paci & tranquillitati incommodi adferat. Sed potius in bonam spem veniant, fore, ut non multo post ex duorum horum Principum conjunctione atque amore, quem non minus sperent quam optent, ad omnem Christianitatem maxima commoda perventura. Ad extremum rogarent, ut cum quo animo acta hæc omnia ab ordinibus esse perspicerent, non alieno nimirum à Cæsare, rebusque Christianorum, cum quo pristina pacta fœderaq; omnino manere sibi vellent, sed suæ libertatis, salutisque rationem habente, non in aliam etiam partem quam istam omnia interpretarentur, nec paterentur Poloniam quæ suorum objectu laterum, firmissimum se parietem hactenus omnibus Christianis ditionibus præstitisset, hanc pessimam gratiam pro optimis suis meritis referre, ut ab amicis vicinisq; ipsis suis temere apud se suspicionibus inanibus aspergi, & falsis criminationibus malevolorum defædari paterentur. Liceret sibi bona cum Cæsaris venia libertate sua frui: liceret pace reliquorum ordinum his bonis gaudere, quæ proximis temporibus libertas sibi sua sine cujusquam injuria peperisset: liceret sine cujusquam impedimento illi & non alij Regi parere, quem DEUS sibi dedisset: Natura conciliasset: libera electio creasset: inauguratio deniq; ipsa confirmasset. Quod si forte iniquum aliquod reipubl. Christianæ fatum, aut sibi mediocrem hanc, & omnibus liberis nationibus concessam felicitatem, aut vero orbi Christiano pacem & tranquillitatem plane invideret, Cæsaremq; optimum, prudentissimum, moderatissimumq; Imperatorem in medios tumultus, apertissimaque reipublicæ Christianæ pericula conjiceret, quod de ipsius sapientia & perpetuo pacis studio ne suspicari quidem vellent, & ipsi Electores, & reliqui Imperij ordines hanc pestem à cervicibus Christianorum, quantum maxime possent, ac deberent, depellerent, & pacem præsentem tum sibi, qui eam profecto modis omnibus non tueri ac defendere non possent, tum universæ Christianitati, quæ alioquin plus satis laboraret, quam maxime certam ac perpetuam redderet.

Cum autem ob res ex omni parte adhuc suspensas, Comitiorumque Ratisbonensium expectationem, variis interim rumoribus, soliciti animi hominum essent, non parum Landskoronam etiam ex propinquo Cracoviæ imminens, quæ præsidio Lasci Palatini Syradiensis qui Legatus ad Cæsarem iverat, tenebatur, seu suspicionis, seu metus ingerebat. Eam cum vidua Sigismundi Volscij Castellani Cyrnensis, qui Landskoronensis præfectus fuerat, advitalitio jure teneret. Lascus sub discessum Henrici vi occuparat. Ad judicia interregnana citato, aliquoties condemnato, executio contra eum decreta, non suscepta tamen administrataque fuerat. Rex cum & metu isto Cracoviam liberare vellet, executioque ab illo flagitaretur, Stanislaum Gorkanum, & Czikovium, quos à Conventu Andrzeioviense præfectos militiæ ostendimus ad expugnandam eam mittit. Illis Ungaricas copias Banfio Præfecto adjungit.

In Præsidio Germani aliquot, & Itali exules, Præfectus autem præsidio Zacharias Gorecius relictus à Lasco fuerat. Cum tormentis constituendis aliquot dies occupati fuissent, oppugnatione cœpta, jam aliquot locis muris patefactis, qui in præsidio erant, deditionem fecerunt. Gorecius tamen Opoliæ postea in Silesia jussu Lascij captus, perijt.

De castro an demoliendum esset deliberatum, obstiterunt Legati nobilitatis. Viduæ ea conditione præfectura restituta, ut consanguinei alicujus militaris viri custodiæ id committeret. Interim jam ab ipsa coronatione de honoribus beneficiisque reipublicæ quæ partim morte quorundam vacabant, partim Cæsareanis tanquam spolia detrahi plerique volebant, summa contentione certabatur; cum non solum ut cujusque opera in suffragatione maxime insignis fuisset, ita jure quasi præmium aliquod operæ deberi sibi existimaret. Verum nonnulli etiam inter eos, quorum neque merita, neque vita valde clara essent, obreperent. Stanislao Kriscio, qui Raciazensis Castellanus fuerat, & in utroq; interregno, inter primarios suffragatores se jactarat, Masoviæ Potulicio Plocensis Palatinatus dati, Castellanatus Plocensis Gregorio Zieliensky, qui causas egerat, hominibus non satis probantibus Plocensis præfectura Czarnkovio adempta, eidem Kriscio data.

Itidem de aliis Cæsareanis spoliandis agitatum, & ut Princeps rerum, hominumque ignarus, vix non productus in sententiam eam Rex fuerat: nisi à Zamoscio deductus ab ea fuisset, magis benignitate præsens incendium sedandum, quam novas injuriarum faces ei admovendas existimante. Insignis tamen inter omnes de sigillo maxime contentio erat.

Dembinius & ætate, & quod non ea quo debebat cura administrare munus id putabatur, in magistratu eo alius ei sufficiendus ab omnibus judicabatur. Verum dimittendi ejus côditiones graves proponebat: cum alias tum pro filio Episcopatum Posnaniensem. Rex etsi ob eas quæ ostensæ sunt, causas liberari Dembinio cupiebat; quod tamen Zborovij magistratum eum pro fratre Andrea curiæ Marsalco, summa contentione efflagitabant, ipsique, ut qui regnum eum sibi debere non obscure præseferrent, cum Palatinus tum maxime etiam Andreas graves jam illi esse inciperent, magis ne ad illos sigillum perveniret, quam quod penes Dembinium id esse gauderet, conditiones recusat. Cum Zborovij interim quo ad leviores conditiones Dembinium perducerent, quibuscunq; rebus poterant eum vexarent, injurijs horum tandem exagitatus cum Thenciniis se conjungit: ne ad Zborovium sigillum perveniret, etiam levioribus, quam proposuisset conditionibus alteri alicui potius eo cessurum Regis jussu Zamoscius illi proponitur, qui Jaroslaviæ jam invitatus à Rege fuerat, assentitur. Per Andream Zborovium acerrimum competitorem, quod Marsalcus tum curiæ esset, sigillum à Dembinio, acceptum Petro Volscio qui Vicecancellarius tum erat: minus quod Volscius habebat, Zamoscio traditur: indignante frementeq; Palatino Zborovio, cujus tempus quod medicinis tum operam dedisset ex instituto captatum putabatur. Quod nunquam vero ante hac in simili re factum, publice pro sigillo Zamoscio demandato, à legatis nobilitatis gratiæ Regi actæ. Dembinio autem Cracoviensis Castellanatus, post mortem Hieronymi Mielecij vacans pro sigillo redditus. In comitiis ijs lex de plebeis ad cathedrales ecclesias non admittendis in Russiam etiam extensa. Idemque Volhiniis, cæterisq; Græcæ religionis concessum. Cumque Masovia ab eo tempore, quo post decessum ducum, ad corpus regni redierat, suo tamen jure ad hanc diem usa fuisset. Vicegerens maxime autem Vicarium adhuc regium, sive ducalem ex pristina consuetudine retinuisset, qui loco jureq; Regio ubi, quotiesque ei videbatur, jus nobilitati dicebat, Vicariatus is abrogatus: certis tamen consuetudinibus sibi exceptis, quas ut in proximis comitiis exhiberent, censuræq; ordinum subjicerent, constitutum; tandem actis omnibus interregnanis confirmatis, exque constitutione Henricana senatoribus sex qui circa Regem essent delectis, inter quos Karnkovius Episcopus Vladislaviensis, Zborovius Cracoviensis, Thencinius Belzensis Palatini, cum in istis comitiis minus perfici omnia potuissent, re cum Senatoribus communicata ante exitum anni ejus LXXVI. alij comitia se indicturum Rex promittit; in quibus si quæ reliquæ adhuc essent, omnibus conditionibus tandem satisfieret.

Comitiis coronationis, quorum exitus, in diem XXX. mensis Maij inciderat perfectis, ad reliqua regni pacanda proficiscendum Rex ratus, Varsaviam movet, quo ex loco & Archiepiscopo, & majori Poloniæ & Lithuaniæ & Prussiæ immineret. Regina Cracoviæ mansit. Miechoviæ Palatinum Posnaniensem, Stanislaum Gorkanum, qui vel inter primos in partibus & militiæ etiam præfectus fuerat, creat. Paulus Uchanscius fratris Archiepiscopi filius, pedites aliquot Germanos Vratislavia, præsidij causa ad Archiepiscopum miserat. Eos Zaremba in majore Polonia profligarat: magnam partem ceperat, nuncium ejus rei, & captivos, in itinere eo Rex accepit, quod opifices plærique essent, Kameneciam ad operas faciendas deportari jussit.

Ex eodem vero itinere, cum ad Archiepiscopum literas, quibus eum ad se invitabat: tum ad nuncium Pontificium, qui cum Archiepiscopo Lovicij adhuc erat, præmittat, si mandata ad se haberet, secum ut potius esset: Si nulla ne regnum turbaret. Nuncius subito adventu Regis territus, Wratislaviam mox se recipit: reliqui dispersi Archiepiscopus adventum suum primum ætate, & aliis incommodis excusat, ubi Rex ipsum se venturum ad eum ostendit, territus promittit. Ravæ Andreas Opalenius Marsalcus regni, cum Czarnkovio majoris Poloniæ generali præfecto ad eum venientes reconciliati ei fuere. Præfectus Ravensis Gostomscius Castellanus Sochaczoviensis apud Cæsarem adhuc erat. Petebat præfecturam eam Episcopus Cujaviensis pro Karnkovio: moderatione Zamoiscij eo res deducta, ut jurisdictionis tantum administratio Vicaria interim ei daretur, quo similibus factis, in meliorem aliquanto spem Cæsareani adduci cœperunt.

Varsaviam sub initium mensis Julij venit, ibidemque tandem cum Archiepiscopus, tum alij diversarum partium Senatores, qui cum Archiepiscopo satis frequentes venerant, juramentumque nondum præstiterant, eo præstito reconciliati Regi fuere.

Lithuani jam ante ipsi etiam conventus suos, in quibus de præsente statu deliberarent, habuerant: unum Grodnæ, alterum post ipsam coronationem Msciboviæ; cumque Castellanus Vilnensis Joannes Chodkievicius summæ ea tempestate in Lithuania autoritatis, jam ante, quemadmodum ostensum est, ad partes accessisset, alij etiam facile inclinarunt; maxime cum de perfecta inauguratione, matrimonioque jam cognovissent. Itaque & legatos ad Regem in conventu eo decernunt, per quos salvis juribus suis, maxime autem electionis & coronationis, quæ utraque absentibus

illis peracta fuerat, cum Rege componerent: & cum quemadmodum ad alios occulte per regnum legatos Cæſar ad ſuos dimiſiſſet, qui in partibus eos confirmarent, adventusq; ejus certam ſpem facerent, ita ad illos Joannem Kochirſcium Sileſium miſiſſet, omni ſpe inciſa, nocturnis itineribus recipere ſe coactus fuit. Ibidem igitur Lithuanici legati Regem convenere, totiusque Lithuaniæ nomine fidem ei detulerunt: Joannes Chodkievicius Caſtellanus Vilnenſis, Euſtachius Volovicius Trocenſis, Joannes Kiska Inciſor, Alexander Chodkievicius Grodnenſis Præfectus, aliiq; nonnulli ex nobilitate præſertim. Ne quod abſentibus ſe electus, inauguratusq; Rex eſſet, fraudi ſibi eſſet, cautionem petunt. Data fuit, ſub ratihabitione tamen futurorum comitiorum: eadem conditione alia nonnulla capita eis confirmata. Juramentum à Rege peculiariter illis præſtitum: confirmatio jurium data. Ita ſoli Pruſſi in partibus adhuc verſari videbantur, qui circa diem quartam menſis Maji conventu Graudenti habito, literas ex eo ad Maximilianum dederant, quibus & de conſtantia ſua in partibus certiorem eum facerent, utque quamprimum acceleraret hortabantur: Verum tranſitione iſta, cum Archiepiſcopi, aliorumque Senatorum Polonicorum, tum Lithuaniæ cognita, Gedanenſibus ſolis fere exceptis, ipſi quoque non obſcuram voluntatis ſuæ in Stephanum ſignificationem dabant. Cum verò maxima pars ad Regem jam ſe contuliſſet, communibus literis Maximiliano id ſignificare, imperioque ejus renunciare, viſum illis fuit.

Itaq; alij quidem in hanc ſententiam literas ex conventu illo ad eum dant:

Literæ Pruthenorum ad Cæſarem.

Non defuiſſe Majeſtati Veſtræ, in utroque interregno plærorumq; noſtrorum ſtudium, nullo alio quam Majeſtate Veſtra, teſte confirmare nobis opus eſt, quid obſtiterit, quo minus ſtudio noſtro exitus reſponderit, nullus etiam fortaſſis rectius; quam Majeſtas Veſtra conſiliorum ſuorum ipſa maxime ſibi conſcia æſtimare poterit; nos quidem nullam aliam, quam DEI Opt. Max. in cujus arbitrio maxime regna atque imperia ſunt, voluntatem agnoſcimus. Cum reluctantibus fatis, omnia & à Majeſtate Veſtra, & à nobis fruſtra hactenus tentata fuerint; ad mutuum in unum Principem Stephanum Regem jam coronatum, conſenſionem, cum divinæ voluntatis indicium ipſa inauguratio, tum virtus & ad hoc tempus progreſſus ejus, tum mos inſtitutaq; patriæ, tum ipſi patriæ, nobisque diſſenſione ea periculum imminens nos adduxere. Quod fœlix fauſtumque ſit, ſumma omnium noſtrum utriusq; partis voluntate, fidem noſtram illi addiximus, quas à Majeſtate Veſtra literas tam in Poloniam, quam Lithuaniam miſſas publicæ libertatis confirmatrices habebamus, cum infrequente Senatu exhibuiſſemus, nunc abeo quem ſolum pro Rege colere non par eſt, juribus noſtris nobis confirmatis, nullum amplius nobis uſum præſtantes, Majeſtati Veſtræ remittimus, ab eodem petimus, ut divino potius numini, quam humanis ullis conſiliis exitum harum rerum tribuens, non niſi in optimam partem factum hoc noſtrum accipiat, memorque ſtudiorum eorum, quæ dum fata DEUSque ſinebant, præclara & egregia in plærisque noſtrum experta in ſe fuit, in poſterum ſub eo Rege, quem bono noſtro publico divinitus nobis datum interpretamur, in pace & otio libertate noſtra frui nos patiatur.

Peculiares Archiepiſcopus dedit:

Literæ Archiepiſcopi ad Cæſarem.

Cum in Comitiis electionis Varſavienſibus, pro eo gradu, quem in regno hoc teneo, Princeps Majeſtati Veſtræ ſuffragatus fuiſſem, non diffiteor non ſolum Majeſtatis Veſtræ virtutum, quarum eximia fama eſt, verum non minus aut magis etiam patriæ meæ ſtudio adductum eo fuiſſe. Itaque non modo ſuffragatus Majeſtati Veſtræ fui, ſed quamvis difficultates eas, quæ poſtea conſecutæ ſunt, ex ſententiarum illa, quæ tum erat varietate, ob oculos habebam, pro loco tamen muneréque meo Regem dixi; cum magis qualem Regem renunciatus eram, quam quæ tempeſtas patriæ meæ immineret, cogitarem: ſimul vero cum Majeſtatis Veſtræ prudentiæ, & celeritati omnia mox ceſſura ſtatuerem: in maximis & publicis & privatis meis, meorumque & eorum qui autoritatem meam ſecuti fuerunt difficultatibus, cum ad hoc uſque tempus tutatus partes Majeſtatis Veſtræ fuerim, hiſce fluctibus agitatus, non modo auxilium opemque Majeſtatis Veſtræ, fruſtra hactenus expectavi, ſed ne id quidem curaſſe Majeſtatem Veſtram video, ut in ſanciendis efficiendisque iis, quæ oratores Majeſtatis Veſtræ receperant, ordinibus regni ſatisfieret. His malis involuto, cum aliud reliquum nihil eſſet, quam ut præcipitem exacta ætate ſenectutem meam incuſarem, qui externa ſpe fretus, in altum quaſi mare, meque rempublicamque dediſſem, tandem eum ſive portum, ſive tabulam apprehendi, quæ à mei reipublicæque conſervandæ ſtudioſis oblata mihi fuit: & in quo inſignia regni divinitus collata jam perſpicerem, eidem ego quoque Stephano Regi fidem meam jurejurando obſtrinxi: nulli poſthac vento facile me commiſſurus, aut à portu hoc abſtrahi paſſurus. Majeſtatem Veſtram, non tam conſtantiam meam, quæ minime illi defuit requiſituram, quam ſibi ipſi, quæ regnum hoc pro derelicto tam diu habuerit, imputaturum id ſpero, juſtisque amiſſis, nullas jam alias à dignitate & laude ſua alienas regni in poſterum conſequendi occaſiones, vel expectaturum vel quæſiturum. Ne ſummo
expe-

quidem Pontifici ullam adhuc voluntatis ſuæ ſignificationem Rex dederat, ut qui & totus Cæſari ſe dare ferebatur, & apud quem Rex ipſe, in ſummam diverſæ de religione ſententiæ ſuſpicionem adductus dicebatur, quæ quidem opinio non ſolum Pontificis animo ac plærorumq; Principum Chriſtianorum, ſed vel in hoc ipſo Regno multorum animis plane inſederat, quod & pauciſſimi in Tranſilvania Catholici eſſent, & per diverſæ religionis homines, maxime autem Blandratam famoſum hereticum regnum petijſſet, à diverſæ etiam religionis ſuffragatoribus maxime provectus ad regnum fuiſſet.

Ex eodem tandem conventu hoc maxime ſuſpicionis ejus diluendæ, tum etiam animi Pontificis tentandi cauſa, Joannes Zamoiſcius Grimalius, cum literis in hanc ſententiam ſcriptis miſſus fuit:

Literæ Regis ad ſummum Pontificem.

Cum ſumma Dei benignitate in hoc regiæ dignitatis faſtigio conſtituto, qui religionem catholicam, ab ipſis incunabulis ad hunc usq; diem conſtantiſſime tutatus ſim, nihil prius antiquiusq; mihi eſſe potuit, quam ut poſt ſolennem hanc unctionis, & coronationis meæ inaugurationem, per oratorem meum faſces meos regios Sanctitatis Veſtræ unico in terris Chriſti Vicario, ſubmitterem, nomenq; meum, in iſto orbis terrarum theatro, inter tot deceſſores & æquales meos Reges Chriſtianos, quorum memoria in benedictione eſt, & laus in eccleſia Sanctorum, apud Sanctitatem Veſtram profiterer, cum itinera uſitata ad Sanct. Veſtram nonnihil nunc impedita, tum tempora regni mei maxime neceſſaria hactenus mihi obſtiterunt: quæ tamen ſpero, brevi facultatem eam mihi reſtituent, ſummumq; hoc deſiderium meum, ad exitum optatum perducent. Interim quoniam non minus fortaſſis iſtic facta, conſiliaque mea, quam hic quoque facta conſiliaque nonnulla Sanctitatis Veſtræ in ſuſpicionem nonnunquam à quibusdam vocantur, quod ipſe ultro facio, ut nihil, quod non cum pietate illius, & religione, cumque adeo ſedis iſtius Apoſtolicæ Dignitate conjunctum ſit, perſuaderi mihi à quoquam patiar idem à Sanctitate Veſtra peto, ut ſi quid forte iſthic alienum à perpetuo meo erga hanc ſedem ſtudio & obſervantia ab hominibus exiſtimationi meæ periniquis, ad Sanctitatem Veſtram deferatur, totum pro prudentia ſua reſpuat, & aſpernetur, atq; hoc quidem. de rebus meis, quod ad præſentem ſtatũ regni mei attinet unũ hoc peto, ut cui curæ reliquorum omnium regnorum, atque imperiorum libertas Veſtræ eſt, eidem hujus quoque reipub. Polonæ, non magis meo que ſanctitatis Veſtræ nomini devotæ, & addicte ſit, ueque eam quod abſit, ſine aperto, ſine etiam tacito cõſilio vel aſſenſu ſuo, quemadmodum malevoli quidam ſpargere in vulgus non dubitant, per cujusquam hominis contentione convelli aut labefactari ulla ex parte patiatur. Mihi quidem uti DEUS Opt. Max. regnum hoc peramplum, & perhonorificum, ſemel ſumma ſua voluntate detulit, ita quon quidem domeſticas ejus rationes attinet, pacatum prorſus & tranquillum nunc reddidit: ita, ſi qui poſtea motus, quod omen DEUS obruat, in pacata hac republ. exorti fuerint, non aliunde quam ab externis hominibus excitari, cum Sanctitas Veſtra, tum univerſus orbis Chriſtianus, ſciat. Nobilitati autem & ordinibus regni mei certum eſt, jus ſuum modis omnibus tueri, atque adeo ſi opus ſit, tanto libentius pro libertate ſua occumbere, quanto crebrius vel pro aliena ab hoſtibus nominis Chriſtiani tuenda vitæ diſcrimen adire non dubitarint, quisquis autem turbare eam voluerit, is certe non modo pacatam hanc, & florentem admodum rempubl. ac murum vete totius Chriſtianitatis, verum univerſum pene terrarum orbem bello funeſto & inexplicabili involverit; cum ambitionis vero privatarumq; factionum turpiſſimam maculam ad omnem poſteritatem ſibi aſperſerit, tam multo magis æternam conſciæ menti ſuæ pœnam divinitus accerſiverit, hiſce autem rebus omnibus, totius Chriſtianitatis pernicioſiſſimis conatibus, ut pro communis patris & paſtoris officio, in tempore potius, Sanctitas Veſtra occurrat, etſi communis Chriſtianitatis ſalus, atque tranquillitas ultrò à Sanct. Veſtra poſtulet, non minus tamen ego quoque diligenter meo, regnique mei ordinum nomine à Sanctitate Veſtra peto.

Cum vivo adhuc Maximiliano Romam perveniſſet, ita omniũ animos, atq; aures occupatas reperit, ut non modo ad ſummum Pontificem, ſed ne ad ullum quidem Cardinalium; ne Hoſium quidem, præter Farneſium admitteretur, qui cum protector regni Poloniæ eſſet, à quocunq; qui Regem ſe Poloniæ diceret, profectum humaniſſime excepit. Nuncio mortis ejus allato, & ipſe omnium ſummo cum plauſu, & gratulatione exceptus, & literæ vulgo deſcriptæ, in omnium manibus haberi. Varſaviæ rebus ijs ita perfectis partem aliquam comitatus in Ungariam Rex remittit. Inde Kniſſenum Thikocinumque excurrit, ubi à Senatoribus aliquot Lithuanicis rurſum Conventus fuit. Thikocini de Henrico Kurczbachio legato Cæſareo à Weiero capto cognoſcit, literasq; & mandata Cæſarea ad Ducem Ordinesq; Pruſiiæ regiæ à Weiero ſibi transmiſſa accipit. Cum via Regia Puckam verſus, quam à Koſtka Palatino Sendomirienſe Weierus tum tenebat progrederetur, Præſidio Gedanenſi quod quinquaginta equitum obvium eos illi mittere, cognoverat anteverſo fines regios ingreſſum adortus, ad deditionem coegit, Sponſioneque devinctum, ad curandum vulnus, quod cum ipſius ictu Bombardæ

illatum ei fuerat, tum aliorum ex comitatu ejus Gedanum accedere ei permiſerat; Scripta autem omnia, quæ ſecum habebat, ab eo accepta, ad Regem ſine mora miſerat. Miſſus à Cæſare Kurczbachius, ad confirmandos animos, cum Ducis tum ordinum, maxime autem Civitatum fuerat. Quod poſtulatis, opinioniq; illorum celeritate ſua hactenus non reſpondiſſet, cum aliis difficultatibus, quas ante oſtendiſſet, tum nunc etiam profectione ſua ad comitia imperij excuſat: & ſua & ipſorum intereſſe, ut nihil temere nihil niſi deliberate, maxime autem ex imperij ordinum, à quibus maxima auxilia expectari poſſint, ſententia in re tanti momenti quicquam à ſe ſuſcipiatur; cum ſi in rebus omnibus minus conſideratis, & expenſis præcipitantius hac in re progrederentur, præter ludibrium, dignitatisq; ſuæ jacturam, quam incurrere poſſent, provincias omnes ſuas maximo periculo expoſiturum, non dubitare; ad conventum eum Varſavienſem præſtitutum, frequentes convenirent, eo ipſum quoq; oratores ſuos miſſurum: interim ipſi ſibi mutuo non deeſſent, non ſolum propinqui, ſed ſolidi etiã auxilij, quod cum è ſuis tum externis provinciis, atque imperio certum firmumq; ſe maneret, expectatione ſe ſuſtentarent. Quod ſi forte ex Polonicis ordinibus vel aliqui, vel omnes in partes jam tranſiiſſent, tum ut Lithuani tamen, Pruſſi, ac Livones, in ſententia ac propoſito permanerent, quorum jura libertatesque, maxime electione Stephanana indubium vocata eſſent, vocarenturque ad Moſcum legationem promittit: quæ promiſſi ejus communisq; periculi ex vicinitate Turcica eum admoneat ac ſi Turca vel Tartarus Lithuaniam ſeu partem Poloniæ invaderet, ipſe ex alio latere ditiones eorum invadendo incurſiones etiam arceret, cohiberetque petat. Hæc cum Duce, Epiſcopis, Palatinis, cæterisq; ordinibus Pruſſiæ regiæ, maximè autem cum Civitatibus, per Georgium Klefeldium, & Conſtantinum Ferberum conſules Gedanenſes agere juſſus, Joannem Dulſcium autem Caſtellanum Culmenſem, cui ex legatione qua apud eum cum aliis functus erat, maxime fidebat, ſecreto tentare juſſus; cum in eum ſtatum adducta jam res eſſet, ut Polonicis ordinibus vix non omnibus ad partes Battoreanas traductis, ac quicquid ſpei de regno adhuc reliquum ſit, in Lithuanis & Pruſſis ſolis fere ſuperſit, quorum, utrique, in utroque interregno conſtanter ſemper Erneſtum expetierint, Lithuani vero etiam ſuperiore anno poſt Stecizenſem conventum per oratores ſuos, apud ſe inſtiterint, ut per Pruſſiam eundem ad ſe mitteret, cui ipſi juſto exercitu obviam progreſſuri, excepturiq; eum eſſent. Inque proxima etiam electione inter alias conditiones ipſe iis recepiſſet, ſi Poloniæ ordines per vim Regem illis imponere vellent, cum exercitu Erneſtum ſe ad eos miſſurum, an tentanda jam ea res ei videretur, Erneſtusque cum exercitu mittendus, qui vel ſuo loco, gubernatoris ſeu defenſoris, vel quocunq; alio apud eos titulo, ditionibus illis quæ ſuarum partium adhuc eſſent præeſſet, atque à Battoreanorum vi & impetu eas defenderet. Non aliter niſi de Polonicis ordinibus jam deſperatum eſſet, & certiſſimè atq; cautiſſime agere hæc juſſus: cum ſi ante tempus agitata conſilia hæc apud Polonicos ordines in lucem venirent, ſine dubio maxima animorum offenſio conſecutura inde eſſet, conſiliisque iſtis omni conatu obſtituri eſſent. Si conſilium probaret, non alienumq; eum à negotio animadvertiſſet, tum demum rationes, vias, modos, quibus res explicaretur, ab eo cognoſceret: tum demum quid de Pruſſorum, Lithuanorumq; animo ac conſtantia, ſi eo deveniretur expectandum ſibi eſſet. Conſilia quæ ſi ad exitum perveniſſent, ſine dubio inexplicabili bello, cum regnum, tum vicinas provincias omnes involviſſent. Thikocino, Theſauris qui ab Auguſto depoſiti ibi fuerant, ſecum ablatis, per Bilſcium Varſaviam Rex reverſus. Choroſci in itinere jam Lithuanici miniſtri ad menſam illi miniſtrabant, ſub idem tempus Regina Cracovia Varſaviam ad eum venit. Conſilium de repub. cum de legatis, cumq; aliis qui convenerant Senatoribus ibidem habet. Cumque comitia inaugurationis ita finita eſſent, ut ante exitum anni aliorum comitiorum ſpes facta hominibus eſſet, ante omnia & comitia Thorunium, in diem IV. menſis Octobr. iter in Pruſſiam, quæ una nondum pacata erat, decretum. Profectus ſub initium Auguſti Sluzoviæ apud Palatinum Brzeſtenſem non procul à Thorunia frequente Senatorum conventu exceptus, Thoruniam inde movit. In Pruſſia quo tempore Rex in eam venit is tum fere rerum ſtatus erat, qui in aliis partibus regni; ut quamvis Maximiliano plærique addicti eſſent, præter Gedanenſes tamen ſolos reliqui magis Maximilianum expectarent, quam per ſe Stephano reſiſtere vel vellent, vel auderent. Dux qui etſi eximium, ſeparatumque quaſi Principatum habet, Majeſtatem tamen Regum Poloniæ in eo agnoſcit, & corpore & mente æger, per ſe nihil adminiſtrabat. Qui ordinum nomine res ducatus tum adminiſtrabant, Maximiliani ſtudio & promiſſis elati, jam ante quidem cum Cracoviæ adhuc Rex eſſet, literas Ducis nomine ad eum dederant, quibus & illum à Regno dehortabantur, & nullum alium præter Maximilianum agnoſcere ſe ſignificabant, à Polonicis ordinibus qui Cracoviæ erant officij admoniti, & ad partes invitati, magis tamen eventum rei expectabant, quam conſilium ſententiamq; mutabant. Poſtquam Stephanum Cracoviæ jam inauguratum in Pruſſiam ipſum adventare accepere, Maximiliani ſpes ſeras eſſe animadverterẽt, aliorum exemplum, qui in iisdem

parti-

partibus fuerant, ipſi quoque ſecuti. Broſciâ Regi ingreſſo, per legatos literasq; fidem nomine Ducis deferunt, quoq; magis animum Regis ſibi adjungerent, cum in itinere Gambini Rex eſſet ad Baptiſmum etiam filiæ à Duce invitatus fuit. Itidem in altera Pruſſia, quæ Regia proprie ducitur, ordines conventibus jam ante aliquot habitis, voluntateque ſua Varſaviæ jam per legatos Regi declarata, tandem Thoruniam adventanti, in campo ſub Thorunia ei occurrentes, per Stanislaum Koſtkam Epiſcopum Culmenſem eum excipiunt. Oppidani ſeparatim etiam eum ſalutant: inter quos primi Thorunenſes & Elbingenſes: Thorunenſes quidem, ut qui metu magis præſenti neceſſitati cederent, minus, prompti, Elbingenſes ob commercia Anglicana, aliasque privatas nonnullas rationes à Gedanenſibus, qui ſoli & à publico conſenſu Pruſſiæ ſe ſejungebant, & à ſalutando Rege aberant, diſſidentes, privato etiam in eos odio promptiſſimi. Conſequentibus inde diebus, & de juramento & jurium confirmatione peculiariter Pruſſiæ à Rege præſtanda actum, Juramentum exemplo Auguſtano declaratum jurium etiam confirmatio, cum generali clauſula data. Separatim ab ordinibus Civitates de poſſeſſionibus & religione egere. Poſſeſſionum confirmatio ad omnium ordinum conſenſum rejecta: non ſine privato tamen promiſſo, nihil Regem novaturum, vel veteris poſſeſſionis quicquam moturum. Religioni pax data. Quibus cum mandatis Demetrius Solikovius, & Joannes Krotoſcius, ad Comitia Ratisbonenſia ab ordinibus Regni Cracovia miſſi fuerint, ſupra demonſtravimus. A Cæſare ipſo privatim quidem, ſed tamen plerisque Principibus qui aderant, legatisque Principum præſentibus auditi, & humaniſſime dimiſſi fuere à Chriſtophoro Zborovio, qui cum Palatino Syradienſe audientiæ illorum aderat mendacij indignante Cæſare publice inſimulati; Kotoſcius etiam ad peculiare certamen libello in hoſpitium ei miſſo provocatus, in id tempus, quo munere legationis defunctus, publicam perſonam depoſuiſſet, eum diſtulerat. A Cæſare reſponſum, & ſi aliter ſe rem habere quam ab ipſis demonſtraretur, & ſæpe oſtenſum eſſet, & nunc ſatis doceri poſſet: quæ tamen mens ſua iis de rebus eſſet, per ſuos vel legatos, vel literas ordinibus regni iſtius, atque Ducatus Lithuaniæ, cum ſuis re ulterius deliberata declaraturum. De Andrea Gorkano Caſtellano Miedziricenſe à Sigismundo Kurczbachio in Sileſiam, Gnoienſcio à Franciſco Honconai in Ungariam abductis, ſatis exiſtimare neque factum à ſe probari, qui priſtinum cum Regno Poloniæ fœdus diligentiſſime cultum, obſervatumq; velit: & quantum in ſe fuerit, quod ad jus de iis reddendum pertineret, nihil deſiderare paſſum ſe fuiſſe, ut qui ordinum regni literis, quibus ea de re appellaretur, ne expectatis quidem & captivos dimitti, & pacis violatoribus diem mox dici juſſerit. Cæteroquin non grata valde hominibus, favore Cæſaris occupatis, legatio fuit; ac plerosq; ipſo Cæſare, qui humaniſſimum alioquin ſe illis præſtaret duriores experiri. Uno Cardinale Morono legato Pontificio æquiore uſi, ejus conſilio legationem eandem cum apud ordines etiam imperij exponere debuiſſent, ei rei ſuperſederunt, partim ne magis Cæſarem exacerbarent, partim ſi invito eo, aditum ad ordines Imperij quæſiviſſent, vel mandata ejus rei à Principibus ſuis habere ſe negantibus non recepti vel apud Jurisconſultos ordinarios Principum Germaniæ delegatos, dicere juſſi, ludibrij potius aliquid ſubirent. Reſponſum, quod Regem Poloniæ in eo Cæſar ſe profiteretur, cum ſalva dignitate, jureve eorum à quibus miſiſſent, deferre ſe non poſſe exiſtimarent, in diverſorio prius à ſe perlectum, atteſtatione adjecta, Cancellario Cæſareo reddiderunt; cum ut integrum id ſibi eſſet, bona Cæſaris venia, cum dimitterentur, ab ipſo Cæſare prius petiiſſent. Eodem die quo Ratisbona profecti fuerunt, nuncium de Kurczbachio à Weiero capto ad Cæſarem perferunt. Itaque cum tribus inde milliaribus pernoctarent, noctu miſſi qui eos retinerent, Linciamq; in cuſtodiam deducerent. Similiter frater Solikovij Sigismundus, Samuel Laſcius, & alij nonnulli diverſis in locis ditionum Cæſarearum eandem ob cauſam retenti. Legati ipſi in cuſtodia Lincenſe, ad quindecim circiter ſeptimanas retenti, tandem poſt mortem Cæſaris à Rudolpho filio ſucceſſoreq; ejus opera potiſſimum Kurczbachij cum ipſi tum alij dimiſſi fuerunt. Quam primum certior Rex de retentis iis factus fuit, ſub hoc ipſum tempus quo Thoruniæ Rex erat Kurczbachius, ſponſione, verbo, ſcriptoq; data, ita dimiſſus fuerat, ut injuria imprimis Weiero condonata, niſi illos liberaret, ſe ipſe rurſum ſiſteret. Thoruniæ re cum reliquis Ordinibus Civitatibusque Pruſſiæ compoſita, Mariæburgum Rex progreditur. Cum in Pruſſiam ducalem intentus ut eſſet, tum maxime Gedanenſes ad officium ut reduceret. Hos etſi promiſſis Maximiliani, maxime autem ex iis Conſtantinus Ferberus, & Georgius Klefeldius, quorum tamen hic, ſub hoc tempus, vel paulo ante mortuus fuit, qui in poteſtate tum fere Civitatem habebant, magnarum rerum ſpe inflati, quod in Maximilianum ſemel ſuffragium ſuum civitas contuliſſet, priusquam diſerte is regno renunciaſſet, cum conſtantiæ, tum etiam periculi publici cauſa, non poſſe ſe honeſte ab eo diſcedere præſeferrent, aliæ tamen nonnullæ res magis etiam ſtimulabant. Temporibus Sigismundi Auguſti, cum multa in civitate ea contra jus & dignitatem Regiam fieri dicerentur, ex conſilio Senatus legatos eo Auguſtus miſerat, qui res civitatis inſpice-

rent, ſtatumq; ejus conſtituerent. Qui tum in magiſtratu erant, vel metu actionum ſuarum, vel quod ne ſtatus Civitatis mutaretur vererentur, legatos regios adventantes, civitate excluſerant. Quæ res cum ut erat indigniſſima omnibus videretur, quo ignominia publica deleretur, qui è magiſtratu autores facti hujus putabantur, tanquam Majeſtatis rei in regiam evocati, pro obſidibusque interim iis retentis, denuo legati eo miſſi, ac recepti, cum leges complures, quæ ad ſtatum civitatis pertinebant, tulerant: tum ad deprecationem, & ſatisfactionem civitatem adegerant; cujus hæc præcipua conditio erat, ut ad id portorium quod antiquitus bina male civitas percipiebat, aliud in ea par pro Rege exigeretur. Rebus hiſce vix dum integre perfectis Auguſtus deceſſerat. Itaque cum & invita civitas conditiones eas accepiſſet, & morte Auguſti imperfectas relictas putaret, non modo ut iis liberaretur laborabat, verum alia etiam, quæ per legatos invecta erant, aboleri volebat. Inter legatos eos primi fere, Stanislaus Karnkovius Epiſcopus Cujavienſis, & Joannes Koſtka Palatinus Sendomirienſis, tum Caſtellanus Gedanenſis fuerant, quos eoſdem cum & Principes fere eligendi Stephani fuiſſe, & apud eundem plurimum valere exiſtimarent, ne non modo actiones ſuas tolli illi paterentur, ſed magis etiam in ſe Regem accenderent, verebantur, neque fallebat eos opinio eorum. Nam cum Zborovij, tum maxime hi, magnæ prædæ, ac redituum ſpe, ſi tanquam perduellem belli jure in poteſtatem ſuam, civitatem redegiſſet, novamq; ejus formulam conſtituiſſet, in civitatem Regem incitabant itaq; partim ſuperbia, novarumq; rerum ſpe, partim obſtinatione, ac metu, neque vel legatos ad Regem mittebant: vel ullam ſubmiſſi, reverentisque animi ſignificationem dabant.

Jam cum Cracovia Pruſſiam verſus Rex iret, Nicolaum Koſobucium, Notarium Plocenſem, elegantis ingenij hominem, cum literis & mandatis, quibus ad partes officiumque eos invitaret, Blonia ex itinere Rex ad illos miſerat, qui ad rem tempusque præſens oratione accommodata, in hanc ſententiam verba ad eos fecit:

Oratio Koſobucij ad Gedanen.

Si in ullo imperio mundano providentia, voluntasq; divina perſpici potuit, nulli dubiũ eſſe poſſe exiſtimo. Vix in ullo, quam Stephani Regis noſtri Regno illuſtriora evidentioraq; ejus indicia extitiſſe. Non neceſſe ſane hic puto pluribus in memoriam vobis revocare, quomodo utraque electio adminiſtrata ſit. Neminem veſtrum non ſua ſponte intelligere exiſtimo, ſi quid humana ars, ratioque efficere potuiſſet, longe maxima omnia illa, quæ ab ea proficiſci potuerint, pro Auſtriaca domo adhibita fuiſſe. Quid enim quæſo, vel ſplendoris in præhenſando, vel diligentiæ in ambiendo, vel liberalitatis deniq; publice, privatimq; pollicendo ex ea parte intermiſſum? Hic primum non modo pro ſe ab initio regnum non ambiit: ſed niſi, inter Poloniæ regnum, Turcicasque ditiones interjectus, ex vicino bello partim periculi ſibi quoque ſubeundum judicaſſet, vix non Auſtriacis ipſis, quam ſibi id maluiſſet. Itaque cum illi Principes viros ad petendum regnum miſiſſent, ab hoc non magnæ autoritatis legati miſſi; cum ultro quaſi delatum Principi eorum regnum fuiſſet, vix etiam quicquam præter ipſum Principem, ſed eundem omnibus maximis virtutibus regiis præditum, cum eoque & pacem cum vicinis, & omnia florentis ſtatus commoda nobis promiſere. Verum ut hæc jam ſinamus, quod certius voluntatis divinæ argumentum eſſe poteſt, quam quod in oculis quaſi noſtris adhuc verſetur, Cæſari Vienna Cracoviam usque quinquaginta ſola milliaria erant: huic centum ſeptuaginta: hic jam advenit, ille ad hoc usque tempus hæret. Cum fines regni hic jam attigiſſet, Cæſar in conditiones primum juravit. Hic regni inſignibus inauguratur, cum ille comitia ad auxilia emendicanda primum indicit. Unde quæſo hujus celeritas, illius mora? Deus ſcilicet eſt, per quem reges regnant: qui, quibus regna negat, iis mentem conſiliumque aſſequendorum eorum prius eripit. Jam vero quæ conſecuta ſunt. In regnum venit perturbatiſſimum, & vix non alienum, cum potior fere pars pro altero ſtaret, quæ vix magno labore alijs Regibus obtingere ſolent, ultro huic decreta, tributum, expeditioq; publica: atque utraque ejus poteſtati permiſſa, quos nemo deinde niſi vi à ſententia diſceſſuros exiſtimarat, ſponte illi acceſſere. Jam Archiepiſcopus Regem illum veneratus, Marſalcus vitem, ſignum imperij ei præfert, hic proclamatione, ille renunciatione ſua relicta. Quid de alijs dicam, Epiſcopo Plocenſe, Palatino Ravenſe, Lithuania univerſa, ipſius denique Pruſſiæ, cujus ipſi membrum eſtis ordinibus, quorum illi in verba ejus jam jurarunt: hi autem Pruſſiæ nimirum ordines legationem jam ad illum parant: At nutum quidem divinum aliquis veſtrum in eo forte agnoſcat, verum etiam contra voluntatem divinam, quod nefas ſit commoda majora ab alio quis expectet, quam hoc? Quis quæſo potior eſſe debet, is ne qui ſubjectorum, an qui ſuam utilitatem ſpectet? At inter quem unum alteri præferat, cui obſcurum eſſe poteſt? Ambo electi fuere: ambo renunciati, proclamatique: uterq; ſtudia hominum ardentiſſima habuit. Quomodo uterque partis ſuæ ſtudijs reſponderit, cogitate. Cæſar opibus, potentia, omnium fere Principum Chriſtianorum neceſſitudinibus & clientelis nemini ſecundus, qui modo tot millia equitum, tot peditum legiones, tot milliones aureorum ſuis promiſerat, magnificisq; promiſſis

iſtis multorum, animos alios ſedatiſſimos inflaverat, quid quæſo præſtitit, nonne omnium veſtrum expectationem fruſtratus eſt? Spectator potius periculorum veſtrorum, quam quid de vobis fiat, penſi habens, non veſtri enim ſtudio, ſed ſuæ, ſuorumq; potentiæ cauſa regnum ambiebat. Neque interpretes ſequeſtresq; illos, qui tam frequentes ad vos curſitant, aliud quærere exiſtimate, quam ut magnificis promiſſis ſuis, quæ æque certa erunt, atque priora, vos inductos, à legitimo Principe corporeq; regni vos abſtractos, eaq; ratione inteſtino bello commiſſos, tandem debilitatos, Moſci libidini objiciat. Huc nimirum pertinent fœdera illa, quæ novo inuſitatoq; Germanis modo haud ita pridem cum Moſcho ſanxit: eodem ipſius Moſci literæ, à vobis malorum veſtrorum ignaris avidiſſimè lectæ. Ab altera parte Stephanus Tranſilvaniæ tantum Palatinus & ut adverſarij ejus, ſcribere non dubitarunt, Cæſare inferior: animo certe & benevolentia in ſuos ſuperior, non aditus unde quaq; conciſos, & præſeptos, non metum, qui non ſolum ab Imperio Romano, ſed univerſo fere orbe Chriſtiano intentaretur, non ullas alias difficultates, quæ voluntati diligentiæq; ejus objectæ fuere, remorari ſe paſſus fuit, quiquam primũ ſuis adeſſet; & cum vitam fortunasque omnes ſuas, fortunatiſſimo, pacatiſſimoq; principatu relicto, ad defenſionem eorum conferret, qui ſalutem facultatesq; ſuas, ob illius dignitatẽ augendã in periculum adduxiſſent. Eodem animo in ſolio nunc regali conſtitutus, nihil aliud etiã, quam publicam utilitatem, commodumque ſpectat. Nõ ille ut committat nos, ſed primum cum univerſa republ. deinde inter ſe ipſos in gratiam omnes reducat, laborat, aſperius nonnullos tractatos aliqui exiſtimant. Equidem & medici aliquando contra inſuperabilem, aliis remediis morbi vim, venenata etiam pocula propinant: Salutaria iſta eſſe, ſalus ipſa poſtea oſtendit. Verum tamen quæ iſta aſperitas eſt, ſi inſanabiles aliqui bonis forte privati ſint. Non id Rex reprehendit, ſi quis in electione adverſatus ei fuerit: in libera enim republ. libera ſuffragia eſſe debere ſcit: ſed contra Regem inauguratum unctumque molitiones dignas pœna judicat. Et tamen quanta ejus hac etiam in re moderatio ſit, in vobis ipſis agnoſcite. Etſi legati regni aliquoties jam rebus infectis ex Pruſſia diſceſſerint: etſi, quod non paucos offendit haud ita pridem ampliſſimus regni Senator & Legatus non ſatis aptum Grudenti reſponſum retulerit, plus tamen ſaluti reipubl. quam vel ſuæ dignitati tribuendum putat: iterum per me veſtros hortatur, & ut ſaniora tutioraque conſilia ſequamini, atque ad pacem concordiamq; qua una maxime commercia, quibus fortunæ veſtræ omnes conſtant, invitat; Uter igitur ex hiſce laude dignior? num qui ſuos deſerit, an qui ſuorum commoda ſalutemque propriæ præfert? qui diſſidia tantum quærit, an qui omni ſtudio concordiam, conjunctionemq; procurat. Locus ipſe me invitare detur, ut de laudibus ejus aliquid dicam, quas ſapientiæ, prudentiæ, juſtitiæ, fortitudinis, cum ſumma rei militaris ſcientia conjunctæ, vel inimici ejus ſummas in eo agnoſcere coguntur, ſed tacere malo, quam non ita dicere, quemadmodum eximiæ ejus dotes poſtulare videntur, hoc ſane nemo qui eum noverit, negare auſit, ſingulare quaſi quiddam & admirandum effingere & veterum ſummorum imperatorum exemplum quoddam in eo naturam nobis repræſentare voluiſſe. Quod ſi quemadmodum à ſapientibus quibusdam traditur, tum optime cum rebuspublicis agitur, quando ſumma prudentia, juſtitiaque cum ſumma potentia in unum conveniunt, nonne quem poſt tot reipubl. pericula ſeu potius naufragia, ſummo ſtudio, non nos modo, ſed vel univerſus orbis Chriſtianus, ad gubernacula regni adhiberi expetere debuiſſet, nunc divinitus nobis datum, debita potius fide, & cultu excipietis, quam inaugurato jam coronatoq; impie reſiſtetis? jura libertatesq; veſtras nonnullis rebus imminutas querimini, prudens eſt: juſtus eſt: volet unicuique jus ſuum tribuere. Quemadmodum quidem ad eam rem clementiam, voluntatemq; ſuam prolixè per me vobis defert. Quantum ex ſocietate Polonica commodi ad vos pervenerit, nemo veſtrum eſt qui ignoret; inde ſcilicet opes cum publicæ tum privatæ: inde jura, libertates, omnis denique felicitas, non minus quæ ſub aliorum imperio majorum veſtrorum fortuna fuerit ſcitis. Quo magis diverſam eam à præſente fuiſſe recolere animo poteſtis, eo magis ne florente ſocietate relicta in priſtinam ſervitutem recidatis cavendum vobis eſt. Non difficulter Cæſar in Cruciferum mutari poterit, vel potius cum imperij auxiliis utendum illi ſit, quo minus imperij jura poſtliminio ijs ad quos pertinent reſtituat, quomodo recuſare poterit? Verum demus nihil ex hac parte periculi eſſe; quid ſalva fide fortunisque veſtris facere poſſitis videte. Polonia, Lithuania, Pruſſia cujus una pars eſtis, in Regem eum univerſæ conſentiunt, majores veſtri, non ſolum in Regum ſed ipſius regni tanquam corporis, à quo avulſi fuerant, fidem ſanctiſſimo jurejurando voverunt, ab hoc quomodo nunc integra fide, majorumq; veſtrorum jurejurando vos ſejungetis; quomodo DEUM acerrimum violatæ fidei vindicem autoremque, non reverebimini? Deus meliora: & ſane Rex ipſe meliora de vobis ſperat. Quamdiu inter alios ordines ſententiarum de regno ejus diſſidium fuit: quamdiu Regni inſignia Regi nondum impoſita fuere, non miratur ſi aliorum diſſenſio, vos etiam ancipites diſtraxerit: ac non modo non miratur, ſed ut in re libera, & integra ne vitio quidem vertit. Nunc omnibus ad autoritatem

tem ejus adductis in ſolioque regio ſolennibus cæremonijs eo collocato, fideque ab adverſariis etiam aliis ei præſtita, ſi eandem diutius ipſi recuſare velletis, qui Regi primo coronato jusjurandum præſtare tenemini, non aliter certe interpretari id poſſet, quam contra jusjurandum majorum veſtrorum, contra jus, faſque à vobis id fieri, quorum ratio ſi minus vos moveret: quæ tamen vel plurimum valere apud vos ſibi perſuadet: vel ipſius certe periculi reſpectus movere vos deberet. Voſne univerſi regni vires in vos incitaveritis? quibus quomodo reſiſtere poſſetis, cum vel vitam ſine eo, à quo omnes fortunæ, vivendi rationes veſtræ pendeant ducere minimè poſſetis? Quæ conditio veſtra futura eſſet, ſi regnum à vobis offenſum, vel commerciis vobis interdiceret, vel in quam rem non pauci incumbunt, in alium portum ea transferret. Verum demus vel impune quod nunquam DEUS juſti imperij, cauſæq; vindex permittit, vel ſine incommodo à Regno diſcedere vos poſſe, ij ad quos vos conferretis, cui commodo vobis erunt? ſatagit jam de vobis Cæſar: non dubito. Verum ſemel ſaltem frænum acceperitis, mox ſui ne an veſtri commodi curam habuerit, perſpexeritis, in tempore potius aliorum exempla, atque veſtigia vos terreant. Dicatis mihi quantum ad hoc tempus ſubſidij ab eo habueritis: tantum quantum Poloni, qui partes ejus ſecuti ſunt. Verum gratulamini potius vobis, quod nondum petendi ejus neceſſitas allata vobis ſit quæ ſi quod Deus avertat, impoſita vobis fuerit, vel fruſtra id implorabitis, vel quæ non conditiones, ſi hoſtis ſtricto gladio cervicibus veſtris imminebit, accipiendæ mox vobis erunt; nonne ſatius eſt, & fidei ſuæ ſatisfacere, & eadem opera difficultates potius omnes iſtas prævertere? alij Turcico nomine vos terrent, quaſi ei Rex obnoxius in perniciem Chriſtianitatis cum eo conſpirarit: alij gubernatorem Pruſſiæ, vobis arcem præſidiumque impoſiturum. Fabulæ omnia, malevolorumq; figmenta, illud pietas ipſius omnibus nota refutat: hæc jusjurandum recentiſſime adeo ut aliis omnibus ordinibus, ita Pruſſiæ quoque & vobis Cracoviæ præſtitum; quo unicuiq; ſua jura libertatemq; conſervaturum ſanctiſſime promiſit, moras ſaltem iſtas abjicite: quem ignotum vobis nunc metuiſtis, ubi cognoveritis, ultro vobis Principem gratulabimini. Quod ſi metus aliquis à Cæſare, vel alio quopiam vos terret, ſi integra re nihil conatus fuit; quid Rege jam inaugurato poſſeſſionemq; regni adepto, ab omnibus deſertum, conaturum putatis, verum ut maxime tentare aliquis quid velit, non deſunt illi credite rationes, quibus & ſuos tueri & aliorum impetum reprimere poſſit. Omnem vobis per me cum à Cæſare tum Dano & quocunq; ſecuritatem indemnitatemque promittit. Quid vultis aliud? non veſtrum eſt, qui membrum reipubl. eſtis, pacis bellique arbitrium vobis ſumere. Religionis libertate maxime moveri vos ſcit. Jam Cracoviæ jurejurando illam à ſe confirmatam ne vobis quidem certe jam infringet. Ne ſuperioris quidem diſſenſionis offenſionem aliquam metuere vel debetis, vel poteſtis, jam dudum ut aliorum ita veſtra quoque perpetua oblivione ab eo obliterata eſt, neque aliud, quam ſummam clementiam expectare ab eo debetis. Cum igitur & voluntatem divinam in imperio ei mandando facile agnoſcere poſſitis: & is princeps ſit, qui omnibus votis optari à vobis debuerit, neq; non ſolum deeſſe vobis ulla in re velit, ſed ultro etiam invitet, ne ipſi vobis deſitis, videte. Cum die quarta menſis Julij legationem ſuam magiſtratui expoſuiſſet, accidit, ut poſtridie Kurczbachius quemadmodum ſupra oſtenſum eſt à Wabiero interciperetur.

Præter alias igitur, hac etiam maxime cauſa arrepta, vim eam cauſati, nullo cum reſponſo eum dimittunt: deliberaturos tamen ſe, poſteaq; commoda ſuo iis, ad quos res pertineat, reſponſum daturos, promittentes. In eandem ſententiam, cum ſub idem tempus vocatu Epiſcopi Culmenſis; nam Varmienſis Hoſius Romæ tum agebat: Conventus Ordinum Pruſſiæ Lubaviæ haberetur, ad illos etiam literas dant cauſati, quod internuncij ſui, quos ad ſuperiores conventus miſiſſent, neque in itinere ſine periculo, neque in loco publici conſilij ſine injuria fuerint, tum vero maxime vim Kurczbachio contra jus gentium, vel ipſi interpretabantur, iis ipſis diebus allatam exaggerantes, non poſſe ſe conventui intereſſe ſignificant, ne vero deliberationes præcipitent, aut ſine ipſis, qui ipſi quoq; membrum Pruſſiæ ſint, ob commercia autem, quæ in ditionibus Cæſareis, domusque Auſtriacæ, ac propinquorum Principum, magna amplaq; cives eorum habeant, majori fere quam ulli alij periculo expoſiti ſint, ſeparatim ſibi cavere, ſed potius aliquanto maturius, in loco præſertim commodiore cis Viſtulam, in commune conſulere velint, petunt. Secus ſi fiat, ratum id ſe non habituros, detrimenti etiam aliquid ſi ex eo exiſtat, non penes ſe ejus cauſam fore teſtantur. Sub exitum menſis Julij, iterum iisdem de rebus Andream Zborovium Curiæ Marſalcum ad eos Rex mittit. Sed cum non majore cum fructu legationem ſe expoſiturum intelligeret, quam Koſſobucius expoſuiſſet, quod magis ex dignitate & Regis & ſua viſum, Mariæburgi ſubſiſtit, literisque legationem ad eos perſcribit: illi etiam in eandem fere ſententiam atq; Koſſobucio literis reſpondent; quibus non obſcure ſignificant, quoad juribus eorum idonee prius non caveatur, gravamina quæ vocabant aboleantur, cum Cæſare non componatur, nullam ad rem accedere ſe poſſe. Similia mandata illorum fuerunt, quæ ad conventum Mævenſem internuntiis ſuis, Reinoldo Mollero, & Georgio Roſembergio dederunt. Cum certo jam in Pruſſia ſe futurum Rex ſignificaſſet, Stanislaus Koſtka Epiſcopus Culmenſis Mævam in diem XVI. Auguſti conventum indixerat, ubi de excipiendo honorifice Rege & de communibus rebus deliberaretur, cum Gedanenſes ut cis Viſtulam alicubi tanquam loco pacatiore conventus haberetur ultro ante poſtulaſſent. Verum quemadmodum oſtendi paria prioribus reſponſis ſuis, mandata ad conventum eum internuncijs ſuis dedere. Quia ultro potius cum ordinibus per internuncios eos ſuos expoſtulabant, quod priusquam vel juribus ſatis cautum, vel quæ contra ea irrepſiſſent, abrogata, aut, conſtituta eſſent, à Cæſare etiam indemnitati cautum eſſet, de acceptando excipiendoq; novo Rege agere propoſuiſſent, cum Regem novum agnoſcere, cujus arbitrio vitam, honorem, fortunasq; homines committerent. Priusquam juribus illorum ſatis cautum eſſet, & perperam & hoc præſertim rerum ſtatu cum periculo fieret; itaque alium conventum petebant, in quo non modo hiſce de rebus ageretur, ſed ſingula etiam capita, & cujusque ordinis poſtulata, diligentius examinarentur; interim à novo potius Rege peterent, ut adventum ſuum in Pruſſiam tantiſper ſuſtineret, quoad de omnibus rebus, ad communem ſtatum pertinentibus conveniret; neque tantulam moram iniquo animo ferret, quæ niſi impetrarent, ut à conſilio abſtinerent, eis mandarant. Aſſenſi tamen internuncij Gedanenſes ibi fuerant, una ſe cum aliis ad tractandū de omnibus rebus, Regemq; excipiendum Thoruniam ituros. Itaq; communi omnium Pruſſiæ ordinum nomine, literæ ex conventu Mævenſe ad Regem datæ, quibus tam ab equeſtri ordine, quam à civitatibus, nullis exceptis, fidem obedientiamque ei deferri, ſignificabatur, ſimul ut pro more majorum, ac jure Pruſſiæ, jura omnibus gravaminibus, & incommodis ſublatis, jurejurando confirmaret, petant.

Quod vero Civitates peculiaria quædam gravamina haberent, & peculiari ſcripto conſignata una ad Regem mittunt, utque benignam eorum rationem habeat, petunt. Cum quibus cum poſtulata etiam Gedanenſium internunciis eorum ad conventum Mævenſem ab illis data, Rex Goſtinino ordinibus reſcribens, quod conſiliis alienioribus, à quiete & tranquillitate publica ſpretis, in eam curam incumberent, ut in communione reipublicæ ejusdem ſalvis juribus ac libertatibus ſuis perfruerentur, ipſum quoq; ſtudium, hoc eorum benignitate ſua complexum operam daturum promittit, ne libertates eæ illorum ulla ex parte imminutæ videri poſſint; cumque recta in Pruſſiam ad eos venire ſe oſtenderet, ſimul non parum mirari ſe ſignificat, quid cauſæ ſit, cur ſoli Gedanenſes, majore cunctatione, & hæſitatione, quam ullus alius ordo vel civitas, ad concordiam acceſſuros ſe oſtendant, nec à verborum perplexitate refugiant. Cum Thorunij præter expectationem ordinum Gedanenſes ſe non ſtitiſſent, ordines Thorunia ea de re literas ad illos dant, quibus ut & ſeceſſionem eam præter promiſſum internunciorum illorum, & expectationem ſuam accidere ſibi ſignificabant, neve cauſam externum militem in provinciam inducendi maximo cum univerſæ provinciæ incommodo & periculo, majore fortaſſis etiam civitatis Regi præberent, ſed ſecum ſe conjungerent, quo communi conſilio patriæ conſulerent, petunt, ſimulque ad ipſorum peculiaria etiam gravamina abolenda apud Regem operam ſuam illis pollicentur, illi quod Thoruniam non miſerint, ignoratione adventus regij cum neque ex internunciis ſuis exactam ejus diem cognoviſſent, & ex aliis non poſtremi loci accepiſſent, in quatuordecim dies profectionem ejus prorogatam fuiſſe excuſant. De re ipſa eadem quæ antea, ut gravamina prius cognoſcantur aboleanturque, jura prius confirmentur, novumque omnino ad ea conventum inculcant.

Interim ſub initium menſis Septemb. Mariæburgum Rex venit, ſine mora inde Stanislaum Koſtkam Epiſcopum Culmenſem, Joannem de Sluzewo Palatinum Brzeſtenſem ad eos Rex mittit, qui ut ab obſtinatione illa animorum recedentes, more majorum jusjurandum Regi darent, eos hortarentur, idemq; ab illis nomine Regio acciperent, ni facerent, pro iis Regem habiturum, qui Majeſtatem ejus ſpernerent, rationesque neceſſarias juris, dignitatisq; publicæ tuendæ initurum. Illi longo reſponſo conſcripto, quo eadem poſtulata ſua de juribus prius confirmandis, gravaminibus tollendis, indemnitate à Cæſare repetunt, cum legati Regij, ut qui ad juramentum tantum exigendum miſſi eſſent, accipere id, & ad Regem deferre recuſaſſent, illi in ſententia nihilominus perſtant, legatisque re infecta profectis, per ſuum tandem ad Regem reſponſum id mittunt. Plena ſuperbiæ arrogantiæq; res omnibus videri, civitatem unam, non modo à corpore regni, ſed Pruſſiæ etiam in qua ſita eſſet conſenſu recedentem, non modo ſeparatim ſibi conſilium capere, ſed inter Regem etiam Cæſaremque, pacis fere belliq; arbitrium ſibi ſumere.

Itaque cum omnia fruſtra jam tentari Rex exiſtimaret, tanquam qui neque juramentum contra marem majorum, totiusque regni, Magni Ducatus Lithuaniæ, & terrarum Pruſſiæ conſenſu præſtare vellent, urbem munirent, militem externum contra jura Regni terrarumque Pruſſiæ conſtitutiones alerent, multisque rebus pacem publicam turbarent, Majeſtatis reos in jus evocat, quinq; dierum termino illis præſtituto, libellosq; citationum publicandos, ſpargendosque in urbe curat.

Quibus

Quibus de rebus cum partim ad Regem, partim ad Senatores, eadem quidem quæ & antea ſemper ingerentes, ſupplices tamen fere literas dediſſent, quibus ut citatione abolita, armisque à poſſeſſionibus civitatis inhibitis, aliæ potius rationes ſuſciperentur petiiſſent, quibus ſine ignominia & periculo Civitatis res componeretur, literas quibus conditiones iſtas illorum refutant, Senatores ad illos dant. Simul tamen cum dies judicij jam præterijsſet, abſentiaque illorum à ſcriba jam excepta, annotataq; eſſet, bidui inducias, fidemq; publicam à Rege illis impetratas mittunt, intra quod tempus legatione miſſa, quæ una ratio abolendi judicij eſſet, fidem obedientiamque Regi deferrent. Cum ne ad eum quidem diem, anguſtiam temporis cauſati ſtetiſſent, die XXIV. menſis Septemb. tanquam contumaciter abſentes, perduellionis condemnatos proſcribit. Mariæburgum cum Rex iret, in inſula Mariana Riſemburgique, quæ ditionis Ducalis oppida ſunt, nomine Ducis Majeſtatem ejus jam agnoſcentis, liberaliſſime exceptus, lautiaque largiſſime præbita ei fuerunt. Mariæburgo legatio etiam quæ ſtatum Ducatus ejus inſpiceret: à Duce itidem ad Regem Mariæburgum miſſa, fidei tutelæque ejus ſe commendans. Imminebat interim dies comitiorum Thorunenſium. Ad ea per Dirſſaviam iter Rex convertit, quo non modo propius Gedanum accederet, ſed ipſe etiam eam videret. In itinere præſidio Gedanenſi, quod ſub ipſam Dirſſaviam, conſpectumq; Regium, munimentis quibusdam objectis collocarant, ex minore inſula, quæ Gedanenſium poſſeſſionis eſt, Grebinoq; quod caput Inſulæ, dejecto, per aliquot dies Grebini ſubſiſtit. Eo tandem propiore rerum ſuarum periculo adducti, fide publica accepta, legationem Gedanenſes mittunt regnum regi gratulantur: quod legationem hactenus non miſerint, obſeſſu à milite viis excuſant. Conditionibusque quibusdam ultro citroque tractatis, negotium per Palatinum Cracovienſem Zborovium, Joannemq; Zamoiſcium Vicecancellarium fere transactum, ab Epiſcopo Cujavienſe, & Palatino Sendomirienſe Koſtka infectum fuit. Cum eo præſertim arrogantiæ Gedanenſis poſtridie deſcenderent, ut confirmationem jurium nominatim etiam clauſulam adjici poſtularent, ut niſi illa ſalva & illæſa conſervarentur, ne civitatis quidem ordines jurejurando ſuo tenerentur, quam tamen cum ipſius rei indignitatis, tum omnium indignationis ſibi conſcij, ultro poſtea remiſerunt. Itaque à conditionibus illis, à Rege diſceſſum fuit, ut armis poſthac perſequendam ſibi civitatem profiteretur. Grebinum Nicolaus Mielecius Palatinus Podoliæ, ad integritatem ſuffragij, ſententiæque in republ. ſuæ notandam, amictu candido, non ab ipſo modo, ſed omni etiam comitatu ejus ſumpto, ad Regem venit, jam ante alij etiam plerique Cæſareani in fidem Regis ſe contulerant, unus fere Stanislaus Czarnkovius Referendarius in Germania adhuc hærebat, Referendariatus Nicolao Firleio Præfecto Caſimirienſi, earundem alioquin partium, qui Palatinus Cracovienſis, magnusque poſtea Senator fuit, in Comitiis ijs Thorunenſibus à Rege datus ei fuit: alij itidem honores nonnulli, alijs Cæſareanis dati, animos partium diverſarum nonnihil recrearunt. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, Varſaviam Ungaros Rex plærosq; fere dimiſerat. Duorum tamen circiter millium, equitatum aulicum Joanne Zborovio Caſtellano Gneſnenſe aulicæ militiæ Præfecto inſtituerat: eidemque peditatus Ungarici ſexcentos circiter, Polonici etiam nonnihil adjecerat: ita ut ad trium circiter millium, cum equitum tum peditum exercitus eſſet. Cum eo Dirſſaviæ diſcedens Zborovium relinquit, qui in Gedanenſium conatus intentus eſſet. Thoruniam inde ad comitia profecto. Imprimis quidem de Gedanenſibus coercendis, inde de inſigni aliqua re pro republ. ſuſcipienda relatum. In qua oratione cum & libertatis tuendæ ſtudium, & clementia in adverſam partem Regis prædicata fuiſſet, lætus comitiorum ingreſſus fuit. Verum animis plærorumq; alienatis, omnia inde turbata. Primum enim qui diverſarum partium fuerant, victos ſe fuiſſe non poterant non meminiſſe: qui vero ſibi regnum debere Regem volebant, cum nulla re expleri poſſent, aut non omnia mox ad nutum ſententiamque eorum à Rege ferrent, non minus alieno ab eo animo erant, quam qui ab initio adverſati ei fuerant. Itaque & communicationes cum Cæſare, & de tollendo eo clandeſtina conſilia inita ferebantur, quæ quidem nuntium de morte Cæſaris ſub id tempus Thoruniam allatum mox oppreſſit. Mortuus fuit Ratisbonæ in menſe Octob. in medio quaſi curſu conſiliorum ſuorum, ad morbi vim, animi etiam fortaſſis dolore ex rerum Polonicarum cura accedente. Inter Zborovios inde, Gorkanumque Palatinum Poſnanienſem, aliosque nonnullos, quibus non ſatisfiebat, coitio facta. Ultra eam vero, à Jacobo Niemoievio etiam, Stanislao Pekoslavio, qui poſtea clarior in re militari, præclaris facinoribus Præfectus, quam tum tribunus inter legatos nobilitatis fuit, alisq; popularibus ſuſpiciones hominum animis inculcatæ, non parum eos turbabant. Itaque ſola fere Gedanenſis actio ſuſcepta: eademque ipſa etiam maxime comitia turbare. Lembkam Syndicum fidei publicæ cauſa à Rege petendæ miſerant. Cum literas ad Regem aliosq; Senatores haberet, quibus perpetua iſta ſua poſtulata de cautionibus ſibi prius præſtandis ingerebant, fidemque ſuam in Regem regnumq; teſtabantur, quod maxime eos turbaret, literæ Regiæ, à Palatino Sendomirienſe cui cum aliis nonnullis Senatoribus audiendi ejus negotium datum fuerat, in conſpectu ejus priusquam ad Regem deferrentur reſignatæ: alias autem nullas ut redderet, ſed domum ſecum deferret, mandatum ei fuit; in duodecim tamen dies fides publica iis conditionibus eis data, quæ Græbini etiam propoſitæ illis fuerant, militem dimitterent, juramentum præſtarent, ad veniam ſuppliciter deprecandam venirent, qua accepta etſi dubij, ancipitesq; quid agerent, Conſtantinum tamen Ferberum, Georgium Roſembergium è magiſtratu, Henricum Lembkam Syndicum mittunt. Non deerant, quemadmodum & Grebini, qui moderatione aliqua adhibita, quæ in præſentia concedi illis poſſent, conceſſis, aliis ad alia comitia amplioremque ordinum deliberationem rejectis, in fidem civitatem reciperet, autores Regi eſſent.

Verum cum nonnulli ex eo, quod diſſenſiones inter magiſtratum & plebem in Civitate eſſe intellexiſſent, ſpesque à quibusdam facta illis eſſet, quam primum exercitum ad civitatem Rex admoviſſet, per ſeditionem ſtatim civitatem tradituros, non magno negotio in poteſtate civitatem Regem habiturum perſuaderent, ad ea vero nuntium etiam de morte Cæſaris cum acceſſiſſet, ducta res fuit, internuncijque Gedanenſium quod non modo conditioni de externo milite dimittendo, aliisque quæ fide publica comprehenſæ erant, ſatisfactum à civitate non eſſet, verum militem etiam interim auxiſſent ad deprecationem nullam accedere vellent, in cuſtodia habiti fuere, utrinque tamen ad conditiones aliquas deſcenſum: à Rege per Palatinum Brzeſtenſem, cui agendi cum illis cura mandata fuerat.

Præter ſuperiores, de dimittendo milite, pacandaque civitate, deprecatione item aliæ adjectæ, ut trecenta millia florenorum, non tam mulctæ quam redituum causâ penderent: Portorij non auctionem, ſed dimidiam partem, Regi præſtarent, ſcribamque regium mox ad eam rem adhiberent: reliqua negotia privata ad proxima comitia, ad quæ proprie cognitio eorum pertineret, rejicerentur, tormenta bellica aliquot, militesq; in bellum Moſcoviticum Regi præſtarent: etſi quæ ejus generis aliæ erant, cum quibus conditionibus primum Syndicus Lembka, deinde ipſe Ferberus fide intra certam diem iterum ſe ſiſtendi interpoſita miſſi, primum centum millia, deinde per Ferberum ducenta, quaternis penſionibus Regi offerunt, ita ut ſumma ea omnia alia redimerent, deprecationem quæ agnitionem aliquam culpæ aut delicti alicujus haberet, tanquam nullius ſibi criminis conſcij recuſant. Juramentum non priusquam de ſuis juribus ſibi cautum eſſet, præſtarent: interim onera quibus premi ſe putarent abſolute omnia tolerentur, non ſolum commiſſorialia, cum iisque auctio portorij: Sed quæ cum vicinis etiam, æque qui proprias jurisdictiones ſuas habent, ut Epiſcopo Wladislavienſe de Schotlandia, & tam cum ea, quam cum Abbate Olivenſe de receptu ſortium controverſiæ illis intercedebant, non ſolum autem quæ ambigui quaſi juris videri adhuc poterant, ut auctio portorij, & ſi quæ ejus generis eſſent, in controverſiam vocabant, ſed quod maxime indignum, & Regi & plærisque viſum, etiam quæ certiſſimi juris regij erant, ut duo millia aureorum, quæ in recognitionem imperij, ex privilegio Caſimiriano, tum vero duo millia florenorum, quæ nomine Helæ ex Sigismundano ſolvere tenebantur, ad extremum vero etiam quingentos, quos antiqua conſuetudine pro lautiis etiam abſentibus Regibus quotannis penſitant: Superiores quidem penſiones duas oppignoratas ſibi ab Auguſto cauſantes: pro lautiis autem, non æquum eſſe aliquid ſe ſolvere, niſi cum Rex ipſe in Civitate eſſet, contendentes, præterea vero tenuitatem publicam accuſantes.

Cumque beneficio regni ad invidendas pene opes civitas perveniſſet, de quingentenis annuis, recuſare non dubitabant. Ultra hæc vero cum in civitatem Rex venturus eſſet, ut certo numero modoque circumſcriberet, petebant, de tormentis militeque, ut quorum hic tanquam ſtipendiarius non in ſua poteſtate eſſet, illorum autem ultra uſum neceſſarium nihil haberent, omnino vel excuſabant vel recuſabant. Animis hominum ita quemadmodum ſupra demonſtratum fuit, partim alienatis, partim turbatis, neque tributum, neq; ullum aliud fere certum ſubſidium obtentum, expeditio tantum publica, magis ſpecioſum quam præſens auxilium, in repentinos tam à Tartaris quam Gedanenſibus caſus, eaque ipſa magis in ſpeciem, quam re ipſa decreta. Gedanenſium etiam ſi reſipiſcerent, in gratiam recipiendorum arbitrium Regi permiſſam, reliqua præclarè à Rege propoſita omnia rejecta. Cum enim poſtea vel ij ipſi qui ad autoritatem ſuam Regi oſtendendam ab initio coiverant, ad extremum Regi ſatisfacere cuperent, animis irritatis fruſtra ab illis etiam omnia jam tentabantur, neque quicquam aliud fere ſtatutum quam quod Maſovitica jura, quæ ex ſuperiorum comitiorum autoritate, horum comitiorum judicio ſubjici debebant, accepta; quæ tamen ipſa ſequente demum anno ſeptuageſimo ſeptimo menſe Junio, ex comitiorum tamen horum autoritate, Mariæbnrgi demum promulgata fuere; non ſolum autem infecta quaſi re, comitia ſoluta, ſed cum Rex ipſe à nuntiis nobilitatis, iisque maxime qui capita popularium erant, tum ſuperiorum comitiorum delegati, varie exagitatus cum & actionum omnium rationem requirerent,

rent, maximeq; de thesauris amotis, regem postularent, alios quidem ne se delegari paterentur terruere, Regem vero libertatis ejus, quæ licentia potius ei videbatur, insolentem in iracundiam publice etiam incenderunt. Verba ejus ex ore illius tum excepta, ad genus potissimum orationis, quod peculiare quasi habebat, notandum subjicere libet.

Verba Stephani Regis.

Non in caula, sed homo liber natus sum, neque antequam in has terras veni, victus & amictus defuit: libertatem ergo meam amo & conservo. DEO volente per vos in Regem vestrum sum electus: vobis postulantibus & instantibus huc veni: per vos corona est mihi imposita. Sum igitur Rex vester, non fictus neque pictus: Volo regnare & imperare, nec feram, ut quis imperet mihi. Custodes libertatis vestræ sitis: non ideo vos volo pædagogos meos fieri, Senatorumque custodes tales sitis libertatis vestræ, ne hæc libertas vertatur in abusum. Secretarius Gallicus res repetitum sine literis ad Regem, ad comitia hæc missus, ad Vicecancellarium tamen benevolentiæ erga Regem significationem non obscuram habentes literas attulerat. Rex exitu comitiorum perturbatus, ut non longe tamen à Prussia abesset, sub initium mensis Januarij, Bidgosciam Thorunia se confert. Ne Gedanenses quidem exitus comitiorum latere poterat. Itaque quamvis morte Maximiliani non parum illis animi decesserat, quod tamen eo jam progressi fuerant, unde neq; honeste, neq; sine periculo rerum suarum recipere se posse existimarent, simulque in exitu comitiorum horum, discordiaq; ordinum, futurorumq; comitiorum mora spem haberent, non modo in sententia perstabant, vel de conditionibus suis quicquam remittebant, sed indies magis potius tractando rem implicabant. In vicinorum nobilium villas eruptiones faciebant, easque vastabant, monasteria quæ intra urbem Catholica adhuc erant, maxime autem Olivense, uno ab urbe milliari vetustissimum, tota pene civitate in id effusa diripiunt, evertuntq;.

Causati literas in Monasterio repertas, quibus Weierum Abbas hortatus fuisset, ut in tempore idoneum castris locum caperet, cum cum monasterio magis nullum idoneum esse existimarent, prævertendum ratius Translari Thorunia Bidgosciam tractatus isti fuerunt. Cumque formulam confirmationis aliarumque cautionum quas requirebant illis jam edidisset, quæ ex omnibus etiam privata autoritate abrogare se posse existimabant abrogasset, de summa etiam ducentorum millium jam convenisset, hisq; de rebus cum Syndicus Lembka, tum Rosembergius fidejussione interposita, ultro citroq; missi essent, partim diem pendendæ summæ in longum Gedanensibus proferentibus, partim commissionem Augustanam, causam portorij ac plæraque alia, quarum alia proprie comitiorum cognitionis essent, alia vero ad alios etiam pertinerent, privata autoritate à Rege tolli postulantibus, nonnulla etiam quæ certi indubitatique juris Regij essent, in dubium vocantibus in nihilum omnia reciderunt. Itaque Rex decretum proscriptionis, quod jam ante quidem quemadmodum supra ostensum est, Mariæburgi latum, nondum autem promulgatum fuerat, sub id ipsum tempus, mense nimirum Febr. Bidgosciæ promulgandum statuit, denuoq; aqua & igni illis interdicit; Simul edictis publicè propositis commerciis civitatem privat, omnibusq; cum illa iis interdicit: emporium vero alias in Civitates subjectas, maxime autem Elbingam & Thoruniam, libero commerciorum usu inter homines regni, externosque quoscunque communicato transfert. Legatos Gedanensium custodiendos Bidgoscia transmittit. Simul conventum Senatorum belli persequendi causa, in diem decimum quintum Martij, in vicina Cujavia Wladislaviam indicit. Habebant sub idem tempus, quo ista administrabantur, mense nimirum Febr. Prussiæ etiam ordines Graudenti conventum, quo facilius Prussiam pacarent, ad ducenta ista millia à Gedanensibus præstanda, tertium illi ultro ex tributo Regi offerebant: Cum infecta pacificatio cum Gedanensibus esset, literis iis, quibus ad Wladislaviensem Conventum Rex eos invitabat, & illud donativum, & præterea duo millia militum ab illis Rex petebat. Indignitas tam privata quam publica, cum plurimum homines moveret, cum in conventu Wladislaviense frequens Senatus pecuniæ conquirendæ oppignorandos thesauros, in negotium id Gedanense Regi permittit: & ex ejusdem sententia minores conventus per omnes Palatinatus, inde generales utriusq; Poloniæ habiti, ipsi etiam tributum eandem in rem decernunt. Edicto quo tributum id in castris demum ad Gedanum anno septuagesimo septimo die XX. mensis Junij publicatum fuit, diserte cautum ne quid hujusmodi conventuum istorum decretis publicæ comitiorum autoritati in posterum derogaretur. Simul tributo ità constituto expeditionem publicam in Comitiis Thorunensibus decretam, eodem edicto Rex tollit: quantam omnem in Russica pericula à Tartaris deputata, ut quæ majore etiam præsidio opus haberent.

Bidgosciæ cum Rex esset, Nicolaus Firleius Castellanus Vislicensis, qui factionum dissensionumque interregni pertæsus, à conventu Stenziciense Norimbergam mox se contulerat, ad Regem venit. Pro vicinia illa Onolspacij in secessu illo Norimbergense, cum Georgio Friderico Marchione Brandeburgense, qui proximus Ducis Prussiæ agnatus erat, notitiã contraxerat; idoneus seque-

sequester visus, per quem de tutela, jureque suo Prussico cum Rege, Senatuque ageret. Itaq; cum postulata Marchionis ad Regem detulisset, relatum ea de re in conventu Senatorum Uladislaviense fuerat; tutelaque Marchioni decreta, conditiones etiam tutelæ ejus in eodem conscriptæ, primumq; ipse Firleius ex conventu eo, ad Marchionem iis cum rebus missus, deinde sequente etiam æstate legationibus aliquot ea de re ad Marchionem missis, ultro citroq; actum de iis fuit. Uladislavia Varsaviam Reginæ potissimum visendæ causa Rex excurrit. Interim apparatu belli Gedanensis, totus occupabatur: Sed quod & tributum nondum exigebatur, præsensq; pecunia nulla fere erat, tardissime omnia procedebant. Archiepiscopo tamen concilium cleri habente, à clero paterni aliquid subsidij in bellum id collatum, maximeque Episcopi Cujaviensis opera, promptissime coactum, delatum ad Regem fuit. Maxime peditatus exiguus erat, difficulterq; cogebatur. Interea à ducalibus etiam, subsidium petitum: ab iis denique legatio ea de re ad Regem missa. Quemadmodum supra ostensum est, Dirsavia Thoruniam Rex proficiscens, copias omnes Joanne Zborovio Præfecto Dirsaviæ, vicinisq; in locis reliquerat. Gedanenses Joanne Colonense, cujus quod in Magdeburgense obsidione Caroli V. rem sustinuerat, clarum per Germaniam nomen erat præfecto, non contemnendum numero exercitum compararant; eum ne frustra alerent, pacificationis spe omni quasi incisa, partim paucitate nostrorum despecta, cum si illos oppressissent, vix non totius Prussiæ regiæ, aut vicinæ saltem Pomeraniæ imperium animo conciperent, militem tanquam ad victoriam certissimam, maxima oppidana multitudine voluntaria se adjungente, ad oriundos nostros statuunt. Cum ipso die Paschatis extra urbem exercitum Coloniensis duceret, subita inusitataque tempestate territus, reducere cum in urbem coactus fuit. Cum porta signa efferrent, vehementissimo vento coorto, duo equites de ponte in fossam præcipitati, unus demersus, alter vix salvatus, eodemq; sub ipso Coloniense equus impulsus, à satellitibus vix retentus fuit; quæ tempestas cum frustra Coloniense veneficia incusante, per aliquot dies remorata eum fuisset, tandem XVI. Aprilis adverso quidem flumine, navigia quatuor majora, duo minora, totidem milite tormentisque instructa, Dirsaviam versus emittunt: reliquas copias regia via eodem Colonense ducit. Re per exploratores cognita, consilium Zborovius habet. Cum numero impares plane se esse viderent, aliis Mævam versus commodiorem in locum regrediendum censentibus, omnes tamen fere, & videndum hostem, & per occasionem tentandum suadent.

Diffidentia Dirsaviensium currus oneratos præmittunt; quamvis non minus ipsis Dirsaviensibus, quam præsidiariis Gedanenses infensi minarentur. Proficiscens oppidanos ad fidem servandam Zborovius hortatur, præsidiumque postulantibus, ex cohorte Andreæ Firlei Castellani Lublinensis centum circiter pedites, quatuorque minora tormenta attribuit. Naves hostiles sub vesperam uno ab oppido milliari provectæ, eventum prælij terrestris expectantes, pernoctem ibidem subsistunt. Zborovius etiam cum Coloniensem, paucitate nostrorum contempta, in villa Langowo inter pocula noctem ducere accepisset, neque tamen ob multitudinem cum priores numero stationes ejus quam omnes copias nostras cognovisset, vel adoriendi ejus facultas, vel ob suspectam oppidanorum fidem, incendijve, aut tumultus alicujus expectationem, satis tutus in oppidum receptus ei videretur, ipse quoq; per integram noctem, in equis se continebat, in navales copias, cum triginta Tartaris regiis, totidemque Andreæ Gorkani Castellani Miedzirzicensis, Andream Karnkovium intentum esse jubet. Sequente die paulo ante meridiem, in conspectum mutuo se dant; ubi multitudine hostium visa, interim de receptu nostri deliberant. Velitationes tamen aliquas tentari placet.

Cum quemadmodum ostensum est, regia via Gedanenses ingrederentur, eaque loci natura sit, ut per aggerem, utrinq; piscinis & paludibus impeditum ducendum est, Zborovius angustiis viæ supra paludem loco idoneo occupatis transitu eos prohibere: tormenta minora duo saltem, uncinas, quas vocant, ad triginta solas secum habebat; equitatus Gedanensis à Coloniense præmissus aggerem mox occupat: inde gravioris armaturæ peditatus ad duo millia itidem mox in aggerem evadunt, cumque augustissimus transitus esset, Vincis jactis tri majora tormenta secum pertraxerant, altio[illegible] loco mox constituunt. Equitatus regius, partim Polonicus, partim Ungaricus, qui eum Spithkone Jordane, Stanislao Zolkienio adolescente, qui Zamoiscij equitatui præerat, Temrokoque Petrikoviense non magnus erat, in Germanicum equitatum invectus ab eodem pellitur. Interim Coloniensis etiam pedestri acie instructa, turbam oppidanorum, quæ maxima ex urbe secuta fuerat, asseribus crassissimis in id præparatis, advectisq; communit, ducentisque circiter, partim ad distinendos interim nostros, partim præsidio illis relictis; ipse cum stipendiario reliquo milite omni montes circumire, versusq; Lubiessewam lacum cursu tendere cœpit. Zborovius consilio Colonens. perspecto, Karnkovio statione mandata relicta conjungere secum, ponteq; qui intercedebat, ne ab iis, qui intra munimenta, à Colon. relicti erant à tergo circumveniri posset, dejici jusso, orationem ad militem habet.

 De

Oratio Zborovij ad Milites.

De jure cauſæ regiæ ſuperbiaq; hoſtium, cujus quamvis Chriſtiani nominis videri vellent cum contra legitimum tamen imperium Principis ſui impia arma ſumſiſsēt, ſine dubio juſtus, certusq; vindex DEUS futurus eſſet, multa locutus, cum quo genere hoſtium res eſſet oſtendit: cum opificibus inquit magna ex parte, mercatoribusque, ejusque generis inertibus, ſedentariisq; hominibus, res vobis erit: cum ea deniq; gente, quam majores noſtri non modo ſemper ceciderunt profligaruntque; ſed de qua complura victoriæ trophæorumq; monumenta, vel ad hanc ætatem non ſolum in Pruſiia, ſed vel ad ipſam Vratislaviam extant; per tantum temporis, cum ſub ipſis muris quotidie quaſi illis inſultaſſent, ne oſtendere quidem ſe extra mœnia auſos: nunc extra tectum capite prolato, ſine dubio magna ſua cum clade id reconditurος, tandem majorum fama, virtuteque, aliisque, quæ ad accēdendos animos facere poterant, commemoratis, Ungaricum peditatum omnem ſecum trahens, in Colonienſem tendit. Jam is tormenta per montes diſpoſuerat, vineasq; agere circa eos cœperat. Ungaricus peditatus à dextra in eos invectus, cum tormenta in ſe emiſſa inclinatione, projectioneque in terram evitaſſet, Michaelq; Vadaſius peditatus Ungarici Præfectus, niſi victores hinc redimus, quomodo Regem aſpiciemus, inclamaſſet. Subito mox coortus, in denſos Gedanenſium ordines ſclopetis emiſſis, frequentes cædes edit; per quos aliis inclinatis curſu tormenta occupat, tormentariisque conciſis, in ipſos hoſtes obvertit. Inde cum hoſtes, quo cominus rem gererent, ut paucos facile confecturi, in Ungarum ruerent, Vadaſius vulnere in genu accepto, jam procumbens, ut ſclopetis abjectis, acinacibus rem gererent, ſuos inclamat, quibus tum egregie partim haſtas præcidiſſent, partim intra ipſas haſtas ſe inſinuaſſent, acie pedeſtri jam turbari cœpta, equitatus etiam regius, in Gedanenſem equitatum iterum invectus, eum pellit, ab equitatu pedes reliquus turbatus, ac tandem tota acies impulſa, præcipitataq;. Omnium inſignis in prælio eo virtus fuit, maxime tamen cum ipſius Ducis Zborovij, qui & oratione, & conſilio, & manu, periculoq; adeo ſuo, cum è majore tormento, globo inter pedes equi trajecto, vix non everſus fuiſſet, maximum victoriæ momentum attulit: tum Ungarici etiam peditatus, neque incruenta omnino victoria fuit.

Ex Ungaris nobiles centuriones duo Ambroſius Nati, & Michael Racz, tum quadraginta circiter pedites periere. Vulnerati alij centuriones duo unus Iſtwan, alter Vadaſius, cujus ſupra mentio facta, ex eodem peditatu circiter octuaginta. Ex noſtris quatuordecim circiter occidere, vulnerati circiter quadraginta quinque. Cum per aggerem noſtros inſequentes, frequentiſſima cadavera morarentur, juſſu Zborovij cadaveribus in vicinas piſcinas à pedite dejectis, viaq; facta, profuſiſſime fugientes eques inſecutus, plures multò in fuga, quam in ipſo prælio interemit.

Colonienſis cum equus ſub eo interfectus fuiſſet, famuli quem habebat Poloni opera, equo illius accepto evaſit, magna præſertim oppidanorum multitudo, qui hoſtem per tria integra milliaria inſequentem, vel evaſerant, vel latuerant, per ſilvas lacusq; palantes, latitantesq; à regionis ejus nobilitate, agreſtibusque, vel interfecti, vel capti. Cadaverum in loco prælij, aut vicinis locis repertorum, ultra quatuor millium, quadringentorumque, à juratis numerum relatum conſtat: captivorum in ipſo exercitu, ultra mille equitum noſtrorum gravis armaturæ ſtipendiariorum ſub diverſis præfectis nongenti quinquaginta fuere: levis armaturæ ducenti. Voluntariorum & aulicorum gravis armaturæ, centum circiter quinquaginta: inter quos Thencinij Caſtellani Voinicenſis, quinquaginta, Zamoiſcij quadraginta: levis armaturæ circiter quinquaginta, in quibus Andreæ Gorkani Caſtellani Miedzirzicenſis, Tartari triginta. Ungarici equitatus gravis armaturæ quadraginta. Peditatus regij Ungarici ſexcenti, Polonici Andreæ Firlei Caſtellani Lublinenſis centum, ipſius Zborovij triginta, hoſtilis exercitus, ſtipendiarij peditatus, ultra tria millia, equitatus Germanici ſtipendiarij, ad quadringentos, oppidanæ juventutis totidem fuiſſe conſtat. Pedeſtris turbæ oppidanæ, quæ maxima fuit, iniri numerus non potuit. Currus tormenta, impedimentaq; omnia, in poteſtatem noſtrorum venere. Signa militaria pedeſtria quinque: unum equeſtre, cum titulo Aurea libertas, indice voluntatis eorum imperij regij excutiendi. Dum hæc in acie geruntur, naves etiam interim ad oppidum appulerant, verum ſerius aliquanto, cum flumine, tum vento etiam adverſo impeditæ. Copiis terreſtribus jam cæſis fugatisq; Zborovio nuntiatum, navales copias contra ipſum oppidum, in Viſtula conſtitutas frequentibus tormentis muros petere. Itaque ſigno receptui dato, mox ad tutandum oppidum, cum ducentis ſolis fere, quos circa ſe habebat Victor ſe convertit: aliisque etiam à perſequendis hoſtibus, ad eum confluentibus, hoſtes cum ex ſilentio tormentorum, reducibusque noſtris, eventum prælij animo præcepiſſent, navibus ad perſequendos eos non præparatis, ſecundo flumine, celeriter ſe recepere. Nuntium victoriæ ejus, priusquam Varſaviam Rex perveniret, in itinere ad eum perlatum. Sub idem fere tempus, aut paulo poſt, quo ad Dirſſaviam pugnatum fuit, Tartari etiam in Ruſſiam excurſionem inſtituerant.

In quos cum Stanislaus Wlodek in campum egres-

egreſſus ignarus incidiſſet, aliquotq; cum iis conflictus feciſſet, detectum adventum ſuum, finitimosque, ad arma vocatos ſentientes, extremos tantum fines carpſerunt, nec longius progredi auſi, ſe receperunt. Varſavia Gedanenſium ad officium tandem revocandorum cauſa Mariæburgum Rex regreditur, iter ab altera parte Viſtulæ habet, Brodnicia, inde per Bratzianum Mariæburgum. Ad Brodniciam legatio ab exercitu victore, cum captivis ei occurrit. Exercitus interim cogitur, quo ad famam ejus eo plures confluerent, lente progreditur. Venit Mariæburgum Rex menſe Majo. Mox locum prælij Dirſſavienſis cognoſcere cupiens, Lubiesſoviam ipſe venit. Aciem quemadmodum pugnatum ex utraque parte fuerat Zborovius inſtruit. Rex epulo militibus præbito, pro navata opera gratias eis agit. Conſilium inde militare Mariæburgi habet, ſecretius alterum, Palatino Sendomirienſe Koſtka, Zborovio, Firleio Caſtellano Lublinenſe, Zamoiſcio Vaheroq; ſolis adhibitis. Rex ante omnia portum, turrimq; quæ progugnando portui eſt, quam Laterniam vulgo vocabant, oppugnandam putabat. Conſilio illi ſoli Zamoiſcius Weierusq; aſſentiuntur, probantq; reliquorum, maxime autem Palatini Sendomirienſis, ex diſſenſu ordinum Civitatis ſpem facili negotio ejus potiundæ Regi facientium, diſſenſu conſilium ſuſpenditur. Interim caſtris contractis, eo tamen Gedanum Rex progreditur, ſed ut ad Laternam videndam mox tranſiret. Accedenti decima tertia menſis Junij ad urbem, Regi equitatus ex urbe emiſſus occurrit, in conflictu, Molinsky Wolhinius aulicus Regius occiſus, cæteroquin à regiis mox in urbem rejectus fuit. Similiter pedites quos munitionibus ſub monte ductis ad diſtinendum Regem collocarant. Quemadmodum ante autem Schotlandia & Monaſterium Olivenſe, ita ſub ipſum tum Regis adventum, Sydlicia ab ipſis Gedanenſibus exuſta fuerat, non ſine inſigni jactura ipſorum Civium, qui ſumptuoſa ibi imprimis ſuburbana habebant. Mora igitur ex velitationibus hiſce injecta, præter ſententiam caſtra in monte, ædificiis circa montes quæ incendium reliqua fecerat, Rex figit. Hic qui ex diſſenſione civitatis potiundæ urbis ſpem Regi fecerant, dupliciter & ipſi falſi fuerunt, & in novum errorem Regem iterum induxerunt. Nam & motus omnino nullus præter opinionem eorum in civitate exiſtebat, qui enim aperte à magiſtratu diſſentiebant, quo in genere ſodalitates aliquæ, ut cereviſiæ coctorũ, lanionum, & privati alij nonnulli erant, metu civitate ceſſerant: alij ſi qui eſſent, externo milite conſtricti, ne commovere quidem ſe audebant. Cum enim victoria Dirſſavien. ut Regi ſuo arbitratu urbis potiundæ ſpem auxerat, ita Gedanenſes in majorem curam rerum ſuarum adduxerat, ad auxilia undequaq; conquirenda converſi, maxime à Rege Daniæ pecunia aliqua mutua accepta, Georgium Farensbecium Nicolaumq; ab Ungern, quorum uterq; miniſter tum Daniæ Regis erat, cum numero aliquo equitum Germanorum conduxerant. Rex vero cum ab initio ſtatim neque militem ſatis numeroſum ad tantæ urbis oppugnationem, habere ſe animadvertiſſet: & ut maxime à milite ſatis paratus fuiſſet, multo faciliore tamen negotio civitate ſe potiturum, ſi prius portum in poteſtate haberet, ideoque initium oppugnationis ab eo ordiri ſtatuiſſet, dum & illi modum aliquem Regi promittunt, & Gedanenſes per inducias rem ducunt, cum Gedanenſibus ſui confirmandi tempus datum fuit, & agendi Regi fere exemptum. Sub ipſum acceſſus ad urbem Regij tempus, per Zborovium iterum, tam cum Rege, quam cum Senatoribus agere de conditionibus Gedanenſes per internuntios cœperant, ſi qua conditione componi res poſſet. In eoq; res perſtiterat, ut cum priusquam ab armis diſcederent, juribus illorum cavere alienum à dignitate ſua Rex judicaret; Legatos tamen in urbem ſi obſidibus idoneam caveretur, miſſurum Rex oſtenderet, qui omnibus civitatis ordinibus, publice voluntatem, clementiamq; ſuam teſtarentur. Subito adventu regio Gedanenſibus territis, cum per integrum quatriduum hoſtilia omnia utrinq; interim tentarentur, denuo quatridui induciæ, in eam rem illis datæ, tandemq; obſidibus ex urbe in caſtra miſſis Joannes à Dzialinſ. Palatinus Culmenſis Chriſtophorus à Rozrazew, Laurentius Goslicius Secretarius regius, & Joannes Bornemiſſa Præfectus Ungaricus die decima nona menſis Junij honorifice excepti, inque urbem deducti, facultate ex feneſtris Prætorij quæ in forum pertinent, civitatem univerſam alloquendi accepta. Cumq; ab initio quæ cum civitati interceſſiſſent, plæraque repetijſſent, omnibusq; non tam in univerſam civitatem quam paucos aliquos noxios collatis, clementiaq; regia, qua hactenus erga eos uſus eſſet demonſtrata, ut tandem reſipiſcerent, hortati eos fuerunt: ſi inſanire deſiſterēt, primum etiã noxios omnes, propter innocentes, conſervaturum oſtendunt; Simul fortunas omnes, jura, augendarum facultatum, contuberniorum, jurisdicundiq;. Hoc quidem ut ingenuum Principem deceret, palam profiteri, in hoc perturbato ſtatu nec poſſe, nec debere ſe civitatem relinquere, ne iterum aliquando malorum civium artibus hujusmodi procellis, civitas objici poſſet. Ni reſipiſcerēt, extrema omnia paſſuros. In quam ſententiam cum viva voce mandata prius expoſuiſsēt, exempla deinde etiam eorũ, quę parata ſecum attulerant, in mediã plebē de feneſtris projecere. Noniis animis excepta à populo fuere, quibus pleriq; ſperaverant. Nam & præfecti aliqui militũ, qui nonnihil ea oratione læſos ſe exiſtimabant, verba exiſtimationis ſuæ tuendæ cauſa contra eam fecerunt: & ordines civitatis, quemadmodum omnibus actionibus facere

ſoliti

ſoliti erant, quod una cum reliqua Pruſſia mox in fidem Regis non conceſſiſſent, quod externum militem in urbem induxiſſent, portas clauſiſſent, tormentis Vallum mœniaq; civitatis armaſſent, eadem in transgredientem Regem exercitumq; ejus hoſtiliter emiſiſſent, militem externum armaque non ſemel ei oppoſuiſſent, conditiones indignas Majeſtate Regis aliquot tuliſſent, tandem copias ſuas ad opprimendum exercitum regium Dirſſaviam verſus miſiſſent, Monaſterium Olivenſe, vicinorumq; nobilium domos aliquot hoſtiliter diripuiſſent, crimini ſibi dari, aut pro rebellione, ſeceſſioneq; à Regno ſibi imputari, ultro etiam quererentur. Omniaque jurium libertatumq; ſuarum tuendarum, cauſa à ſe facta defenderent. Tandem cum multis ultro citroq; ſermonibus habitis, oſtendiſſent inter cætera magiſtratus, nunquam ipſos ſe, vel nuncios ſuos à Rege adhuc ſatis auditos, ſed per adverſarios ſuos, omnia acta tractataque, quamdiu id fieret, Rexq; magis illorum conſiliis, quam ſuis rationibus aures daret, vix exitum aliquem negotij ejus expectandum, recepere legati effecturos, ut ab ipſo Rege nuncij audirentur, ita induciæ aliquoties renovatæ, ad medium fere menſem Julium protractæ. Intra quod tempus, & oratores Gedanenſium, ab ipſo Rege clementiſſime accepti auditique, & cum reſponſo dimiſſi fuerunt: aliquotque legationibus, partim ad Regem, partim ad Senatores Gedano miſſis, tandem infecta re diſceſſum: quod neq; Rex aliter in gratiam Civitatem recipere dignitatis ſuæ judicaret, quam pacata prius civitas eſſet, miles dimiſſus portæ ei apertæ, juramentumq; præſtitum. Civitas è contra, niſi confirmatione jurium prius præſtita, arbitrio ſe Regis permittere, nunquam tutum ſibi exiſtimaret. Rex inducijs non obſtantibus ab initio nihilominus Weierum peditatum verſus Laternam ducere, munitionesque agere juſſerat. In eos aliquot navibus milite completis ex oppido emiſſis, nocturnaque eruptione iis trepidatio injecta, non paucisq; cæſis, Weierus in caſtra iterum regia revocatus fuit. Simul vero & velitationibus crebris utrinque concurrebatur, & cum globi tum ignes miſſiles frequentes in urbem e caſtris mittebantur: Gedanenſes etiam per tempus induciarum, facultatem in caſtra regia veniendi nacti, arboribus, quæ regiis & Senatorum tentoriis vicinæ erant notatis, creberrimas ſecundum eas jaculationes in illa dirigebant, quibus juſſu Regio excilis, in incertum poſtea jaculati.

In Velitationibus alioquin equitatus regius, ab altera parte peditatus Scoticus, cum quo naves aliquot Danicæ ſubſidio ſub id tempus Gedanenſibus venerant ſuperior fere erat. Canalibus inde quib⁹ aqua in urbem ducitur, magno molimine inventis, interciſisque, aqua etiam illis adempta; molendinaque corrupta, quæ omnia fruſtra tamen cum eſſent, Rexq; nullo cum fructu diutius in montibus illis hærere ſe videret, partim tædio inutilis moræ, partim à Firleio Caſtellano Lublinenſe perſuaſus, in minorem inſulam trajicit. Spe vel Leniwkam brachium Viſtulæ, per quod Gedan. merces devehũtur, derivandi, vel urbem faciliore aditu ex ea oppugnandi, vel Laternam ex Neringa occupandi, aut etiam portum obſtruendi. Omnes ad eas res Elbingenſes, ad quos Gedanenſibus proſcriptis, publico edicto, commerciis inter exteros etiam maxime Anglos communicatis, emporium Rex tranſtulerat, promptiſſimos ſe præſtabant.

Cum enim non aliter niſi per portum Regiomontanum, ut Brunsbergam, ita Elbingam etiam, quæ eodem ſinu maris, qui per portum Regiomontanum ſe effundit alluuntur, accedere naves poſſint, isque in Ducis poteſtate ſit, non leve in commodum in eo eſſe videbatur, quod cum alieno portu uti cogeretur, publicus fructus portorij omnis, alieno dominio cederet, fruſtra enim cum Ducalibus per legatos Rex egerat, ut cum emporio Elbingam translato, multo major pars mercium regij emporij, quam Ducalis per portum eum commearet, ut pars etiam portorij Regi regnoque poſthac cederet, cujus impedimenti tollendi cauſa, vel Noringam aliquo loco perfodi, efficiq; portum poſſe Elbingenſes oſtendebant.

Primum naves aliquot, ad caput Neringæ brachij ejus Viſtulæ, de quo ſupra oſtenſum eſt, vel obſtruendi, vel derivandi cauſa demerſæ, potius laboris aliquantum & ſumptus Gedanenſibus, ad eas poſtea emoliendas, quam ad rem momenti attulere. Ad Neringam autem explorandam Bekeſſius à Rege miſſus quod impeditiſſima in ea loca offendiſſet, ne ipſe in eam transgrederetur, Regem dehortatur. Ita conſilium iterum omnibus viribus atque utraque ex parte oppugnandi tum demum repetitum, ſitum propugnaculum id, in littore uno fere à Gedano milliari ad ipſum fere oſtium Viſtulæ eſt, quo in mare influit, opere eo tempore non magno, ac Vineis fere tantum, corbibusq; militaribus munitum; quod & arena gravius aliquod opus ſuſtinere non poſſe exiſtimabatur, neque temporis etiam ad muniendum ſatis habuerant. A fronte tamen mare ipſum, navesq; aliquot tum civitatis, tum Danicas, ex quibus tormentis propugnari poſſet: à tergo civitatem, ab uno latere Viſtulam habebat, tormentis autem egregie inſtructum erat. Utrinque per aliquot dies oppugnatum, & propugnatum acerrime fuit, ignitis etiam globis pars Phari incenſa tantam trepidationem civitati univerſæ injecit, in quanta ad id tempus nulla fuerat; Incendium extinctum, cumq; & ex navibus, de quibus ſupra oſtenſum eſt, frequentibus tormentorum ictibus, qui ad oppugnationem

ibant

ibant peterentur, & cum ex ipſis navibus miles expoſitus, ad oppugnationem euntes exciperet, tum è propugnaculo, etiam acerrime propugnaretur ex urbe etiam frequentia ſubſidia illis mitterentur, regij rejecti, non minore tamen clade Gedanenſium.

Præter gregarios enim milites, cum Colonienſis Præfectus eorum, dum ad ſcapham fuga ſe recipit, globo trajectus, ibi perijt: tum Farensbecius etiam graviter ſauciatus fuit. Tandem cum iterum res tentata eſſet, pontem etiam quem Weierus univerſæ ei rei præpoſitus ſubitario opere per Viſtulam perfecerat, nave ad id comparata, ventumque ad eam rem idoneum nacti, ac tempeſtatis vi rumpunt. Sub id ipſum tempus tempus Moſcus, Magno Holſatiæ Duce, Regis Daniæ fratre in Livoniam præmiſſo, ipſe maximo cum exercitu ſubſecutus, partim armis, partim dolo, magnam Livoniæ partem occupat; eademq; omni direptionis & crudelitatis genere perVaſtata, Curlandiæ jam nec minus cum è Livonia, tum aliis etiam partibus Lithuaniæ, gravis imminebat. Itaq; ad auxilium locis illis ferendum, non ſolum ſupplicibus fere, maxime quidem Curlandor. & Livon. literis ſolicitabatur, quibus de animo transeundi ad partes Regias Magni Holſatiæ Ducis, ſimul ſignificabatur.

Verum Caſtellanus Vilnenſis Joannes Chodkievicius Livoniæ adminiſtrator, hoc ipſo tempore, cum ad Pharum Rex eſſet, cum ſuas, tum publicas Lithuanorum preces & querelas ea de re ad Regem detulit. Itaque cum in bellum Moſcoviticum, totus jam Rex inclinaret, miles etiam ſub pellibus fere per anni tempus contineri non multo diutius poſſet, Gedanenſesque incommodis belli fracti, in anguſtumq; fere ab ijs redacti, ad humiliora indies poſtulata deſcenderent, præſidio Sobovicij & Dirſſaviæ relicto, Mariæburgum ſe recipit. Paulo ante receptum regium, navem in Leniewka collocata, tormentisque eadem onerata, atq; ita ictibus ex ea directis, ut turris cujusdam monaſterij tormentis reſponderet peditatum emittunt; ut quem hinc recti, inde transverſi ictus defenſuri eſſent, peditatu in urbem nihilominus compulſo, equitatum emittunt, qui ipſe etiam ſuis ſe locis tenebat. Navibus deinde compluribus contractis, militeq; illis impoſito Elbingenſium, in quos maximo odio ferebantur, ulciſcendorum animo portu Regiomontano perrupto, ad Elbingam militem exponunt. Sed cum Rex in tempore certior ea de re factus fuiſſet, Bekeſium cum Ungaricis copiis ſubſidio illis mittit, à quo parte tantum ſuburbij incenſa, nullo alioquin operæ precio facto, rejiciuntur. Interim miles externus, qui Gedanenſibus merebat, de occupanda porta, urbeque tradenda conſilia cum Rege communicare incipit. Rex partim quod peditatum non ſatis numeroſum ad eam rem habere ſe exiſtimaret, partim ob bellum Moſcoviticum in pacem inclinaret, partim etiam invidioſum ſibi futurum putaret, ſi urbem externo militi diripiendam in prædam daret, rem ducebat.

Quo in ſtatu dum res eſſent, Germaniæ Principes aliquot Electorum Saxoniæ, Brandeburgenſisque, Landgraviorum Haſſiæ, Ducum Pomeraniæ Legati, Mariæburgum ad Regem veniunt, miſſi tutelæ Pruſſicæ in Georgium Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, ægri Ducis patruelem proximumque agnatum, de qua ſupra mentio facta eſt, tranſigendæ cauſa, quod quaſi magna pars Germaniæ agnoſcere, per eos Regem jam videretur, amicitiamq; Principum ſuorum nomine deferebant, comiter excepti fuere. Negotium Duciſſa ægri Ducis conjuge ipſisque adeo Ducatus ordinibus, ſeu in quorum arbitrio atq; adminiſtratione nomine ægri Ducis res Ducatus tum erant, invitis omnino, atque impedientibus hiſce nihilominus conditionibus confectum fuit, ut ducentis millibus florenorum honorarij nomine Regi præſtitis, in proximis comitiis Warſavienſibus homagium Regi præſtaret, ac non modo tutorio jure, ſed ducali adminiſtratione ducatus ejus, non juris tamen aliqua neceſſitate, ſed beneficio Regis mox acciperet: ita ut ſi ægro Duci humani interim aliquid accidiſſet, nullo alio homagio adſtringeretur, ſed ejusdem homagij, beneficentiæq; regiæ jure, ducali deinceps etiam titulo Ducatum eum mox teneret. Cum Gedanenſibus Palatinus Sendomirienſis Koſtka permiſſu Regio, jam ante adventum Legatorum conditiones tractare inceperat. Gedanenſibusque quemadmodum oſtenſum eſt, incommodis belli ad maximas fere anguſtias redactis, Rege etiam alio jam ſpectante fere perfecerat. Negotio tamen tutorio illo perfecto, cum à legatis etiam Germanicis ut apud Regem ſe interponerent, Gedanenſes petijſſent, ſi bona gratia Regis id facere ſibi permitteretur, operam ſuam offerebant.

Variæ ea de re ſententiæ in Senatu eſſe, aliis captionem aliquam in provincia, in qua imperium Germanicum jus prætenderet, metuentibus: aliis regni jus interventu, & approbatione hac eorum magis confirmatum iri cenſentibus: majore tamen parte eos repellente, tandem ut eo usq; admitterentur, dum conditiones & voluntas Gedanenſium explorarentur, primum oblique quaſi admiſſi fuerunt, non multo poſt pax eorum autoritate, atque interventu perfecta, publicataque; recepta in fidem gratiamq; à Rege Civitas die duodecimo menſis Decembr. anno S. M. D. LXXVII. hiſce conditionibus fuit. Veniam ex formula præſcripta deprecaretur; ducenta millia florenorum æquis penſionibus intra quinquennium ſolveret. Juramentum ex formula Alexandrina Civitatum Pruſſiæ, apud

eos,

eos, quos delegaturus ejus rei cauſa ad eos Rex eſſet, conceptis verbis præſtarent. In reſtaurationem Monaſterij Olivenſis viginti millia florenorum, itidem intra quinquennium æquis penſionibus penderent, quas ex formula Caſimiriana, antiquaq; conſuetudine tam ſupremi dominij, quam lautiorum nomine penſiones hactenus præſtitiſſet, deinceps præſtarent: illorum mutuum ſi quod prætenderent, ad proxime futura comitia rejiceretur. Rex viciſſim ex clementia Regia decretum proſcriptionis indulſit, inque priſtinam honeſtatis, jurium libertatis ſtatum, ipſos, ipſisq; bona, fortunasq; eorum omnes reſtituit. Declaratione confirmationis jurium, juramentiq; Cracovienſis, illorum quoque jura, literis in eam rem peculiaribus datis, confirmat, quemadmodum ex vi publicæ confœderationis pacem religionis. Damna bonis regiis, ſeu hominum regiorum ab illis per tumultum eum illata, non tamen nomina, mercesque, resque ante tumultum facta, depoſitaque, iis condonat, remittitque: excepto tamen Monaſterio Olivenſe, cujus viginti millibus, de quibus ſupra commemoratum eſt, damna ſarcire deberent. Publicationem bonorum, tam publicorum, quam privatorum, itidem tollit: ac ſoli quidem omnium ſine exceptione mercium, ſeu pecuniarum triginta ſola millia excipit; quorum indicem in proximis comitiis exhiberi illis juſſurus eſſet. Publicationes ab aliis, ſive magiſtratibus excepto Rege, ſive privatis factas, quemadmodum nullius roboris eſſe poſſint, ita plane eas inducit actiones, judicia, cauſas omnes eorum in eum, qui ante coronationem fuerat, ſtatum reſtituit, tam militi ſtipendiario qui per tumultum eum quam Civitatem, conſilio, ope, auxiliove juverit, quamvis ſubditi regij ſint, offenſam condonat, indemnitatemque promittit. Poſtulata illorum de gravaminibus ad proxima comitia rejicit, ad quæ Conſiliarij etiam terrarum Pruſſiæ jam vocati ſint. Similiter & negotium portorij, & alia nonnulla juris regij. Cumq; peculiariter etiam civitas de certa ingreſſus in urbem regij ratione ei ſupplicaſſet, cum ea res arbitrij ſemper deceſſorum ſuorum fuerat, nolle ſibi ea in re quicquam præſcribi, teſtatus Rex fuit. Cum tamen ingredi civitatem voluerit, exemplo deceſſorum ſuorum ſecuritati civitatis autoritate ſua proſpecturum. Juramentum ſecundum ea ſolenne die XVI. menſis Decembr. Euſtachio Wolowicio, Caſtellano Trocenſe, Ducatusq; Lithuaniæ Vicecancellario, Andrea Firleio Lublinenſe, Adamo Walevio, Elbingenſe Caſtellanis, Hieronymo à Rozrazow majore Secretario, in Civitatem ad eam rem à Rege miſſis nomineque Regio id exigentibus, Civitas præſtitit.

REIN-

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigism. Auguſti.

LIBER III.

STephanus igitur Rex, quo confirmata foris cum finitimis omnibus pace atq; amicitia, diſſidia ex electionis ſtudiis inter partes exorta facilius componeret, & in tranquillo ſtatu rempubl. collocaret; ad pleroſque vicinos Principes literas dederat; quibus more inter Principes recepto regnum ſibi delatum, ſuamq; & in illos benevolentiam, & cùm omnibus pacis ſtudium declarabat. In hiſce ad Joannem Baſilij [illegible]ium, magnum Moſcoviæ Ducem, Georgium Grudſcenſcium Polonum, & Leonem Bukoviecium Lithuanum cum literis mittit: ſe providentia divina atque ordinum ſtudiis ad regnum aſcitum: id ita gerere inſtituiſſe; ut cum omnibus Principibus Chriſtianis pacem & amicitiam coleret: eodem animo erga illum quoque, ut finitimum & Chriſtiani nominis Principem eſſe: ſi quæ inter ipſum ac regnum Poloniæ magnumq; Ducatum Lithuaniæ à majoribus utriusq; traditæ controverſiæ intercederent; de iis ex æquo & bono amicè inter eos agi poſſe. Reſpondit Moſcus: & ſi audierit Maximilianum Imperatorem in Regem electum: quò minus tamen cum ipſo quoq; gratia atque amicitia ſibi eſſent, non ſe recuſare: placere ſibi, ut majores legati more majorum mitterentur: interim ab injuria & maleficio utrinq; abſtineretur. Rex reſponſo hoc accepto ad domeſticas res componendas, maximeq; Gedanenſium motus ſedandos totus converſus, Thoruniæ, quemadmodum antea oſtenſum eſt, conventum habet: in eodem legatos etiam Moſcoviam pacis tractandæ cauſa mittendos ex Senatus authoritate decernit. Fuêre ij Stanislaus Kriſcius Maſoviæ, Nicolaus Sapicha Minſcenſis Palatini, Theodorus Skuminus Palatij Lithuanici quæſtor. Quibus rebus perfectis, cum armis civitas ad officium reducenda ei fuiſſet. Moſcus occupandæ Livoniæ tum maximè opportunitatem ſe nactum ratus, ad vim atq; arma aſtum adjungit. Regebatur Livonia ſub nomine adminiſtratoris à Joanne Chodkevicio in Præſidiis pauci Poloni, pleriq; Lithuanici nominis præfecti erant, à quibus immoderatius indigenæ habiti, ſimulq; non ſatis in illis præſidij contra potentiam Moſcoviticam exiſtimantes, ad res novas ferè ſpectabant. Non ignarus harum rerum Moſcus miſerat in Livoniam Magnum Holſatiæ Ducem, quem cùm jam ante ad ſe tranſiiſſet, promiſſis & affinitate devinctum tenebat. Rumorem de eo tradit, fore, ut ſi ultro Livones ſe dedant, ad exemplum Ducis in Pruſſia beneficiario jure Livon. regendam ei traderet; ut authoritas & adminiſtratio omnis penes Magnum, penes ſe nomen collati beneficij ac majeſtas Imperij eſſent. Quibus rebus adducti provinciales, hinc odio ſeu tædio externi imperij, illinc ſpe & nimia cupiditate, ejusdem linguæ ac nationis magiſtratus, ſimul à factioſis quibusdam ac novarum rerum cupidis impulſi, præſidia ex arcibus & oppidis ferè omnibus ejiciunt: ipſi Vendam, ubi tum Magnus erat, confluunt: nomen inſigniaq; regia illi circumdant: inque verba ejus Sacramento ſe adigunt. Moſcus interim maximo exercitu coactò, in Livoniam nullo impediente, præſidiis omnibus pulſis, ac pleriſq; arcibus à Magnó occupatis penetrat: acceptisq; in deditionem Marienhauſo, Roſittenio, Ludſenio, Duneburgio, Kokenhauſio, Aſcherotum usque ſine maleficio, ut initio rerum gerendarum clementiæ fama colligeretur, progreditur. Confluxerat Aſcherotum magnus utriusq; ſexus, ac omnis conditionis hominum, maximè autem matronarum ac virginum, numerus: erat ibidem Landmarſchalcus, vir ætate, & ſummis olim in provincia ea geſtis honoribus venerabilis. Moſcus omnibus, qui arma ferrent, promiſcuè trucidatis, imbellem ſexum Tartaris conſtuprandum objicit. Inde Vendam recta proficiſcitur: qui ibi erant fama tantæ immanitatis perterriti portas clauſerant. Egreſſus pro illis deprecator Magnus,

compo-

compoſito ad humilitatem habitu, ac genibus illius ſupplex, in genua provolutus adrepens, convitio ac verbere ab ipſo Duce in os ingeſto excipitur. Cum tantum abeſſe ab eo intelligerent, ut Magni authoritate ſalvi eſſe poſſent, ut ne ipſe quidem periculo vacaret, hoſtili fraude circumventos ſe videntes, ira, metu & deſperatione incenſi, pulverem tormentarium fundamentis ſubdunt: quo ſuccenſo magna utriosq; ſexus, omnisq; ætatis & conditionis hominum multitudo, ac flos fere ejus, quæ reliqua adhuc erat nobilitatis Livonicæ, abſumptus fuit. Accepta ita in poteſtatem Venda ac Rumburgo, quod Vendæ imminet, eodem tempore per deditionem potitus jam univerſa Livonia, Revalia & Riga, paucisq; circa eas caſtris exceptis, in poteſtate habebat. Parnaviam ſiquidem poſt diſceſſum Henrici interregni eo tempore interceperat: Veiſſenſteinium nobile caſtellum opere ac natura munitiſſimum de Suecis: Narvam verò Derpatum, Felinum, ac Mariemburgum aliaq; nonnulla jam multo ante partim de Epiſcopo Derpatenſi, partim de Marianis Livonicis ceperat; ab iisq; primum initiis profectus, cum continuas deinde impreſſiones in provinciam faceret, ut in Sigismundi Auguſti ac regum Poloniæ fidem ac ditionem provinciales tum ſe conferrent, plurimis detrimentis eos adegerat. Eaque res, cùm ad ſuperiores controverſias, quas de Ruſſiæ locis quibusdam cum Magnis Ducibus Lithuaniæ habebat, acceſſiſſet, perpetua deinde inter ipſum ac Reges Poloniæ belli cauſa fuit: quod aliquando quidem per inducias poſitum, ut plurimum tamen varia fortuna, tam in Livonia, quàm Lithuania geſtum, in hunc uſque Regem tranſmiſſum fuerat. Cæterùm Moſcus abducto ſecum Alexandro Polubenſcio Chodkevicij Legato, cæterisque præfectis, in Moſcoviam ſe recepit. Ex itinere literas ad Regem datas quibus ut à Livonia omninò abſtineat, Regi præſcribit. Iisdem ad Pruſſum quendam Auguſti Cæſaris fratrem, nulli ante hac cognitum, qui Koinicij & Mariemburgi quondam, & in reliqua Pruſſia late imperitaſſet, genus ſuum referebat, quo ad ipſos Pruſſiæ fines jus Imperij extenderet. Legati, qui ad tractandas pacis conditiones mittebantur, iter cœptum nihilominus proſequebantur: novis in itinere mandatis acceptis; ut de injuriis induciarum oſtentatione factis quererentur: ſatisfactionemq; poſtularent. Dum ad Gedanum Rex caſtra facit, exercitum in Livonia Lithuaniaque per oſtentatam pacem, maximè autem propter difficultates ærarij, quæ initia regni ejus exceperant, nullum paraverat: ſub ingruentis tamen hoſtis famam, nobilitatem Lithuanicam literis evocaverat, militareq; per ducatum eum imperium Nicolao Radivilo Palatino Vilnenſi, Gregorio Chodkevicio qui ante illi præfuerat defuncto, tradiderat. Hic non exigua cum voluntarij militis manu, Seelburgum pervenerat. Interim Gedanenſibus, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, interventu legatorum plerorumque Principum Germaniæ in fidem receptis, ad bellum Moſcoviticum, quod jam multò ante animo agitarat, totum ſe convertit. Ad quod ſuſcipiendum, ſecundùm acceptas injurias, ac Livoniæ recuperationem multæ cauſæ illum hortabantur: quarum hæc vel juſtiſſima, quòd egregio aliquo facinore, non modò de ſui regni hominibus, verùm tot aliis, quibus Imperium Moſcoviticum ſumma cum immanitate conjunctum, vel formidoloſum erat, vel grave, bene mereri; eamq; ad poſteros nominis ſui famam propagare ſtudebat, ex qua omnes non modò Regem, ſed dignum etiam regno fuiſſe cognoſcerent. Præterea verò ad majores res, quas cogitandas ſuſceperat, & de quibus miſſo in urbem Paulo Saionskovio cum Gregorio XIII. Summo Pontifice communicarat, ſi prius Moſci potentiam fregiſſet, aditum ſe habiturum ſperabat. Hoc animi propoſito, in menſem Januarium Varſaviam comitia edixit. Agebatur autem tum annus ſeptuageſimus ſeptimus, ſupra Milleſimum Quingenteſimum.

Rediit interim in poteſtatem Duneburgum à Boriſſio Sava, ac Wilhelmo Platero receptum. Hi in omnes occaſiones intenti, cùm commeatus inopia laborare præſidiarium militem animadverterent, per ſpeciem officij ac comitatis militaris eſculentorum, ac poculentorum nonnihil, ac in his vini cremati, quod inopia veri maximo apud Moſcos in honore eſt, vas ei miſerant, de quo cum ad ebrietatem Moſci bibiſſent, illi, qui id futurum cogitârant, noctu ſcalis admotis, in vallum, quo ſolo caſtrum cinctum eſt, & in ipſum caſtrum evadunt: Moſcos ex ſomno & mero vix ſe colligentes deturbant: caſtro potiuntur. Non multo inde tempore interjecto, Venda etiam hujusmodi ratione recuperata fuit. Erat ſub Matthia Dembinio ex ruſticis Lotfinis fabrilis artis peritus quidam, qui ſororem Vendæ in Moſcorum poteſtate habebat; per cujus viſendæ ſpeciem & ruſticorum commerciorum libertatem cùm ſæpius Vendam veniſſet, opportunitatem nactus, ceram clavibus oppidi impreſſerat, adq; ejusdem exemplum alias paraverat; rem ita inſtructam ad Dembinium detulit. Cumque is die conſtituto, quem feſtum Moſci agebant ſub oppidi portas, cum tumultuaria militum manu acceſſiſſet, ab una parte ſcalis admotis, ac à Lotfinis ipſis, qui Vendæ erant, concurſu facto, reliquos portis recluſis in oppidum immiſit. Dum Varſaviam ad comitia Rex contendit, nuntium in itinere accepit, ab iis rebus, quas tum agitabat, alienum. Limes regni Polonici & magni Ducatus Lithuanici magna ex parte Boryſthenes eſt; qui in Moſcovia ortus modico in occidentem flexu, in meri-

meridiem deinde & Pontum Euxinum magnam aquarum vim trahens fertur: ſuperior fluminis pars, ad Lithuaniam pertinet: ad inferiorem diverſarum gentium confinia concurrunt: præter Moſcos & Polonicæ ditionis Ruſſos, nonnullæ Turcicæ præfecturæ attingunt: non longo etiam intervallo Valachi ei imminent. In hac tot nationum nec ſatis pacatarum colluvie, non poteſt adhuc quamvis à tot ſeculis pax conſiſtere. Itaque immenſa ibi camporum ſpatia, multi agri inculti, ac deſerti ob latrocinia vel metum jacent. Confluere huc ad prædas ex hoſtico agendas ſolent, cùm ex aliis gentibus, tum Polonis quoque & Lithuanis, ut quisque eſt egentiſſimus, vel rerum capitalium damnatus, quosq; vel fortuna eorum, vel leges in patria eſſe non ſinunt. Superioribus tamen temporibus, cùm publicè bellum non eſſet, etiam ex primaria juventute quidam loca ea petebant, odio quietis, ac ne ſitu atque otio torperent, virtutis exercendæ cauſa. Magnam partem in aquis ac flumine piſcatu ac latrociniis vivunt: hoſtemq; ut ex quoque plurimum prædæ ſperant, ducentes, barbaris tamen, ut majori inter eos Chriſtianorum numero, ac Tartaris præſertim infeſtiores ſunt, magisque Poloniæ Regibus operam navant: quod infimam Poloniæ partem, quæ ad flumen pertinet, tenent, à loco Niſovij appellantur: interque reliquos Koſakkos: ita enim communi nomine vocãtur omnes tam equites, quàm pedites, qui ad latrocinia in finibus exercenda, incurſionibusq; vicinas ditiones vexandas privato inſtituto, ac voluntaria militia coeunt: hi & numero & virtute plurimum ferè valent. Inter hos cum vixiſſet aliquandiu Joannes Podkoua, natione Valachus obſcuro, alioquin loco natus; ſed corporis viribus præſtans, & qui ſoleis equorum ferreis manu disrumpendis nomen inveniſſet; partim vitæ ac ſtudiorum ſimilitudine, partim promiſſis facilè homines ex præda viventes ad invadendam una ſecum Valachiam, imperiumq; ejus ſibi tradendum adduxit. Petrum Palatinum Valachiæ nihil tale expectantem occupant, & prius ſede Imperij exuunt, quàm ille ulla arma imminere ſibi ſuſpicari potuiſſet. Quod cum rex intellexiſſet, & præterquam, quòd ſine authoritate ſua alieni fines bello tentati eſſent; Petrum, cujus dignitati favebat, reſtitutum vellet, cùm per Poloniam, tum in Tranſilvaniam ad fratrem Chriſtophorum Principem, ut auxilio ſuo Petrum juvaret, literas miſit, qui cum alas aliquot equitum & peditum cohortes Stephano Battoreo Andreæ fratris filio duce auxilio ei miſiſſet; Podkova Nimirovam Polonicum oppidum recipere ſe coactus in Nicolai Sienavij Caſtellani Kamenecenſis, qui finitimæ in Ruſſia militiæ præerat, poteſtatem venit: ab eoq; ad regem miſſus fuit. Poſtquàm ad comitia ventum fuit, primo die ſolenni ſacro peracto, altero de repub. ſigillatim de Moſci & Tartari injuriis ad ordines res fert: bellumq; ne cum his, aut cum utro horum velint, rogat. Cum Moſco bellum juſſum, cum Tartaro in præſens dilatum. Hic ſub diſceſſum regis Henrici, ſolicita & in omnia alia intenta republica fines incursârat, populationibusq; ac rapinis, omniq; immanitatis genere vexârat: obſidionis Gedanenſis tempore magna manu facta prædas egerat: illis ipſis comitiorum diebus, fama nuptiarum, quas Conſtantinus Oſtragiæ dux Palatinus Kiovienſis, propinquæ ſuæ faciebat, excitus, in Volhiniam excurrerat: Ducemq; Oſtrogiæ obſederat. Pacato tumultu Gedanenſi, exercitum, quem ſub Gedano habuerat, in Ruſſiam rex ad fines tuendos miſerat; jamq; aliquot turmæ in Voliniam pervenerant; quarum imperium cum de Tartarorum excurſione rumor interim allatus eſſet, Joanni Sbaraſo Palatino Braslavienſi, extra ordinem tradiderat. Ex iis quidam non longè Torcino in agmen hoſtium, ut adventu exercitus nondum cognito incurioſius prædas agentium inciderant, prælioq; ſubito contracto ſuperiores diſceſſerant; unde de appropinquantibus copiis certior Tartarus factus, cum delectos ab exercitu contra Sbaraſum miſiſſet, qui ex inſtituto eorum, quid animi ac virium hoſtis haberet explorarent: Iiq; ad Zaslaviam in noſtros incurriſſent; fortiter impetu eorum à noſtris excepto, mox ſe receperant; Tartarusq; pactus inter cætera à duce, ut de amovendis à finibus Niſoviis apud Regem laboraret, quorum latrocinia ſolam bello cauſam oſtendebat, receſſerat, in præſens tamen hæc diſſimulari placuit. Ex hoſte enim inope & vago quemnam magnopere fructum expectari? Cum arma potius Turcica ad ipſius injurias provocarentur: qui ſolum in quo inſiſterent, ſuum; ipſos fiduciarios poſſeſſores eſſe diceret. Ex Moſco quò major ejus potentiæ fama, eo majorem gloriam in præſens, nomen ad poſteros parari: urbibus & opibus florentiſſimam olim provinciam Livoniam, & cum aliis opportunitatibus; tum maris commodis affluentem victoriæ præmium peti. Ita contra Moſcum ſuſceptum bellum, ſimulq; ut in hoſtico exercitus haberetur, ſcitum, priori intra fines continendi militis, ac propulſandi hoſtis ratione domeſticis incommodis, ac ſuperioris ætatis exemplis refutata. Proxima huic cura de pecuniis fuit. Delecti fuerunt è Senatu primores, qui quanto in bellum milite, quanto in militem ſtipendio opus eſſet, diſpicerent. Scitum tributum in ſingula jugera floreni unius: cereviſiale item in oppidis & urbibus, quo in ſingulas tonnas duodevigeſima cujusque pretij pars exigeretur. Majus id fuit, quàm ullum ante hac quisquam meminiſſet: conſenſêre tamen omnes præterquàm Cracovienſis, Sendomirienſis, & Siradienſis Palatinatuum legati; quòd nulla ejus tributi ſciſcendi

ſcendi mandata ſe à ſuis habere dicerent. Noluerat nobilitas vel bellum vel tributum ſciſcere; niſi de judiciis ſimul, quæ jam Sigismundi Auguſti temporibus poſtulare cœperat, in interregnis autem ipſa ſibi ſanxerat, perfeciſſet. Antiquitus à judiciis municipalibus ad conventus Palatinatuum, ad quos quodque municipium pertineret, inde ad Regem in comitia provocatio erat. Cum à Sigismundo Auguſto propter tenuiorem valetudinem infrequentius judicia haberentur, ut ex ſuo corpore conſtituere judices ſibi liceret, nobilitas petierat: Reſtitit Auguſtus, dum vixit. Unde illa à Rege id impetrandi ſpe dejecta, tempore interregni priusquam in Regem Henricum eligeret, inter alias hanc quoque de translatione judiciorum conditionem ei tulerat, isque acceperat. Poſt diſceſſum igitur Henrici, nobilitas per ſingulos Palatinatus, ut cuique maximè expedire viſum fuerat, ex ſuo ordine, qui cauſas appellationis indicarent delegerat, qua ex re cùm, quod evenire neceſſe erat, magnam omnium rerum perturbationem conſequi Rex animadverteret, in cauſa minime amplius ſibi integra, pro re nata optimum ratus, ſi ad unam formulam omnia revocaret, ſanxit hic; ut non per ſingulos Palatinatus indicia haberentur; ſed in ſingulis Palatinatibus majoribus bini, minoribus quibusdam ſinguli è nobilitate quotannis delecti primùm à Martini usque ad Paſchatos Poloniæ majoris nobilitati Petricoviæ: minoris deinde à Paſchatos usque ad meſſem Lublini jus dicerent; itaque omnia privatarum rerum judicia penes nobilitatem deinceps eſſent; publica, juris item Regij atque fiſci judicia, in eo quo antea ſtatu fuerant, penes Reges manerent, quemadmodum & earum terrarum, quæ ſuis legibus, ac diverſo à cæteris jure uterentur. Moram huic rei nonnullam afferebat, quod nobilitas à munere judicandi Senatorium ordinem excluſum volebat: hi contra tenderent, iniquum eſſe, dignitatem ſuam, quæ commodo ſibi eſſe debebat in injuriam ſuam verti; & qui alios in nobilitate, honore anteirent, à communi nobilitatis corpore in re publici juris, & ad omnes pertinente ſejungi, obtentum tandem, ut tam ex Senatoribus, quam reliqua nobilitate, pro arbitrio nobilitatis rebus judicandis præficerentur. Inter Regem quoque & nobilitatem controverſiæ nonnihil fuit, quòd nobilitas regias quoque urbes rebus à ſe judicatis teneri vellet, ſuperioribus etiam temporibus quasdam cauſas earum judicaſſet, remiſit nobilitas: inventaque ratio fuit, ut quia jam cauſas aliquas hujusmodi judicaſſet, easdem in judicium vocatas denuo in iisdem comitiis Rex agnoſceret. Cumque magiſtratus quoq; ac præfectos regios ad jurisdictionem ſuam pertinere nobilitas vellet, quòd cum ij fere res judicatas exequerentur; fruſtra ſibi judicia tribui diceret, ſine ulla in eos, qui res à ſe judicatas exequerentur, jurisdictione; aſſenſit Rex ut quatenus rerum judicatarum executio à magiſtratibus cæterisq; officiis peteretur, authoritati judicum parerent. Supererat certamen inter ſacrum & profanum ordinem: cùm hic eodem, quo reliquam nobilitatem, eccleſiaſtico jure uti vellet: illi judicia hæc nobilitatis, quæ cum diverſæ religionis hominibus communicari intelligebant, multis nominibus ſuſpecta ſibi eſſe, obligariq; ſe illis nolle confirmarent. Oſtendit his Joannes Zamoſcius Cancellarius, non majus periculum eos ſuſcipere, ſi in jurisdictionem conſentiant, quam ſi cùm obtemperare ei nolint, pœnis deſerti vadimonij, & contumaciæ coërceri ſe patiantur: quod in Palatinatuum judiciis eousq; factum antea fuerat, ut præter alios Archiepiſcopus in majorem fere centum quinquaginta millium condemnaretur: Addidit conſilium ut quoties eccleſiaſtica res in judicium veniret, ad ſex ex nobilitate eccleſiaſtici ordinis totidem qui pari authoritate de ea cognoſcerent, adjungerentur, quorum ſi pares ſententiæ extitiſſent, ad Regem in comitia ampliaretur. Res per aliquot dies ducta, eum tandem ad modum compoſita fuit. Moribus gentis Polonicæ, qui creditarum cæterarumve privatarum rerum condemnantur, iis ſi ſententiæ judicis non pareant, multa dicitur: quæ ſi ſpreta fuerit, priori triplo major dicitur: ſi ne tum quidem obtemperatur, manu militari in bona miſſio decernitur; contra quam ſi quis ſe opponat, à præfectis proſcribitur. Quod olim acerrimum contra decoctores telum fuerat, luxuria temporum, per eamq; multitudo obæratorum labefactaverat. Itaque vulgo contemnebatur, resq; magis multorum ſermonum jactata fuit, quàm nova remedia ulla ei allata.

Auditis deinde externorum Principum legatis Georgius Fridericus Marchio Brandeburgenſis ad valetudinarij agnati ſui Alberti Friderici, Alberti Pruſſiæ Ducis filij curam admiſſus fuit, inveſtitura, quam vocant accepta, ſolenne juramentum Regi præſtitit. Adfuére ei in cæremoniis iis Saxoniæ Electoris, & Wirtembergici Principum legati. Brandeburgenſis Electoris legati cum Principis ſui nomine tanquã ad ſimultaneæ inveſtituræ jus pertinentis vexillum contingerent, nobilitatis nuntij contra proteſtati, quòd primis illis inter D. Sigismundum & gentem Brandeburgicam conventionibus ea Marchionum Brandeburgenſium ſtirps feudo comprehenſa non eſſet, quæ poſtea privata authoritate & ordinibus inſciis acta eſſent, rata ſe non habere oſtendebant. Qua de re cum oratores apud Regem quererentur cumque ipſis ordinibus agere ſe paratos oſtenderent, reſponſum fuit; non ignorare eos omnium proteſtationum jus, quibus ſcilicet nec minueretur jus cujusquam nec amplificaretur.

Itaque non videri eam rem vel tempeſtivè futuram vel neceſſariam. Aderant & Pomeraniæ Ducum legati, Principumq; ſuorum nomine in Bithovienſem Leoburgenſemq; tractum jus majeſtatemq; regni agnoſcebant, literasq; inveſtituræ accipiebant. Legati interea, quos ad Moſcum miſſos ſupra demonſtravimus in Moſcoviam pervenerant; à que Moſco ſuo ipſius ingenio feroci, tum ob rem in Livonia proſperè geſtam multò etiam ſuperbiore, cõtumeliis ludibrioq; excepti indigniſſimè habebantur: multa in nomen Polonicum & Lithuanicum contumelioſè ab eo dicta factaq; fuére: cumq; ex inſtituto utriusq; gentis lautia utrinq; legatis, qui miſſi fuerint, præbeantur: emere victum, nec moris ſit, nec ſi velint, in Moſcovia poſſint: non niſi ſordida ac viliſſima quæq; cibaria per ſummam indignitatem iis miniſtrari juſſit. In colloquiis deinde cum legati nonniſi de induciis agendi mandata ſe habere ſignificaſſent, trium annorum inducias iis dat: literas autem quas legati obſignare debebãt, ſine ulla conditione pure perſcribi jubet: alias deinde, quas ipſe legatis traderet, ſub ſigno ſuo ſubjicit: in iis haſce conditiones adjecerat: ut univerſa Livonia unà cum Riga & Churlandia, quæ in poteſtate Regis adhuc erant, & quidquid usq; ad fines Pruſſiæ pertineret, Rex ſibi cederet: Livonem nullum præſidium ſuum implorantem, multò minus civitatem ullã reciperet, ullave ope auxiliove ſuo juvaret. Haſce cum ex more jurejurando placita confirmare deberet, amotis iis, in quas legati ante juraverant, ſolas profert: jurejurandoq; in eas ſe obſtringit atq; ita nullo amplius de his tractãdi loco relicto, ex Moſcovia abire legatos jubet; novisq; eodem tempore in Livoniam copiis miſſis acerrimè Vendam oppugnat; quæ ſub exitum comitiorum audita omnium animos ad bellum Moſcoviticum jam converſos ira, atq; indignatione eò magis accenderunt. Venda tamen à Moſcis fruſtra oppugnata fuit. Nam cùm per aliquot dies tormentis vehementer muros verberaſſent, aliquam etiam partem muri diruiſſent; Dembinius ob exiguitatem præſidij urbi metuẽs, cohortatus ſuos, ut eam ſecum ingrederentur, cùm tenere nõ potuiſſet, quod illi propter inopiam commeatuum, & nõ exſoluta ſtipendia minus prompti ad pericula ſuſcipienda eſſent; & quia magna ex parte equites erant, minus etiam virtuti ſuæ locum intra mœnia concluſis fore putarent; tandem ut propius ſaltem ſecum accederẽt, ſi forte vigilias & caſtra hoſtiũ turbare poſſent contendit; quod cum impetraſſet, noctu ſilenti agmine eos ducens, paulò ante lucem ſub portis urbis ſiſtit: oſtenditque quòd ab hoſtibus jam videri cepiſſent, à tanta hoſtium multitudine facile circumveniri poſſe: itaq; potius ut viros fortes ac militares deceret, urbem ingrederentur, virtuteq; ſua urbem contra hoſtem, & urbe ſe tuerentur; ita urbem ingreſſi eidẽ ſaluti ac præſidio fuerunt. Muris enim qui diruti ab hoſtibus erant, magna cura ſubitario opere noctu expletis, omnibus in locis fortiſſimè hoſti occurſum fuit. Itaque vere jam imminente Moſci ſoluta obſidione præmiſſis primum tormentis diſceſſerũt, quos Alexander Chodkievicius præfectus Grodnenſis, cujus Joannes Chodkevicius patruelis vicaria in adminiſtrãda reliqua Livonia opera utebatur, quamvis minus commoda valetudine eſſet, contractis tamen undiq; ad Seevaldum copiis aliquandiu perſecutus, adipiſci tamẽ haud potuit. Sub idem fere tempus Magnus Dux Regis fidem ſecutus, à Moſco diſceſſit. Adoleſcens hic ſummo genere natus cum Churoniæ & Oſiliæ Epiſcopatum in Livonia teneret, perditis quorundam conſiliis, ac promiſſis Moſci & adoleſcentia adductus, cùm per ætatem ipſe rebus ſuis conſulere non poſſet, ad Moſcum tranſierat. Ab eo fratris Patruelis filia in matrimonium ei tradita, ſpeque injecta fore, ut ſuo beneficio totius Livoniæ regno potiretur, ad Revaliam obſidendam magno cum exercitu miſſus fuerat, à qua infecta re diſcedere coactus, tempore obſidionis Gedanenſis iisdem cum promiſſis in Livoniã, quemadmodum ſupra dictum eſt, remiſſus fuit, ubi territus crudelitate Moſci, quodque ademptis ei, quæ tenebat in Livonia caſtellis ad fines Scythiæ deportare eum in animo haberet, per indicium cognito, cùm quanto in periculo verſaretur cogitaret; transeundi ab eo conſilium cepit: paulatimque è poteſtate ejus ſe ſubducens Lempſaliam, inde propius Rigã ac fines regios ſe recepit: Regemq; per Ducem Churlandiæ crebrosq; internuntios ac literas, ut in fidem ſe reciperet ſolicitabat. Rex in earum rerum incertitudine, cùm & varia de diſceſſu ejus jactarentur, ut neq; an fratri ejus Regi Daniæ, cæterisq; propinquis ipſius conſilium id ejus probaretur, aut fortunæ ejus curæ omninò eſſent perſpectum habere poſſet, de deditione nihil quidem tum cum illo conſtituit: fide tamen publica verſari eum in Livonia ſe paſſurum oſtendit. Poſtea profecto in Livoniam Nicolao Radivilo Palatino Vilnenſi eidem ut cum Duce Magno, quod in re præſenti è republ. eſſe perſpexiſſet, ibidem conſtitueret, permiſit. Hic cum in Churlandiam veniſſet, ad eumq; Magnus acceſſiſſet, in fidem illum cum omnibus ditionibus ejus regio nomine recepit, inq; verba regis ſacramento adegit. Conditiones deditionis hæ fuerunt; ut quas teneret poſſeſſiones, eo quo alij beneficiarij Principes ſuo poſſiderent jure, à Rege ei permitterentur: aut pro illis aliæ non deteriori conditione pro amplitudine generis & familiæ ejus aliquo alio in loco darentur. Ubi de eventu legationis Rex certior factus fuit, mittit ſtatim ad Moſcum Georgium Haraburdam, qui non aliter induciis iis teneri ſe velle Moſco renuntiaret, quàm ſi de Livonia conditionem, quæ nec à Legatis accepta eſſet, remiſiſſet. Moſcus retento Haraburda, legationem interea ad Regem, quæ ad rata habenda pacta induciarum, juramentoq; confirmanda

eum adduceret,destinat; ac præcipitante jam æſtate exercitum alium multò priore validiorem,majoriq; apparatu inſtructum,ad Vendã, quam à noſtris interceptã ab eoq; poſtea obſeſſam ſupra oſtendimus, mittit. Priusquàm ulterius progrediar,pauca hoc loco de principum Moſcorum origine, potentia, moribus gentis, totiusq; imperij ſtatu præmittere placet. Antiquiſſima Imperij Ruſſici ſedes primũ Novogardiæ,inde Kioviæ,poſterioribus verò temporibus priusquam Moſcoviam transferretur, Vlodimiriæ etiam fuit, cujus hanc ob cauſam hodie adhuc titulos Moſcoviæ titulis Dux anteponit. Genus principum ad Varagos annales Rusſici referunt; gentem ut pleræq; priſcæ,nunc obſcuram: ſed tamen quam ultra marinam fuiſſe iidem annales teſtentur. Ex ea tres fratres aſcitos primoq; à Novogard. qui Slavi jam tum fuerũt receptos,imperium Novogardiæ, eiq; Ruricum natu majorem fratrũ præfuiſſe, reliquis duobus alias Ruſſiæ partes Bialoieſerenſ.& Isborenſem obtigiſſe tradũt, Ruricus ex Olga Pleſcovienſi Suentoslaum deinde filiũ habuit. Hic magno cum exercitu in Bulgariam ad Danubium usq; progreſſus, devictis Bulgaris & Græcis quibus tum Bulgari parebant, cum agros & cultum & copias provinciæ adamaſſet,ſedem imperij in ea ſibi delegit. Jaropolcho filio Kioviam, alteri Olego Dreulanos adminiſtrãdos reliquit; Novogardiam Vlodimiro Malci cujusdam Lubkani, ut annales habent,filio ex ancilla Olgæ Pleſcovienſis ſuſcepto conceſſit,qui cùm à Jaropolcho regno pulſus trans mare fugiſſet,auxiliis maritimis comparatis reverſus, cùm quæ primæ objectæ ei fuerant ditiones, tum Kioviam dejecto Jaropolcho occupavit,tenuitq;. Ab hoc omnes deinde principes Ruſſiæ, profecti traduntur. Nam cùm duodecim filios reliquiſſet, diviſa inter eos omni Ruſſia imperium ac domicilium imperij Kioviam majori natu Suentopolcho tradidit. Huic ſine liberis mortuo, duo alij fratres Jaroslaus, & Iſolaus ordine in regno ſucceſſerunt; Poſt eos Vlodimirus Monomachus Uſevlodi Vlodimiriæ Ducis filius, cujus hodie adhuc magnum apud Ruſſos nomen eſt, ex eadem ſtirpe potitus imperio fuit. Quod interpellatum quidem aliquando ab Uſevlodo Suentoslai ex Olgo nepote, & Igoro pronepote, qui avitũ regnum recuperare conatus fuerat, penes Vlodimiri poſteritatem nihilominus remanſit; ſequentibusq; temporibus Andreas Dux Susdalienſis ab eadẽ Vlodimiri ſtirpe profectus, fœdere cum undecim aliis cognatis Ducibus inito, dejecto Micislao qui ex Monomachi poſteris regnum Kioviæ tenebat, Micislaũ filium ei impoſuit. Hic primus ſedem imperij Volodimiriam, principatumq; in Susdalienſ. domum tranſtulit, quem qui tenebat, etſi imperium in reliquos agnatos Duces non habebat; magni tamen Ducis nomine utebatur, dignitateq; & honore cæteris, qui comiter quaſi majeſt. ejus colebant, antecedebat. Cumq; honor is antea vel ſucceſſione, vel reliquorum omnium ſtudiis uni deferretur, nonnunquam vi atq; armis occuparetur; Poſteaquàm in Tartari poteſtatem conceſſerunt, ab eo peti cœpit. Imperij autem Tartarici circa annum ab Orbe condito VI. M. DCC. XXXII. quemadmodum Ruſſi annos numerant, à nato autem CHRISTO ducenteſimo viceſimo quarto, ſupra milleſimum in annalibus eorum mentio fit, quo Tartari contra Cottianem, Ducem Polouſciorum, cum exercitu progreſſi, Ruſſiam vaſtarunt, cumq; Cottian Micislaum, Romani filium, Ducem Cernikovienſem ſeu Kiovienſem: utroq; enim nomine in annalibus appellatur: qui filiam ejus in matrimonio habebat, & complures alios Ruſſios Duces in auxilium evocaſſet, die XVII. menſis Julii ad Kalkam magno prælio eos Tartari ſuperârunt: undecim Ruſſicos Duces: Heroës, ut annales appellant, equitum forte genus quoddam, ad ſeptuaginta interfecerunt: multos captos egerunt. Reverſi deinde Batti Duce tredecimo anno poſt quadrageſimum quintum nimirum ſupra VI. M. DCC. ſubjugatis primum Roſanenſibus & Vlodimirienſibus, cæterisq; ferè omnibus Ducibus, univerſam Ruſſiam ſibi ſubjecerunt, & quamvis non raro deinceps quoq; bello cum iis Ruſſi contenderent; ſtipendiariam tamen ſemper ferè inde habuerunt. Ab eo igitur tempore magni etiam Duces à Tartaris Ruſſiæ dari cœperunt. Dabantur autem ferè, quemadmodum oſtendimus, è Susdalienſibus. Moſcorum Ducum, atq; ipſius adeò civitatis æqualis temporum Batti ac vaſtationis, quæ ab illo Ruſſiæ illata eſt, memoria in annalibus eorum extat. Inter alias enim urbes Moſcoviam quoq; à Batti expugnatam, ibidemq; Philippum quendam Palatinum & Vlodimirum, Georgii magni Ducis filium, captum à Tartaris tradunt. Anno ab Orbe condito XII. ſupra VI. M. DCCC. Andrea, Alexandri filio magno Duce mortuo, inter Michaëlem, Jaroslai filium Turenſem, & Georgium, Danielis filium, Moſcoviæ Ducem, de Principatu magnoq; Vlodimiriæ Ducatu contentio fuit: quem cùm uterq; à Tartaro peteret, Tartarus primò Michaëlem retento penes ſe Georgio, inde aliquo tempore interjecto XXV. anno ſupra VI. M. DCCC. Georgium regno confirmavit: indeq; ad hoc usq; tempus, quamvis aliquando Ruſſi univerſi Susdalienſem iterum dari ſibi à Tartaro peterent, perpetuo tamen in Moſcoviæ Ducum familia honor is permanſit, ex quibus cùm proavus hujus, qui nunc rerum potitur, Baſilius, Baſilii filius, poſt patrem & patruum Conſtantinum imperaſſet, conſpiratione à Demetrio, Georgii filio, cognomento Siemacha, Duce Severienſi, Joanne, Andreæ filio, Moſaiſcenſe, Boriſſo, Alexandri filio, Tuerenſe, Ducibus, contra eum facta, regno ab iis exutus, luminibusque à Georgio Severienſe orbatus fuit: verùm à Novogardienſibus adjutus regnum recuperavit, pacatèq; deinde id obtinuit. Succeſſit huic Joannes filius; qui primus eam, ad quam nunc excreverunt, potentiam fundavit. Ducem Tuerenſem, quamvis uxorem ex ea domo haberet, regno pepulit, principatumque obtinuit; haud multo poſt & Novogardia magna, per fraudem capta, in ſervitutem eam redegit, & alios principatus tentare cœpit; eoque potentiæ pervenit; ut cæteris Ducibus metu concedentibus, nemo, qui cupiditati ejus reſiſtere auderet, reperiretur. Idem Tartarorum jugum primus excuſſit, conjugis Sophiæ Græcæ è Palæologorũ genere, quam mortua Tuerenſe ſuperinduxerat, ingentis ſpiritus mulieris vocibus impulſus. Haud diſſimili deinde ratione filius ejus Baſilius potentiã, cujus pater fundamẽta jecerat, in immenſum fere auxit. Ad ea quæ pater peperat, Smolenſc. Ducatũ maximum, ac quicquid Severienſis ditionis reliquum erat, adjecit: Kaſanus mari & terra tentavit; Principes omnes agnatos ditionibus ſuis exutos, tũ Pleſcov. civitatẽ maximã in ſervitutẽ redegit. Succeſſit & in imperio hic qui nunc rerũ potitur, Joannes, qui & ipſe regnũ am-

plisſi-

pliſſimum à patre acceptũ, fortuna atq; induſtria adjutus multò id fecit amplius. Kaſanenſe & Aſtrakanenſe regna à patre ſumis viribus oppugnata cuniculorum & pulverũ maximè, quos cuniculis in urbiũ oppugnationibus ſubjecerat, novo iis temporibus apud illas gentes artificio adjutus, in ditionem redegit: mariq; omni Caſpio unà cum ijs in poteſtatẽ accepto ad Perſidem fere Imperium protulit: Livoniæ maximam partem per diſſenſiones Livonum occupavit: Suecos multis ſæpe cladibus affecit: Polotiam temporibus Sigism. Auguſti cepit; cumq; Selymus Turc. Imperator Tanaim flumen cum Rha flumine maximo, quem Ruſſi Volgam ſua lingua hodie appellant conjungere ſtatuiſſet, ut claſſe ex Ponto Euxino adverſo Tanai in Rha invectus, Aſtrakanum in oſtio fluminis Rha, quo in mare Caſpiũ influit, ſitum, ac per id in univerſum mare Caſpiũ poteſtatis ſuæ faceret, Turcæ quoq; victi fama ei quæſita fuit. Nam cum Selymus à Sigism. Auguſto per Ibraimum Czauſium, qui ex nobili Struſſorum familia in Polonia natus, à pueritia impietate Turcica imbutus, ac maximis deinde præmiis ob ingenij elegantiã affectus fuerat, per ditiones ejus tranſitum exercitui poſtulaſſet, is verò à Sigismundo Auguſto negat⁹ ei fuiſſet, Selymus nihilominus per Tartariam ad perfodiendum ſpatium Iſthmi, quid inter duo hæc flumina anguſtiſſimũ eſt, jamq; Moſcovitico ſolo continetur, exercitum miſit, qui cũ per vaſtiſſimas ſolitudines iviſſet, Tartaris ipſis invitis negotium adminiſtrantibus, atque ante viarum incomodis attritus Moſcis objectus fuiſſet, nullo operæ pretio perfecto diſcedere coactus fuit. Ita repente collecta potẽtia nõ finitimis modò omnibus, ſed remotioribus etiam quibusq; nationibus terrori Moſcus jam erat, eoq; faſtus in tanta finiũ, ac rerum geſtarum amplitudine proceſſerat, ut omnes alios principes præ ſe contemneret; nullamq; gentẽ eſſe exiſtimaret, quæ opibus ac potentia contendere ſecum poſſet. Cum ante hac Kneſiorum, Ducum ſcilicet nomine, magni cognomento, quo eos, qui ipſis parebant, præirent addito, uſi eſſent; Pater hujus Baſilius repetito ex interpretibus Slavicis ſacr. literarum nomine, primus Ciarium quid Regem eorum lingua ſignificat, appellari ſe voluit: eoq; à Maximiliano ejus nominis primo Imperatore appellatũ ſe jactabat. Ad religionem Chriſtianam à Baſilio quodam Archiepiſ. Conſtantinop. nomẽ Ruſſicum perductum, ſacrisq; Chriſtianorum initiatum ipſorum annales, ac Byzantina etiã hiſtoria habet. Itaque ut primo religionis authore Græco, ac frequentibus deinde inter Græcos & Ruſſos per Mæſiam atq; Illyrium, quæ à Slavonicis ejusdemq; linguæ gentibus tenebantur, tum Kioviam, quæ per Boryſthenem cum Ponto Euxino conjungitur, commerciis, cùm literas Græcas tum ritus à Rom. Eccleſiæ inſtitutis diverſos magna ex parte retinent; ut non pauca tamen ex illis ipſis cùm tempus, tum Metropolitarum atq; aliorum Epiſcoporum principi ſuo obſequendi ſtudium depravarit. Leges quibus utantur, paucas admodum habent: eamq; fere ſolam; ut Principis voluntatem pro lege obſervent. De eo ita illis perſuaſum eſt, Metropolitis maximè opinionem hanc eorum juvantibus, per Principem tanquam interpretem Deum ſecum conjungi: ac prout de Deo meriti ſint, ita principem vel benignum in ſe vel aſperum eſſe. Itaq; voluntati ejus non ſecus ac divinæ, ſeu turpia ſeu honeſta, ſeu mala, ſeu bona jubeat omnibus in rebus parendum pro fidei decreto habent: illeq; vitæ ac necis omniumque rerum ſummam in ſuos poteſtatem obtinet. Quod ut ad potentiam comparandam conficiendaque bella maximum habet momentum: unum omnibus rebus ſumma cum authoritate præeſſe: omnia imperia ſolum adminiſtrare: eundem & conſiliorum dominũ, & rerum omniũ authorem eſſe: exiguo temporis ſpatio copias quam maximas cogere poſſe: fortunis civium ad potentiam ſuam ſtabiliendam pro ſuis uti: & quemadmodum iis rebus maximè authoritas atq; opes Moſci creverunt; ita crudelitas quoq; ejus ac dominandi aſperitas vehementer confirmata eſt. Itaque cum infinitos penè variis cædibus ſuſtulit: tum maximè Andream fratrem patruelem, ob novarum rerum ſuſpiciones quasdam cum liberis omnibus & univerſa familia, una ſola filiola quã Duci Magno deinde locavit, relicta exquiſitiſſimis cruciatibus necavit: nobilitatẽ Novogardienſ. ampliſſimam, quam fratris rebus ſtudioſe ſuſpicatus fuerat, funditus penè excidit: popularium quacunq; incederet ſæpè magnam ſtragem fecit; ut cum turbæ hominum miſerorum gratiam ac miſericordiam ejus implorantes illi ſeſe obtuliſſent, à ſatellitibus minutim eos cõcidi; vel maximo numero ſub glaciem, qua magnam partem anni lacus ac flumina conſiſtunt, mergi juberet, de quo cogitanti eò magis mirum videri neceſſe eſt, quomodo quæ à cæteris Principibus indulgentia & obſequio in ſuos vix parari ſoleant, in tanta nihilominus immanitate ſingularis erga eum populorum charitas atque incredibilis, quæ eorundem in Principes ſuos eſt fides, exiſtere poſſint; ac non modò ſeditioſe nihil ferè contra eum ab iis ſuſcipi, ſed & in præſidiis tuendis incredibilem conſtantiam præſtari: paucosq; omninò ab eo transfugere: non raros autem repertos hoc ipſo bello, qui vel maximis præmiis propoſitis fidem tamen erga principẽ vel cum periculo ſuo iis antepoſuerint. Hujus rei cum aliæ nonnullæ cauſæ ſunt, tum maximè præter eã, de qua ſupra dictũ eſt, duplex religionis opinio. Nam & omnes, qui in religione ab iis diſſentiunt, etiam eos, qui Rom. Eccleſ. ritu utuntur, barbarorum loco habent, ac tanquam peſtem aliquam deteſtantur; nihilq; omninò cum iis communi habere fas ducunt, ex qua exiſtimatione illud quoque profectum eſt, ut Princeps quoties externos legatos audit, in pelvi aquã admotam habeat, qua manus quaſi illorũ con-

tagio

tagio pollutas ſubitò abluat. Et ſuæ religionis inſtitutis eandem, quam Deo, Principi ſuo fidem ſe debere electi, non minus vel conſtantiam eorum laudant, vel relictis corporibus animos in cœlum protinus emigrare, ac cœleſti beatitudine frui prædicant, qui fidẽ erga Principem ſuum ad extremum usq; ſpiritum retinuerint, quàm qui ex diſcipulis ſervatoris noſtri in ſingulari erga illum pietate atq; fide ad mortem usq; perſtiterunt. Superſtitionẽ alunt imperio ſuo Principes; nam ad nullas exteras nationes, quemquam commeare: aut exteros etiam promiſcuè commercia cum ſuis agitare patiuntur: quos autem in legationibus mittunt, ita mittunt, ut ſingulis legatis ſingulos cuſtodes ponãt, nec cuiquam remoto cuſtode cum aliquo colloqui liceat. Ita fit, ut quaſi perpetuis ignorationis tenebris oppreſſi aliarum gentium humanitate non perſpecta nec percepta omninò dulcedine libertatis; præſentia melioribus, cognita dubiis anteponant. Accedit ad hæc metus, amorq; ac cura cujusq; ſuorum, quæ magnos etiam animos, libertatique aſſuetos facilè debilitant. Quos enim exercitibus aut præſidiis præficit, aut ulli omnino muneri adhibet, eorũ conjuges, liberos, propinquos, & quæ chariſſima quisq; habet, obſidum loco ſemper retinet: in eosq; omnia cruciatus exempla edit, ſi quis illorũ ab eo deſciverit, aut ſi qua res non ad nutum, aut voluntatem ejus facta ſit. De rebus tamen creditis, contractibus, aliisve privatis rebus pauca quędam apud ipſos jura ſcripta ſunt. Mortis, cujus infinita fœdaq; genera mulctarum & fuſtium; quæ tamen in immenſa Principis poteſtate, non minus frequenter, quemadmodum dictũ eſt, pro libitu ejus, quàm pro merito plerisque irrogantur: carcerem ad cuſtodiam magis quàm pœnam habent: exilia planè iis ignota ſunt. Senatum, cum pro libidine omnia adminiſtret, in ſpeciem magis habet. Magnam eorum partem ex Kneſiis eſſe cõſtat; quo nomine Duces, ut oſtenſum eſt appellant, primævorum Ducum à Moſcoviæ Principibus oppreſſorum poſteritatẽ aut quos princeps pro cujusque meritis, aut ſua in quenquam gratia in nomen vel ordinem eum legit. Nobiliores cum aliis inſignibus à vulgo diſtinguuntur, tum quòd patris nomen titulis aliis ad exemplum Principis ſoli præſcribant, magnificum hoc apud illos, eoq; ad æquales, aut inferiores ſolum utuntur: ad Principem non modo patris nomine uſurpando abſtinent, ſed ne ſuum quidẽ niſi propria linguæ ejus enuntiatione quodãmodo corruptum, quo non modò ſervos ejus ſed quaſi homunciones non homines cum illo comparatos ſe ſignificent, ponunt. In exercitu parvum tympanum ad ephippia ſinguli item ſuſpenſum gerunt; quo quoties agmẽ ſiſti uſus eſt, à primo impulſu ſonoq; à proximis excepto & cæteris deinceps tradito, exiguo temporis momento totus exercitus conſiſtit. Metropolites ſenatum nõ ingreditur: conſilio tamen ejus quoq; nonnunquam utitur; aut quo majorem ſibi apud populares venerationem conciliet, uti ſaltem ſe ſimulat. Militiam more cæterarum gentium ex equitatu & peditatu compoſitam habet: equis tamen Nohajenſ. maximè utitur. Nulli ſane rei magis quàm munitionibus fidit. Itaq; & opportuniſſimis locis intra lacuum aut fluminum ambitus plerasque ſitas habet; Præſidiisq; apparatu, commeatuq; & omnibus rebus neceſſariis diligentius ferè quam quiſquã alius princeps eas inſtruit. Ei rei jam ab eo tempore ſtudere cœpiſſe videntur, quo humilibus adhuc rebus eorũ non multùm viribus contra potentiores vicinos poterant: ſed locorum ut plurimũ opportunitatibus ſeſe tuebantur, iisdemq; intercipiendis creſcebãt: poſtea quòd ſemper quoties prælio cũ vicinis maximeq; Polonis decertaſſent, inferiores ſuos diſcedere animadverterent, nec multum in prælio virtuti ſuorum credere ſe poſſe re ipſa edocti eſſẽt, neceſſario retinuiſſe, Caſtella ferè omnia, ut in magna lignationũ copia ex materia multis ingentibusque trabibus congeſtis exſtructa apud ipſos ſunt: quæ eadem ceſpite nonnunquam veſtire: omnia autem crebris propugnaculis ac turribus diſtinguere, foſſis præterea, quibus nativæ deſunt, manu factis, valloq; ac cervis circumdare ſolent, quæ res efficit, ut non ſolum opus ad ſpeciem inelegãs non ſit, ſed ante hoc bellum, quo pleraq; candentium globorum incendiis à Rege expugnata fuerunt, ad defenſionem etiam tutius, majoremq; quàm lapis opportunitatem habere crederetur; quòd tormentorum ictibus faciliùs & reſiſtat materia, & ſi quando iis pateat, non tamen, quod in ſaxo accidere ſolet, magnam muri ſtragem ſecum ferat; quę tamen ad Livoniam pertinet, ex lapide etiam muros habent. Præſidia nobilitati ſingulis annis pro arbitrio indicit. Ex ea deſcriptos perq; munitiones diſtributos nõ longius anno in uno pręſidio continet. Adjungit his pixidarios ex plebe ſtipendiarium militem. Præfecturæ item annuæ ſunt. Præfectos ternos plerunq; deſignat, primum qui præcipuam curam munitionũ gerat; cuiq; nullum omninò in caſum extra munitionem egredi, ne dum pernoctare licet: reliquos duos primo cuſtodes ponit, quorum alteri, ſi id uſus poſtulet, in eamq; rem mandata à principe habeant, excurſiones facere, munitionesq; excedere permiſſum. Eos ſua lingua ad Polon. Palatinorum exemplum, quamvis nec perpetuus is honor ſit, & unius ſaltem caſtri imperio, eoq; inter plures communicato terminetur, Voiuodas tamẽ quaſi belli Duces appellant. Aurum, argentum, cæteraq; metalla naturane an quærendarum rerum earum inſcitia illorum ijs negarit, non facile affirmarim: utuntur ſanè omnibus hiſce importatis, è Perſide ſericum, veſtem pictam, gemmas, unionesq; habent, cum Germania aliisq; remotioribus occidentis oris arma, tormenta, pulverem tormentarium, argentum etiam atque aurum ſuis mercibus, pellibus pretioſis, quibus maximè abundant, lino pręterea, cera & corio magnam

magnam partem permutant, ejus negotiationis Narvam, poſteaquam in poteſtatem ejus pervenerat, poſterioribus temporibus ſedem Moſcus conſtituerat. Angli etiam Norvegiã, Lappiamque ac totum quaſi Septentrionem circumvecti per mare glaciale viam ſibi patefecerunt, qua Voloda fluvius ex penitiori Moſcovia ſe effundens, portum D. Nicolai eo in mari efficit. In moribus gentis præter fidem in principem, laborum inediæ cæterorumque incommodorum, quorum eſt toleranTiſſima, patientiam, mortisq; ipſius contemptum probes. Homines cæteroquin, in libidinem proni ſunt, nec fœminarum ſolùm amoribus dediti, quam ob cauſam & impuberes ferè matrimonia contrahunt, ſed & puerorum: ingenio fallaci, adq; dolos ac fraudem prava conſvetudine verſutiſſimo: non minus fortaſſis ad bonas artes prompto futuro, ſi quis eas imbuat, extiterit. Rex Varſavia digreſſus ad Ruſſicas res componendas Leopolim contendit. Antequam diſcederet Cracovienſis, Sendomirienſ. & Siradienſis Palatinatuum, quos in ſciſcendo tributo, à reliquorum omnium conſenſu ſe ſejunxiſſe ſupra oſtẽdimus, conventus edixerat. In itinere cognoſcit Siradienſem Palatinatum mox aſſenſum: reliquos duos in recuſando tributo perſtare. Subſiſtit hãc ob cauſam Sendomiriæ: eoq; minoris Poloniæ Senatores omnes evocat. Ex horum ſententia Palatinatuum eorundem denuò communem conventum Korcini habet. Aſſenſi hic tandem & ij fuerunt, remittente Rege de tributo cereviſiali, ut ubi duodevigeſima de regiis, & eccleſiaſticis, viceſima quarta à nobilitatis ſubditis exigeretur. Leopoli Tartaricas legationes Rex audiit: ad eas rogatu Tartari Turcarum Imperator ſuum legatum adjunxerat. Facta cum Tartaro pax fuit iis conditionibus, quibus ſub prioribus regibus eam habuiſſet, attulerat literas à Principe ſuo ſcriptas, in quas pacem poſtulabat: in iis de finibus nonnihil adjecerat, & de Niſoviis accuratiùs ſibi caverat. Rex nõ receptis literis, iisdem quibus majores ſui legibus eam coluiſſent, ſe quoque pacem cùm eo obſervaturum, donativaq; ab illis dari ſolita daturum verbo reſpondit. Ita per totum Moſcovitici belli tempus pax à Tartaro fuit. Ne verò à Niſoviis quoque per abſentiam ſuam quid turbaretur, exemplo & metu continendos exiſtimãs de Podkova capitis ſupplicium ſumit: Amurathe Turcarum Imperatore ut ſibi dederetur, per legatos depoſcente. Illud autem ut faceret, eò graviores cauſas habere ſe videbat, quòd Koſakki prioris expeditionis ſucceſſu nondum ab inſtituto dejecti, ejusdẽ Podkovæ minori natu fratre Alexandro in Valachiam reducto Petrum Palatinum denuò non ſine proprio periculo deturbarant. Alexander enim cum vivus in hoſtium poteſtatẽ veniſſet, palo ſuffixus: Niſoviorum pars à Turcis intercepta Conſtantinopolim in catenis miſſa fuit. Idem tamen Petro quoq; tanquam per ignaviam ac ſocordiam toties dejecto calamitoſũ poſtea fuit. Etenim ſublato è medio Mahomete Baſſa, qui Principem inter purpuratos locum tenuerat, Achmetis, qui in ejus locum ſucceſſit, ſtudio de principatu amotus, inq; ejus locum Jancola quidam è Saxonibus Tranſilvanicis oriundus; ſed qui nõ modò nationem Valachiam, verum genus etiam principum Valachiæ ementitus fuerat, provinciæ deinde impoſitus fuit. Compoſitis hũc in modum rebus Ruſſiæ, Cracov. Rex proficiſcitur. Venit eodem Moſcovitica legatio, ejus ætate atq; dignitate princeps in itinere morbo extinctus fuerat. Reliqui miſſis obviam qui exciperent, ex more in urbem atq; hoſpitium, inde ad Regem deducti, verbum ſe facturos negarunt, niſi prius Rex aperto capite aſſurgens de valetudine & ſtatu Principis ſui percontatus ſe eſſet. Rex cum præter rei indignitatem non committendum ſibi arbitraretur, ut ad hoſtis barbaro faſtu elati, & qui tantos jam ſpiritus atq; arrogantiã ſibi ſumpſiſſet, ut vix ferri poſſet, ſuperbiæ obſequio aliquo ſuo quid adderet: illi verò in ſententia perſtarent, ac potius infecta re diſceſſuros ſe confirmarent; permiſit ut inauditi in hoſpitium, indè in Lithuaniam lentis agminibus ſe reciperẽt. Animadverſum inde fuit, tributum quod in Comitiis Varſav. ſancitum fuerat, non modo pręedicatione nonnullorũ inferius, ſed ipſi bello in cujus uſus ab ordinibus deſtinatum fuerat, par nõ fore. Rex quòd nec comitia eo tempore habenda ſibi cenſeret, ne ſi nihil rerum geſſiſſet, inani belli ſimulatione pecuniæ quam maximæ cogendę rationes quærere à nonnullis jactaretur; nec privatos nobilitatis conventus cogendos; ne illud toties præter inſtituta majorum uſurpari à ſe nobilitas queri poſſet; cùm judicia tùm à nobilitate obirentur, per eos interim conventus, quid de tributo illo polliceri ſibi poſſet, neceſſario nobilitati proponendum exiſtimabat; quod non deeſſent, qui magnitudinem tributi ejus in immenſum oratione augerent. Inde ad omnes vicinos Principes legatos deſignat; qui & amicorum erga ſe benevolentiam magis, firmiusq; ſibi adjungerent; vel malevolorum conſilia diſtinerent. Præcipuè cum Auguſto Saxon. ac Joanne Georgio Brandeburg. Principibus Elect. conſilia belli communicat. Hi indignè ferentes barbara crudelitate tamdiu in nomen Germanicum à Moſco ſæviri, ad bellum pro Livonibus ſuſcipiendum, quibus illi tanto terrarum intervallo ab illis oris disjuncti minus adeſſe poſſent, amicè eum hortabantur, à Brandeburg. bellica etiam tormenta quædam dono ei miſſa fuerunt. Ad Turcam ubi legati veniſſent, Mahometes prudentiſs. trium orientis Imperatorum conſiliarius, & in Regem haud male animatus, cùm de inſtituto Regis intellexiſſet, favere ſe conatibus ejus dixit, fauſtaque ac felicia ei precari: magnam tamen rem ſuſcipi: magnas vires eſſe Moſcoviticas: neque ſecundum ſuum Principem ullum in orbe terrarum potentiorem eo Principem ſe exiſtimare. Dimiſſis legatis ad dome-

domesticarum rerum curam Rex conversus fuit. Institutis regni non posse Prorex creari dicebatur: itaque si quid per suam absentiam in hostico accidisset, cum primoribus è Senatu se communicaturum pronunciavit. Pacem publicam severe sanxit; maximè Cracoviæ, ne quod aliis temporibus acciderat, inter dissentientes de religione tumultus aliquis oriretur. Edixit si quis in urbe oppidove insolentius quid fecisset, præsertim si dubitationem juris cognitio habitura esset, ad suum adventum in custodia haberetur: cum alias ordinaria juris publici ratione in recentibus criminibus vis unà cum præfectis, magistratus urbani cognoscere, interq; eos si non conveniat, Rex consuli soleat. Dum Cracoviæ Rex est, nuntius partæ à nostris ad Vendam victoriæ allatus tanquam totius belli omen secum attulit. Obsederant eam denuò, quemadmodum supra demonstravimus, Mosci longè majoribus quàm antea copiis & quatuor præcipuæ authoritatis Palatinis, Petro Tatouo, Basilio Voroncio, Petro Chorofcino, Andrea Scholkanovo ad eam missis. Dum per aliquot dies frustra urbem oppugnant, nostris sui colligendi, & cum Sueciæ militiæ præfecto Georgio Boije consilia communicandi spatium dederunt. Confluunt Stropam, Andreas Sapieha, earum, quæ tum in Livonia magnæ non erant, copiarum legatus, cum quamvis longe inferioribus viribus, magno tamen animo contra hostem rem administraret. Præter hunc Matthias Dembinius: ex Livonibus Nicolaus Korffius atq; alij nonnulli, tam ex Polonis & Lithuanis quàm Livonibus cum equitum aliquot manu. Iis ad Goviam flumen loco inter Volmariam & Vendam medio Sueciæ copiæ se adjungunt. Inde digressi hostem instructa acie sub signis ad Vendam expectantem adoriuntur. Cum acerrimè à nostris pugnaretur, Polonis, Lithuanis, ac Suecis ad ulciscendas hostis injurias: Livonibus ad libertatem: omnibus ad laudem & gloriam inter se cohortantibus, hostium equitatus pellitur, Tartaris maximè in fugam effusis. Sub noctem Palatini militem ex fuga colligere; castrisque continere cœperunt: hortariq; ut pro inveterata gentis gloria, ergaque Principes fide extremam potius fortunam experirentur, quam castra apparatumq; bellicum à Principe suo fidei eorum commissum desererent, verum augente periculo ac nocte metum, eademq; pudorem ac flagitium tegente, ob eaque non patiente, se contineri multitudine, Palatini duo Petrus Chorofcinus & Andreas Scholkonovus, qui equitibus præerant, una cum equitatu in fugam se ejecerunt: reliqui duo, quibus tormenta commissa fuerant, soli ferè in castris relicti insigniora tormenta bellica amplexi, ut castra & instrumentum militare, fidemq; erga principem suum ad extremum spiritum retenta à se testarentur: itaque à nostris postridie summo mane castra ac munitiones irrumpentibus inventi, vivi in potestatem cum castris ac tormentis ad trigenta devenerunt. Aliud documentum fidei non minùs insigne, qui onerandis tormentis præerant, pixidarij dederunt. Apud Moscos hæc administrandorum tormentorum ratio est, tormenta terra defodiunt, ante ea atque os adeò tubi justæ altitudinis fossam ducunt, in hac qui onerandorum curam habent, delitescunt: ad os tubi funis aptatur: hoc cum implenda sunt in fossam deprimuntur, cùm exoneranda rursum laxantur. Erant tormenta maximè insignia, unum lupi: alterum accipitris: virginum duo: totidem falconum imaginibus atque nomine: præterea quædam Sueco adempta cum ejusdem insignibus. Hi qui administrationi præerant, cum plerisq; suis interfectis, cæteris dilapsis, nostros castrorum potitos viderent, cum spe tuendorum tormentorum vitæ simul amore abjecto, collo funibus, quos à summitate tuborum dependere ostendimus, inserto, ultro mortem sibi consciverant. Insignis ea victoria fuit: hostium multi cæsi, capti non pauci fuerunt, exigua omninò nostrorum jactura. Tormentis, quæ diximus, amissis, iisdem insignibus & nominibus alia & complura præterea conflari mox Moscus jussit; ad potentiam suam ostendendam pertinere existimans, nihil à fortuna ademptum sibi videri, quod non brevi à facultatibus suis insigni cum accessione expleri posset. Sub idem tempus Revalienses opem ac misericordiam Regis implorantes, ut aliquo numero frumenti se juvaret, à Rege petierunt: in maximas angustias tot annorum bello ab hoste redactos: commerciis ferè omnibus exclusos: intra mœnia compulsos ab agricultura longo jam tempore se prohiberi. His centum frumenti onera donat. Priusquam Cracovia Rex discederet de Duce exercitui præficiendo cum Senatoribus deliberat; qui cum ostenderent, vel in perpetuum munus hoc alicui eum deferre posse, vel extra ordinem unum aut plura bella mandare, plerisque tamen, ut in id solùm bellum aliquem legeret, placeret, Cracovia Varsaviam discedens Nicolaum Meletium Palatinum Podoliæ, eò ad se evocat. Hic cum paulò ante excessum Sigismundi Augusti Bogdanum Valachiam reduceret, ac præter opinionem à Valachorum Turcarumq; maximis copiis circumventus fuisset, exercitum magna cum laude incolumem in Poloniam reduxerat, indeq; magnam virtutis & scientiæ rei militaris gloriam sibi pararat. Meletius valetudine, qua tenui uteretur, & aliis quibusdam difficultatibus se excusabat: tandem in eam tantum expeditionem imperium accepit. Itaq; constituto cum eo, quos quotque turmarum præfectos ac centuriones scribi vellet, domum ut se pararet, Rex eum dimisit. Inde Grodnam movit, maxima autem

autem afficiebatur Rex difficultate, quòd & pro magnitudine suscepti belli paucæ omninò pecuniæ ex tributo collectæ adhuc erant, & ut maximè integræ conferrentur, minimè tamen tanto bello pares fore videbat. Iis omnibus rebus quanto potest studio occurrit: pecunias partim mutuo sumit, partim quas in fisco habebat privatim suas, exponit. Militem passim per Poloniam scribi jubet: mittit ad fratrem Christophorum Principem Transilvaniæ, ut Ungarorum veteranorum cohortes aliquot & alas equitum scribat. Christophoro Rosdrafevio & Ernesto Weiero in Germania milites conquirendi negotium dat. Lithuanici proceres, cùm de difficultatibus iis cum illis communicaret, prout quisque opibus maxime valebat, voluntarium militem offerebant; quotque singuli adducturi essent, edebant; quorum numerus cùm ad decem millium ferè accederet, non parum ea re, atq; alacritate Lithuanorum recreatus, eò majori animo ad reliquas res administrandas aggressus fuit: constitutisque ita pro tempore rebus iis Vilnam accessit. Palatinus Vilnensis, Nicolaus Radivilus, cui imperium militare in Lithuania à Rege traditum antea fuerat, postea etiam abdicata à Joanne Chodkevicio Leopoli administratione Livoniæ, ejusdem provinciæ cura ad tempus demandata, Christophoro filio pocillatori regio, & aulicæ militiæ per Lithuaniam præfecto exercitum, qui in Livonia fuerat, tradiderat. Is cum ad Derpatum excursione facta, agrumq; hostium longè lateque populatus, Kirempesium primo impetu cepisset, evertissetque, sub hoc tempus ad Regem & patrem Vilnam venit, venientem exercitus emerita stipendia flagitans sequutus fuit. Ibidem alia, quæ usui bello essent, apparare Rex instituit: tormenta bellica ad modum quendam, quem ipse usu atque experientia accommodatissimum cognoverat, fundi jussit. Kaunæ pontem fieri imperat, quo in sequentibus expeditionibus utatur. Is ex singulis navibus componebatur, quæ deinde tabulatis ita inter se conjungebantur, ut quoties opus esset, separari, curribusq; singulis una cum tabulatis impositæ, binis jumentorum jugis non incommode in quemcunq; locum transferri possent. Simul quod neque copiæ omnes convenissent, nec frigora, quæ in regione Trionibus exposita eo anno ultra solitum ad Joannis permanserant, ut nec ullum pabulum ad id tempus se effunderent, recessissent, Lithuanicis caussis, quæ in longiorem jam diem prolatæ erant, cognoscendis operam dedit. Inde Basilium Lopatinscium cum literis ad Moscum mittit: iis justum bellum illi indicit: causas belli hasce denuntiat; quod ostentatione pacis provinciam Livoniam bello atque incendio vastasset: legatos suos contumeliose habitos, ad extremum duplicibus induciarum literis elusisset; eodem tempore novis in Livoniam copiis missis Vendam oppugnasset: sua legatione ad priores injurias novam contumeliam ac ludibrium adjunxisset. Remisit sub idem tempus Moscus Haraburdam, quem hactenus retinuerat, nullo alio responso, quàm quòd paulo post suum hominem ad Regem missurus esset, qui iis de rebus ageret. Itaq; sequutus eum mox cum literis quidam fuit. Postulabat hic, ut inducias, quæ ante perscriptæ essent, Rex observaret: de Livonia si quid controversiæ superesset, de ea amicè per arbitratores, quos utrinq; nominassent, secum conveniret. Negabat Rex quemadmodum jam ante fecerat, posse se hujusmodi inducias ulla ratione admittere. Nam de Livonia quod adjiceretur, amicè de ea inter ipsos disceptari posse, frustrà & ridiculè adjici: semel enim receptis juramentoq; firmatis induciis, in quibus omni Livoniæ jure cederet, nihilq; amplius petiturum se ejus profiteretur, si postmodum de ea ageret, cui dubium esse posset, contra proprium juramentum se venturum: & vel eam ipsam ob rem causa cadere debere. Quod si in Lithuania Russiaque pacem sibi cum Rege esse vellet: in Livonia armis de jure disceptari: novam quidem hanc induciarum rationem sibi videri: atque etsi intelligeret temporibus Sigismundi Augusti atque interregnorum obtrusas aliquando hujusmodi ab eo inducias fuisse; se tamen cum faciendæ novæ sibi sint non nisi justas facere velle: neminem tam barbarum aut imperitum rerum esse, qui non videat, si constitutis melius rebus suis per Livoniam, in Lithuania bellum redintegrare velit, per hujusmodi inducias, quandocunq; illi integrum id futurum, quibus de cessione Livoniæ conditionem adjecisset; qua bello in Livonia gerendo à Rege violata, nunquam illi belli in Lithuania instaurandi causa deesse posset. Nuntio hoc dimisso Tartari postulata cognita fuerunt. Hic sub idem tempus ad Regem legatos miserat, quòd bellum contra Moscum suscipi intellexisset, ex fœdere, quo Regibus Poloniæ operam suam contra quosvis hostes, unico Turcarum imperatore excepto navare tenetur; ab altera parte irruptionem in Moscoviam facturum se ostendebat: petebat donativa: Nisoviorum injurias coerceri postulabat. Responsum huic fuit, quòd operam suam contra Moscum polliceretur, facere eum officium suum: donativum datum iri: Dantur autem aliquot aureorum millia & certus vestimentorum numerus: Nisovios colluviem ex variis nationibus collectam nec in potestate Regis esse: atque ex ipsis Tartaris & Turcis non raros sese illis aggregare: datum nihilominus operam iri, quantum ejus fieri possit, ut injuriæ illorum prohibeantur, à bello tamen contra Moscum contrà quam promiserat omninò abfuit, alio contra Persam, quod à Turcarum imperatore tum gerebatur, avocatus. Aderat & Gottardus Churlandiæ & Semigaliæ

liæ Dux, confirmationemque feudi ſui & inveſtituram petebat. Eum Rex Disnæ ſiſtere ſe juſſit, interim ad Senatum ea de re retulit. Exercitus indè ut ſub principium menſis Julij Suirum conveniret edixit. Venerat jam Vilnam Ungaricus peditatus Chriſtophori Tranſilvaniæ Principis Regis fratris miſſu: atque juſta equitum ala. Polonicum militem Meletius, qui & ipſe ſub idem tempus ad Regem redierat, cum ſegnius à quæſtoribus atq; exactoribus expedita re pecuniaria, ob auctoramenta tardius accepta moræ nonnihil à milite interponeretur, ut quamprimum ad edictum conveniret, acriter urgebat.

Vilna pridie Calendas Julij Rex profectus Suirum inde venit. Ibi Lithuanici equitatus partem vidit; qui cum univerſus omnibus rebus eſſet ornatiſſimus, tùm maximè, qui à gente Radivila, & Joanne Kiska ſtructore regio adducebatur. Ibidem de ſumma belli conſtituendum ratus quas potiſſimum partes cum exercitu peteret, ad conſilium retulit. Lithuani omnes ferè ad Plescoviam per Livoniam eundum arbitrabantur; quod & propter urbis amplitudinem atq; nomen dignam judicarent, quæ etiam maximo cum labore, ac periculo peteretur: & quod minus contra vim munita putaretur: muri vetuſtate neglecti: nihil ut loco tutiſſimo atque à metu belli remoto in ea proviſum, non magno labore ac periculo potiturum ea Regem ſperarent. Rex contra exiſtimabat. Nam cum unum id potiſſimum bello hoc agendum ſibi propoſuiſſet, ut Livoniam ab hoſte in libertatem vindicaret; intelligebat, ſi in terram Livoniam bellum tranſtuliſſet, præterquam quod in regione crebis urbibus & caſtellis munita, eademq; tot annos vaſtata propter commeatus inopiam ac frequentes obſidiones, difficiliores tardioresq; progreſſus belli futuri eſſent, non modo provinciam, cujus liberandæ cauſæ bellum ſuſcepiſſet, hoſti ac ſuis denuò vaſtandam ſe objecturum: verum Lithuaniam etiam, quæ ad Boryſthenem pertinet, in ea loca omni vi belli converſa, præſidio nudatam hoſtilibus incurſionibus interim ſe expoſiturum. Alia etiam via per hoſticum Pleſcoviam ſi iret, contra rationem rei militaris judicabat, tot hoſtilibus præſidiis à tergo relictis per infeſta omnia atque invia tam longè in hoſticum progredi; ubi nec ſi quid offenſum eſſet, facilem receptum, nec è propinquo ſubſidium habiturus eſſet. Polotia oppugnanda utrumq; conſecuturum ſe prævidebat, ut, cùm ea ad Dunam flumen poſita eſſet, proximosq; ad Livoniam & Lithuaniam aditus haberet, & ordinem ſeriemq; rerum gerendarum ſecutus ulterius deinceps in Moſcoviam promotis armis ac quaſi circumita Livonia, omni ab ea hoſte intercluſo, integra potiretur: nec ſimul à Lithuania longius diſcederet; atque utriq; tam Livoniæ quàm Lithuaniæ contra excurſiones hoſtium præſidio eſſet. Accedebat huc, quòd cum ſecundum Livoniæ recuperationem vel maximè animo Rex agitaret, ut Dunæ fluminis navigationem, qua ſola portus Rigenſis continetur: quæq; ad tuendam Livoniam excludendumq; ab ea hoſtem magnam opportunitatem, & commerciorum negotiorumq; exercendorum facultatem inſignem habet, Lithuanis Livonibusq; expediret; id ſi Polotia potiretur, magna ex parte effecturum ſe videbat: ab ejus præſidio maximam partem Dunæ infeſtari: inde auxilia commeatusq; Kokenhauſium aliaque in Livoniæ caſtella ſummitti: excurſiones fieri: Vilnam Rigamq; mercatura prohiberi. Quod denique nuperrime ab hoſte Polotia capta eſſet, quò recentior in animis hominum cladis ejus memoria obverſaretur, eò ex commutatione rerum præſentiorem lætitiam, majoremque gloriam recuperatæ fore. Alij Polotienſem oppugnationem difficiliorem prædicabant, quam ut initio rerum gerẽdarum ſuſcipi debere videretur: eſſe eam & loci natura & opere munitiſſimam: commeatu, tormentis, pulvere, omniq; bellico apparatu ut præſidium finitimum, & quod primos belli impetus excepturum hoſtis non dubitaſſet diligentiſſime proviſam. Multum autem in ipſis initiis momenti eſſe, quibus in utramvis partem facile homines impellantur: plurimumque ad totius belli opinionem, & futurarum rerum ſpem pertinere ab initio non offendere. Rex cum nihil exiſtimaret eſſe quod non virtute ſuperari poſſet; quo majores difficultates propoſitas intelligebat, eò & bene geſta re ad cætera belli perſequenda alacriores omnes futuros confidebat: & ſi quæ incidiſſent difficultates, longè tamen minoribus iis, omnibus à tergo pacatis, & domeſticis opibus propinquis, ſe occurſurum. Quibus de cauſis cùm prius conſilium omittendum non exiſtimaret, intelligeretque famam ſuſceptæ expeditionis longè lateque ad diverſas nationes perlatam; exercitum præterea ex variis gentibus collectum haberet; ac verò non bellum modò, ſed cauſam etiam belli omnibus probatam vellet, edictum, Latine prius ſcriptum, inque Polonicam, Ungaricam & Germanicam linguas tranſlatum, quòd ex iis ferè gentibus exercitus conſtabat, proponit; quo Moſci in ſe injurias, quibusq; cauſis permotus bellum adverſus eum ſuſciperet commemorat; quod diverſis in locis typis deinde editum vulgo extat. Præmittere inde aliquem cum parte copiarum placuit, qui ex inſtituto rei militaris, quoad reliquus exercitus ſubſequeretur, hoſtem compulſum intra muros contineret, viamque reliquo agmini patefaceret: quod autem præcipua authoritas ac vis imperij penes Polonicum Ducem in caſtris eſſet: neq; dum omnes copiæ Polonicæ conveniſſent; retento ad exercitum Meletio, Radivilum cum filio Chriſtophoro ac Lithuanicis copiis quibusdã Polotiam præmiſit. Cum

Cum eodem Gaſparem Bekeſium cum equitatu Ungarico & cohortibus aliquot ire juſſit. Suiro deinde Diſnam movit: ea agminis ratione, ut cum imminerent viæ à dextra Krasna, Suſa, Turoulia hoſtilia præſidia ab ea parte Meletius cum exercitu Polonico: in primo agmine Joanne Sbaraſio ire juſſo, tenderet: Rex læva iter faceret. In itinere aliorum Lithuanorum procerum Stephani Sbaraſij maximè Trocenſis, Nicolai Dorokoſtaiſij Polotienſis Palatinorum, Georgij item Zenovicij Caſtellani Polotienſis, quorundamque privatorum elegantiſſimè ornatæ copiæ Regem aſſecutæ, cenſæ ab eo fuerunt. Per aliquot dies continuos profuſæ pluviæ cadebat: eæ tantam gravioris belli inſtrumenti, ac tormentorum præcipuè ducendorum difficultatem attulerant, ut jumenta quibus in propriis curribus Rex utebatur; remittere neceſſe haberet, quo eo celerius promoverentur, quæ res initio expeditionis oblata illorum, qui Pleſcoviam tam longo itinere eundum cenſuiſſent, opinionem vel tacitè refutabat. Disnæ equitem ac militem Polonicum, qui tum ferè omnis convenerat Meletius elegantiſſimè in ſpeciem inſtructum, & in turmas cohortesq; diſtributum ſub ſignis decurrentem Regi oſtendit. Equites thorace & galea ferrea tecti, præterq; haſtam, acinace, veruto, ac binis ſclopetis ad ephippia aptis omnes armati erant; ita ut decurrentes non minorem quam ipſi pedites, quorum propria arma ſclopeti ſunt, fragorem ederent. Eodem quæ nondum convenerant, Lithuanicæ copiæ venerunt: in his Joannis Chodkevicij Caſtellani Vilnenſis, qui graviſſimo morbo tum tenebatur, quo non multis diebus poſt extinctus eſt, nongenti lectiſſimi equites: Joannis item Chlebovicij Caſtellani Minſcenſis & aliorum. Venit ſub idem tempus cum Chriſtophoro Rosdraſevio; & Erneſto Veiero Germanus etiam miles; cujus etſi publicè ſcribendi facultatem non habuiſſent, ac raptim ſaltem nomina dantes quosdam adduxiſſent; erant tamen ij & animo omnibus pares, & genere armorum atq; uſu rei militaris reliquis non multo inferiores.

Erant omninò univerſæ copiæ cùm genere & numero hominum, tum exercitatione armorum eæ, ut Meletius pro ratione belli ſuſcepti aptiùs ferè compoſitum, meliusq; inſtructum exercitum eum confirmare non dubitaret, quam quenquam alium vidiſſet ipſorum, in quibus vel imperitandi, vel domi, ac foris parendi ſtipendia feciſſet; ac ab una aliqua parte vel equitatu vel peditatu plerunq; laboratum animadvertiſſet. Cenſis copiis Churlandiæ Duci, quem Diſnam dilatum ſupra oſtendimus, poſſeſſio Churlandiæ Semigalliæque Ducatus ſolenni more confirmata, ipſeque in clientelam & fidem receptus fuit. Conſulti de eo Senatores Lithuani, quorum magna pars aderat & qui ex Polonicis præſentes erant, omnes ut correctis conditionibus, quæ cum Sigismundo Auguſto Rege pro ejus temporis ratione non ſatis commodè tractatæ exiſtimabantur, res finiretur, cenſebant. In eandem ſententiam à majoris Poloniæ, Ruſſiæ item, Pruſſiæ ac Maſoviæ Senatoribus abſentibus, per literas reſponſum fuerat. Minoris Poloniæ Senatores plerique, qui tum forte Lublini judiciorum cauſa convenerant, quòd eo tempore appellationum judicia, de quibus ſupra dictum eſt, prima tum ibi habebantur, in comitia rem differendam cenſuerant; veriti, ut videbatur, ne in Polonorum Senatorum paucitate contra Lithuanos juri in eum Ducatum regni ſatis caveretur. Sed & indignum Regi videbatur, diutius eum ducere, cujus poſt ſemel datam fidem nunquam dubium animum: ſemper eximium ſtudium in rempubl. perſpexiſſet: neque Principis hoſtibus finitimi in illo Livoniæ ſtatu jus, ſuumq; beneficium in ſuſpenſo relinquere ſatis tutum arbitrabatur.

Itaque perfecta res iis potiſſimum conditionibus fuit, ut illo fidem obſequiumq; ſuum Regi pollicente, jusq; jurandum in verba Regis præſtante, quo nullius alterius quàm Regum Poloniæ majeſtatem ſe culturum profiteretur: Rex è contra patrocinium ac tutelam ejus contra omnes illi reciperet, de jurisdictione, quam in ſuos habet, ut ad conventum Livoniæ, quem ſi reliquam Lithuaniam Rex adjungeret, inſtituturus in ea eſſet, provocatio ab eo eſſet cautum fuit. Tendenti ad caſtra Meletius obviam miſit, qui intra tentorium ejus illum deducerent: apud quem aliquantiſper dum vocatur, moratus, indè ad tribunal adductus, ſignis militaribus & univerſo exercitu circumfuſo, ſolenne jusjurandum Cancellario Regni in verba ei præeunte Regi præſtitit. Hoſtis interim Pleſcoviam cum exercitu progreſſus partem copiarum in Livoniam præmiſerat. Hæ Duna flumine ad Kokenhauſium, quo ut ſupra oſtendimus potitus fuerat, raptim transmiſſo, ac centum quinquaginta circiter Ducis Churlandiæ equitibus, qui cis Dunam in ſtatione erant, repentina excurſione rejectis; Seelburgenſeq; Ducis Churlandiæ, ac Birſenſi Chriſtophori Radivili, agro vaſtato propere trans Dunam ſe receperunt; exercitum qui in Livonia fuerat, Chriſtophorum Radivilum Vilnam ſtipendiorum cauſa ſecutum ſupra demonſtravimus.

Interim Joannem Taluoſſium Caſtellanum Samogitiæ, cum iis, quas raptim contrahere poterat, copiis in Livoniam Rex miſit. Philonem Kmitam, qui Orſæ præerat, ad Boryſthenem, ne quid ex ea parte ab hoſte detrimenti acciperetur curare juſſit. Jam exercitus cum Palatino Vilnenſi Polotiam præmiſſus Dunam ponte Kaunæ ex navibus ea, qua dictum eſt, ratione facto ad Diſnam transmiſerat; nihil hoſte contra ſuſcipiente, quo trans-

tranſitu eum prohiberet; vel quod ex inſtituto diſciplinæ Moſcoviticæ ſine mandato Principis ex præſidio miles egredi non audeat: vel quid ſuperiorum temporum ſucceſſu elatus exercitus, qui Suirum convenire dicebatur, famam contemſerat. Duna paulùm progreſſum continuæ ſilvæ aliquandiu moratæ fuerunt. Nam ex quo Polotiam Moſcus ceperat, ſedecim fere annorum ſpatio, quo in poteſtate ejus fuit, eam partem agri, quæ à Duna flumine atq; Disna Polotiam tendentibus prima occurrit, deſertam atque incultam reliquerat; unde frequentes denſiſſimæque arbores ut in ſolo fertili interea temporis enatæ fuerant. Verum peditatu Ungarico ſecuribus ſilvas cedere inſtituente, ac celeriter opus perficiente, exiguo temporis ſpatio difficultates eas ſuperavit. Polotia antiquitus ſuos Duces habuit, ſubq; annum à nato Chriſto DCCCC. LXXX. vel ut Ruſſi tempora numerant à condito mundo CCCC. LXXXVIII. S. VI. M. Rochuoldo Duci paruit; qui à Vlodimiro magno ob negatam ei in matrimonium filiam Rochmedam, ut Moſcorum annales habent, bello petitus, vitam pariter cum duobus filiis & imperio amiſit. Inde in Monarcharum & Principum gentis Ruſſiæ poteſtatem conceſſit; quorum extincta ſtirpe ea, quæ in Auſtrali Ruſſia regnabat; Lithuanis, ut quædam aliæ ditiones Ruſſiæ ceſſit. Jagellone apud Lithuanos primùm, indè apud Polonos regnante, cùm Andreas frater ejus Polotiæ dominatum, ſub idem fere tempus, quo Jagello Cracoviæ inſignia regni accipiebat, arripuiſſet, copiis aliquibus miſſis recepta mox fuit; continueq; inde in fide Regum Poloniæ magnorumq; Ducum Lithuaniæ ad annum LXIII. S. cIɔ. Iɔ. permanſit; quo à Joanne Baſilij filio Moſcoviæ Duce capta expugnataque fuit. Regio Polotienſis ad centum quinquaginta circiter millia paſſuum in longitudinem, totidem in latitudinem patens cum ubertate glebæ, tum fluminum atque lacuum copia nulli cedit. Fluvios navigabiles complures habet, præcipuè Dunam, qui in Moſcovia non procul à Turopecia ortus, Rigenſem portum efficit, omniumq; Septentrionis fluminum amœniſſimus ferè ac pulcherrimus eſt. Secundùm eum Dryſſam, Uſuiatam, è Moſcovia: Disnam, Ulam è Lithuania: à Smolenſco Casplam in eundem Dunam omnes influentes. Plerorumque Lithuanicorum & Ruſſicorum caſtellorum is ferè poſitus eſt, ut ad oſtium aliquod humilioris fluminis, quo cum majori conjungitur, ſita ſint, quæ ita ſita ſunt, quòd majoris fluminis propinquitas pluribus communis eſt, à minoribus fluminibus ferè omnia nomina indita habent. Hinc Polota non magnus alioquin fluvius arci atq; urbi: urbs regioni nomen dedit. Antequam in Moſci poteſtatem veniret, una arce atq; urbe Polotia & caſtro Jeſeriſcia tota illa regio continebatur; cæteroquin oppidis & pagis non infrequens. Polotiæ opes propter ſummam opportunitatem Dunæ fluminis eousq; excreverant, ut Vilnam caput Lithuaniæ divitiis antecederet. Jeſeriſcia verſus Moſcoviam in lacu, ex quo fluvius Obola oritur, ſita, ab una ſola parte anguſtiſſimum aditum, & quo vix expedito iter ſit, habet. Poſtquam à Moſco occupata fuit, utrinq; caſtella aliquot excitata, præſidiaq; conſtituta fuerunt, partim agri fluminisque ac navigationis vel ſibi retinendæ vel turbandæ hoſti cauſa; partim ad excurſiones, quæ ut in dubia utrinque poſſeſſione frequentes fiebant, prohibendas. A Rege Sigismundo Auguſto Diſna ad ejusdem nominis fluvij ac Dunæ confluentem: Voronecium ad flumen Uſaciam; Lepelium in inſula lacus, qui à Lepelio fluvio efficitur, verſus Lithuaniam conditum fuit. Quoniam autem ad hunc locum ventum eſt, non alienum videtur, pauca de natura ſituq; ejus narrare. Tendunt per eam Lithuaniæ partem duo diverſa flumina: quorum utrunque navigabile eſt; ita inter ſe conjuncta, ut non plus millium paſſuum quinque intervallo diſtent; eademque in duo maxima ac longiſſimè diſtantia maria exitum habent. Lepel, de quo diximus, in Ulam fluvium itidem navigabilem influens, cum eo in Dunam indeq; ad Rigam in mare Balthicum effunditur: alter Bereſina in diverſam partem raptus cum Boryſthene in Pontum Euxinum deinde erumpit; ita ut ſi pacatæ gentes eſſent, in quarum poteſtate fluminum horum curſus ſunt, in tanta eorum propinquitate, transportandarumq; ex uno in alterum mercium, conjungendorum denique eorundem facultate, Septentrio univerſusq; Occidens facillime cum Oriente commerciis jungi poſſet. Sed Dunam Moſci antehac: Boryſthenem iidem Moſci ac Tartari cæterique de quibus ſupradictum eſt, infeſtum nunc faciunt. Cæterùm Sigismundus Auguſtus Ulæ quoque oſtium Caſtello munire aggreſſus, Veneto architecto quodam unà cum opere ab hoſtibus interfecto, non ſine detrimento dejectus fuerat; cumq; hoſtis eundem locum munire inſtituiſſet, & Auguſtus magnis à Rodoskovio ſummiſſis copiis, ac ſumma vi diu fruſtra eum oppugnaſſet, tandem ſequenti æſtate per Romanum Sanguſconem Palatinum Braslavienſem, dum Moſcus vetus præſidium novi inducendi cauſa deducit, receperat: ſuperiorem verò ejus partem Lepelique fluminis cum Ula confluentem impoſito caſtello Ciaſnicia jam ante communierat. Simili ratione Moſcus ultra Dunam quinque caſtellis exſtructis, totius agri ejus poſſeſſionem ſibi firmaverat. Sokolum in via Plescovienſi in fluminum Dryſſæ & Niſciæ peninſula quadam Lithuanicis caſtellis Disnæ & Dryſſæ oppoſuerat. Niſcerdam ad lacum cognomine triginta à Savolocia paſſuum millibus: Sitnum in Lucenſi via ad ſuperiorem Polotæ partem. Koſſianum deinde loco ab Obola flumine

velut

velut circino circumducto: Uſuiatam ad fluvium itidem cognominem ac navigabilem in Dunam ad Suraſſum ex adverſo Caſplæ fluminis influentem: illud contra Ulam; hanc contra Vitepſcium & Suraſſum excitârat. Cis Dunam Turouliam, ad cognominis amnis caput, quo in Dunam influit. Suſſam vero ſingulari conſilio Lithuaniam verſus in lacu, qui Turouliam emittit, loco munitiſsimo, aquisq; undique circumdato, agitans jam animo bellum Lithuanicum, Vilnamque opinione præcipiens ſedem bello futuro poſuerat; Itaque natura ante munitiſsimam opere communierat, omniq; apparatus bellici genere inſtruxerat; pauca ut præſidia inſtructiora eo haberet. His Krasnam ſuperadjunxerat, ſuperiori in loco itidem ad Lithuaniam ſpectante. Koſakki igitur Lithuanici Franciſco Suko duce ad belli ſuſcepti famam in finibus globo facto Krasnam noctu repente ſcalis admotis adorti præſidio munitionibusque ac ſatis magna commeatus copia unà cum caſtello potiuntur. Ab altera parte Koſſianum ultra Dunana arx ſimili eventu repentina excurſione Koſakkorum capitur & deletur.

Palatinus interim Vilnenſis Polotiam cum iis, quas circa ſe habebat, copiis pervenerat, quas hoſtes conſpicati ſubito copias ſuas productas ſub portis inſtructas oſtendunt; nullaque juſta pugnandi facultate data intra munitiones ſe recipiunt; eques tamen pugnandi avidus ſub ipſa mœnia in eas provectus, unum atque alterum haſtis transfixit. Eodem tempore Ungari & Lithuani Sitnum, via quæ Pleſcoviam ducit, ſubito Polotia excurrentes, ut re improviſa & repentina eam incendunt. Cum ad Polotiam Rex iret, à lævaq; Sokolam caſtrum hoſtile haberet, veritus ne majoribus à Pleſcovia copiis ſummiſſis, commeatui ac ſubvectionibus noſtris incommodi aliquid ex eo hoſtis afferret, an ad id oppugnandum ex itinere diverteret, cum Meletio deliberabat: verum poſtea ſæpe majorum rerum gerendarum opportunitatem in minutioribus oppugnationibus conſumi cogitans, & ad Polotiam caput provinciæ properans, celeriter conſilium omiſit: ternisq; caſtris, quemadmodum Meletius cum expedito equite præcurrens ea deſignârat, Disna Polotiam pervenit. Dum Polotiam exercitus contendit, Moſci Polonos & Lithuanos, quos à multis annis in ſqualore & compedibus habuerant, cum cruciatu interfectos adq; trabes alligatos ſecundo Duna terrorem venientibus id allaturum rati, obviam demittunt. Rex Joanne Samoſcio Cancellario & Gaſpare Bekeſio ſolis aſſumptis, Meletio interim exercitum curante privato cultu, ſubſidiisque contra eruptiones loco opportuno diſpoſitis, urbem circumvectus ſitum loci cum iisdem cognoſcit; ſimulque eodem in loco, à qua potiſſimum parte oppugnatio inſtituenda ſit, deliberat.

Conſtabat Polotia duabus arcibus, una in editiori loco poſita, eademq; media; quam ſclopetariorum ſua lingua Moſci appellabant: & oppido Sopolotta. A meridie Dunam habet, qui modico verſus Occidentem flexu, rectà indè Rigam tendit, ad eamque mare influit. Polotta recto è Septentrione curſu paulum verſus Orientem ſub arce ſclopetariorum, inde rurſum in ſeptentrionem declinans, radicesq; collis, in quo ſuperior arx poſita eſt, complexus, eandemq; ab oppido ſeparans in meridiem verſus paulò infra eum locum cum Duna commiſcetur. Media, quam diximus, arx in colle altiſſimos deſpectus habente poſita, à meridie, ut oſtenſum eſt, Duna flumine, à ſeptentrione & ortu Polotta fluvio oppidoque Sapolotta: ab occidente ſole ſclopetariorum arce, undique monte, cui imminet prærupto, altiſſimisq; foſſis ac vallo, quovis ferè artificio, factis firmioribus continebatur: muros & propugnacula ex aliquot inter ſe devinctis validiſſimorum roborum ordinibus firmiſſima habebat. Sclopetariorum arx inferiori loco occaſum verſus in colle tamen modicè acclivi, poſita ab Oriente brevi ponte cum ſuperiori arce conjungebatur. Oppidum cum olim cis Polottam ſub colle, quem ſcloppetariorum poſtea arce Moſcus communivit, fuiſſet; deletum in oppugnatione ab hoſte fuerat. Poſtea cum confirmata jam poſſeſſione propter commerciorum uſum, quorum loco tam opportuno ſumma facultas eſt, reſtaurare id inſtitueret; quòd ab illa parte maximè opportuna oppugnatio ei fuerat, veritus ne inde rurſum noſtris pateret, trans Polottam fluvium atque ſummam arcem in locum inter utrumq; flumen medium tranſtulerat: ut poſitu ejus quaſi triangulari, unum latus Duna, alterum verſus ſummam arcem Polotta fluvius, tertium foſſæ turresque tuerentur. Regi dubitandum non videbatur, quin à media eademq; ſumma ac munitiſſima arce ordienda oppugnatio eſſet; propterea, quidē quicquid in reliquis oppugnandis laboris ac temporis ſumeretur, ſuprema ſalva, nec receptu hoſtibus nec obſidionis ex ea ſuſtinendæ ſpe defutura nulla de cauſa ſumptum iri appareret: ea verò expugnata occupato loco ſuperiori, eodemque munito, & in quem omnis commeatus apparatusque bellicus collatus ab hoſte eſſet, oppidum quoque atque alteram ſclopetariorum nullo negotio in poteſtatem perventura.

Accedebat huc, quòd ab oppido difficiliorem deinde arcis oppugnationem tranſitus fluminis Polottæ, qui radices collis, in quo arx poſita erat, complecteretur, facturus videretur. Bekeſius nihilominus oppidum Sapolottam, quod ſecundum Dunam flumen euntibus primo loco occurrerat, prius tentandū cenſebat; quo expugnato, & ſi deinde in arcē hoſtes ſe reciperēt; tamen præterquam quod

incom-

incommoda obſidionis omnibus in unum locum compulſis ea res auctura eſſet; ſpem præterea illis, noſtris laborem minuturam, animosq; addituram: nec difficiliorem multò, quàm ab iis partibus futura eſſet ab oppido oppugnationem futuram; cum Polotta videretur omnibus ferè locis vado vix crurum tenus tranſiri poſſet; atq; erat ſanè ea humilitas fluvij id temporis. Regem ut in ſententia perſtaret, Samoſcius cumprimis urgebat; quod cum iterum cognoſcendi ſitus cauſa ſolus propius ſub eum locum, in quo oppidum antea fuerat, & quem Pozar illi ſua lingua ab incenſo oppido tanquam buſtum vocabant, ſucceſſiſſet; longè inde faciliorem aſcenſum, neque foſſarum & collis eam altitudinem, quæ ab aliis partibus erat, eſſe animadverterat; arcemq; ſclopetariorum in collo ab imo acclivi ita poſitam, ut à ſummitate collis, quæ ad exteriorem partem pertinebat, tanquam gibbus aliquis enatus telorum commodè adjiciendorum iis, qui in arce erant facultatem præpediret. Dum cùm Meletio, & Senatoribus reliquis, amplius deliberare Rex vult, Germanus miles privato conſilio Polottam transgreſſus, locum ab oppido averſum contra ſummam ac ſclopetariorum arces ad Dunam caſtris capit. Veritus hinc Rex, ne ex æmulatione nationum diſſidij aliquid oriretur, ut ad oppidum, quo loco Bekeſius cum Ungaris conſtiterat, munitiones agerentur, permiſit. Inde Regiis caſtris trans Polottam flumen medio inter eum & lacum quendam ſpatio, infra locum, quem à Germanis occupatum diximus, locus deligitur eoque binis caſtris exercitus à Meletio traducitur. Univerſorum caſtrorum totiusq; obſidionis hæc ferè erat facies, ſecundum flumen à Disna Polotiam euntibus verſus oppidum Sapolottam ad Dunam flumen primi Ungari conſederant loco ad commeatus excipiendos, cumprimis opportuno; quod inferior fluminis pars pacata erat, omnesq; ſubvectiones in eum ferè locum concurrerent, tum Duna etiam ponte nota ratione ex navibus compoſito ibidem ſtratus eſſet. Infra Ungaros cis Polottam Nicolaus Radivilus Palatinus Vilnenſis cum Chriſtophoro filio, ſubq; eorum imperio ſtipendiariæ copiæ Lithuanicæ, indè diverſæ voluntariorum, quicquid reliqui erat ſpatij Polottam usque diverſis caſtris compleverant. Ultra Polottam inter flumen & lacum quendam, quemadmodum oſtendimus, regia caſtra erant. In his Senatores & equites Poloni magna ex parte erant: præter hos Nicolaus Chriſtophorus Radivilus Marſchalcus palatij Lithuanici, quiq; tum per abſentiam Marſchalci Polonici comitatui univerſo regio præerat. Medium caſtrorum locum Senatorum tentoria amplexa ferè erant; quorum ut quisque poteſtate & honore antecedebat, ita locum Regi proximum ceperat. Hæc cùm terni tentoriorum ordines ambientes binorum vicorum paribus inter ſe ſpatiis diſtantium ſeriem efficerent: bini etiam ad eosdem aditus portæq; relictæ fuerant, totidem caſtrorum portæ erant excubiis ſtationibusque militum formatæ, externorum caſtrorum partem currus circumjecti, catenisq; ferreis inter ſe devincti more gentis Polonicæ muniebant, ad quos in majoris impetus aut periculi expectatione, foſſam etiam ducere, aggerem curribus objicere, atque ita munitiſſimi oppidi faciem caſtris circumdare ſolent. Supra regia caſtra Germani loco, quo ante oſtendimus, conſederant. Ad Polotiam exercitu jam exiſtente à Marchione Georgio Friderico, in Pruſſia duce quingenti lectiſſimi pedites ſupervenere; qui quemadmodum ipſi voluerant, inter Germanos loco iis aſſignato, iisdem cum Germanis caſtris recepti fuerunt.

In eadem cauſa alij quoq; fuerunt, è Podolia aliisq; extremis regni finibus; qui cum propter locorum longinquitatem maturius adeſſe non potuiſſent, ad Polotiam reliquum exercitum aſſecuti ſunt; in his è voluntariis, Conſtantinus Conſtantini Oſtrogiæ Ducis filius cum lecta equitum ala; & alij quidam. Bekeſius interim Sopolottam oppidum oppugnare cœperat, actisque ad mœnia vineis, tormentis jam quatiebat. Moſci deſperata oppidi defenſione, & quòd in omnes caſus hæc à principe ſuo, qui in præſidiis ſunt, mandata habent, omnibus rebus exportatis oppidum incendunt, atq; in ſummam arcem ſe recipiunt. Proferuntur munitiones ad arcem flumenq; Polottam, quod radices montis, in quo arx poſita eſt, ambire ſupra oſtendimus, magna Ungari militis virtute; ut eſt ſummi genus laboris ac tolerantiæ; cum per partem oppidi opus inſtitueretur, ac ſæpe in ſepulchra atque cloacas, aliaq; fœdisſima quæque incurreret. Ita inſtituta oppugnatio erat, ut Ungari ad dextram ab ea parte, qua oppidum fuerat; modico ab his intervallo Poloni: inde Lithuani pedites, quos Stephanus Zbaraſius Palatinus, Euſtachius Volovicius Caſtellanus Trocenſes atque alij nonnulli voluntarij adduxerant, oppugnarent, medio inter hos loco inferius aliquantò non longè à flumine Polotta ducenti lectiſsimi Ungari pedites à Samoſcio ſcripti excubabant, eo ferè poſitu, ut reliquo Polonico & Ungarico peditatu ſupra eos duobus locis inter ſe oppoſitis collocato, ducenti hi tanquam ſummum angulum trianguli tenere viderentur, ab altera arcis parte trans Polottam, qua ſclopetariorum arci conjungitur, Germani, quos eo loco conſediſſe dictum eſt, è ſuis caſtris munitiones verſus arcem agebant. Bekeſius primò tormentis quatere arcem inſtituit; quod ubi minus ſuccederet, propterea, quia cum ex materia conſtarent, potius perforarentur aliquibus in locis muri, quàm ſternerentur, candentes globos jacere cœpit. Genus id eſt incendiorum in ſuperiorum temporum diſſenſionibus civilibus Ungariæ à Rege ipſo inſtitutum: cum

ca,

ea, quæ ab aliis ex diverſis incendiorum nutrimentis excogitata eſſent, magis ad ſpeciem & terrorem comparata, quàm magnam ad inflammandum vim habere videret. Globi igni excocti dum planè eum imbiberint, ita in tormenta mittuntur, ut inter eos & pulverem tormentarium, juſtum ſpatium arena aut cinere primùm, inde recenti atq; humida herba compleatur, ne pulvis ignem ex globis rapere, ab iisq; inflammari poſſit: Itaq; in adverſos muros ejiciuntur, quæ res quòd globi lignis impacti diutius lateant, eandemq; ob cauſam non tam facilè, atque flamma opprimi poſſint, magnũ ad incendia excitanda uſum habet: eaque ratione Pharum Gedanenſium Rex exuſſerat. Hic tamen hac etiam minus proficiebatur, propterea quod cùm altius aliquantò jacti eſſent, eadem ratione muros tantum pervaderent, cum in inferiorem locum ad fundamenta murorum, vel hærere poſſent, adigerentur, in clivum ferè, qui arcem ſuſtinebat, quique ita prominebat, ut adverſus locus, in quo tormenta regia erant, & ſi & ipſe non humilis, inferior illo tamen eſſet, impingebant, ſoloque accipiebantur. Simul Zephyro vento per complures dies flante atq; effuſiſſimi imbres erant, ex his Polotta amnis tantum aquarum conceperat, ut qui antea pedibus non incommodè tranſiretur, tum ab equite ſine periculo, transmitti non poſſet; pontes autem omnes ferè, qui inter bina caſtra erãt, interrumperet. Unus tamen ab initio ſtatim, poſtquàm ad Polotiam acceſſum fuiſſet, à Joanne Bornemiſſa ad molendinum quoddam exuſtum ſublicis aliquot ſub aqua repertis, trabibusq; aliis ſuper eas injectis, inter munitiones ipſas ac propugnaculum, quòd oppugnabatur ſubitario opere factus perſtiterat. Cumq; per unum pontem non ſatis commodè miles ad oppugnationem iturus videretur, Bekeſius cymbis aliquot piſcatoriis depreſſis novum in eo pontem effecit. Verum eo etiam paulò poſt continuis tormentorum ictibus in eum directis ab hoſtibus merſo, unus relinquebatur is, de quo dictum eſt, quem & pars aliqua molendini ab incendio relicta à tormentis hoſtilibus tutabatur.

Bekeſius igitur cum & tormenta & globos candentes fruſtra admoveri animadverteret, ut quisq; maximè impiger in proximo conſtiterat, præmiis maximis propoſitis ut facibus ignem muris ſubjicerent, hortatur, perque pontem atque adverſum collem rectà ad arcem mittit: iis ex Polonorum Lithuanorumq; munitionibus alij mox ſubmittuntur. Occurrebat ſingulari militum noſtrorum virtuti omnibus locis eximium hoſtium in defendenda arce ſtudium.

Inprimis magno incommodo noſtros afficiebant ingentis molis trabes in ſuperiore parte muri, cujus latior ambitus, quàm inferioris erat, jam ante in eum caſum ab hoſtibus conſtitutæ; quæ levi impulſa in noſtros deturbatæ, ac per clivum provolutæ magna cum ſtrage, ut quosq; arripuerant, ſecum ferebant, tantus verò in reſtinguendis ignibus omnium ardor erat, ut non ætate confecti, non mulieres, non pueri, vel laborem vel periculum recuſarent; quo minùs & magna copia aquam aliaque opprimendæ flammæ ſuis ſupportarent, & in ſuccedentes noſtros profunderent, cumque omnibus ex partibus, directis in arcem ac propugnacula tormentis, à noſtris peterentur, accidit, quod dignum admiratione viſum eſt, ut non pauci extra muros funibus demitti ſe paterentur, aquasque ab aliis ſubminiſtratas ſuperiori ex loco pendentes ad reſtinguendos ignes, qui foris admovebantur, defunderent: iisq; certiſſimis noſtrorum tormentorum ictibus ſublatis, non deeſſent toto illo tempore oppugnationis, qui priorum in contemnendo periculo virtutem imitarentur, inque locum eorum, qui exanimati fuerant, ſuccederent.

Inter hæc pluviæ ac tempeſtates, de quibus dictum eſt, adeò obſeſſis erant ſecundæ, ut vulgus militum carminibus, quibus alias gens ea prava ſuperſtitione dedita exiſtimatur, motas crederet; quæ & incendia morabantur, itaque foſſas omnes compleverant, ac ſolum inundaverant, ut nusquam ferè conſiſtendi locus militi daretur. Deſiderati in oppugnatione hac ſunt aliquot viri fortes, in ijs & Michael Vadaſius, qui multis in præliis fortiter verſatus, & ob virtutem militi Ungaro præfectus fuerat, dum ad tormenta Polonicarum munitionum cum Stanislao Penkoslavio & aliis præfectis Polonis conſilia communicat, globo trajectus fuit. Nicolaus Chriſtophorus Radivilus Marſchalcus, majoris tormenti vi fragmentis quibusdam murorum hoſtilium in caſtra usque delatis, iisque frontem atque oculum perſtrictum non leve diſcrimen adijt.

Non minus tamen ferè hoſtes etiam incommodum acceperant. Cum quoties ad reſtinguendum incendium conferti unum in locum concurriſſent, tormentis, quemadmodum dictum eſt, in eum directis denſiſſimis ictibus peterentur; ac non globis modo frequentes interimerentur, ſed fragmentis etiam lignorum ac trabium, quæ globi ſecum rapiebant; quæq; majorem ferè quàm globi ipſi ſtragem edebant, non pauci opprimerentur.

Ad oppugnationis difficultates accedebat ſumma commeatus & ſubvectionum anguſtia; quæ à ſola ferè Disna, & ab inferiori parte fluminis ſuſtentabantur. Vilnam enim verſus, quæ amplius ducentorum viginti quinque millium paſſuum ſpatio inde diſtat, Poſtovam usque quæ paribus inter Vilnam & Polotiam ab utraque intervallis ſita eſt, omnia hoſtis vaſtarat; tum verò propterea etiam minus commodè ſubvehi indè poterat, quòd Suſa in poteſtate hoſtium adhuc erat; cujus in præſidio qui erant, ſuperioribus diebus Koſakkos

Lithuanicos, quos Krasnam intercepiſſe ſupra oſtendimus, ſecuriùs agentes noctu oppreſſerant, caſtrumque incenſum ſolo æquârant: & tum vias ſubvectoresque noſtros Vilna venientes infeſtabant. A ſuperiore parte fluminis propter Turoulienſe præſidium nullam etiam in partem liberæ frumentationes pabulationesve erant. Excurrerat cum levioribus tormentis aliquot eò Franciſcus Sukus, ſpe magis, & terrore, quàm vi ejus potiundæ: Sed Polotia integra ſatis fiduciæ ſpirituumque hoſte habente re infecta diſceſſerat. Ex aliis partibus verſus Pleſcoviam & Lukos per centum ferè millia paſſuum denſiſſimæ atque inviæ ſylvæ erant. Ad hæc Moſcus, quem cum exercitu ad Pleſcoviam perveniſſe ſupra demonſtravimus, cum obſideri Polotiam intellexiſſet, lectiſſimam totius exercitus partem Boriſſo Seino, & Theodoro Seremeto ducibus ſubſidio obſesſis miſerat, qui cum tutò Polotiam in omnes vias noſtris intentis pervenire ſe non poſſe exiſtimarent, Sokolæ ſubſtiterant; atque & ſi Polotiam non accederent, ad Disnenſem tamen viam excurrebant, frumentatoresque ac pabulatores noſtros excipiebant. Miſerat initio contra eas copias Rex Chriſtophorum Radivilum cum lectis aliquot equitum alis; ei Joannes Chlebovicius Caſtellanus Minſcenſis ſe adjunxerat; cumque hoſtis aut intra munitiones, aut ſuo loco ſe contineret, nec juſtam pugnandi facultatem daret; noſtri tamen in eos invecti ſub mœnibus equeſtre prælium cum ijs fecerunt, quo utrinque aliquot cæſis, atque ex noſtris Nicolao Kamenſcio nobili equite interfecto, captivis aliquot Moſcis abductis, ad Regem reverterunt, qui ibi quoque majoribus copiis rem gerendam ratus finem oppugnationis Polotienſis expectandum ſtatuit: in præſentia equitum ſtationibus aliquot contra eos collocatis. Augebantur incommoda hæc, quòd viæ largiſſimis continuisque imbribus ita corruptæ erant, ut jumenta cum eluctari è luto non poſſent pleraque labori immorerentur, omnesque viæ cadaveribus equorum complerentur. Ita enim ſolum pingue ac per ſe humidum, omniaque adeò aquæ penetrarant, ut ne ſub pellibus quidem in ipſis procerum tentoriis locus, in quo conſiſti posſet, relinqueretur. Quibus rebus fiebat, ut cùm undique à commeatu intercluſi noſtri eſſent, non mercatores etiam initio hoc rerum in eam vaſtitatem caſtra frequentes ſecuti eſſent, eò usq; annona ac pabulum potisſimum excreſceret, ut quod inauditum antea in Polonia maximè fuerat, ſinguli modij avenæ denis taleris emerentur, qua generoſiores ſaltem equi ſuſtentarentur; reperirenturq; ex Polonis & Ungaris, qui mortuorum equorum carnibus veſci non dubitarent, quod per ſe novum & inſolitum, nõ tamen tam mirum videbatur; quam quod corpora eorum morbo ex ea cauſa tentari non animadverterentur. In communibus omnium anguſtiis maximè premebantur Germani; non modo quod inter frequentes urbes bellum gerere aſſueti minus à neceſſariis rebus ad eas difficultates parati acceſſerant; ſed quod eo etiam loco caſtra faciebãt, ad quem ultimò commeatus perveniebat; in fronte Ungaris, inde Lithuanis, ab iis regiis caſtris poſitis, ad quos ut propius Disnã verſus quiq; horum conſederant, commeatũ indè venientem primo loco pervenire neceſſe erat. Pruſſici tamen, qui à Marchione miſſi fuerant, ut in majori earum regionum neceſſitatumq; peritia cũ curribus, tum cõmeatu aliisq; neceſſariis reb⁹ optimè à Principe ſuo inſtructi erant. In hac omniũ rerum difficultate ſumma tamen erat conſtantia Ungari præſertim militis, ante alios Bekeſius qui alioquin gravibus articulorum doloribus, ac ventriculi imbecillitate vehementer conflictabatur, minimè ob hæc animo fractus, nunquã melius ſe valuiſſe jactabat: ſemper apud tormenta eſſe: ibi cibum ſumere: ibi quieſcere: itaq; inter pericula ſe verſabat, ut qui proxime circa illum obverſabãtur, & in his Joannes Kuroſſius, tam propinquo è loco, ut ſanguine ſuo illum aſpergerent, non pauci interimerentur. Polonicus etiam peditatus etſi nuper admodum ſcriptus erat, nihilo ſeciùs tamen animo nec ipſe ſe demittebat. Cum tantum undiq; difficultatum circumſtaret, eamq; ob cauſam ad conſilium, quid deinceps facto opus eſſet, Rex retuliſſet, hujusmodi pleræque ſententiæ dicebantur, ut quòd jam ante ſermonibus à plerisq; agitatum fuerat, corona facta omnibus ex partibus univerſi exercitus omnibus viribus oppugnatio tentaretur. Id ea de cauſa Rex non probabat, quòd ſi id fruſtra ſuſceptum eſſet, in quo ſummam ſpem omnes ponerent, ut deinde, tanquam omni ea conſumpta, præter diſceſſum nihil reliquum haberent, verebatur. Itaq; alia prius omnia tentanda exiſtimabat. Ungarum militẽ maximis præmiis propoſitis, ut muros denuò ſubeat, excitat: equitem ut quisq; maximè manu ſtrenuus erat, ut unà cum pedite, miſſo equo, muros ſuccederet, hortatur: cum primis ejus rationẽ habendã docet, ne quemadmodum antea fecerãt, priusquam vires planè incendia ſumerent, ſe reciperent: ſub muris deniq; telisq; hoſtium mortem pro gloria gentis opinioneq; fortitudinis militaris oppetere prçſtare, quam infecta re ab oppugnatione diſcedere, contumeliamq; hãc accipere. Ita miles magno ardore ſub mœnia arcis tædas, quæque in eos uſus jam ante præparata erant, alia præ ſe ferens ſuccedit. Et cum tanquam inclinante fortuna pluviæ ſub id tempus paulum quieviſſent, ignis fundamentis illatus, murorum latus id mox corripuit: idemq; longè lateq; amplexus, totum eum diem cum extingui nõ poſſet, populabatur. Erat hic Auguſti viceſimus nonus. Interim cum incendium excitatum latiſſimè colluceret, vereretur que Rex, nè ex vicinis locis maximè autem, Sokola, ubi lectiſſimam partem exercitus Pleſcoviam

à Mo-

à Moſco coacti conſediſſe ſuprà oſtendimus, hoſtes ipſis ignibus exciti, ad liberandam ab incendio arcem atque ſuos concurrerent: & ex arce ſimul eruptio tentaretur, exercitum univerſum caſtris productum, juſta peditum manu præſidio caſtris relicta, ſub ſignis in campo conſtituit. Ipſe aulico equitatu præſidio aſſumpto, quò melius in omnes partes animo occurreret, Polottam transgreditur: quod & Sokolenſis via illac duceret, & eruptio ſi qua tentaretur, ab illa parte maximè timenda eſſet. Territi his rebus Moſci de deditione agere cœperunt: decemque de muris ſe dejicientes ad noſtros transfugiunt. Eos dum Bekeſius ad regem mittit, Ungarus miles, ut cæteros à deditione deterreret, ne per eam expugnatæ arcis gloria victoriæq; fructu atque omni laborum ſuorum præmio privaretur, trucidat.

Præter cætera enim, cùm arcis tam famoſæ, tum præcipuè ædis D. Sophiæ, quæ in illa eſt, vetuſtiſſimarum opum, argentearum ſtatuarum, ampliſſimorumq; priſcorum Ruſſiæ Principum donariorum, quæ in illa fuiſſe dicebantur, fama ingentis prædæ ſpe militum animos compleverat; qua illi incenſi omnes acerbitates, quò ea potirentur, æquiſſimo animo perferebant. Cum jam adveſperaſceret, magni & laboris & periculi videbatur, in tam præruptum collem per flammas evadere: durabat enim adhuc incendium, nec niſi per id ulla alia via militi in arcem patebat; hanc ob cauſam in ſequentem diem rem differri placebat. Interim dum in caſtra Rex ſe reciperet, ex Ungaricis ſtationibus, nonnulli inter ſe ipſi cohortati globo facto, per pontem, de quo dictum eſt, in adverſum collem contendunt, perque flammas nondum reſtinctas ſemiambuſti in arcem evadunt. His Poloni pedites non pauci exemplo invitati ſe adjungunt, contra eam partem, in qua incendium excitatum erat, ſubitario opere foſſam Moſci duxerant, per eamque minoribus tormentis diſpoſitis in omnes caſus ſe communierant, à quibus noſtris rejectis, perque flammas inde, quò temerè progreſſi erant, recedere coactis, Moſci hoc ſucceſſu elati, longius eos inſecuti ſagittis à tergo feriebant.

Interim ducenti Samoſcij pedites, qui præſidio, ut dictum eſt, ponti erant, per quem in arcem ibatur, repulſos conſpicati, auxilio noſtris accurrunt, Moſcosq; ſe recipere cogunt. Rex cum paulum verſus caſtra progreſſus fuiſſet, atque interim irruptionem hanc militis conſpexiſſet, ad ferendam munitionibus opem, in Sokolenſem potiſſimùm viam intentus, quæ uſui ſint, diſponit. Idem Meletius facit: equoque deſcendens, ac multos è nobilitate, qui idem fecerant, ſecum trahens, munitionibus tormentisque præſidio accurrit. Non deerant ſibi eo tempore hoſtes, exque altioribus turribus, præſertim verò mediæ arcis ut longè cæteris altioris, creberrima in omnes partes tormenta exonerabant, ab iis dum Rex cum Samoſcio forte colloqueretur, uterque non leve periculum adiit. Nam cum fortè Samoſcius à colloquio eo equi mutandi cauſa ſe convertiſſet, & eques quidam in ipſius locum incautius ſe intuliſſet, globo penes ipſum Regem exanimatus concidit. Motum hunc nox ſuppreſſit, inſignemq; ſimul animorum mutationem attulit, ut de maxima ſpe, quam ex diei illius incendio conceperant, in adverſum caſum dejectorum, querebantur omnes hoſtium animos hoc ſucceſſu auctos, noſtrorum imminutos. Inde inter nationes quoque diſſenſiones oriebantur, cum Poloni in Ungaros culpam temeritis conferrent, ab iisque initium factum dicerent: & poſtquam in arcem perruptum fuisſet, non ſatis animosè altera ab altera rem geſtam diceret.

Has ob res ſequentis diei antemeridiano tempore ſolo ad confirmandum militum animos dato, iterum oppugnatio cœpta fuit. Pridie Moſci, quemadmodum oſtenſum eſt, ex propugnaculo, quod conflagrârat, ſe ſubduxerant: cumque is potitus ejus eſſet, ut in ſummo duorum conjunctorum laterum, quæ utrinque quaſi tutabatur angulo collocatum eſſet: Moſci angulo, & quod inter duo proxima oppoſita inter ſe propugnacula, ad quæ ignis nondum pervenerat ſpatij intererat, omni deſerto, propugnacula eadem inter ſe conjunxerant: interim verò ſpatium ad eundem locum, quem antea reliquerant, recipiendum nactos ſe rati, repetere eum cœperant. Hac re ad Regem delata, qui nullum ſui rurſum, ibi communiendi tempus iis dari volebat, mox militem ſub vallum rurſum ſuccedere, hoſteq; dejecto locum occupare jubet. Ita pars ea montis ſubito Ungarorum impetu capitur, ab ea deinde quemadmodum juſſi erant, ſecundùm proximum latus munitiones proferunt: Petroq; Racio nobili equite Ungaro iis præeunte, propugnaculo, in quod primum incurrerant, ignem injiciunt, ex quo cum incendium ortum per totam noctem duraret, noſtri majoribus etiam aliquot ſclopetis, quibus hoſtes infeſtabant à fronte diſpoſitis, eousque per totam noctem continuo opere foſſas perduxerant, ut ſub auroram ab hoſtium munitionibus non multum abeſſent, adque inferiorem ejus loci angulum, in quem nimirum foſſa ab hoſtibus pridie ducta deſinebat, ferè pertingerent: latera autem hoſtium ita nudarentur, ut ne intra præſidia quidem ſua tutò conſiſtere poſſent.

His rebus ab omni defenſionis ſpe hoſtes intercluſi ad deditionis conditionem redeunt: mittuntur communi omnium Bojarici generis, ac militum nomine legati, qui vitam iis, qui in arce ſint, paciſcantur. Impetrant, ut ſingulis cum veſtimentis, quò quisque velit ſe recipere poſſet. Epiſcopus, quem Vladicam illi vocant, Cypri-

anus

anus & Palatini, qui in arce erant, ſoli deditionem diſſuaſerant ; mortemq; ſubire præſtare, quàm vivi in poteſtatem hoſtium ſe traderent, contendebant. Jamq; antè pulveri tormentario ignem ſubjicere, communiq; incendio arcem ſeque & omnes, qui in arce eſſent, abſumere conati , à militibus prohibiti fuerant: & tum ſententia eorum communi reliquorum omnium metu repudiata, illi tamen in ædem D. Sophiæ ſe contulerant, non priusquàm vi inde abſtraherentur, deceſſuri. Rex retentis apud ſe legatis, mittit qui Epiſcopum & Palatinos ad ſe adducerent. Adducti in faciem procidentes more ſuo Regem ſalutant; unus præterea Petrus Volenſcius alterum ex iis Baſilium Mikolinſcium accuſabat, quòd opera ejus ad principem ſuum delatus, inq; vinculis habitus fuiſſet. Rex non cognitionis tempus hoc eſſe oſtendens Laurentio Voinæ quæſtori Lithuaniæ, qui curam eorum haberet, tradi eos jubet. Mittit indè, qui arcem accipiant, partim Polonos, partim Ungaros. Altero die cum rei divinæ operam dare ante omnia Rex vellet, proq; obtenta victoria grates Deo agere, fœtore projectorum paſsim cadaverum, quæ inſepulta hactenus Moſci reliquerant, arcem ingredi prohibitus, Moſcos, qui in arce ad hoc tempus remanſerant , educi juſſit. Ei rei præponuntur , qui ab injuriis militis eos defendant, decedentibus duplex locus aſſignatus fuit; in alterum, qui in regis ditionem atq; fidem venire : in alterum, qui in Moſcoviam redire vellent, concedebant. Utrisq; liberum de ſe commodisque ſuis ſtatuendi arbitrium permittebatur ; major pars reditum in patriam & ad principem ſuum eligebat; inſigni in utrunque fide ac perſeverantia; cum eorum nemo eſſet, qui non ad certiſsimam mortem & exquiſitos cruciatus proficiſci ſe exiſtimaret. Pepercit tamen iis Moſcus; ſeu quod extrema neceſſitate adactos exiſtimaret; ſeu quod adverſis rebus, ut de animo, ita de crudelitate remiſerat: perque vicina præſidia Lukos, Savolotiam, Nevelam, Uſuiatam eos diſtribuit, in quibus deditionis Polotienſis ignominiam virtute delerent. Ne à milite injuriam acciperent, ſummam Rex curam adhibuit; itaque accidit, ut cùm inſpectante Rege ex arce digredientes, quidam in tanta multitudine facilè latiturum ſe ratus, aliquos ſpoliaret, eum Rex ipſe clava in illum invectus , notaret. Ea res tantam illi venerationem in animis hoſtium faciebat , ut quò magis clementia atque fides ignota hominibus duriſſima ſervitute oppreſſis eſſent, eò magis in illo virtutes haſce admirarentur. Reperiebantur per aream arcis diſperſa corpora nonnullorum militum noſtrorum; quos illi, quod in tanta victus atque omnium rerum inopia evenire neceſſe erat, in ſubjectis arci ſclopetariorum hortis herbas, quibus extremam famem tolerarent, legentes oppreſſerant; atque intra munitiones ſuas abſtractos immani cruciatu laceràrant. Maximè in Germanorum unum atq; alterum crudeliùs, quàm in cæteros ſævitum ab illis animadvertebatur. Crurum tenus in lebetem impoſitos igni circumjecto ferventi aqua vivos coxerant, manibusq; eorum fune per lacertos trajecto à tergo revinctis, ventrem totumque corpus eorum, crebris in longitudinem per id factis vulneribus ad ſciſſi thoracis modum fœdiſſimè laniarant. Fremebatur paſſim hanc ob cauſam à militibus. Rex tamen fidem ſemel hoſti datam nulla ratione violandam ratus, iis qui in Moſcoviam redibant, duas alas equitum, qui ab injuria eos tuerentur, adjunxit. Poſtridie ſupplicationes ob rem proſperè geſtam, cum in arce eam, quam diximus, ob cauſam haberi non potuiſſent, in caſtris habitæ fuerunt. In Poloniam etiam de iisdem habendis edicta miſſa. Præda minor expectatione ac fama tam opulentæ arcis reperta fuit. Repererat in ea Moſcus auri argentique non modo publici ac ſacri , ſed privati etiam maximam vim; quam nobilitas mercatoresq; Polotienſes ſub periculum oppugnationis in ædem ad ſummum congeſſerant ; ſed capta urbe gazam omnem paucis donariis relictis in Moſcoviam ſecum avexerat. Omnis militi conceſſa minimè tamen ſpei ejus ſatisfecit. Non minori ferè in pretio, quàm reliqua præda , bibliotheca ibidem inventa apud homines literatos habebatur. Erant in ea præter annalium libros , plerique Doctores eccleſiaſtici Græci, ac in iis Dionyſij Areopagitæ de hierarchia cœleſti & eccleſiaſtica libri Slavica omnes lingua; quorum pleroſque à Methodio & Conſtantino in eam linguam è Græca traductos ipſorum annales tradunt. In eccleſiaſticis enim inſtitutis à cæteris fere ejusdem etiam ritus gentibus hoc vel maxime Moſci differunt ; quòd conciones apud populum , quibus is erudiatur à Sacerdotibus nullas haberi patiuntur; ſed quæ à veteribus doctoribus Græcis tradita ſunt , in ſuam linguam in hunc uſum traducta , ſtudioſaque conquiſita è ſcripto publicè pronuntiant; ſed quòd homines nullis literis eruditi ſuo ingenio minus confidant; ſeu verò, quod propius vero videtur , ne pro curioſitate ingenij humani nova inveniendi ſtudio ab antiquitate ac veritate recedatur. Apparatus bellici maximè autem pulveris tormentarij tantum reliquum fuit, ut licet per id omne obſidionis tempus magna ejus pars abſumpta fuiſſet, nihil tamen adhuc ad longiſsimã quamvis obſidionem tolerandam defuturum ijs fuiſſe videretur, commeatus etiam atq; pabuli ſatis magna copia inventa ex labore & inopia exercitum brevi refecit. Sed dum è tot incommodis ſibi quisque primo proſpicere contendit, jurgia inter nationes Polonicam & Ungaricam orta eò usque proruperunt, ut cuneo facto ſtrictis utrinque gladiis mutuo in ſe irruituræ conſiſterent.

Jam ante miles Polonus circulari : fremere totis caſtris : contemni virtutem ſuam ab Ungaris : eos omnibus ſe anteferre : fructus victoriæ prædamq; omnem ſolos intervertere : pro illorum laude & commodis bella ſuſcipi. Inter quas gregarij militis diſſenſiones, Senatorij etiam ordinis , ducumque ipſorum offenſiones nonnullæ exiſtebant. Nam & Meletio cum Palatino Vilnenſi etſi arctiſſima neceſſitudine conjuncti inter ſe eſſent, ex communione muneris alienationis nonnihil interceſſiſſe videbatur: interque eundem & Samoſcium, & ſi non minor neceſſitudo inter eos intercederet, ne ſatis tamen alter ab altero amaretur , dubitatio ſuborta videbatur; cùm hic ſi quid ad rationem muneris ejus ſpectans attingeret, offenſum eum iri exiſtimaret. Meletius pro mutua neceſſitudine non ſatis authoritatem muneris ſui juvari à Samoſcio arbitraretur. Angebatur maximè animo ea dignitate atq; authoritate vir , quòd à Bekeſio aliisq; exteris non ſatis majeſtas tanti magiſtratus, cujus in regno hoc ſumma ſemper authoritas fuiſſet, obſervari putaretur: imperijque militaris majeſtatem in ſe imminutam videri moleſte ferebat. Acuebantur diſſenſiones hæ à magiſtratuum, qui defuncto Joanne Chodkevicio ampliſsmi vacabant, petitoribus ; qui ut à quoque juvari vel deſtitui ſe exiſtimabant , ita alios in eum animabant. Militi quo diſſidia inter eum tolleret, quòd præda expectationi ejus non reſpondetat, donativum Rex dedit.

Tenebantur adhuc in agro Polotienſi præſidiis hoſtium Sokola, Turoulia, Suſa, aliaque caſtella quædam ; quæ niſi prius quàm indè diſcederet, dejeciſſet, pacatam ſe regionem eam obtinere non poſſe Rex intelligebat. Maximè à Sokola, & Turoulia timebat, quarum cum illa læva ad Pleſcovienſem viam pertineret, & jam ante ſummiſſis inde copiis firmata fuiſſet ; ne id poſthac rurſum fieret, majoribusque copiis inde aliquid tentaretur, verebatur ; hanc quod ad Dunam flumen poſita eſſet, itidem magnam totius ejus regionis infeſtandæ opportunitatem habere videbat ; Sokolam Meletium mittit. Hic equitatum peditatumque Polonicum, & militem Germanum ſecum ſumit. Turouliam Bekeſium cum Ungaris mittere in animo habebat: Interim cum Martinus Kurzius cum Koſakkorum manu Palatino Vilnenſi operam ſuam detuliſſet , is adjuncto ei Conſtantino Lukomoſcio præfecto Ulenſi miſſus eo fuit. Moſci, qui in præſidio erant, quod per eos dies tormenta atque ignes ceſſare animadvertiſſent, id quod erat , Polotiam in poteſtate Regis eſſe conjectura exiſtimantes, ne quicquam retinentibus eos præfectis per averſam portam ſe ejiciunt; fugaq; caſtrum deſerunt, Palatini, qui in eo remanſerant , ad Regem adducuntur. Suſſam , quòd omnium eſſet munitiſſima , in eaque Moſcus maximum apparatum belli , commeatusque haberet : & tamen citerius Dunam in ſolo Lithuanico poſita præſidiis aliis exciſis , omnique commeatu intercluſo , ultrò in poteſtatem ventura videretur, in præſentia tentare non placebat. Quibus rebus perfectis, quæ ad ſtatum provinciæ ſtabiliendum , divinarumque rerum curam pertinerent , adminiſtrare Rex inſtituit.

Templum arcis & ſi ſatis amplum eſſet, pro captu etiam loci magnificè ex lapide conſtructum , quod tamen à Græci ritus hominibus teneretur, quorum & magna multitudo eſſet, in eoque jus ac poſſeſſio antiquiſſima videretur, ejus formulæ Epiſcopo Ruſſico, qui ante jam templi ejus titulum Vitepſciæ ipſe agens uſurpabat, permiſit; maximè verò quod ejus quoque rei rationem habendam ſibi exiſtimaret, ut cùm longius bellum in Moſcoviam proferre in animo haberet, intelligeretq; quantum ad animos hominum in omnes partes permovendos religio poſſet, ne religionis amore , ſi eam relinquendam exiſtimarent, à deditionibus abſterrerentur. Ad Romanæ Eccleſiæ uſus novum deſignat. Huic agros & poſſeſſiones, ex iis quæ maximè vicinæ erant, ampliſſimas addidit : certisque proventibus annuis ad perficiendam fabricam & ſacerdotum uſus, dum ager è vaſtitate ad culturam perduceretur , è portorio interim aſſignatis, Societatis Jeſu ſacerdotes in eo collocat: quorum & pietatem, & in reducendis ab errore hominibus diligentiam probabat; quamque eo magis neceſſariam futuram ibi judicabat ; quo major in hominibus illis ac maximè agreſtibus non modò divinarum rerum omnium ignorantia , ſed impietas tanta eſſet, ut cum ad colendos agros hominibus non abundarent, plebs ruſticana moribus ſuis ad proprias uxores, communes aliàs filijs infantibus duceret ; cum his, quo pluribus liberis domum complerent, interim concumbebant, filiisque deinde, poſtquam ad juſtam ætatem ij perveniſſent , eas tradebant. Foſſas munitionesque ab exercitu inſtitutas Ungarum militem complere jubet. Murorum partem dejectam , quomodo reſtitui velit, arcemque ipſam qua ratione muniri, demonſtrat. Pecuniam quæque alia uſui ſint ad eam rem deſignat , præfectos conſtituit. Regebatur Polotia antiquitus , quemadmodum & Kiovia à legatis regiis : Palatinorum honore ac dignitate , cum per univerſam Lithuaniam non plures quam duo Palatini , Vilnenſis ac Trocenſis , totidem Caſtellani eſſent , carebat.

Poſtea amplificato Senatu Lithuanico , non modò Polotiæ & Kioviæ ducatus , ſed & Vitepſia digna viſa eſt , quæ à Palatino adminiſtraretur.

Polotiæ Palatinus erat , cum à Moſco caperetur , Stanislaus Dovoina ; qui cum uxore Petronia è domo Radivilorum in Mo-

coviam abductus, cum per aliquot annos in ſervitute & compedibus vitam traxiſſet, non prius inde rediit, quàm ab Sigismundo Auguſto, uxore ejus in captivitate mortua, aliquot aureorum millibus redimeretur. Cum de conjunctione inter Polonos & Lithuanos ſub Sigismundo Auguſto conveniſſet, ac quo Lithuanicorum Senatorum numerus Polonicum æquaret, complures per Lithuaniam Palatini ac Caſtellani creati fuiſſent; quia agri Polotienſis nonnihil in poteſtate adhuc erat, ad Palatinum Caſtellanus etiam adjectus fuit. Quo tempore in illa Moſci ex eorum temporum ſucceſſu non in factis modò, verum dictis etiam inſolentia id quoq; non irridiculè ab eo dictum percrebuit: nihil Auguſtum Regem ex capto Palatino incommodi accepiſſe, qui pro uno quinque jam haberet: decem pro duobus habiturum, ſi ad priorem Palatinatum alterum ei auferret. Devoina quoad vixit, titulo ac dignitate Palatini uſus interregni tempore deceſſerat. Cum in regnum rex veniſſet, annitentibus Lithuanis, ne ſuorum Senatorum numerus minueretur, Nicolaum Dorohoſtaiſium Palatinum Polotienſem creârat. Eidem nunc Polotiam adminiſtrandam commiſit: Horodnicium quem illi magiſtratum vocant: quique arcis munitionum curam habet, Franciſco Suko tradit, præſidium ex equitatu peditatuque qui quotque permanere debeant, deſcribit. Sigismundus Auguſtus nobilitati Ducatus Polotienſis quæ bonis exuta à Moſco fuerat, aliis in locis bona poſſidenda ea lege dederat, ut ſi quando recuperatus ager is ab hoſte foret, iis rurſum cederent: Rex bonis eorum illis reſtitutis, hæc ad ſexennium nihilominus, dum ſua ab hoſte vaſtata, rurſum excolerent, permiſit. Meletius interim Sokolam cum exercitu, ut dictum eſt, contendens in itinere cùm viarum proximis pluviis inundatarum, tum commeatus maximis difficultatibus afficiebatur. Tormenta Rex Dunam ſecundo flumine Dryſſam usque ad cognominis caſtello illi fluminis cum Duna confluentem demiſerat; ab eo loco per Dryſſam Sokolam usque trahebantur. Cum ad Sokolam fluvius Dryſſa etiam nonnihil exercitum moraretur; quòd ponte, quem Kaunæ ex navibus factum ſupra oſtendimus, alter ad Polotiam exercitus in transvehendis commeatibus uteretur, nec alterius tam ſubitò expediendi ratio initi poſſet, Joannes Zbaraſius Palatinus Braslavienſis cum parte equitatus flumen tranat, averſaque à Sokola parte Pleſcoviam verſus in excubiis conſidet, ad reliquum exercitum traducendum Nicolaus Vrovecius claro loco natus equitum præfectus operam ſuam Meletio detulit, rateq; ex robuſtiſſimis trabibus, iisque catenis ferreis aliisque firmiſſimis vinculis inter ſe devinctis ab eo effecta, exercitus transductus fuit; nihil aliud hoſte moliente, cùm non difficulter tranſitu impeditos prohibere potuiſſet, quàm quòd excubiæ eorum more ſuo ad terrorem noſtris faciendum obequitantes diverſarum gentium, quæ ſub imperio Moſci ſunt, Kaſanorum, Aſtrakanorum, aliarumq; nationum copias ſuo quasque nomine citarent. Propter viarum malignitatem & jumentorum proximis ad Polotiam incommodis amiſſorum inopiam currus miles nullos ſecum devehere potuerat. Itaque non metatis caſtris, ſecundum Dryſſam flumen conſedit. Germanicus peditatus ſecundùm Dryſſam, Polonicus verſus Niſciam foſſas munitionesq; quæ diverſis locis cœptæ deinde committerentur, ad caſtrum agere inſtituit. Hoſtis, quod noſtrorum non adeò magnum numerum videret, & cum ſuperioris obſidionis tum itineris incommodis debilitatos: ſuos omnibus rebus integros, ſimulato metu, quemadmodum ex captivis poſtea cognitum fuit, intra munitiones per noctem ſe continere, curatisque interim corporibus omnibusque rebus ad eruptionem paratis ante lucem eos adoriri in animo habebat. Fortè accidit ut Dobroſſolovius, qui tormentis à Meletio præpoſitus fuerat, tres globos candentes, quorum ſupra rationem demonſtravimus, experiretur. Ex his duo cum incendium feciſſent, ab hoſtibus ſuppreſſi fuerunt: unus cùm imo fundamento adhæſiſſet, non animadverſus haud multò poſt, quod muri ex abiete & arida materia facti eſſent, latiſſimum incendium ſuſtulit.

Quod cum Meletius conſpicatus ſignum tuba, quo ad arma capienda omnes convocarentur, mox dediſſet, Moſci inopina re turbati, ſimulque noſtros irrupturos exiſtimantes, cùm reſtinguere incendium non poſſent, ac tantum repentini periculi objectum eſſet, diverſis portis trepidi ſe effundunt. Seremetus cum parte equitatus Pleſcoviam verſus ſe recipiens in Joannem Zbaraſium Palatinum Braslavienſem, qui ab ea parte hoſtem obſervabat, incidit; vivusque cum iis, qui circa illum erant, in poteſtatem ejus pervenit. Qui ab altera parte cum Boriſſovo Seino ſe ejecerant, in Germanos inciderunt. Hi cupiditate ulciſcendi tot annorum injurias, quibus in nomen Germanicum crudeliſſimè Moſcus ſæviiſſet, cujusque recens exemplum nuper capta Polotia vidiſſent, omnes in iisq; Seinum interficiunt. Qui reliqui in arce erant, ſupplices vitam rogare cœperunt: ſed irrumpente milite Germanico omnesq; promiſcuè cædente, deſperata ſalute cataractam, quæ ex ſuperiori loco portæ imminebat, demittunt: concluſosq; in arce ad quingentos milites Germanos interficiunt. Interim Roſdraſevius Germaniq; quidam ac Poloni impigrè portam effringunt, qua patefacta tum verò pars cæſa fuit, pars rerum omnium deſperatione adducta ultrò in ignem ſe præcipitans conflagravit. Magna ubique cædes fit; ut multi ac præter cæteros Veierus veteranus

præfectus, cum ſe multis præliis interfuiſſe dicerent, nusquam in ullius prælij loco denſius ſtrata conſtipataq; inter ſe cadavera ſe vidiſſe confirmare non dubitarent. Multi inter occiſos obeſo corpore erant: iis focariæ Germanorum apertis corporibus ad notas vulnerum medicationes, atq; in his Seino quoq; adipem detraxerunt. Hinc Moſcus epiſtola quadam ſua, de qua infra dicemus, ad Regem ſcripta, inter alia cum hoc, tum quòd candentibus globis in oppugnando ſe uſus eſſet: alterum tanquam immane crudelitatis facinus, alterum quaſi non virtute atque acie, ſed artificio quodam contra ſe niteretur, Regi exprobrat. Etiam in præda operæ pretium factum fuit argentique ſignati apud plerosq; Bojarici generis referti loculi reperti, militem ſuperioribus incommodis attritum, non refecerunt modò, ſed & locupletarunt. Meletius cum exercitu ad Regem reverſus magnum captivorum numerum, quorum partem publicè Regi, partem amicis donavit ſecum attulit. Rex præfectis plerisque centurionibusque ac militibus etiam, quorum paulò inſignius facinus extitiſſet, cum præfecturis, quæ tum vacabant, tum aliis militaribus donis ob virtutem donatis, quæ in quæque ſtativa copiæ ducendæ eſſent, præſcribit. Inde Diſnam proficiſcitur. Hic quod ulterius in Moſcoviam proximo anno bellum promovere conſtituerat, tormenta omnia, præter ea, quæ refectione opus haberent, relinquit. Inde literas ad Moſcum mittit; quibus ipſius inſtituto, quo ille poſt Livoniam vaſtatam uſus fuerat; de ſucceſſu expeditionis certiorem eum facit. Hæ eo tamen argumento ſcriptæ erant; ut non tam ſucceſſu rerum ſecundarum efferri, quàm tot hominum innocentium clade commoveri ſe teſtaretur; ejusq; rei cauſam omnem in Moſcum atque illius in ſe injurias conferret. Dum ad Polotiam Rex erat, legatio ab Henrico Ordinis Teutonici magiſtro eum convenit. Initio regni cum hujusmodi nonnullæ difficultates Regem excepiſſent; quæ quominus in tempore bello Livonico occurreret, Adolphum Holſatiæ Ducem excitarat, qui fiduciario ſeu feudi jure Livoniam à Rege peteret, defenſurumque ſe in ea bellum contra Moſcum polliceretur. Hujus æmulatione Joannes Chodkevicius Caſtellanus Vilnenſis Magiſtro atque ordini militiæ Marianæ Teutonicæ idem oſtentarat; miſſusque ab eo Joannes Taubius Livo illi perſuaſerat, ſi peteret, traductis in ſententiam per largitiones primatiis aliquot Senatoribus, non magno negotio eum aſſecuturum. Rex primo Vilnam legatis rejectis, in comitiis hiſce de rebus agendum iis oſtendit: mutui interim mentione extra conditiones injecta, quod in bellum hoc princeps eorum conferret: qua de re cum illi mandata nulla ſe habere dicerent, ad Principem autem ſuum relaturos ſe recepiſſent, Varſaviæ deinde miſſione flagitata, nulla alia re acta diſceſſerunt. Rex conſcenſo Diſnæ navigio, ſecundo Duna non parum fluminis ejus amœnitate delectatus Druiam: inde terreſtri itinere per Braslaviam Lithuanicam Vilnam venit. Accedenti Andreas Caligarius legatus Pontificius tum complures ex nobilitate obviam profecti fuerunt, Civitas Vilnenſis tota in gratulationem effuſa, compoſitaq; oratione illum excipiens, duobus è locis maximè ante hac ſecuritatem ac negotia ſua interpellata commemorabat; uno à Polotia, altero à Kokenhauſio, illud incommodum benignitate divina, ac virtute ſua Regem amoviſſe: alteram quoque ut à cervicibus ſuis removeret, ſe illi precari. Inter alios Moſci quoque deditici j obviam, ei progreſſi panem & ſalem, quibus ſuum principem venerari in more habent, ei offerebant. Moſcus nuntio amiſſæ Polotiæ ac præſidij Sokolenſis cæſi accepto, Pleſcovia in interiorem Moſcoviam ſe recepit; ac re ipſa fortè tum perſpiciens, unicum regni robur fortes ac fideles populos eſſe, ex itinere ad eos, qui Suſæ in præſidio erant, literas præter morem ejus ſcriptas miſit, easq; diverſis perferendas dedit. Intellexiſſe ſe Polotiam ac Sokolam Dei permiſſu in hoſtium poteſtatem perveniſſe: qua re cum undique eis interclusis non facile ſubſidio veniri poſſit; hortari ut tormentis præſertim ac pulvere reliquoque belli inſtrumento, quod ſecum deferre non poſſent, corruptô: imaginibus & ſacris, ne à barbaris: eo enim ille numero omnes, qui in religione ab eo diſſident, habet: ludibrio habeantur, in terram defoſſis, quacunque tuta ratione ſe recipiant; non quod de fide eorum dubitaret, ſed ne virtutem eorum, quam ad majora ſuperſtitem eſſe velit, fortunæ atque hoſtium crudelitati objiciat. Pervenerunt hæ literæ ad Meletium, qui de tormentis potiſſimum & inſtrumento bellico ſollicitus, qui ad deditionem hoſtes hortaretur, miſit. Eædem autem cum in Palatinum Polotienſem etiam incidiſſent, ipſe quoq; eo accurrit. Hoſtes pacti, ut ſingulis cum veſtimentis diſcedere ſibi liceret, caſtrum tormentaque & quicquid in eo apparatus bellici erat tradiderunt, quibus rebus perfectis Meletius in tres partes exercitum diſtributum in hiberna deduxit. Primis Chriſtophorum Niſcicium legatum: alteris Martinum Kaſanovium: tertiis Sigismundum Roſnium præfecit. Jam ante Conſtantino Oſtrogiæ Duce excurſionem in ditiones hoſtiles, quæ ad Boryſthenem pertinent parante, Nicolao Seniavio ſtationum Ruſſicarum præfecto, Rex mandârat, ut cum iis copiis, quæ in Ruſſiæ finibus ſub imperio ejus excubabant, cum illo ſe conjungeret, inque hoſticum à Kiovia transgrederetur: verùm Seniavio longinquitate locorum impedito, & adulto jam autumno, non prætermittendum id gerendæ rei tempus Dux ratus, collectis ex clientibus ſuis, quorum ſatis magnam

copiam habet, aliquot millibus hominum, aliisq; ex juventute compluribus se ei adjungentibus, cum filio Janusio & Michaele Visnovecio Castellano Braslaviense Borysthenem transgressus fuerat: expeditissimisque quibusq; turmis præmissis, atq; his longè lateque vagari, & terrorem in omnes partes circumferre jussis: ipse cum reliquis copiis Cernihoviam usque excurrerat: quam castris metatis magna vi oppugnare aggressus, cum præsidio firmo eam teneri, idque & animis & omnibus rebus aliis ad defendendum locum paratum esse videret, se à peditatu tormentisque imparatiorem accessisse: reliquas copias maximis itinerum & tempestatum incommodis afflictas, missa obsidione vicina circum loca omnia diripuerat, totaque Severiensi ditione vastata, ac populationibus ad Starodubam, Radehostiam, Pociopoviam usque per leviores equitum turmas factis, præda ingenti acta discesserat. Simili successu Joannes Solomirecius, qui post mortem patris extra ordinem Micislaviensem præfecturam administrabat, Jaroslavum oppidum, pagosq; complures diripuerat. Philo etiam Kmita præfectus Orsanensis, cui turmæ aliquot equitum assignatæ erant, coacta ad eas non mediocri finitimis è locis cujusque generis hominum manu in ditiones hostiles transgressus, duobusque circiter millibus pagorum incensis & ad Smolenscam populationibus provectus, præter agri solum nihil iis in locis reliquum fecerat; indeq; magna cum omnis generis præda, nullo detrimento accepto suos reduxerat. Rex cum aliis necessariis de causis maximè verò ut bellum persequeretur, comitia habenda sibi intelligeret, eaque jam in ante diem vicesimam tertiam Novembris Varsaviam indixisset: interim, quæ ad Lithuaniæ securitatem pertinerent, quæque in omnes casus contra hostium impressiones opponenda judicabat, cum Senatoribus Lithuaniæ constituit, qui eorum præsidio provinciæ domi remaneant, qui comitia obeant, inter eos comparat, Vilnæ Radivilum Palatinum Vilnensem, qui cum imperio militari erat, relinquit. Simul magistratus, qui vacabant, distribuit. Quibus Radivilos præ cæteris complexus ad Episcopam Vilnensem, quæ Georgio Radivilo designata jam ante erat, Palatinatumq; ac imperium summum militare, alterum item prætorij militis, quorum illud Nicolaus pater, hoc Christophorus filius obtinebant; Christophoro Castellanatum Trocensem & sigillum minus adjicit: Novogrodecensem Palatinatum alteri Palatini filio Nicolao; utrunq; præterea Marschalchatum, Nicolao Christophoro majorem, minorem Alberto alterius Nicolai, qui ante hunc Palatinus Vilnensis fuerat filiis: Castellanatum Vilnensem Eustachio Volovicio, qui Castellanus Trocensis fuerat unà cum sigillo majori dat: abdicante se eo Palatino Vilnensi, ut minus quod Volovicius habuerat, filio Christophoro traderetur. Præfecturam Samogitiæ quæ ardentibus multorum studiis ambiebatur, Joanni Kiskæ confert. Vilna inde Grodnam movet, ubi venationibus, quo uno voluptario labore ex aliis laboribus maxime reficere se solet, dies aliquot dat. Moritur ibidem Gaspar Bekesius, de quo supra dictum est, non minus inimicitiis, quas cum Rege acerrimè olim exercuit, quàm virtute sua clarus. Natus hic in Transilvania & in familia Petrovicij nobilis Baronis educatus, adulta postea ætate Joanni Sigismundo Transilvaniæ Principi adeò gratus extitit, ut cum sine hærede decederet, hunc successorem designare non dubitaret. Cum Rex popularium studiis, prælatus ei fuisset, æmulatione inter eos exorta, dum statum Transilvaniæ turbat, Fugarassio atque aliis castellis à Rege exutus ad Maximilianum Imperatorem in Germaniam se contulerat: ubi copiis aliquot coactis vi deinde & armis invadere principatum conatus fuerat. Verum profligatus à Rege iterum in Germaniam se receperat. Postea cum ad Regnum Poloniæ æmulum ascitum, jamque extra omnem invidiam altiorem in locum virtute conscendisse intellexisset, conscius sibi magnitudinis ejus animi, unum elegerat; cui & maximè se crederet, & à quo commoda ornamentaq; omnia expectanda sibi statueret; suamque illi fidem atq; operam ultro detulerat. Rexq; non modò omnem erga illum offensionem ex animo deposuerat, sed benignè susceptum, opibus etiam ac dignitate amplificaverat. Moriens conjugem & duos impuberes filios Regi ac Samoscio commendavit. Dum hæc geruntur in Polonia non iidem omnium sensus, varijq; ac diversi animorum motus esse. Erant non pauci, qui cum amplissima quæque à Rege polliciti sibi fuissent, ac verò in tanta publicarum rerum difficultate non posset vel effusissima Regis liberalitas omnium expectationi satisfacere, quòd quæ speraverant, non consequerentur, alieniori ferè animo ab eo erant. Cumque quilibet è nobilitate in electionibus Regum suffragium ferat, magna erat multitudo eorum, qui quòd suffragio suo in adipiscendo regno Regem sublevassent, ipsum Regnum debere eum sibi arbitrabantur: videntesque Radivilos tot honoribus auctos: Meletio summæ authoritatis magistratum traditum: iis Samoscium necessitudine conjunctum tot honores ac dignitates conjunctis inter se affinitate hominibus congestas, angebantur animo eaque in suam perniciem comparata interpretabantur; & quod beneficio non afficerentur, injuriam rati, summa in ea republ. facultate, in qua quæ quisque sentit, pari libertate dicere possit, omnia suspecta facere, cunctaque vel præclara facta Regis sinistrè interpretando corrumpere conabantur. Jam ab initio cum Leopolim Russicarum rerum causa pro-

sa pro-

sa proficisceretur, non deerant, qui collecta gaza à Sigismundo Augusto relicta tædio præsentiam in Transilvaniam recipere se cum in vulgus fingerent: postquam Suirum diem exercitui edixisse eum intellexissent, nihil horum gerendi quicquam contra hostem animo suscipi, cujus potentia major esset, quam ut ullius viribus labefactari posset: sed quæri colorem tributarias pecunias, quas in immensum oratione tollebant, intervertendi jactabant. Nonnulli altius provecti Reginæ animum tentare cœperant: ostendere sperni ætatem ejus à Rege: divortium ab eo agitari: missum ea causa Petrum Volscium Episcopum Plocensem ad summum Pontificem: non minus regnum ejus esse, quàm Regis, ut quæ & ipsa tanquam vetustæ Jagellonicæ stirpis ac de regno optimè meritæ prosapia iisdem comitiis Regina appellata, iisdemque regni sacris initiata fuerit; quò illa in partes traducta gratiosum ad vulgus nomen nacti, eò majorem facultatem rempublicam turbandi, ac consilia regis impediendi haberent. Querebantur ferè, non satisfieri conditionibus à Rege, cùm regnum ei deferretur, in Transilvania acceptis: homines adventitios in honoribus & præfecturis collocari; Bekesium potissimum, cui Landskoronensem præfecturam Rex contulerat, notantes. Ad hæc Ducem Churlandiæ non suo loco & tempore deterioribusque è republica conditionibus quàm antea, possessioni ejus Ducatus confirmatum traducebant. Quæ cum pleraque tempus refutasset: maximèque Leopoliensem profectionem, Suirensemque expeditionem falsissimè in invidiam vocatas aperuisset, literis de comitijs allatis, jurgia inter nationes Polonicam & Ungaricam exorta in majus exaggerabant: externos homines induci: à quibus contemni imperium militare: vim summi magistratus enervari: Jam capta Polotia nova tributa Regem in conventibus & comitiis petiturum: sed ut omnis Moscovia in potestatem ditionemque veniret, in tanta amplitudine finium, quam tantæ molis administrandæ rationem, quam utilitatem fore, cùm interim longè magis necessariam præstabilioremq; reipubl. vulnera curationem requirerent? Quidam ut tres partes proventuum capitanealium à præfectis exigeret, Augustanæ cujusdam constitutionis, quam illi in eam sententiam interpretabantur, authoritate postulandum censebant; cum si id fieret, perpetuò finem tributis id allaturum dicerent; quæ cum in vulgus moveri Rex animadvertisset, ac liberius omnibus, quam antea occurrendum arbitraretur, primo, quo agi de republ. poterat, comitiorum die Joannes Samoscius Cancellarius, accommodata ad rem præsentem oratione:

Oratio Samoiscij.

Si ullum tempus fuisset, quo pro maximis in rempublicam beneficiis numini divino gratias agerent, id hoc potissimum esse docet, quo tam præclaram victoriam ab eo hoste adepti sint, quem propter summam potentiæ, virtutis bellicæ, victarumque ab eo gentium opinionem, formidassent omnes: nemo vinci potuisse existimasset. Contigisse id tamen singulari benignitate divina: hostem non modò victum: sed provincia Polotia, quæ victoriæ hujus perpetuum monumentum futura sit, ac superiorum victoriarum ejus dignitate spoliatum, pene esse: omnes ejus triumphos, quos per tot annos de Livonibus & Suecis, quos de Kasanis & Astrakanis subactis, quos de Tartaris, de Turcis denique Tanaim & Volgam jungere Caspiumq; mare in Euxinum Pontum immittere tentantibus, deque tot aliis bellicosis & barbaris nationibus habuerit, hac victoria ei detractos in hoc de illo triumpho prælatum iri. Quæ cum quanta sint, inquit, erga nos Dei beneficia intelligamus omnes, eadem nisi constantia ac virtute tueamur, inertia nostra fructus ex iis percipiemus nullos, ex quibus si rectè benignitate hac divina utamur, maximos percipere possumus. Magnum est, quodque superioribus temporibus vix sperandum nobis videbatur, amplissimum agrum ab hostibus tot annorum spatio possessum, & quo maxima ex parte opes Lithuanicæ quondam niterentur, receptum: hostem tot prosperarum rerum successu elatum in perpetuo victoriarum cursu repressum: aversa arma ejus in vastitatem ac perniciem ditionum harum intenta. Omnia hæc nisi reliqua, quæ restant, belli ejus perficiamus vereor, ut ne modò utilitatis nihil nobis attulisse, sed ne optanda quidem tanto cum labore ac sumptu fuisse videantur. Hostem habemus potentissimum: cujus quæ quantæq; opes sint, & nemo ignorat nostrum, & tot devictæ ab eo nationes testantur. Hunc moderatene vel hanc amisse provinciæ contumeliam ferre vel quieturum putamus? Fremit ille jam, & tanquam fera aliqua intra septa conclusa omnes amissa recuperandi, & acceptas injurias ulciscendi exitus ac rationes quærit. Demus huic vel cunctatione nostra vel pace cum eo facta, colligendi sui, acceptaque incommoda ac domestica vulnera, atque inscitiam ejus, quæ hoc bellum nudavit, sanandi spatium; quis omnium tam securo est animo, qui non multò majoribus viribus ad sarcienda incommoda irruiturum in nos prospiciat; quem nec propter potentiam difficultas ulla à bello revocare: nec in pace propter perfidiam ulla jurisjurandi religio retinere possit? Sero nimirum resistendi ei rationes tum quæremus, quem jam trepidum & perculsum si non levi momento impellere, facilius certe superare possimus. Quod ut non esset nobis verendum, illumque accepta injuria, vel omnino quieturum, vel nihil ab eo periculi expectandum nobis esse Deus nobis fidem faceret: Quis enim alius tantæ rei ido-

neus

neus author exiſtat? at nonne tanta gloria bello hoc parta, quæ deinceps de nobis hominum exiſtimatio futura ſit, commovebimur? aut ulla ratione opinionem bello hoc collectam tueri nos poſſe, ſi in tantas res gerendas ingreſſi in medio earum curſu deſtituere eas videamur: quenquam denique futurum exiſtimabimus, qui non fortunæ potius ſucceſſus hoſce, quam virtuti tributurus ſit? Sunt enim quæ virtute ac ratione adminiſtrantur, cum exigua ijs fortuna interveniat, eorum & media primis & exitus utriſque conſentanei: fortunæ ut cæci ſunt impetus, ita ultima raro primis reſpondentia. Quot ſunt, qui in tanta ditionum amplitudine difficultatem earum adminiſtrandarum verentur, nec expetendum latius imperium putent, quod ſumptu ac labore magno partum, reipubl. uſui nulli eſſe poſſit; mirum ſanè videri debet, eo in repub. animo quenquam eſſe, quo in ſua ſit nemo. Quis enim omnino eſt, qui non decem poſſeſſiones, quàm unam malit? graviora ſunt onera amplæ rei familiaris: eadem majoribus commodis opportunitatibusque penſantur. Reipub. verò noſtræ ego hanc rationem eſſe video, ut ſi nervos rerum gerendarum habere, ſi ſtatum hunc civitatis tueri velimus, novum omninò regnum neceſſario ei adjungendum ſit. Nam cum ditiones omnes, quæ ad eam acceſſerunt, in civitatem ijsdem legibus receptæ ſint omnes: nulla in provinciæ formam redacta: nulla tributaria facta: itaque in pari omnium libertate, onera etiam exæquata ſint inter omnes; iis ſi levari volumus, quam ejus rei facultatem habebimus, niſi inſtituto maximorum quorumcunque imperiorum, nos etiam novum ei imperium adjiciamus; in quod tributis vectigalibusque in eo conſtitutis, gravior communium onerum pars derivari poſſit. Ruſſia ante, cum primum armis victa eſſet, tributaria: non parum tum ſubſidio ejus ſublevata reſpubl. fuit: Lithuaniæ quoque magnum Ducatum, cum antiquis legibus à Regibus Poloniæ regeretur, plurimum per ſeipſum ad ſubmovendum Moſcum, Tartarumq; valuiſſe meminimus; conjuncto eo cum regno, quantum ad publica onera acceſſerit, ſentiendo unusquisque experitur. Quòd ſi qui inopiam ac familiaris rei anguſtias inertiæ ſuæ prætendendas exiſtimant; ij ſi voluptatibus, luxuriæq; modum faciant, ac quos in inanes vel perditas res ſumptus prodigunt, in meliores uſus convertant, vel præclariſſimarum quarumcunque rerum gerendarum neceſſariis adminiculis minimè ſe deſtitui re ipſa perſpicient. Alios, qui domeſticas res conſtituendas arbitrantur, non reprehendo: Si tamen cogitent iidem, præterquàm quòd inteſtinorum incommodorum ſanatio ſemper poteſtatis eorum futura ſit, opportunitatem belli adverſus Moſcum, qualem nunc habeamus, non ſemper nos habituros; potiorem etiam ſalutis quàm aliarum rerum curam eſſe debere. Sunt & qui minus hactenus ſatisfactum ſibi exiſtiment. Habent ij nunc campum cùm virtutis ſuæ illuſtrandæ tum demerendi Regis: proficiſcantur in bellum: operam ſtudiumq; ſuum reipublicæ præſtent; atque virtutis amantiſſimo Rege ampliſſima quæque expectent: Si vel ætas, vel valetudo, vel fortuna cujusquam id non permittunt, non deſunt rationes in togata etiam ac civili vita bonis artibus emergendi: obtrectationibus, ac præpoſteris rempubl. turbandi ſtudiis nemo, quæ virtuti, ac bonis artibus debentur, præmia conſecuturum ſe ſperet.

Hac oratione habita, & ſi nuntij minime dubitabant, quin & bellum & tributum ulterius ſciſcerent, quòd in privatis conventibus victoriæ hoc ſucceſſu læta, atque in ſpem futurorum erecta, frequens in eam ſententiam nobilitas inclinarat: tamen ut aliorum de ſe opinioni ſatisfacerent, ex ijs, quæ publicè jactari animadvertiſſent, cùm de aliis quibusdam, tum de conditionibus, quibus non ſatisfactum à Rege diceretur, & de ære præſertim alieno publico diſſolvendo mentionem inferunt. Docebatur, ſi quas antea in regnum pecunias ad tuendum, dum veniret, regnum rex præmiſiſſet: quas ſecum attuliſſet: quas in militem, qui ante adventum ejus meruerat, erogaſſet: in ſedandos motus Gedanenſium: in hoc ipſum denique bellum de privata ſua inſumpſiſſet, expenderent: ſi quid deinceps facere inſtitueret, conſiderarent, ut nihil nimirum privatum, nihil à publico ſecretum haberet, verùm omnia ſua, ac vitam ipſam reipublicæ impendere non dubitaret, facile conſtiturum [illegible], rectene quid in illo reſpubl. deſideraret. Nam quod ad vectigalium quorundam luitionem pertineret: ſi privati commodi ſui fructum aliquem ſequeretur, ſatis perſpici, longè majori cum emolumento ejus futurum, ſi in eas res, quarum proventus non exiguus ſit, redimendas, quàm in bellum pecunias conferret: verùm ita animo paratum eſſe, ut in præſenti reipubl. periculo, privatum emolumentum publicæ utilitati ac dignitati poſtponere mallet.

De tribus capitanealium proventuum partibus ab initio cum propoſuiſſent, reſponſum fuit, non contineri id verbis conſtitutionis Sigismundi Auguſti, nec contra leges publicas, quibus à verbis conſtitutionum recedere prohiberemur, in eam ſententiam verba trahenda, quæ nobilitatem omnibus virtutum præmiis ſpoliatam in agros atq; familiaris rei ſtudia cogeret. Quem enim poſthac fore, niſi iis præmiis ad virtutem excitetur, qui operam ſuam in bello, in legationibus, in publicis muneribus obeundis reipub. præſtare velit; qui nullis commodis propoſitis, dignitati, ornamentisque patriæ ſerviat? Cum & de militaris imperij imminutione exterorumque honoribus agitatum fuiſſet, oſtendit Rex, nulla

ſe in

ſe in re magiſtratus ejus authoritati derogatum voluiſſe: præfeciſſe ſe Bekecium Ungaris, non ut ſua authoritate bellicarum rerum quid adminiſtraret, ſed ut Ducis imperio ſubeſſet; interpretisq; munere ad militem Ungarum apud ipſum fungeretur: externo milite neceſſitate adductum in bello hoc uſum; quod regnum hoc ut equitatu non modò comparari cum cæteris regnis poſſet, verùm plerisq; fere præſtaret: ita à peditatu minus inſtructum adhuc eſſet: aliorum exterorum opera in Tranſilvanicis rebus, ac privatis miniſteriis ſe uti. Multa de hòc genere, utendumne opera exterorum eſſet, cum inter nuntios nobilitatis diſputata, tum à Senatoribus ipſis multa in eam ſententiam dicta fuerunt, non eſſe improbandum, ſi qui pro aliena republ. periculum ac laborem ſuſcipere, ſanguinemque pro laude ac dignitate ejus profundere velint: non eſſe ſapientis, quòd externorum periculo conſequi poſſit, civium ſanguine quærere velle: hac ratione maxima imperia primùm coaluiſſe: indeque ad ſummam amplitudinem provecta eſſe: hoc ipſo in regno multas primarias familias ab exteris profectas eſſe: inter alias clariſſimam Tarnoviorum domum ad exteros originem ſuam referre: alliciendos potius, qui ſuam virtutem ad reipubl. dignitatem aggregare velint: poſſeque id commodo reipubl. fieri: modo id proſpiciatur, ne vel legibus vel magiſtratib' à civium corpore ſe ſejungant, ſed ijs utrisque unà cum reliquis civibus pareant, vel eò potentiæ excreſcant, ut cives ipſos opprimere poſſint, vel honores iis mandentur: Sed illi quidem in privatis miniſteriis verſentur, publicis honoribus, ac magiſtratibus ſoli cives præſint; quodque in aliis rebuspubl. obſervatum ſit, agris atque ejus generis commodis virtus eorum interim remuneretur; in honoribus capiendis civium præcipua conditio ſit. Silentium indè ea de re fuit: peditem quidem externum nemo erat, qui neceſſarium eſſe negaret.

De Curlando oſtenſum, Ducatum eum à Sigismundo Auguſto Rege: cum Livonia primùm ad regnum ſe adjungeret, longè gravioribus è republica conditionibus Duci collatum fuiſſe; rectè atque ordine, quòd priorum regum authoritate jam ante affectum fuerit, meliori reipublicæ lege à Rege tranſactum; quod diploma ipſum prolatum teſtaretur; itaque nihil alienum à moribus & exemplis malorum factum. Quibus omnium temporum receptum fuiſſet, ut quæ à ſuperioribus rebus feuda conſtituta jam eſſent, ea poſteriores, ſi nihil in iis mutarent, vel adjicerent: nova etiam, ſi quæ ipſi adjunxiſſent injuſſu ordinum Senatus conſilio adhibito conferrent.

Legationis Epiſcopi Plocenſis, cum in Senatu mentio facta eſſet, cauſa ejus vulgata, quę jam in prioribus comitiis in Senatu propoſita fuerat, ſuſpicionem divortij agitati & ipſam ſuſtulit. Ita nullo repugnante, quod priori anno ſancitum fuerat, in hunc denuò tributum jubetur. Præfecti conſilio inter ſe habito redituum præfecturarum ſuarum alteram quartam, qualis Ravam in ærarium publicum inferretur, ultrò Regi detulerunt; conditione adjecta, ne authoritas præſcriberetur, vel in exemplum deinceps traheretur. Poſtulatum inter alia à Rege fuerat, ut per legatos bellum gereret, ipſe à periculo armorum abeſſet; quod cum animi ſui magnitudine indignum Rex judicaret, oſtenſum præterea fuit, quò plures voluntarij, ſi in conſpectu regis operam navaturi eſſent, invitarentur & ad minuendas controverſias, quæ ex Polonicorum & Lithuanicorum magiſtratuum, æmulatione exiſtere poſſent, præſentiam ejus non modò utilem ſed penè etiam neceſſariam futuram.

Leges in Comitiis hiſce cum aliis de rebus, tum quæ ad feuda beneficiariorum principum, ac imperium militare, pœnasque ſcelerum pertinerent, à delectis ex utroque ordine conſcriptæ quædam, non tamen perlatæ fuerunt. Id ſolum Niſoviorum in officio continendorum cauſa, literis quibus tributum promulgabatur, adjectum fuit, ut usque ad futura comitia extra ordinem animadvertendi in eos poteſtas Regi eſſet. Conſtitutum ſuperioribus comitiis fuerat, ut qui reipublicæ cauſa in bello abeſſent, judicia interim in illos nulla redderentur; niſi contra quos vel rerum judicatarum executio peteretur: vel qui vim feciſſe dicerentur: aut qui ad certam diem de pecuniis non ſolutis judicium ſe ſuſcepturos caviſſent. Exceptiones haſce variis calumniis in perniciem reorum nonnulli convertebant: modò majorum lites in eos, quos arripuerant, torquendo: alias longiſſimi temporis ſpatio penè intermortuas ſuſcitando. Itaque interpretatio in hiſce comitiis adjecta fuit; eæ ut cauſæ rei judicatæ atque vis ſolæ exceptæ intelligerentur, ſi quæ recens judicata aut facta diceretur: Obligationes autem in diem certum conceptæ, quæ intra proximum decennium interpoſitæ eſſent. A comitijs Rex Meletium, qui ab iis abfuerat, ut ad ſequentem expeditionem ſe paret, operamque in bello eo navet, per literas hortatur: ille excuſat. Dum Varſaviæ Rex eſt, nuntium redactæ in poteſtatem Niſcerdæ, de qua ſupra diximus, accipit.

Moſcus cum primò Polotiam cepiſſet, nobilitatem, atque ex agris plebem omnem in Moſcoviam deportârat: poſtea inveterata jam agri ejus poſſeſſione, ſpatio temporis amorem priſtini dominij exuiſſe eos ratus, nonnullos atque in Koſſonium quendam non corpore modò, verùm animo etiam ultra agreſtem valente, cum filiis fratribusque itidem robuſtiſſimis hominibus priſtinis ſedi-

bus

bus reddiderat. Hic statim ut in potestatem Regis Polotiam rediisse intellexisset, quomodo cum aliquo munere ad prius imperium rediret, cogitarat.

Kosakkis Polotiensibus, quo statu hostium res Niscerdæ essent, ostenderat. Cumque hi eo, quod illis constituerat, tempore, missa Palatini Polotiensis Niscerdam accessissent, munitionesque, quemadmodum à Kossonio acceperant, nec dum perfectas reperissent, sine negotio potiti ea fuerant. Kossonius nihilominus more suo inter Moscos fortuitum Kosakkorum adventum existimantes, sine ulla suspicione versatus, Savolociam eadem ratione tradere nostris voluerat.

Iisdem Kosakkis diem, quo ad Savolociam accedant, præscribit; seque turrim incensurum, ac dum ei rei Mosci intenti sint, in arcem eos inducturum, constituit. Sed re interim detecta cum duobus filiis in conspectu Savolociæ palo suffixus fuit. Sub idem tempus in Usuiatæ repentina excursione opprimendæ spem Kosakki adducti fuerunt.

Iis Nicolaus Zebridovius Floriani, qui Castellanus Lublinensis & Prætorij exercitus Præfectus olim fuerat, filius, cum hybernorum Vitepsciensium otium ferre non posset, se adjunxerat, relictoque equite fallendi hostis causa, per notas semitas à Kosakkis ductus eò excurrerat: Præsidium custodiis & omnibus rebus firmatum repererunt. Hostes nihilominus subito adventu eorum exterriti, subjectum arci oppidum incenderunt.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti

LIBER IV.

Varsavia Grodnam proficiscenti Regi, & in futuram expeditionem omni jam cura incumbenti, duæ potissimum difficultates occurrebant; rei pecuniariæ altera, quæ tardiùs expediebatur: altera delectus, prioris enim expeditionis, incommodis afflicti, jumentisq; atque instrumento omni per tempestatum & itineris injurias privati, difficultates tam longinquæ militiæ plerique præ oculis habebant, & ob id pauci omninò nomina dabant, qui etiam ex his minus à bello abhorrere se videri volebant, temporis tamen angustia, quo minus ad id parare se possent, excludi se arbitrabantur. Pecunia utitur partim privata sua, partim à privatis mutuò sumpta, quæ ad certam deinde diem solveretur. De delectu Samoscius sibi curæ futurum promisit. Hic quamvis in togato munere versaretur; tamen quod patrem Castellanum Chelmensem Prætoriano exercitui præfuisse, reliquos etiam majores suos plerosque bellicis rebus claruisse meminisset, quo gloriam à majoribus traditam retineret, ac domestica hæc studia ipse quoque non intermitteret, & ante hac semper, & in superiore expeditione militem aluerat, fortesque viros aliquot circa se habuerat; & tunc communicata re cum Rege equitem peditemque scripturum se professus fuit. Re vulgata, magna multorum animis alacritas innata fuit: passimque à plurimis nomina data: Ad hos Ungarum militem à fratre Christophoro Transilvaniæ principe scribi curat. Cum ante hac peditatu non multum Polonia uteretur, propterea quod nobilitas ferè omnis equis merebat; pedestrem militiam, quæ laboris plus, dignitatis minus haberet, negligeret: atque ita peditatus omnis ex oppidana plebe, atque operis præsertim constaret, genere hominum non modò rei militaris imperito, verum otiò etiam oppidano ad perferendum laborem belli corrupto: externus autem peditatus sine maximo sumptu ali non posset; Superioribus comitiis ratio quædam parandi peditatus agitata fuerat, ut ex regiarum possessionum ascriptitiis vicesimus quisq; in militiam reciperetur; qui ita in militiam venissent, ab oneribus operisque rusticanis ipsi posterique eorum immunes essent. Hoc delectu jam uti visum fuit, missique per agros centuriones præfectique passim fuerunt, qui robustissimum quemque ac labori militari ferendo aptissimum legerent. Grodnæ ex propinquo jam consilia belli agitare Rex instituit; ac Vilnæ interim tormenta, præter ea, quæ reparanda erant nova suo modo alia fundi jubet. Propendebat jam Rex animo in magnorum Lukorum oppugnationem; quod tamen quo diutius hostem celaret, ex instituto Ciasniciam diem, quo conveniret, exercitui, edixit. Nam cum id oppidum secundùm flumen Ulam in capite duarum Lucensis & Smolenscensis viarum ita situm sit, ut paribus ab utraque urbe spatiis distet, ac Lukos quidem indè tendentibus, Usuiata flumen: Smolenscam euntibus Kaspla se offerat, ad hostem ancipiti cura distinendum cum primis opportunum id videbatur. Supra demonstravimus missum à Rege cum literis, qui de eventu obsessionis Polotiensis certiorem Moscum faceret. Humanius hic acceptus ab illo, quàm quisquam ante eum, mensæ etiam adhibitus, ac bombycina veste donatus fuit. Eum autem priusquam dimitteret, à duobus legatis suis Joanne Theodori filio Novogrodiæ. Mikita Georgij filio Micislaviensi ducibus, & Romanivicio Sacharino ad Nicolaum Radivilum Palatinum Vilnensem, & Eustachium Volovicium Castellanum tum Trocensem literas dari jubet: cum controversiæ duorum summorum principum eò progressæ sint, ut suscepto bello Poloniæ Rex Polotiam expu-

gnarit: magnus Moſcoviæ Dux viciſſim ad ulciſcendam hanc injuriam toto animo exarſerit; ſe cum reliquis primoribus ad Principis ſui pedes ſe projeciſſe: omnibus precibus ab eo petiiſſe, ne in ſanguinem Chriſtianum ſævire velit: ijs illum permotum à bello adhuc ſibi temperare: nunc idem ipſis atque aliis Regis Poloniæ conſiliariis apud ſuum Regem contendendum eſſe, ut ad pacem ſtabilem cum magno Moſcoviæ Duce conſtituendam eum flectant: inprimis ei perſuadeant, ut & ipſe cum milite regrediatur, & militi tam in Lithuaniæ quàm Livoniæ finibus imperet, ne maleficio aut injuria ulla Moſcos laceſſat: eadem magnum ſuum Ducem recipere, reverſurum ad ſedes ſuas, ſuosque à vi & injuria ubique cohibiturum: interea utrinque elaborandum, ut miſſis oratoribus, paceq; & concordia conſtituta, depoſitis à principibus armis metu omnes liberentur.

In extremo literarum excuſant, quamobrem Baſilius Lopatinſcius, per quem bellum Rex Moſco denuntiarat, adhuc detineatur: operam ſe daturos oſtendunt, ut quàm primùm ad ſedes ſuas uterque reverſus fuerit, cum mandatis de pace ſine mora ad Regem remittatur. Fecerat hoc Moſcus exemplo Sigismundi Auguſti temporibus à Lithuanis introducto; qui ſi quando legatos Rex ad Moſcum mittere deſtinaſſet, ad Moſcoviticos proceres literas prius dabant, quibus ut à ſuo Principe fidei publicæ literas oratoribus, qui venturi eſſent, conficerent, poſtulabant.

Re deliberàta, in hanc ſententiam à Senatoribus, quos diximus Lithuanis, reſpondetur: diligenter ſe de pace Regem appellaſſe: illum ut Chriſtianum principem pacem atque concordiam inter vicinos, ac Chriſtiani præſertim nominis principes omnibus rebus potiorem habere: bellum tamen cùm id maximis illius in ſe injuriis provocatus non niſi pacis cauſa ſuſceperit, tamdiu etiam dum æquæ pacis poteſtas à magno eorum Duce ſibi fiat, gerendum ſibi intelligere: legatos verò, ut quos ad principem eorum mittat, cauſam nullam ei videri: potius non committendum ſibi cenſere, ut quos ex ſuis quemadmodum antea fecerit, injuriis atque ludibrio ejus objiciat: Si ille legatos ad Regem mittat, patienter Regem quæ dicant, auditurum, atque æquo cum reſponſo eos dimiſſurum. Haud multò poſt Moſcus ipſe cum ejusdem argumenti literis alium ad Regem nuntium mittit. Dimittitur is cum eodem reſponſo, quod prior à Senatoribus ante acceperat. Mittit nihilominus denuò aulicum ſuum Joannem Naſiokinum cum iisdem poſtulatis; qui cum & ipſe in eandem ſententiam publicè jam reſponſum accepiſſet, oſtendit poſtea, alia ſe præter ſuperiora mandata habere, quæ privatim exponat. Facta poteſtate commemorat, principem ſuum moveri plurimum clade hominum innocentium chriſtianorum: qua de cauſa etſi ſciat contra ſuum majorumque ſuorum morem id à ſe fieri: conſtituiſſe tamen de dignitate ſua publicæ concordiæ id dimittere, ut de pace ipſe Legatos ad Regem mittat: id unum poſtulare, ut induciæ interim ſint, nec ulterius cum exercitu Rex progrediatur: legatos. Vilnæ expectet; quòd id à majoribus quoque ipſius magnorum Moſcoviæ Ducum honori ſemper datum fuerit, ut non niſi in regni ipſius, aut magni Ducatus Lithuaniæ ſede oratores eorum audirentur. Rex eodem omnia illa pertinere intelligens, ut tempus gerendæ rei extraheret, reſpondit: Si quos legatos mittere velit, dicendi quæ velint, poteſtatem libenter ſe iis facturum, benigneque auditurum. Quod certo in loco expectari à ſe legatos velit, nullo id cæterorum Principum Chriſtianorum exemplo peti, qui quandocunque uſus ſit, quemcunque in locum legatos mittant: commune ubique eſſe jus legatorum, nec certo loco finiri: poſſe ſe ubicunque futurus ſit, vel in caſtris ipſis, in quibus inter ſtrepitum armorum, vel maximè legatis opus ſit, adiri.

Tandem tamen etiam certum diem, ad quem expectaturus legatos adhuc eſſet, iis conſtituit. Detecta ſub hujus adventum res fuit, quæ omnium animos vehementer in ſe convertit. Gregorius Oſcikus claro loco natus & ante jam ſub interregni tempus conſilia cum Moſco agitarat: & tum per literas communicare cum illo non intermittebat. Attulerat ad hunc litteras à Moſco Naſiokinus; quas cum ille per ſpeciem pellium, aliorumque mercimoniorum Moſcoviticorum licitandorum aditu ad Naſiokinum quæſito accepiſſet: frequens præterea eadem cauſa interpoſita, ac ſecreto nonnunquam petito cum eo fuerat. Enunciata hæc res à Mirevio quodam miniſtro Oſcici Martino Ribinio fuit, qui Andreæ Zebridovio Pocillatori regio nomen in militiam dederat. Is rem ad magiſtratus, ad Regem detulit. Mirevius, quod præſente Rege res accidiſſet, ad Albertum Radivilum Palatij Marſchalcum, ſtatim vocatus, cuſtodiæ traditus fuit; ultro indicat, quæ cum Ribinio antea communicârat: eorum omnium Bartholomæum quendam miniſtrum Oſcici conſcium oſtendit. Rex quatuor ſolis primariis conſiliariis adhibitis rem deliberat.

Ex iis Palatinus Vilnenſis prehendendi ejus, ſi in urbe ſit, negotium ſuſcipit. Ille Trocis tum eſſe dicebatur; mittuntur mox eo frequentes aulici, qui comprehenſum retrahant; adducto in Marſchalci ædibus libera cuſtodia circumdatur. Datur aliis negotium, qui diverſorium ac res ejus perquirant, reperiunt in arca quadam alba diverſorum Senatorum annulis ſignata, nominibus-

que ſcriptura eorum ementita, ſubſcripta: plerorumque item ſigna Senatorum ad verum expreſſa; quibus ille majoris fidei faciendæ cauſa, quò cum aliis proceribus conſilia iſta miſcere videretur, apud Moſcum utebatur. Alij Kovareskum in prædium ipſius duobus à Vilna milliaribus, ubi tum Bartholomæus is erat, miſſi, materiam, malleos, ac cætera cudendæ monetæ inſtrumenta, referunt. Bartholomæus conſilia cum Moſco illum ſociare, literasque ab eo accipere, & jam ante interregni tempora bis ad Moſcum miſitaſſe fatetur. His de rebus, cum Senatores nonnulli ad eum miſſi eſſent, proditionem negabat: Signis alienis ad contractus ſubjiciendos, & privatum quæſtum in judiciis ſe uſum fatebatur: monetæ crimen in Judæum quendam, cujus opera & ſigna illa ſculpta haberet, conferebat. Adductus in judicium ipſisque proditionis & rei monetariæ inſtrumentis in judicio exhibitis, reſpondere juſſus fuit. Negabat defenſor ejus reſpondere eum teneri communi nobilitatis jure, quo in quemquam ex nobilitate, niſi legitimè prius in jus vocatum, quæri vetetur. Cum variè res hæc à Senatoribus acciperetur, ac quidam non minuendam exemplo libertatem nobilitatis cenſerent: apud pleroſque plurimum tempus valuit, ut Rege in belli adminiſtratione, ac caſtris fere verſante, non tam ordinarij quàm militaris juris cognitio videretur; ad hæc eos ſolos præſcriptione hac juvari poſſe, qui integra fama eſſent, oſtendebatur; quorum ſcelus in tot flagitiis & propria confeſſione manifeſte teneretur, eos vita ſua privilegio nobilitatis, ac ipſa adeò nobilitate ſe ipſos indignos feciſſe. Itaque juſſus reſpondere, libellum, quem ante in hunc caſum compoſuerat, publicè recitandum dat. In eo conſilia ſe cum hoſte agitaſſe: eidem ſpem per occaſionem regis interficiendi feciſſe faſſus eò decurrebat, ut egeſtate atque æris alieni magnitudine impulſum id ſpectaſſe ſe diceret, ut ab hoſte pecuniam aliquam hac ratione emungeret: Supplexque veniam petebat.

De confeſſo ſupplicium more majorum, ac de judæo item ſumtum fuit: miniſtris ob indicium vitæ gratia facta. Venerat interim Vilnam Ungaricus peditatus. Hunc Rex Poſtovam terreſtri itinere ire juſſum, ibidem cum tormentis, & reliquo graviore belli inſtrumento in naves impoſitum ſecundo flumine Disnam; inde cum aliis tormentis, quæ Polotia rediens antea ibi reliquerat, per adverſum Dunam Vitepſciam præmiſit. Vilnæ Paulus Uchanſcius, qui ad ſummum Pontificem à Rege miſſus fuerat, ad Regem reverſus, enſem notis cærimoniis dedicatum à ſummo Pontifice Regi obtulit. Profectus indè Vilna, ad Scidutum villam quinque cis Ciasniciam millibus paſſuum, octava circiter Menſis Julij die pervenit, reliquisque copiis per vicinos agros ſparſis, ipſe eo, qui demonſtratus eſt, in loco, conſedit. Ibi dum copiæ aliæ, quæ expectabantur, convenirent, de belli adminiſtrandi ratione, ac quò potiſſimum hac expeditione cum exercitu ſe converteret, ad conſilium retulit.

Tres potiſſimæ hac de re diverſæ ſententiæ erant; cum alij Plescoviam: Smolenſcam alij: tertij Magnos Lukos eundum cenſerent. Prima quæ Pleſcoviam, ijsdem quibus antea, cum ad Polotiam iretur, rationibus ducebat: iisdem etiam, quibus tum impugnata fuerat: quòd iter in hoſticum longinquiùs: quòd terga tot caſtellis hoſtilibus nullo in propinquo præſidio relictis nudarentur: quòd Lithuania hoſtibus objiceretur: maximè quòd à Plescovienſi via longius jam receſſum eſſet; iterum non tam repudiata quàm in aliud tempus dilata fuit. Qui Smolenſcum eundum cenſebant, loci imprimis celebritate, & amplitudine: rerum eo loco geſtarum fama: inſtituto denique belli res ablatas repetendi movebantur; & quòd eo præſidio adjuncto, tota Severienſis ditio longe ampliſſima unà in poteſtatem ventura eſſet.

Dicebantur contra hæc ab iis, qui Lukos petendos ſuadebant; à Duna flumine, atque Livonia, quorum liberandorum cauſa bellum hoc potiſſimum ſuſceptum eſſet, Smolenſcam eundo longiſſimè recedi: cum Livonia præterea Severienſem ditionem nec urbium frequentia, nec loci atque maris opportunitatibus, nec vicinarum gentium cultu, comparandam: Lukos ſitos in præcordio quaſi Moſcoviæ, loco & ad hoſtiles ditiones quascunque poſtea petere viſum eſſet, infeſtandas: & ſive per Smolenſcam Lithuaniam, ſeu per Pleſcoviam Livoniam ingredi hoſtem volentem pari intervallo uno ſolo exercitu ibi collocato prohibendum opportuniſſimo: Pares enim ad Smolenſcam & Pleſcoviam aditus habere: Unde ipſum Ducem magnum huc plerumque exercitus ſuos cogere ſolere; quòd in omnium circumjacentium ditionum pari vicinitate eam deinde quæ opportuniſſima ei videretur commodiſſimè ex hoc loco invadere poſſet. Rex, quemadmodum oſtenſum eſt, jam ante in hanc ſententiam inclinabat, quod autem tanto ante temporis intervallo referendum publicè hac de re non exiſtimarat, ea de cauſa acciderat; quòd ne quâ vel ad hoſtem conſilia interim emanarent, aut tempus vel res aliqua nova interveniret, quæ mutandi ei conſilij cauſam adferret, præcavendum ſibi intelligebat.

Hinc ſtudioſè Ciaſniciam diem ad conveniendum exercitui edixerat; ut ibi & in re præſenti, loco ex quo tam Smolenſcum quàm Lukos commodiſſimè ac paribus ferè

spatiis perveniri posset, cum consilio constitueret: & hostem quàm posset maximè ab hac cogitatione averteret; quam ob causam in literis etiam, quæ ad illum scribebantur, præter Livoniæ ac Polotiæ, Smolenscæ quoque titulum tanquam quæ regij olim juris fuisset, accuratè eximebat; ut dum ab ea parte hostis timeret, illam quam Rex potissimum patere sibi volebat, neglectam relinqueret. Dimisso consilio eo, copiis recensendis, operam dare Rex cœpit: primoque equitum Polonorum, qui ad Gedanum, ac Polotiam meruissent, atque proximè in hybernis fuissent, turmis vocatis, cum Rex præter superiorum temporum consuetudinem, majorem quàm ante hac in recensendo milite diligentiam adhibuisset, perque angustum pontem transgredientes in proximum collem subductus singulos ipse spectasset; paucissimis tamen equi adempti fuerunt; cum universæ, & militum, equorumque & armorum genere essent ornatissimæ. Post hasce quæ tum primum novo delectu in militiam nomina dederant, productæ fuerunt.

Inter eas, quæ à Samoscio, quemadmodum supra ostensum est, cùm equitum tum peditum copiæ scriptæ fuerant. Erant in iis Senatorij ordinis nonnulli; alij evocati, qui militiam, cui magnam ætatis partem studuerant, longo jam tempore intermissam repetierant: qui exercitus ipsi pro legatis rexissent: non pauci: qui magistratus, præfecturasque: alij qui officia & honores in aula gererent: magna verò primariæ juventutis multitudo. Equitum duplex genus erat, alterum gravioris armaturæ Husarorum, ejus qua supra ad Disnam uti illos ostendimus: Kosakkorum alterum levioris. Hisce locus arcus, & Coryti bicubitales sclopetos ad humeros aptarat, breviores ex cinctu suspendendos dederat, acynace ad latus sinistrum & venabulo ex veteri instituto relictis. Peditem maxima ex parte è finitimis Ungariæ locis, aliquem præterea ex Polonis, qui Superioribus proximis bellis, jam stipendia fecissent, plerosque tamen novo delectu contraxerat.

Cumque ad famam benignitatis, qua peditatum ex ijsdem locis Ungariæ superiore anno stipendiis suis scriptum ad Polotiam habuerat, sub idem tempus plures indies confluerent, separatim his quoque per Joannem Thomam Drojovium præfectum Præmisliensem necessarium suum stipendia descripsit; quæ cum omnes copiæ cultu etiam à cæteris diverso & habitu armisque atratis in duplici ducis luctu, qui ad uxorem Christianam Radivilam unica ex ea filiola orbatus fuerat, ab omnibus iis veste mutata uterentur; fiebat ut hac quoque re præ cæteris conspicuæ essent.

Pridie quàm Ciasnicia Rex moveret, quòd eum diem legatis, qui Vilnæ apud eum fuerant, ad quem expectaturus illos esset, Rex præfinierat; Summa celeritate nuntius à Mosco venit; nec expectato solenni ornatu, qui obeuntibus legationes ex Thesauro Moscovitico præberi solet, quòd is cum impedimentis subsequeretur, ne dies ante exiret, communi cultu præter morem gentis ejus legationum Rege salutato literas reddidit. Quando Regem adduci non posse intelligeret, ut legatos pacis causa ad se mittat: se de more jureque majorum suorum & suo concordiæ causa discedere: Oratores primarios homines suos jam mittere: ante quintam aut summum sextam decimam Augusti diem affore: Postulare, eos Rex Vilnæ expectet. Nam ut alio loco, quàm in ipsa aut regni aut magni Ducatus Lithuaniæ sede Oratores sui Regem adeant, recepto superiorum temporum omnium more refutari. Responsum, Regem legatos, quos alter superior nuntius quàm primùm missum iri confirmasset, adhuc expectasse: ut Vilnæ audiantur, multis ibi nominibus integrum non esse, longius jam Vilna ad exercitus suos progresso; quibus cum, quod militem sine magno suorum detrimento intra fines suos habere non posset, quò videretur, moturum; si quo tamen loco oratores Mosci ad se pervenissent, quæ dicerent non gravatè auditurum. Hoc nuntio tali cum responso dimisso, postridie Rex è stativis, quæ in agro Ciasnicensi habebat, Lepelam, indè Ulam castella propinqua excurrit: ut in re præsenti muniendane an delenda essent, statueret. Exercitum dimensis ante itineribus Vitepsciam movere jubet; ad eumque biduo post, in secunda à primis stativis castra recurrit. Aliæ eo die à Mosco ad Regem literæ afferuntur, eodem pene quo superior proxima epistola fuerat, argumento: legatos se summa cum potestate de pace agendi mittere: postulare, ut pro more majorum Vilnæ audiantur; quòd si impetrari non possit, tamen intra fines ut expectentur.

Responsum ad hanc etiam epistolam fuit: cum oratores venissent, quæ dicerent, Regem cogniturum: Si justa atque æqua attulissent, neque in ipso belli ardore fidæ justæque paci non locum relictum iri: Interea cum exercitu Regem progressurum; ipse quid sibi de legatione sua faciendum esset videret: se unum præstiturum, & oratoribus ejus, & eorum orationi si justa foret, quocunque in loco conveniretur, locum apud se fore.

Adjuncta regiis literis altera ad nuntium, quem Ciasniciæ apud Regem habuerat, epistola à Mosco fuerat: quam cum resignandam alij existimarent, Rex integram ad hostem remisit. His castris ac deinceps plerisque proximis cum Rex de belli administrandi ratione quotidie ad consilium referret,

ferret,

ferret, & castra hostilia duo Velisium ad Dunam flumen, Usuiata ad amnem cognominem sita ad Lukos hærenti à tergo in hostis potestate relinquenda regi non viderentur; eoque magis, quòd jam ante Dunam omnem potestatis suæ facere cupiverat; ante omnia Velisium, ut rebus omnibus firmius, & ad omnia momenti majoris oppugnandum ratus, Samoscium cum justa exercitus parte eò mittit. Huic ad copias, quas ab eo ipso adductas antè expositum est, alias cum Polonorum Ungarorumque equitum sclopetariorum, ac in his Georgium Farensbekium Daniæ Regis Marschalcum aliquo equitum ac peditum Germanorum numero sub idem tempus ad Regem venerat, attribuit. Deposcebant easdem sibi partes Lithuani.

Respondebatur ab altera parte, quòd nullus esset Polonicus Dux, Lithuanicum penes Regem manere oportere: quòd ad limitanei militis Ducem pertineret, ita moribus majorum comparatum esse; ut militiæ imperium summum penes Ducem exercitus, domi jurisdictio omnis circa Regem penes Marschalcum regni esset: absente exercitus Duce partes ejus Marschalcus in castris exciperet: Cancellarij munus in consiliis publicis, judiciis legationibusque introducendis, precibus ac meritis singulorum ad Regem referendis versaretur, ad eundem, quoties Marschalcus abesset, ejus quoque potestas omnis rediret: limitaneæ militiæ præfecti non tale munus esse, ut cum illis magistratibus comparari posset; quod ab initio privatim à Ducibus introductum, deinceps etiam commendatione Ducum conferatur. Diremit controversiam, quod res celeritate opus habebat: qui autem ex Lithuanico exercitu ire eo debuerant, nondum advenissent: Samoscius non modò copias suas instructas jam haberet, verùm ab omnibus aliis etiam rebus esset paratissimus. Itinerum enim ac locorum, in quæ iretur, difficultates animo providens, cum fabrorum aliorumque opificum, qui bello usui essent, ac tormentorum campestrium non exiguum numerum adduxerat: tum pulveris tormentarij, commeatus ac pabuli maximam vim compararat; jamque ante è Præfectura Knissinensi unum in locum omnia comportata secundo Memela fluvio Kaunam, atque indè adverso Vilia flumine Michaliscos: Michaliscis terrestri itinere Postovam, indè Disnam, & mox Duna flumine Vitepsciam præmiserat.

Iisdem temporibus à Themesvariensi Bassa, qui quòd per totam Ungariam, fama belli pervagata erat, & in proximo Ungarorum delectus haberentur, ne aliò quàm fama ferret, id erumperet, subveritus fortè fuerat, legati nullis certis cum mandatis speculandi tantùm causa ad Regem venerunt.

Vitepsciam Samoscius cùm venisset, biduum ibi commoratus, militem omnem eò contrahit.

Interim quæ ad disciplinam militarem tuendam adque itineris rationem pertinebant, constituit, edictisque sanxit. Simul tormenta, quæ à Rege acceperat adverso Duna flumine cum reliquo graviore belli instrumento præmittit. His præsidij causa Stephanum Lazarum cum pedite, cui præerat, Ungaro læva ire jubet: tormentorum ac reliqui apparatus bellici Stanislao Kostkæ Succamerario Culmensi cura demandata. Primo agmini Lucam Dsialinium Kovalensem, Brodnicensemque præfectum affinem suum præficit. Huic Nicolaum Uroveciùm, quem primo à patre suo disciplina militari imbutum in proxima expeditione Polotiensi sub Melecio cum ala equitum militare jusserat: nunc quod non modo in periculis obeundis animi magnitudinem ejus, sed & ad quosvis militares labores tolerandos promptitudinem perspexisset, circa se habere instituerat, adjungit; ea itineris ratione præscripta, ut justo intervallo reliquum agmen præcederent. Cum reliquo exercitu medius ipse incedebat: Stanislao Jolkevio, postea Palatino Belsense sibi legato; qui & antea in Podolia sub Nicolao Seniavio Palatino Russiæ contra Tartaros pro legato exercitus rexerat.

Illum impedimenta sequebantur, quæ à gminis pars majorem ferè, quam reliquæ difficultatem habebat; propterea quod si in tanta carrorum & servitiorum multitudine, qua in regionibus vastis carere exercitus non poterat, mutuò ea inter se implicarentur, vehementer eam rem exercitum morari necesse erat. Huic rei ita occurrit, ut universorum impedimentorum agmen in tres ordines distribueret: & quo quæque turmæ, aut cohortes ordine incederent, eodem impedimenta, ut quorumque essent, incedere juberet: Singulis carrorum ordinibus à fronte & à tergo justa peditum manu præsidio attributa; quòd quo diligentius observaretur, nec inter se currus implicarentur, cum procederent impedimenta, initio in pacato ad Vitepsciam à se facto, indè ordinum ductoribus tradito, per vices binos semper inspicere jubebat. Extremum carrorum ita incedentium agmen selectissimæ cohortes, peditum atque ultimo loco alæ aliquot equitum claudebant. Matura jam in agris, qua exercitus iter faciebat, frumenta, ac maxime pabulum erat. Cum autem Regem Samoscius cum reliquo exercitu eadem via subsecuturum sciret, in partes certas universum agrum eum, per quem iter erat, descripsit; quarum unam exercitui, qui cum illo erat metendam permisit: reliquas sequenti alij exercitui integras servari jussit; quæ res diligentissimè à milite obser-

vata fuit. Regi eadem die, qua Samoſcius moverat, Vitepſciam venienti Lithuanicæ copiæ tam ſtipendiariæ quàm voluntariæ ſe obtulerunt, eo & numero & ornatu, ut ſuperioris anni detrimenta nemo agnoſceret. Simul Polonicæ copiæ nonnullæ quæ è longinquioribus regni locis tum primùm ad exercitum pervenerant, utriusque item generis tam voluntariæ quàm ſtipendiariæ cenſæ fuerunt.

Samoſcius Suraſſum interim, quòd extremum regiæ ditionis oppidum fuerat, ſubitario opere per Kasplam flumen ponte facto pervenit. Hic ut tormenta, quæ adverſo Duna tardius ſubſequebantur, expectaret, militemque ex itinere reficeret, ac de reliquo itinere conſilium caperet, diem unum ſubſtitit. Veliſium frequentiſſima olim urbs fuiſſe, nomenque à magnitudine, cujus hodie adhuc indicia amplarum foſſarum veſtigia quædam ab accolis oſtenduntur, accepiſſe putatur.

Sub Lithuanorum imperio per pagos totus ille ager habitabatur; poſtquam Moſcoviæ duces alibi occupatis Regibus Poloniæ ditionis ſuæ regionem eam feciſſent, caſtro etiam Veliſio veteri nomine retento, contra præſidium Vitepſcienſe eum communierant; ex inſtituto præterea ſuo cùm ab aliis partibus, tùm maximè cis Dunana, à qua tam Veliſium quàm Vitepſcia, & quod poſtea conditum fuit, Suraſſum ſita ſunt, quòd eam minimè patere vellent, inviarum ſylvarum objectu impediverant. More enim ſuo agrum hoſti proximum per aliquot millia paſſuum ſtudioſè incultum ac deſertum ut plurimum Moſci relinquunt: quo crebrarum arborum, quas in ſolo vacuo enaſci interim neceſſe eſt, denſiſſimarumque ſylvarum tanquam vallum hoſti objiciant; ita ſe maximè tutos contra hoſtiles incurſiones exiſtimantes, ſi undique quàm vaſtiſſimas ſolitudines circumdederint.

Suraſſum temporibus SIGISMUNDI AUGUSTI Stephanus Zbaraſius Palatinus tum Vitepſcienſis, nunc Trocenſis, veritus ne Uſuiatæ & Kasplæ, quibus in Dunam influunt, capita ad conjungendam Smolenſcenſem & Lucenſem ditionem munitione aliqua hoſtis occuparet, quòd ea flumina ita ex adverſo in Dunam influunt, ut Uſuiata Lukos, Kaſpla Smolenſcam pertineat, præveniendum eum ratus ſubitario opere communierat. Hoc in ipſum quaſi initium ſylvarum incurrit. Samoſcius cum duas omninò vias ſecundum utramque Dunæ ripam propoſitas ſibi videret, intelligeretque ſi ultra Dunana progrederetur, bis flumen transeundum: pontem alterum ſub Veliſio in conſpectu quaſi hoſtis faciendum; etſi de altera quærendo reperiebat, non difficilem modo tranſitu eſſe; ſed vix ſingulari homini iter per eam eſſe: exercitum poſt Vitoldum Ducem centum ſexaginta annis neminem ea duxiſſe; ea tamen ire conſtituit. In ſylvam ipſe ſe infert: locisque per quæ patefacienda via erat, perluſtratis, atque indè peditum aliquot cohortibus immiſſis, partim ſecuribus ſylvas cædere, ferroque viam aperire: reliquos opere occupatis præſidio ſcloperis expeditos eſſe, operisque & excubandi vices partiri inter ſe jubet.

Erat magni laboris res, primum arbores, quæ in ſolo ubere tot annorum ſpatio in immenſum ſe effuderant, exſcindere; easdem deindè de via, quæ inſtituebatur, comportare; Eum alius excipiebat non multò levior cum præcipitia aut paluſtria loca pleraque eſſent, vel ponte ea ſternendi, vel cratibus ac virgultis exæquandi. Singulari tamen militum ac Nicolai præſertim Vrovecij ſtudio, per viginti millia paſſuum ea die via patefacta, poſtridie illac iter exercitus faciens, ad locum Verſchovinum appellatum, in quo pagus olim fuerat, totidem à Veliſio paſſuum millibus pervenit.

Propinquum Verſchovino locum Vitoldi pontem etiamnum Koſakki nominant; quòd fama acceperint, iſthac ponte effecto Vitoldum aliquando copias duxiſſe; eodemque tum etiam per latiſſimam paludem, paucarum horarum ſpatio celeriter ponte effecto, poſtridie minus emenſus, quod montes crebri interjecti iter morabantur, decem à Veliſio paſſuum millibus, ſummo ſilentio conſedit; nulloque ne pabulandi quidem cauſa excurrere permiſſo, ſequenti die oppugnandi præſidij conſilium cepit.

Objiciebatur hoc loco nova difficultas; quòd hoſtis, quò is locus caſtro propior erat, eò diligentiùs muniendum ratus, inciſis arboribus, iisque ex adverſo dejectis, & inter ſe commiſſis, aliisque inſuper coacervatis, per aliquot millium paſſuum ſpatium, omni muro firmiore munitione ſe ſepſarat; ſylvaque quæ ne perſpici quidem poſſet, etiam media die nocturnum aliquem horrorem ingredientibus incutiebat. Dat iterum negotium pediti, ut iter explicet. Eodem die Mikitam & Birullam notos Koſakkorum Duces, qui excurſione in ditionem Smolenſcenſem ſuperioribus diebus facta, ab ea ad exercitum venerant, longo ambitu trans Dunam flumen ad obſidendam viam, quæ ad Lukos pertinet, mittit.

Excipitur ab his Kudravus nobilis Moſcus: qui cum duobus comitibus egreſſus fuiſſet, unus eorum à Koſakkis interfectus, alter elapſus

elapſus fuerat. Ex hoc poſtridie in caſtra perducto quale præſidium Veliſij ſit, deque Koſakkorum manu aliqua allatam fuiſſe ad præſidium famam, tantum in propinquo exercitum ignorari cognoſcit. Quibus rebus cognitis, relictis in loco cum præſidio certarum turmarum & cohortium omnibus impedimentis, præmiſſisque peditibus atratis & Vibranoviana cohorte, ac reliquo peditatu ipſe ad extremum ſylvæ propinquo à Veliſio intervallo ſubitò excurrit, quòd ea loci natura erat, ut ſi hoſtis adventu ejus cognito, aditu prohibere eum voluiſſet, exigua hominum manu intra ſylvam plerisque aliis, tùm eo maximè loco eum morandi ſummam facultatem haberet: ſimul ſi fortè fama adventus ſui ad hoſtem nondum perlata, per incuſtoditas portas irrumpere, ac repente præſidium opprimere poſſet. Vix extra ſylvam eo egreſſo, hoſtes tormento exploſo adventus ejus ſignum dant: eodemque momento accolis omnibus intra munitiones receptis, quicquid circa eas ædificiorum erat, incendunt. Samoſcius militari nihilominus clamore ſublato, ſubita equitum peditumque excurſione obiri munitiones juſſit.

Eſt Veliſium ſpatio ſatis amplo, turribusque novem munitum, ad Meridiem atque Orientem Duna flumine, à Septentrione rivo quodam, qui per lacum in Dunam ibidem infra caſtrum illabitur, ab omnibus partibus maximè verò ab Occidente altiſſimis foſſis ambitur. Caſtris à Septentrione metatis, munitiones à ſuperiori Dunæ parte Ungaros agere jubet; infra eos medio loco Polonos: Vrouecium cum atratis cohortibus ab Occidente curare: ultra Dunam Lukos verſus Koſakkos in excubiis collocat. Perfecto paucis diebus magna celeritate opere, tormentis quatere muros inſtituit. Ea tum noſtrorum tormentorum, quemadmodum ex captivis & tormentis ipſis fractis cognitum poſtea eſt, felicitas fuit, ut nullus ferè globus mitteretur, quin ex illorum tormentis aliquid corrumperet. Indè ignitos globos Bornemiſſæ, quem Ungarorum munitionibus Samoſcius præfecerat, periclitari placuit: Incendioque ex Vngarorum munitionibus excitato, ac mox oppreſſo, idem Vrouecius cum tentare cœpiſſet, pars pontis interſciſſi, quæ reliqua ad portam caſtelli erat, ab atratis exuſta fuit. Simul duabus diverſis è turribus altiùs fumus tolli conſpiciebatur, re hac animadverſa hoſtes primum repentino noſtrorum adventu, cum à qua re maximè tutos ſe fore crediderant, tam invias ſylvas exiguo temporis ſpatio ſuperatas à noſtris intelligentes, nihil deinceps ſibi tutum, nihil noſtris difficile futurum judicarent: Simul operis perfecti celeritate, tum verò præſenti periculo territi deditionem fecerunt.

Moſcus Polotienſium præſidiorum expugnatione commotus, ſimilem caſum in aliis caſtellis, quæ Lithuaniam verſus ex materia omnia facta erant, veritus, ceſpite muros eorum tegere inſtituerat, qua re, quòd cum per ceſpitem ſubitario opere non ſatis altè congeſtum ad parietem globi penetraſſent, tanto & firmius hærerent, & reſtinguendi ſui facultatem ferè nullam relinquerent, vel maximè tum lædebatur. Commeatus, pabuli, pulveris tormentarij, apparatusque bellici tantum repertum fuit, ut recreato omnibus rebus his exercitu, quantum præſidio ſatis eſſet, nihilominus relinqueretur. Rex Suraſſi, quo interim pervenerat, dum in Duna pons componeretur, & de eventu oppugnationis Veliſienſis cognoſceret, ſubſiſtere conſtituerat: nuntio hoc cum præfectis, qui in præſidio fuerant, à Samoſcio accepto, eò lætior, quòd de ea gratulatione, caſtri, quòd maximè integrum in poteſtatem ſuam pervenire cupiebat, detrimento nihil fortuna diminuerat, dum pons ex lintribus nota ratione componitur, ad videndum Veliſium excurrit: moxque Suraſſum ſe recipit.

Sub idem tempus literæ à Moſco afferuntur, quibus demiſſius, quàm ut non ſimulata ab eo humilitas videretur, ſignificabat, jam ſe legatos de pace cum idoneis mandatis, quibusque controverſias minui poſſe exiſtimaret, contra & ſuam & majorum ſuorum conſuetudinem dimiſiſſe; quia fieri tamen poſſit, ut minus adhuc mentem Regis perſpexerit, ideoque nondum omni ex parte ea Regi ſatisfaciant; Petere ſe, ut aut Rex ſuam de his ſententiam planiùs per literas aperiat, aut legatis ſuis id facere permittat: cumprimis autem antequam legatos audiat, intra fines exercitum reducat, absque omni in ſuos injuria prohibeat. Sub finem literarum à crudelitate, locorum Scripturæ ſacræ nonnullorum authoritate, more ſuo ac ſolito majori laudandæ, quam obſervandæ ejus ſtudio Regem dehortabatur. Rex in eadem ſimulatione, qua antè uſus fuerat, perſiſtere eum videns, tribus pontibus univerſum exercitum in ulteriorem Dunæ ripam mox traduxit.

Poſtridie iter facienti iterum literæ à Moſco redditæ fuerunt: Legatos ſuos maximis itineribus progredi expectaret venientes, ne tridui moram magno detrimento rebus ſuis futuram cogitaret. Regem nihil de celeritate conſueta remittere cupientem tardabat difficultas viarum, quòd Moſcus, eo, de quo ante diximus, inſtituto à Lukis etiam Lithuaniam verſus centum & viginti ferè millium

lium passuum spatio densissimas sylvas alu-erat.

Itaque hic quoque sylvestria erant loca vix singulis pervia: propter crebras autem paludes interjectas magna præterea ex parte cœnosa, per quæ ægre jumenta evaderent. Accedebat huc, quòd à primis omni pabulo, si quòd fortè erat, consumpto, apud majorem exercitus partem magna ejus quoque rei inopia laborаretur. Itineris is ordo observabatur, ut in primo agmine Lithuani sub Palatino Vilnensi Duce & Christophoro filio limitanei militis præfecto proficiscerentur: Hos Joannes Zborovius Castellanus Gnesnensis aulici militis præfectus, qui jam tum ad Regem venerat, sequeretur.

Post illum Ungaricus tam equitatus quam peditatus incedebat. Hos, Rex cum robore exercitus & comitatu aulico suo cui Albertus Radivilus Palatij Marschalcus in ea expeditione præerat, sequebatur. Regem Joannes Sbarasius Palatinus Braslaviensis cum equitatu Polonico: Ultimum agmen Nicolaus Seniavius Russicarum copiarum præfectus claudebat, qui quòd pacatis tum Tartaris nihil tumultus ab illis expectaretur, itidem ad Regem se contulerat; tormenta aliusque bellicus apparatus omnis unà cum eo, quem Samoscius ab oppugnatione Velisiensi ad Regem remiserat, per Usuiatum adverso flumine trahebantur. Cum Lithuani primo agmine tardius procederent; Rex delectos ex Ungarico peditatu trecentos ad explicandam celerius cum Lithuanis viam præmisit, à quibus magna celeritate via expedita primùm Lithuanorum agmen XVIII. Kalend. Septembris ad Usuiatam pervenit: Rex decem ab ea millibus passuum consedit. Usuiata in modico colle intra duos lacus ac flumen Usuiatam sita, ob Occidente Usmiana lacu, ab Oriente altero Usuiata, à Meridie flumine ejusdem nominis, qui per utrumque lacum decurrens ad Surassum in Dunam influit, clauditur. Cœperat ad arcem admovere munitiones jussu Palatini Vilnensis cum Lithuanis Georgius Sokolinscius.

Huic cum Ungari se adjunxissent, atque una nocte admirando labore ad portam tam propè, unde telum adjici posset, fossa perducta, continenti sclopetorum ictu neminem in adversa turri consistere paterentur; nomine simul & adventu regio, quem ex latis castrorum spatiis ab castello in omnes subjectos campos despectum habente cognoverant, territi, qui in præsidio erant, deditionem eodem die fecerunt. Rex ab Usuiata Lukos versus tendens principio eadem rursum viarum asperitate, perpetuis sylvis densissimè, quemadmodum antè dum ante ostendimus, inter se implicatis, ad hæc solo cœnoso & impeditissimo exceptus fuit. Post commodiore aliquanto via usus fuit, aridiore & arenoso penè solo. Ubique tamen ut per loca inculta ac deserta magnam commeatus inopiam exercitus perpetiebatur.

Reliquerat Rex ad tormenta, quæ ab Usuiata terrestri itinere tardius subsequebantur, Nicolaum Seniavium cum Russicis copiis: apud hasce eò etiam vehementiùs laboratum fuit, quo eæ propter impedimenta tardius incedebant. Sublevatæ tamen deinde aliqua ex parte à privatis Samoscij navibus fuerunt: quas cùm ulterius trahere secum non posset, Usuiatam commeatus ac pabuli plenas dimiserat. Sub idem tempus Volminscius à Christophoro Radivilo Lukos præmissus, aliquot ab urbe millibus cum stationibus hostium prælio commisso, aliquotque captis, cæteros in fugam vertit. Samoscius, quòd pons, quo aliàs in transmittendis fluminibus exercitus utebatur, penes Regem erat, rate, quali ad Sokolam exercitum traductum ostendimus, ad Velisium quas secum habebat copias traduxit. Accidebat autem, ut cum Velisio, quemadmodum dictum est, naves, quibus commeatus exercitui supportabatur, Usuiatam ab exercitu dimisisset, tyrones, plerique, qui nuper nomina in militiam dederant, nec magnum rei militaris usum habebant, quòd ab eo præsidio, quo maximè confidebant, relinqui se videbant, angustias itineris ac sylvarum, per quas duci se audiebant, magnitudinem veriti animis ferè conciderent, compluresque passim diffugerent; in quorum unum atque alterum desertorum graviori pœna constituta, reliquos facile Samoscius retinuit.

Proficiscebatur via militari, quæ Smolenska Lukos ducit, ut dextrum latus Regis teneret; qua via cum Moscus quoque exercitus suos ducere soleat, quos quemadmodum supra dictum est, Lukis semper cogebat: omni ea pontes maximis ac robustissimis ex trabibus facti erant; qui tamen cum vetustate plerique vitium fecissent, non exiguus in illos ipsos reficiendos labor militi impendendus erat.

Excubabant ad Lukos & prata Ornanensia Tartarorum Nohaiensium turmæ aliquot, quas Vlanecius è principum Tartarorum genere in Moscovia natus ductabat. Eas Chilchovus sub primam oppugnationis famam Velisium miserat. Cum Bobroiedovum quinquaginta à Velisio passuum millibus accepto jam in potestatem à Samoscio castro, venissent, & ab agrestibus, quo loco res esset, cognovissent, Toropeciam versus se recipientes, indè agmen nostrum ex itinere observare instituerunt.

Scripserat Rex ad Samoscium, ut quàm primùm cum eo se conjungeret: qua de causa cum à Smolenscensi via ad lævam Samoscius iter converteret, Tartarus interim, qui jam antea semel à fronte ad Polonam flumen rejectus fuerat, iterum recurrerat; si quos lentiùs insequentes extremum agmen observando excipere fortè posset. Sed præterquàm quòd ea ratione, quemadmodum ante ostensum est, copiæ incederent, ut extremum agmen lectissimæ cohortes, ac turmæ aliquot equitum clauderent, Kosakkos etiam, quoties ejus rei facultas daretur, post agmen in insidiis considere Samoscius jusserat: quibus si qui vestigia exercitus legerent exciperent.

Id cum fortè ab iis, qui sub Vincentio erant, factum fuisset, atque in campum quendam è silvis aciem agmen nostrum explicaret, Ulaneciusque, cùm Tartaris signa conspicati retro cederent, ipse ante alios progressus, ut se sequerentur, suos hortaretur, in Kosakkos incidit, ab iisdemque circumventus captus fuit; reliquos Tartaros fugientes sylvæ texerunt. Samoscius cum ad Cranensia prata quinque circiter millium passuum intervallo à reliquo exercitu consedisset, mox ad Regem inde accessit. Præmissi de exercitu Lithuanico à Radivilo antecursores Lukos versus fuerant; qui cum ad Lovatum fluvium progressi, itineris duce, qui vadum illis commonstraret, destituti ad arcem pervenire non possent. Mosci interim, qui in præsidio erant, facultatem nacti Demetrium quendam, qui in Lithuania diu versatus tum ab exercitu Lukos transfugerat, cum literis ad Principem suum mittunt, deque adventu exercitus, & quòd pridie jam copiæ nonnullæ sub munitionibus se ostendissent, certiorem eum faciunt. Exercitu per angustias sylvarum in aperta omni traducto, non parum jam ad summam rei profectum, ac quasi ad universam Moscoviam aditus patefactus existimabatur. Constabat enim inter omnes, si Moscus ad prohibendum transitu exercitum se convertisset; plerisque locis, vel exigua manu nullo negotio cum distinere àque re frumentaria in tam inviis sylvis per quas viginti dierum spatio hæsisset, interclusum incommodo etiam afficere potuisse. Rex cum ad arcem rectà ducere constituisset, Samoscium, qui situm naturamque loci cognosceret, præmisit.

Vielkoluki, ac si magna prata diceres, ab amplitudine ac frequentia urbis circumjacentis regionis totius amœnitate, atque cultu nomen acceperunt. Arcis in modicum tumulum subductæ, qui omnibus ferè ex partibus lacu, altissimaque valle, quæ lacum undique ambit, continetur, à Meridie & Oriente, à qua una sola parte lacus non coit, imam partem Lovatus fluvius ambit; angusta omninò semita inter lacus, & suas ripas relicta, quæ eodem quo arx ac flumen ipsum, flexu in longitudinem sinuatur; vallo tum circumdata erat altissimo, qui non modo privatorum ædificiorum, sed templorum ipsorum, quæ frequentia in ea sunt, pinnaculorum conspectum accedentibus eripiebat.

Ad has munitiones, turres Germani cujusdam artificis opera scienter dimensas complures: unam verò à fronte, qua ab Oriente inter lacum ac flumen patet, omnium firmissimam ac amplissimam adjecerat. Omnes autem cespite altissimo: major quidem hæc viginti duos circiter pedes lato vestitæ erant. Lovatus supra Jeserisciam ex lacu quodam derivatus, à meridie, quemadmodum ostensum est, arcem perstringit: indè in septentrionem versus, relicta arce, urbeque in duas partes scissa, recto cursu per lacum Ilmenum sub Novogardia, priori nomine in Volchovam commutato, in sinum Finlandicum se exonerat; navigationisque hac opportunitate maximè Lukos locupletaverat. Urbem amplam atque ab utraque fluminis ripa latissimè arci circumjectam, quamvis mænibus ac turribus ligneis, fossis etiam satis amplis munitam, quinto antè die, quam castra Rex ei admoveret, instituto suo omnibus prius rebus in arcem comportatis præsidiarius miles incenderat.

Samoscius justa equitum peditumque manu ac militaribus aliquot viris assumptis in viam, quæ ad Toropeciam atque ulteriorem Moscoviam pertinet, provectus, ab ea ad arcem rursus deflectens Moscis se ostendit. Hostes conspicati, primò suas copias Toropecia venientes rati, extra arcem progressi, mox signis agnitis summa celeritate se receperunt; quidam tamen ac in his Farensbekius subitò in eos invecti aliquot assecuti interfecerunt. Samoscius ab omnibus partibus diligenter situ loci perlustrato, ad Regem se recepit. Jusserat sequi se ab exercitu alios quosdam, qui diversa via excurrentes, ea qua venturus esset, sibi occurrerent. Hos à superiore arcis parte flumen transgressos Mosci conspicati, insidias ab ea parte posuerunt: Itaque celeriter eæ coortæ fuerunt, ut Joannes Bornemissa summæ inter Ungaros virtutis præfectus, cum in turba ab irruentibus manus injectæ ei fuissent, eousque loco humido hæreret, veste relicta recipere se coactus fuerit.

Moscus etsi suspicabatur Smolenscum potius Regem se conversurum: in hanc tamen quoque partem præ cæteris intentus, ad Toropeciam exercitum Chilchovo Duce contraxerat: qui seu Smolenska seu Luki peterentur, quò opus esset, suppetias suis ferret.

Scri- Man-

Mandata his in omnes caſus dederat, ut à prælio omninò abſtinerent: in ſingulos modò, ſi quos ab exercitu digreſſos, aut per agros palantes nanciſci poſſent, intenti eſſent. Ipſis Lukis Kneſium Theodorum Obalenſcium Lichovum cum ſumma authoritate; Secundum eum Michaelem Chaſſinum & Oxachovum præfecerat: quodque iis ipſis, quos conſtituerat præfectis non ſatis ſalutem arcis exercitusque crederet, Joannem Viechovum primarium cubiculi miniſtrum, qui Lichovum cæterosque in præſidio: Dementium Ceremiſſam, ut Chilchovum, qui ad exercitum erat, obſervaret, per eos dies miſerat.

Perſpecta loci, quemadmodum dictum eſt, natura, Rex qua à meridie fluvius arcem alluit, cum exercitu pulcherrimè inſtructo ſub ſignis acceſſit: absque altera parte Samoſcio reliquas copias item latiſſimè expanſas adducente, horribilem ſpeciem is univerſi exercitus uno tempore accedentis, inque tot acies explicati deſpectus hoſtibus præbebat.

Poſtridie legati Moſcovitici, nullis adhuc verſus arcem munitionibus directis in caſtra venerunt. Hi cum Smolenſca Suraſſum veniſſent, quod Suraſſo regium imperium finiebatur, iis qui deducendorum cauſa pro more obviam illis miſſi fuerant, nolle ſe ulterius progredi, nec in Principis ſui ditione mandata ſua exponere ſe poſſe oſtenderant. Cum illi id in ipſorum poteſtate fore reſpondiſſent: ſe quidem ad Regem redituros: ipſi ſi ad Principem ſuum reverti vellent, neminem impediturum; tandem, ut ergo vi ſe pertraherent, hortati comites fuerant; riſu excepti, neminemque ullam iis vim allaturum edocti, ipſi ſibi conſilium caperent, ridiculè ad extremum vi tamen adactos ſe ſequi atteſtati, ſecuti fuerant. Conſilio pridie Calend. Septemb. iis dato, eadem, quæ ante dixerant, iterarunt: negarunt poſſe ſe ulla de re agere, niſi prius Rex univerſum exercitum intra fines reduxiſſet.

Rex legatione tam abſurda repudiata, eodem in conſilio Samoſcio, ut quæ cum illo de ordienda oppugnatione communicarat, adminiſtraret, mandat. Redijt ſub idem tempus in caſtra Drobiſius. Miſſus hic paulò ante à Radivilo Toropeciam verſus, in turmam equitum à reliquo exercitu digreſſam inciderat; quæ cùm paucis excubitoribus aliquot collocatis, quieti ſe dediſſet, tanta celeritate impetum Lithuani in excubitores dederunt, ut unà cum fugientibus ad cæteros quieſcentes delati, priusquàm ab illis ſentiri aut arma capi poſſent, eos occuparent, nonnullos cæderent: quosdam caperent: reliquos in fugam converterent. Samoſcius militem, quem penes ſe habebat, primò per amnem non admodum altum, ſed uligine valde impeditum, & ad Lovatum reſtagnantem inter crebras hoſtium jaculationes, quæ eo pertingebant, ponte; inde Lovatum infra arcem duobus vadis traduxit: atque rivum è regione arcis manantem caſtra more Polonico curribus circumjectis communijt. Ad eas, quas antè habebat, copias reliquum peditatum omnem tam Polonicum quàm Ungaricum Rex illi attribuit. Ungari cum Joanne Bornemiſſa & Stephano Carolo, qui Michaeli Vadaſio ſucceſſerat, ſtatim tranſiêre: locoque occidentem verſus capto, quo ire ſe juberet ad Samoſcium miſerunt. Cum ille exteris præ cæteris indulgendum ratus, ipſi ſibi locum legerent, ſe permittere oſtenderet: illi rurſum ad ejus arbitrium rem rejicerent; ratus eum, quem inſtitiſſent, locum maximè ab illis probari, eundem, ut retinerent, munitionesque ab eo ad arcem agerent, Bornemiſſa tormentariæ rei præpoſito, mandat.

Interim, quòd Polonicum quoque peditatum citius ſubſecuturum arbitrabatur, ad inferiorem fluminis partem, qua urbs antea fuerat, ſubito nonnullos diſponit, qui foſſas munitionesque ab ea quoque parte inſtituerent. Verùm cùm quòd alios viminum ad corbes militares petendorum cauſa dimiſiſſet impedimenta eo die omnia traducere non potuiſſet, at ratas aliquot cohortes præſidio illis relinquere neceſſe habuerat: præterea reliquus etiam Polonicus peditatus tardaverat: quare fiebat, ut pauci omnino in opere eſſent; iique cùm majus nihilominus pro numero ſuo opus ea nocte perfeciſſent, accidit, ut tirones quidam ex ijs negligentiùs ſub arce verſarentur, in quos poſtridie Moſci eruptione facta, priusquam ſubſidium eis ferri potuiſſet, unum interfecerunt, alterum ceperunt; Signoque militari, quod lentiùs ſignifer proferebat, abrepto, in arcem propere ſe receperunt. Haud multò poſt reliquæ cohortes cum impedimentis, univerſusque Polonicus peditatus advenit; opereque ſumma celeritate perfecto, ſequenti nocte & à Polonis & ab Ungaris tormenta conſtituta fuerunt.

Eadem nocte intervallum, quod inter Lovatum flumen atque lacum orientem verſus exiguum intercedere diximus, perfodere Samoſcio viſum fuit. Quod cum lacus foſſæ vicem arci præſtaret, ſi derivatus fuiſſet, multò commodius per ſiccas foſſas ad oppugnationem iturum militem judicabat. Peditatui univerſo Polonico & atratis cohortibus Nicolaum Vrovecium præfecerat: Præterea verò inter primores quosdam comparârat, ut cum ipſe ad alia opera abeſſet, eorum aliqui in vices ad munitiones curarent.

Evenerat tum ſors ea Petro Klocevio Caſtell. Zavichoſtenſi; qui ut homo ad militaria munia

munia promptus, dum ipſe ad opus inter frequentes tormentorum ictus, qui continuò ex arce in intentos operi dirigebantur, contendit, globo trajectus interijt. Sub hæc Rex Lovatum ipſe transgreſſus, ut oppugnationem inſpiceret, quod per tam altum eumque recentem ceſpitem non poſſe penetrare globos videret, ne ijs jaciendis tempus eximi pateretur, Samoſcium monebat. Itaque in pinnacula, è quibus ſedilia tormentorum, quæ per vallum diſpoſita erant, dirigebantur, jaculationibus ab Ungaris converſis, incenſa mox ea fuerunt. Etſi autem ulterius ignis non progrederetur, quod ſedilibus, quæ diximus, exuſtis, in aggerem mox deſinebat; illi nihilominus incendium conſpicati, manu ſtatim facta ad vallum ſucceſſerunt: juſtoque temporis ſpatio ſub eo verſati, cùm tandem hoſtis collecto animo ad repellendos concurreret, illique nihil eorum, quorum cauſa in eum locum progreſſi fuerant, ſuccedere ſibi viderent; ſub noctem ad munitiones ſuas per lacum ſe receperunt.

Legati interim qui in caſtris erant, incendio hoc in metum adducti, iterum admitti ſe petebant, cujus rei altera die poteſtate iis facta, quòd ignis jam conquieverat, illique metu jam liberati ſibi videbantur, eadem qua antea ſimulatione uſi primò Curlandiam & Rigam Regi offerebant; his deinde Polotiam adjiciebant; tandem pro captivis Uſuiatam & Jeſeriſciam; ex quibus Jeſeriſcia ſola in poteſtate Moſci tunc erat. Multis ultro citroque verbis factis ſumma hæc fuit, ut ſpem facerent, poſſe ad æquiores conditiones pacis cauſa Principem ſuum adduci, ſi tabellarium cum literis hac de re ad illum mittendi poteſtas ſibi fieret: Rexque ipſe non acquieſcere ſe conditionibus à legatis propoſitis per literas ei oſtenderet: interim ab oppugnatione abſtineret; id ut illis permitteretur, Senatores quidam Lithuani perſuadere Regi conabantur; quòd cum omnia tam diu fruſtra tentari viderentur; omnibus incommodis belli ſe potiſſimùm, apud quos ſedes ejus eſſet, expoſitos, periculoque proximos cogitarent; ac ſi capta arx eſſet, defendendæ ejus onus, quod in tot hoſtiliũ præſidiorum vicinitate, ſylvarum à Lithuania interjectarum magnitudine maximam difficultatem habiturum intelligebant, ad ſe potiſſimum rediturum. Rex etſi ad omnia potius deſcendere paratus erat, quàm oppugnationem dimittere: urgentibus tamen illis, Samoſcium qui ad munitiones tum verſabatur, aſſiduusque in opere erat, ut de ſtatu oppugnationis, quemadmodum poſtulatum à Lithuanis fuerat, ex eo cognoſceret, accerſit.

Duobus primariis Senatoribus Lithuanis adhibitis, quid à legatis petatur oſtendit: quærunt ex eo Senatores ij, quid de ſucceſſu oppugnationis polliceatur: niſi certam ſpem potiundæ arcis afferat, ſatius eſſe petentibus jam dari, quòd haud multò poſt difficultatibus ipſis cogentibus majori cum ignominia tribuendum foret. Reſpondet Samoſcius, ut in re, quemadmodum omnia ſint belli, incerta nihil certi promittere poſſit; ita bene tamen potius cum conſilio atque fortuna Regis, tum virtute militum fretum ſperare: præſens verò oppugnationis tempus eximi pati, quem alium exitum habiturum quàm ut ſi qua nunc expugnandæ ejus, facultas ſit; ea poſtquam anni tempore in autumnum jam vergente conſuetæ regionibus iis tempeſtates, effuſique imbres ingruerint, nulla prorſus relinquatur? Rex quemadmodum ante in animo habebat, inducias dandas non judicabat: ut ſuum interim negotium utraque parte, ea qua antè ratione adminiſtrante, literas legati ad Principem ſuum darent, permiſit: iis ſuas addidit, quemadmodum petitum à legatis fuerat, quibus diem certam intra quam reſcriberet, illi præfiniebat: Simul Ungaros vallum ſubire, absque ima parte ejus, cuniculum aperire, huicque pulverem ſubjicere jubet.

Itaque ponte ab eo loco, quo anguſtior lacus erat, ſubitario opere ſtrato, reliquoque opere una nocte perfecto, pulvis ſub crepuſculum ſubjectus, & à meridie demum incenſus, turrim, quæ ab ea parte erat, corripuit; ceſpiteque disjecto parietem propugnaculi nudavit, quem cum Ungari mox incendiſſent, Moſci incendium, quod maximum exortum erat, reſtinguere conatentur; nec noſtri à continuis in Moſcos ex omni tormentorum genere jaculationibus, nec illi à conatu reſtinguendi ignis, magno cum incommodo ſuo, prius ceſſarunt, quàm nox interveniens & noſtris ſcloppetorum uſum eriperet, & illis opprimendæ flammæ ſpatium daret.

Ab altera parte munitiones hoſtium, quas per majus, quod demonſtratum eſt, propugnaculum egerant, vineæque intra quas tormenta conſtituerant, quam maxima noſtrorum tormentorum vi de vallo proturbantur: cumque impigrè tormentis res adminiſtraretur, vineæ omnes ferè de vallo dejectæ fuerunt, hoſtesque ſe ac tormenta ſubduxerunt.

Plerisque cuniculum indè ad propugnaculum agendum exiſtimantibus, Samoſcio ea de cauſa minus id probabatur, quod in ſolo humido ac paluſtri, intra flumen atque lacum medio vix cuniculo locum fore judicabat. Quòd verò propugnaculum id ulterius nonnihil quam reliquæ turres, ita prominere animadverteret, ut nulla ab aliis propugnaculis tormenta rectis ictibus per frontem ejus dirigi poſſe: omnesque qui à lateribus in eam partem acciderent, transverſi ferri viderentur, ſi ad eum locum miles ſuccederet, quod à tormentis lædi non poſſet,

poſſet, vel per ipſum ceſpitem multo faciliore ac commodiore ratione ligonibus ad turrim viam patefieri poſſe ſibi videri oſtendebat. Itaque foſſam verſus propugnaculum duci jubet, quam rem Luca Syrneo cum atratis cohortibus impigrè curante, cum ulterius progredi vellet, palis, quos juſto ſpatio ante vallum ingentis magnitudinis confertiſſimos in terram defixos objecerant, prohibitus fuit. Poſtridie vineis ac tormentis hoſtium, quemadmodum dictum eſt, jam antè ſummotis, nonnulli ex noſtris inter ſe cohortati nullo imperio ad propugnaculum excurrentes, ſcalis admotis, vallum ſcandere cœperunt. His à Moſcis partim à fronte dejectis, partim per averſam portam, quæ ad Lovatum ab oriente pertinebat, erumpentibus circumventis, quidam ex iis graviſſimè vulnerati relicti fuerunt.

Samoſcius qui alia tum ad caſtra curabat, cùm de irruptione ea noſtrorum cognoviſſet; ſubito ad eas munitiones ſe retulit: conſpicatusque vulneratos, quos diximus, aureis aliquot nummis depromptis, quos ut tironum animos ad maturandum impigrè opus præmiis invitaret, ad tormenta ſemper expoſitos habebat, certam pecuniam ſi qui vulneratos retuliſſent, pronunciat: quibus relatis, ut levi initio ſucceſſum ejus, quod animo propoſuerat, periclitaretur, ligone uni dato, præmioque propoſito, quid fieri velit, oſtendit: interim ſi primo ſucceſſiſſet, qui eum ſequerentur, paratos eſſe, ac ad foſſam inferiorem procurrere, ibique ſe continere, & ſignum expectare jubet.

Contra eruptiones hoſtium Vibranovium opponit: eum cum ſclopetariis aliquot ſecundum ripam fluminis propius verſus propugnaculum, atque averſam portam, per quam erupturi hoſtes erant, ſuccedere: Veierum præterea ex munitionibus diligenter tormenra in erumpentes emittere jubet. Ille, quemadmodum juſſus erat, accepto ligone, per foſſam intra munitiones noſtras ad palos usque, quos oſtendimus, pervenit: indè ſumma celeritate per crebras hoſtium ejaculationes ad vallum procurrit, eique ſe applicans jam extra tormentorum hoſtilium ictum, ceſpitem ligone ſcalpere incipit. Hoſtes à diverſa parte circumveniendi ejus cauſa ſe effundunt. His Vibranovius, qui ad ripam fluminis, quemadmodum dictum eſt, cum ſcloppetariis aliquot collocatus fuerat, à tergo ſe oſtendit; cumque creberrimis præterea tormentorum ictibus, qui ab omnibus partibus ex munitionibus in eos dirigebantur, peterentur, rejecti fuerunt: Unus verò ex iis Sabinus Noſſovus ſtrenuus manu inter Moſcos, & qui è præſidio Suſenſi magnis incommodis noſtros affecerat, duobus globis frontem à Vibranovianis perſtrictus, unoque à Vejero emiſſo ſub pedibus ejus tranſeunte perculſus ad ſtationes à noſtris pertractus fuit, ubi ſe collegiſſet, interrogatus de ſtatu præſidij omnia dicebat, quibus ſpem potiundi ejus noſtrorum minueret: non ejus generis arcem eſſe, quæ cum ſuperioribus à noſtris expugnatis, comparari poſſet: vallo craſſiſſimo cingi: turres latiſſimo ceſpite protectas nec tormentorum ictibus, nec incendiis patere: propugnaculum illud unum munitiſſimæ arcis inſtar eſſe; ternis ingentis magnitudinis trabum ordinibus ſingula ejus latera revincta: altiſſimo ceſpite veſtitum: ne cuniculis quidem tentari poſſe, cum propter ſoli paluſtris humiditatem, tum quòd fundamentum ex firmiſſimis palis, ac ingentibus ſolidisque ſaxis ſubjectum haberet.

Hæc Samoſcium omnia magis in ſententia confirmabant. Nam & quòd cuniculo antè aggreſſus eam non fuiſſet, bene cecidiſſe intelligebat: & quo major lignorum vis unum in locum congeſta eſſet, eò & citius incendium tolli poſſe, majoresque vires ſumpturum judicabat. Poſtridie aliam foſſam ſecundum flumen, qua Vibranovius antea conſtiterat, duci jubet: Subſidia in hac contra eruptiones collocat: tormenta item trans flumen contra averſam portam transducit: Simul magnam materiæ vim comportatam, ſtupa involutam, ſulphureque ac pice oblitum, Stanislai Koſtkæ opera ad futurum incendium præparat: quibus rebus perfectis ſummo mane, eodem, quo ante modo ligone dato, alterum rurſum immittit: ei mox alios ſummittit; ut creſcente tandem multitudine concurrentium, unaque cum ea opere, jam triginta circiter hominibus capiendis os in ceſpitem patefieret: ac ad turrim ipſam perveniretur. Forte eo loco feneſtra olim fuerat, priusquam terra obtegeretur. Per hanc Moſci ſclopetis noſtros, noſtri item Moſcos mutuò arcebant, ſimulque excuſſis ignibus, ligna, quæ ſecum attulerant, inferebant: Moſcisque haſtis tandem per feneſtram gerere rem inſtituentibus, eas arreptas illis extorquebant. Samoſcius interim ad alia caſtra ſe paululum receperat; veritusque ne perperam quid adminiſtraretur, ne ſe abſente ignes inferrentur, vetuerat.

Poſtquam admoveri ignem ſenſit, ſtatim accurrit; Jamque eò rem progreſſam videns, ut ſtrenuè eam urgeret, militem hortatus, tædas jam ante eum præparatas, quàm frequentiſſimas ſubjici jubet. Multorum hic è nobilitate etiam cum aliorum, tum præcipuè Chriſtophori Rosdraſevij præfecti Lancicienſis, qui ſub ipſum illati ignis principium, abſente Samoſcio, ad extremam foſſam ac palos procurrens, omniaque pericula magno animo excipiens, promptiſſimè rem adjuvabat, ſingulare ſtudium enituit. Non deerant ſibi tanto in periculo Moſci: coriisque madefactis, & quibuscunq; aliis rebus poterant incendio occurrebant. Magna tædarum atq; ignium vi toto die continuò in turrim conjecta, nullum tamen adhuc incendium erumpebat, qua de re variis in conſilio ſententiis dictis, cum quidam adhuc cuniculos tentandos arbitrarentur, Zamoſcius, etſi in ancipitem curam ex diei ejus eventu conjectus erat, nondum tamen plane de ſuſcepta incendij ſpe, dejectum ſe oſtendebat; poſſe & parvam ſcintillam in magnum incendium tolli: ſuſpicari ſe tantum ignis atque tædarum hujusmodi lignorum & aridorum præſertim ſtrui admotum non ſic abiturum, quod ſi minus tamen nunc ſucceſſiſſet, ſequenti nihilominus die denuo ignes inferri juſſurum: omniaque interim majori diligentia præparaturum.

Ab altera parte Ungari irruptionem, qua ab ipſis aditus in vallum patefactus erat, flagitabant. Samoſcius, quòd arduus indeque præceps locus erat, ad Regem ſe relaturum oſtendebat: Interim in omnem caſum, quis ordo irruptionis ſervari deberet, ſi tentanda Regi videretur, diſponebat. Moſci interim in tam ancipiti diſcrimine verſari ſe videntes, contra os, per quod Ungaros irrupturos metuebant, crebra tormenta collocabant: ab altera parte incendio quibuscumque poterant modis contra veniebant. Sed nulla omnino reſtinguendi ejus ratio oſtendebatur: quòd ut quisque ad opprimendam flammam turrim ingreſſus fuerat, fœtore atque fumo protinus exanimabatur.

Cùm quò diutius ignis ſuppreſſus eſſet, eò majores vires concepiſſet, de ſecunda vigilia magna flammarum vi per ceſpitem ſubitò erumpente incendium ſublatum ædem Salvatoris, quæ proxima propugnaculo erat, corripuit; indeque per pinnacula pervagatum reliqua privata ædificia populari cœpit. Zamoſcius, quòd exercitum hoſtium in propinquo eſſe ſciebat, excubias aliis novis de exercitu adjectis mox firmat: præſidia equitum ſupra Ungarorum & Polonorum munitiones diſponit: in mediis caſtris in equis omnes conſiſtere jubet: ad easque Staniſlao Solkevio relicto, ipſe ad Ungarorum munitiones ſe confert.

Interim ut & tot hominum vitæ parceretur, nec munitiones, tormenta atque apparatus bellicus reliquus, præda denique militi debita incendio corrumperetur, ad deditionem Moſcos hortabatur. Obſeſſi in extremo rem ſuam verſari videntes, primario ad illum ſacerdote miſſo conditiones nihilominus, tanquam integris rebus, proponebant. Samoſcius retento penes ſe ſacerdote, Paulum Julanum cum Joanne Chriſtophoro Drojovio ad eos mittit, qui quo loco res

eorum ſint doceant, unamque deditionis conditionem eſſe, ut clementiæ Regis ſe permittant. Inter hæc cum illuxiſſet, ſimul Rex ac plerique Senatores ex ſuperioribus caſtris acceſſerunt. Confluxit & lixarum ac calonum ad ſpem prædæ non exiguus numerus; jamque pars per vallum nitebatur, quod conſpicatus Ungarus miles, fremens expertes laborum ac periculorum oppugnationis ad prædam convolare: tandemque ab hoſte quoq; crudelitatis ac ſævitiæ pœnas expoſcendas, illiusq; etiam ſanguine tot commilitonum morſibus, multorumque ſæviſſimè ab illo ex cruciatorum ſuppliciis parentandum dicens: dum inani clementiæ ſtudio jam toties illi parcitum ſit: dimiſſum ad Polotiam, Suſam, Veliſium, Uſuiatam, per alia præſidia diſtributum: vires ejus auctas, crudelitatemque magis confirmatam, in arcem irrumpit: promiſcuè omnes interficit. Idem Polonus miles facit. Miſerat jam antea Zamoſcius, qui Palatinos primariosq; præfectos deducerent. Adducti ab iis fuerunt præfecti tres, Joannes Viechovus, de quo ſupra dictum eſt, de eo cum ut homine magna apud Ducem gratia, ſecretorumque omnium conſcio diligentius Zamoſcius interrogaſſet; ille more Moſcovitico ad ſupplicium & cruciatum ſe queri exiſtimans, longius è conſpectu Zamoſcij verſus caſtra productus, conſpicatus in proximo Georgium Farensbekium, cum quo in Moſcovia notitia illi interceſſerat, ad eum vitæ deprecandæ cauſa ſe proripuit. In fugam Ungarus miles interpretatus, ſubito in eum impetu facto, nullo opem ei ferre valente eum interfecit. Jam ignis ad fornices, in quibus pulveres tormentarij aſſervabantur, pervenerat, quo periculo oblato pars ſe ſubducebat, nonnulli à præda & cæde nullo periculi metu avocari ſe paſſi in arce remanebant, inter quæ ſubito ingenti fragore edito, pulvis incenſus fuit; magnamq; cum vicinorum ædificiorum, tum hominum tam noſtrorum, quam captorum ſtragem fecit. Eo igne tormenta ſimul, & quicquid in arce armorum erat, quorum ex Livonicis manubiis magnum numerum eò Moſcus congeſſerat, inſtrumentumq; militare, ac reliqua præda omnis partim exuſta, partim corrupta fuit. Ex majoribus tormentis unum ſolum accipitris imagine, ac circa id minora nonnulla, quæ loco inferiori dirutis ædificiis contra os, per quod Vngari irrupturi erant, diſpoſuerant, reliqua ignis fecit.

Mortuos, quorum paſſim magni acervi jacebant, à lixis ſepeliri: foſſas è quibus oppugnata arx fuerat, à milite ſuppleri Rex juſſit. Inde arcis reſtaurandæ muniendæque, quod ſine ea regionem agrumq; ab hoſte captum nulla ratione retinere ſe poſſe videret, ſummam curam ſuſcipiendam ſibi intelligebat.

Itaque adhibito architecto Italo Dominico Rodolphino Camerte, secundum eam rationem, qua ipse opus dimensus erat, in Polonos, Ungaros & Lithuanos, æmulatione nationum eò citius perfectum iri existimans, id partitur. Erat, quemadmodum supra ostensum est, exercitus hostium ad Toropeciam; qui, quemadmodum jussus erat, prælio dimicare in animo non habebat: in singulos saltem, si quos fortè ab exercitu frumentandi, aut pabulandi causa digressos, excipere posset, intentus erat; Regeque obsessione ad Lukos occupato, quinquaginta circiter è nostris ea ratione oppresserat.

Huic rei cum obsidione jam finita occurrendum Rex existimaret, primum Georgium Barbelium Ungarorum equitum alæ Præfectum, Polonis aliquot, ac Ungaris equitibus, sclopetariisque ei attributis, contra hostem mittit. Postea præstare ratus, si justas copias mitteret, quæ pugnandi potestate ab hoste facta, occasione data fortunam tentarent, Joannem Sbarassum Palatinum Braslaviensem cum delectis ex omni Polonorum, Ungarorum & Germanorum equitum numero mittit. Huic mandat, ut assumpto Georgio Barbelio, & qui cum illo præcesserant equitibus, propius ad hostem accedat: ac si qua rei gerendæ opportunitas detur, prælium committat. Sbarassus sub vesperam castris egressus per totamque noctem itinere continuato, postero die Barbelium assequitur: communicatoque cum illo ac Farensbekio consilio, quem Samoscius tunc adversa valetudine impeditus, cum præcipua juventute ex comitatu suo miserat, refectis eo die ex labore jumentis sub noctem Albertum Kiralium, cum certo equitum Polonorum & Ungarorum numero de secunda vigilia præire: cum unius milliaris intervallo cùm ala equitum Barbelium sequi jubet: cum reliquo agmine mox ipse subsequitur. Kiralius noctu progressus in hostium excubias incidit; quas ad pontem, circa quem sclopetarij aliquot hostium in insidiis consederant, persecutus; iis rejectis, quòd intempesta nocte non ulterius progrediendum sibi statueret, eo loco se continuit. Mane Barbelius, ac paulo post reliquus exercitus eum consequitur. Adjectis aliis non nullis levis armaturæ militibus denuò Kiralius præmittitur.

Exercitus interim hostium, delectis ex omni suo numero quater mille circiter, qui nostros insequentes morarentur, ac demum ipsi quoque subsequerentur, Toropeciam versus & in Moscoviam se recipiebat. Ultimi cum de adventu exercitus nostri cognovissent, territi, continenter & non minus celeriter ipsi quoque eundo faciebant, ut fugæ consimilis profectio videretur. Antecedebant exercitum ex nobilitate quadraginta circiter equites, & ad Kiralium jam pervenerant. Hostes flumen jam transgressi erant; instructaque acie, si nostri flumen transirent, ut prælio cum illis decertarent, expectare videbantur: Mille equitibus cis flumen relictis, qui nostros distinerent, ac in suum locum pertraherent.

Hi partim velitando, partim cedendo ad flumen eos pertrahunt; in cujus adversa ripa sclopetarios longo ordine dispusuerant. Illis à Stanislao Sabocio, ac equitibus Germanis, qui sub illo merebant, dejectis, nostri transmisso flumine, rejectisque hostium sclopetariis, à latere in aciem hostium invehuntur. Illi primum ad resistendum comparentes, mox alia signa ac majorem exercitum advenire conspicati, ne unum quidem impetum eorum tulerunt: pars Toropeciam fuga petivit: nonnulli via Regia Moscoviam versus fugerunt; alij in proximas paludes se abdiderunt. Nostri, etsi nox jam appetebat, per quindecim tamen ferè millia passuum ultra Toropeciam hostem insecuti, ultra quingentos in fuga ea conciderunt: ducentisque captis, ac in his maximè insignibus Demetrio Ceremessino, de quo supra dictum est, ac Joanne Nassokino Offanasi filio, quem paulò ante discessum Regis Vilnam pro legato ad Regem missum fuisse ostensum est, paucis è suis desideratis aut vulneratis ad exercitum redierunt. Toropecienses præsidiarij cùm propius accedere nostros vidissent, rati ad obsidendos se venire, more suo statim oppidum exusserant; omnibusque rebus comportatis in arcem se receperant.

Interim Philo Kmita Palatinus Smolenscensis non exigua levis armaturæ equitum manu coacta, in agrum Smolenscensem excurrerat, secundisque populationibus aliquot invitatus Smolenscam longius progressus fuerat. Sed cum ad decem millium exercitu coacto vehementer eum hostis premeret, captivis, quos circa se habebat, interfectis, & levioribus aliquot tormentis relictis, recipere se Orsam coactus fuerat.

Jam cum Usuiatæ Rex esset, Nicolaum Dorohostaiscium Palatinum Polotiensem ad Nevelam oppugnandam, miserat; quod ea via à Lukis regredi constituerat; Dorohostaisciusque ipse ac pro eo Lithuani partes eas deposcerent. Sita Nevela est supra Lukos Lithuaniam versus in complexu lacus, ex quo ejusdem nominis fluvius se derivat, jam ante sub Sigismundo Augusto Polonorum cum Moscis pugna nobilitata.

Cum

Cum pro numero præsidij non satis multi milites, ijque in hoc genere belli nunquam ante hac versati convenissent, ab eaque parte qua lacus castrum alluens difficiliorem oppugnationem faciebat, loco minus opportuno obsidere eam instituissent; hostis etiam continentibus jaculationibus & eruptionibus paucitate eorum contempta, acriter se defenderet, hucusque obsidio ducebatur. Lukis in potestatem redactis, primùm ex atratis quingentos eò Rex misit: haud multò post etiam Joannem Bornemissam cum Ungarorum cohortibus, & majoribus tormentis aliquot: tandem solicitus de eventu obsidionis, quod iter, quemadmodum dictum est, facere illac constituerat; Samoscium cum iis quas habebat copiis ire eò jussit. Hic, cum aliquot jam milliaria progressus fuisset, nuntium redacti in potestatem præsidij in itinere accepit.

Bornemissa enim, postquam eo venisset, ex priori nostrorum paucitatis contemptione hostibus erumpentibus, manu ipse cum iis congressus, nonnullisque interfectis intra munitiones eos compulerat: Inde magna diligentia in oppugnationem incumbens, ab ea parte qua cum continente conjungitur, proximè hostium munitiones maximo militis labore fossas promoverat: veteres, à Lithuano milite propius institutas, auxerat. Cumque continuò militis labore ad fossam, quæ à continente castrum ambiebat, opus promovisset, progressu in validas contignationes transversis lignis confibulatas incurrerat; quibus decem pedes in latitudinem ab ima parte ad summum usque superinjecto humo labrum fossæ hostes munierant; indefessoque studio securibus materia tandem amota, tanto silentio ad munitiones hostium pervenerat; ut non prius ab illis sentiretur, quàm miles ad incendendum parietem missus, mœnibus ignem subjiceret. Quare ita hostes perculsi fuerunt, ut subitò ne quicquam reclamantibus præfectis deditionem facerent: Itaque oppresso mox incendio integra in potestatem venit. Tormentorum ac reliqui instrumenti militaris pro captu castelli justus apparatus: pulveris tormentarij præter diligentiam Moscoviticam providendorum præsidiorum, quod in nullo adhuc evenerat, non plus dimidiato vase repertum in eo fuerat.

Rex nuntio hoc deditionis accepto jam de discessu suo ac de statu Provinciæ captæ constituendo cogitans, ex itinere Samoscium revocat. Duo omninò è propinquo præsidia, Toropeciense, ac Savolociense imminebant, quæ universæ ditionis ejus possessionem turbare ei poterant. Plebe præterea rusticana, ut in novo imperio infida: Lithuaniam versus maximis ac vastissimis solitudinibus interjectis, Toropecia & Savolocia infestis relictis, præsidium ipsum undique ab hostibus & difficultatibus obsessum, ab omnique subsidio interclusum non satis tutò ibi futurum intelligebat. Savolocia præterquam quòd Lucensi præsidio maximo incommodo futura erat, cogitanti jam de futuri anni expeditione, necessariò etiam occurrebat, in insula enim lacus, ex quo Velika fluvius se derivans primò Opockam, inde Ostroviam, ac deinceps recta Plescoviam, atque infra eam in lacum Pelbam influit, tanquam in capite viæ Plescoviensis sita, Plescoviam, quod suscepti belli series postulare videbatur, eunti, non exiguam moram objectura ei videbatur. Quod eo magis præcavendum illi erat, quod si per continuas rursum sylvas Polotia Plescoviam contendentem hostis, quod hactenus omisisset, itinere fortè prohibere institueret, eum locum magnam ad eam rem facultatem illi præbere: eo verò si potitus fuisset, nihil Plescoviam ferè usque præter Ostroviam futurum intelligeret, quod iter ejus morari posset.

Occurrebat omnibus hisce rebus, cùm oppugnationis difficultas, quæ summa proponebatur; quod Savolocia maximo lacu undique circumfusa, nullos omninò è terra nisi per pontem unum accessus habebat: tum anni tempus ipsum, quod iis in locis mense jam Octobri aliàs pluvium eò majores tempestates atque incommoda allaturum existimabatur, quò minus imbrium proxima æstas habuisset. Mittit nihilominus Zamoscium hujusmodi cum mandatis, ut consilium ipse pro tempore capiat: ac potiundæ quidem ejus spe oblata, exercitum & admoveat; ab omni spe dejectus, itinere supra se à dextera capto Lithuaniam versus se recipiat. Illi aucto tormentorum numero ad reliquas copias, quas habebat, quingentos pedites Ungaros, & alam equitum quam Gabriel Bekesius Gaspari defuncti frater ductabat, attribuit.

Perfecta interim munitione arcis Lucensis, cum Rex consuetudine sua ipse semper ad opus esset, militesque, ne quod tempus ab opere intermitterent, hortaretur: eaque tormentis, commeatu, ac omnibus ad defensionem necessariis rebus provisa: descriptisque qui in præsidio manere debebant, tam equitibus, quam peditibus ternis castris Nevelam inde Rex pervenit.

Secuti Regem Nevelam fuerunt Legati Moscici; qui excidij Lucensis ipsi spectatores fuerant, & tum ad literas, quas scriptas supra ostensum est, responsa à principe suo expectabant. Nevelæ per aliquot dies, ut Savolociensis oppugnationis eventum expectaret, Rex substitit. Interim tabellarij & Regis Legatorum ab obsidione Lucensi in Moscoviam missi revertuntur.

 Qui

Qui à rege miſſus fuerat, longiſsimas literas attulit, in quibus ſuperiorum literarum omnium argumento, more ſuo longa oratione repetito, quia Livoniam à Rege univerſam repeti intelligeret, ut quo à ſe jure poſsideretur, oſtenderet, à Suentoslao quodam Miciſlai filio, genus ſuum deducebat. Eum antequam ſacro baptiſmate Chriſtiana religione initiatus fuiſſet, Jurg vocatum: ab eoque Jurgo Horodum, quam arcem & urbem alias Derpatum Germani appellarent, conditam: inde cunctam Livoniam ad ſe unicum Micislai ejus hæredem longa ſucceſſione pertinere. Priores Poloniæ reges fratres appellare ſolitus fuerat: hunc non niſi vicinum: Inter alias conditiones, quas ad Lukos à legatis ejus propoſitas ſupra oſtendimus, fraternum quoque nomen Regi detulerat. Reſponderat tum Rex, fraternitatem ejus ſe non morari: Livoniam, pro qua bellum ſuſceperit, ſolam petere. Jam hiſce literis fraternam illi neceſſitudinem deferebat, ac etiam eo invito nomen hoc ad illum uſurpaturum ſe oſtendebat. Summa hæc erat, ut publicæ concordiæ cauſa titulum Livoniæ cum rege ſe communicaturum, quatuor præterea caſtellis ejus, in quibus Kokenhauſium præcipuum erat, ceſſurum ſe illi demonſtraret, ſi Rex viciſſim Lukos, Veliſium & Nevelam vetuſtæ ditionis ſuæ, nuper ſibi adempta redderet: ampliora mandata ſe legatis perſcripſiſſe. Hi poſtridie ad Regem adducti, cum Senatoribus agendi poteſtatem dari ſibi petierunt; ter cum ijs congreſſi tribus proximis diebus, alia ſex ad priora quatuor caſtella adjecerunt, in quibus Runeburgum potiſſimum, cætera ignobilia caſtella erant. Nulla alia mandata deinceps iis proferentibus, re infecta à colloquio receſſum, permiſſumque illis fuit, ut in Lithuaniam, inde in Poloniam Regem redeuntem ſequerentur; dum nova à Principe ſuo mandata acciperent, quod ipſis ultro petentibus eò libentius Rex permiſit, quod ſibi quoque interim, quis ordinum de futuro bello animus futurus eſſet, cognoſcendi ſpatium dari non moleſte ferebat.

Captis Lukis & Nevela, Jeſeriſcia, quindecim à Nevela millibus paſſuum, tanquam ſinu noſtrorum præſidiorum undique cincta relinquebatur. Qui in præſidio erant ab omni defendendi ſui ſpe interclusos ſe videntes, deditionis ſpem Regi fecerunt. Itaque miſſus eò Radivilus Palatinus Vilnenſis, antequam Nevela Rex diſcederet, in deditionem eos accepit. Interim Savolociam cum exercitu Samoſcius pervenit. Totus autem ille tractus, cum per apertos ac patentes campos frequentiſſimasq; villas iretur, non mediocri voluptate omnes affecit.

Moſcovitica enim ditio ut finitima, quemadmodum oſtenſum eſt, ſylveſtris pleraq; eſt; ita mediterranea bonitate agri, glebæ ubertate, fluminum ac lacuum plerisque in locis opportunitate, villarumque frequentia nulli cedit. Lucenſis verò ager rebus iis cæteris ferè omnibus etiam præſtat: unde dum ad Lukos exercitus erat, in ſumma omnium rerum copia erat. Oppidum Savolocia, quod ad Pleſcovienſem Lucenſemque viam fuerat, ſub primum Regis ad Lukos adventum præſidiarius miles more ſuo deleverat; pontemque qui ab arce ad oppidum pertinebat, interciderat.

Arx ſita, quemadmodum ante demonſtratum, in lacu eſt; qui à Velika fluvio effuſus, absque omnibus partibus latiſſimè reſtagnans, latiſſimas tamen ab Oriente & Occaſu aquas habet; quod inde ex alio ſuperiore lacu flumen erumpens, Occaſum verſus exitum habet, quà anguſtiſſimus eſt; non minus trecentos paſſus in latitudinem patet.

Samoſcius præmiſſo Chriſtophoro Rosdraſevio cum alis aliquot equitum in Pleſcovienſem viam, alteram quæ ad Nevelam pertinebat, Lucam Dſialinium, ac Nicolaum Vrovecium obſidere: ac ſi qui ex Nevelanis dediticiis ad præſidium id, quemadmodum facere ſolebant, adjungere ſe vellent, id ne faciant, ac in ulteriorem Moſcoviam ſe recipiant, adigere eos jubet. Ipſe ab exercitu Savolociam præcurrens ambitu capto, absque omnibus partibus arce circumunita, reperit notum verſus, aliam eodem in lacu contra caſtrum inſulam eſſe; quæ à plerisque partibus lacu, ab aliis uliginoſo amne ac nativa foſſa defenderetur: eadem breviſſimum ad arcem trajectum eſſe.

Itaque cum ſi eò exercitum traduceret, utrumque ſe conſequuturum intelligeret, ut & contra quasvis vel maximas copias hoſtium tutiſſimo loco conſideret: & eodem ex loco maximam oppugnandæ arcis facultatem haberet, quàm latiſſimè ad majoris exercitus ſpeciem hoſti objiciendam ſignis explicatis ſequenti die exercitu omni illum in locum traducto, caſtra communijt. Omnibus maximam difficultatem oppugnatio habitura videbatur, arce ab omnibus partibus propter aquas inacceſſa, opere præterea munita, anni tempore incommodiſſimo, quo pluviis, frigore, gelu, quæ in propinqua expectatione jam erant, continuò miles affligeretur: Samoſcius non planè tamen deſperandum putabat. Itaque quæ ad oppugnationem pertinerent, adminiſtrare cœpit.

Erant è regione caſtrorum noſtrorum tria propugnacula ingentis magnitudinis: extrema duo ex maximis robuſtiſsimisque trabibus conſignata: medium minus aliquantò feneſtris ad tormentorum uſus, quemadmodum & reliquorum laterum propugnacula omnia apta. Hæc quòd non ceſpite veſtita, ſed veteri more argilla incruſtata erant, magnam in ſpem Samoſcium adducebant, fore, ut decuſſa argilla & facillimè, ut materia veteri, & arida, nulloque humore nutrita incenderentur: & incenſa propter tantam lignorum ſtruem quàm latiſſimè incendium propagarent. Alebat ſpem ejus Saburovi, magna ob virtutem inter Moſcos & apud Ducem authoritate viri, arcisque hujus præfecti inſtitutum; qui quòd vel pulverem tormentarium fruſtra conſumi, vel militem fatigari nolebat, ſummo ſilentio, quod non niſi in maximi metus ſignificatione à Moſcis fieri ſoleret, ſe ſuosque intra munitiones continebat. Quamvis ſub primum exercitus adventum decem circiter pabulatoribus noſtris, quos oppreſſerant, minutim conciſis, atque ex arce iis præcipitatis, terrorem adventanti militi incutere ea immanitate conatus fuerat. Samoſcius ratis interim, quæ contis ad arcem adigeretur, militique ad oppugnationem tendenti tranſitum præberet, Nicolao Vrouecio jungendæ negotium dat. Simul munitiones foſſasque à caſtris contra arcem duci jubet; quibus poſtridie magno opere perfectis, tormenta mox conſtituta fuerunt: rateque interea temporis ex altiore quodam ædificio, quod reliquis incenſis ſolum hoſtes reliquerant, ab Vrovecio perfecta, primùm tormenta complura, ab ea parte, qua anguſtiſſimus lacus erat diſpoſuit: è quibus rectis à fronte ictibus propugnacula, de quibus dictum eſt, ferirentur: alia deinde à latere, quo meridiem arx ſpectat, ne & per averſam portam hoſtes erumpere, noſtrosque pontem transgreſſos, ac à fronte arcem oppugnantes, circumvenire poſſent; & ſimul, ſi qui in ſuperioribus propugnaculis conſtitiſſent, ut directis ſecundum latera ictibus tormentorum indè dejicerentur; quibus rebus adminiſtratis, oppugnationem ordiri conſtituit. Erat ab ima arcis radice acclivis verſus eam aſcenſus, quem hoſtes una altiſſimorum palorum ſepe, binisque ingentium & acutiſſimorum cervorum ordinibus, juſto inter ſingulos ſpatio relicto, obſepſerant.

Contra ea hæc Samoſcius comparabat; quia lana deſtituebatur, centonibus ſtragulisque equorum per univerſum exercitum conquiſitis, quàm plurimos ex iis ſaccos implet. Docet militem, quia loci natura à majorum tormentorum vi, quòd ea deorſum mitti non poſſent, ſatis illum defenderet, contra ſclopetos, poſtquam in adverſam ripam tranſiiſſet, ſaccos eos ſupra cervos injiceret; ſub iisque deliteſcens, foſſas mox ab ea parte ſub arce ageret; ex quibus deinde & hoſtem extra munitiones ſuas progreſſum rejiceret, & ignem in propugnacula inferret. His rebus ita conſtitutis, ratis ab eo loco, quo juſto à caſtris intervallo, inſtituta erat, contra arcem protracta; magnoque militum concurſu certatim in id omnibus incumbentibus, inter creberrimas, quæ ex utrisque munitionibus fiebant, ejaculationes, in adverſam ripam directa fuit. Sed quid brevior, quàm ut pertingere eò poſſet, reperiebatur, utrinque tum ita diſceſſum fuit. Chriſtophori tamen Rosdraſevi, præfecti Lancicienſis, magnæ virtutis & nominis viri caſu non mediocre à noſtris detrimentum acceptum. Hunc dum ratis applicaretur, ad tormenta, quò rectius ibi omnia adminiſtrarentur, curare Samoſcius juſſerat; ille cum nihilominus procurriſſet, globo ex hoſtium munitionibus ſupra dextrum oculum excepto concidit.

Inde ratis ut corrigatur, à peditibus Polonis retrahitur, quos dum hoſtes continentibus tormentorum ictibus ex arce petunt, qui funem regebant, perculſi eum dimittunt. Id conſpicati tres alij è proximo pedites, cum tenere illam aliter non poſſent, in ratem inſiliunt; ventoque vehementiore abrepti ad hoſtium munitiones ſecundum proxima propugnacula deferuntur. Videntes hos Moſci aquis ab exercitu omni ex parte interclusos, navigiis plerisque quæ in arcem omnia ſubduxerant, inſcenſis, magno numero ad eos contendunt. Hi acriter primum ſclopetis, inde contis ſe defendunt, compluresque ex hoſtibus deturbant: tandem cum undique circumvenirentur, proximis cymbis è quibus hoſtes dejecerant, arreptis, in eas deſiliunt, rateq; relicta evadunt. Interim eodem vento in adverſam ripam ratis ferri cœpit, in quam cum perſequendæ ejus finem nondum hoſtis faceret, Samoſcius equitibus aliquot ſummiſſis eam recepit. Rate eodem die refecta cum ex ſuperioris temporis caſu miles perterritus, quem antea præmiis ad promovendam eam Samoſcius provocarat, minus promptus jam ad miniſteria hæc cum periculo obeunda eſſet, Nicolaum Vrovecium neceſſarium ſuum ratem conſcendere, ſaccoq; uno ex iis, de quibus diximus, ante ſe collocato, dirigere in adverſam ripam eam jubet. Vrovecius impigrè imperata exequitur: aliquotque gregariis militibus poſt ſe collocatis, ipſe ab anteriore parte ea ſola, quæ demonſtrata eſt, ratione tectus, creberrimosque globos objecto ſacco excipiens, ſtationibus hoſtium, quæ in extrema ripa excubabant, fuga in arcem ſe recipientibus, ad ripam ratem adigit.

Miles & inprimis Ungarus confertim, quemadmodum juſſus erat, pontem transgreſſus, ſepem à ripa objectam ſecuribus primum ſcindebat: mox indè, quò celerius labore perfungeretur, cum alieniſſimo anni tempore omnia pericula frigoris ac aëris injuriis leviora duceret, ſaccis in cervos non injectis, nullis foſſis ductis, aut ulla re earum, quæ imperatæ erant, adminiſtrata, argilla nec dum decuſſa, ad ignem propugnaculis admovendum convertitur.

Non obſcuram jam timoris & trepidationis ſignificationem hoſtes dabant; verùm dum hi longo temporis ſpatio cervos moliuntur; quorum cum bini eſſent ordines, ſingulorum ordinum denum ad minus pedum latitudo erat: dum Georgium Suſſium, qui faces ac ignes adferat, trans lacum mittunt: dum alia quæ ei rei uſui ſint adminiſtrant, hoſtes recollectis interim animis, averſis omnibus portis erumpunt; integris curatisque corporibus noſtros præ frigore & gelu ad rem gerendam pene inutiles circumveniunt: longiſſimis haſtis, acutoque & falcato ferro armatis, bardeſchos ipſi vocant, breviore armorum genere, ac frameis ſaltem utentes propellunt: pars cæditur, pars in turba mutuò ſe impellens in lacum præcipitata aquis mergitur. Samoſcius & ſi deliberatum jam habebat, omnes potius acerbitates perferre, quàm ceptam oppugnationem dimitteret: dici tamen hujus ſucceſſu territos plerorumque animos ratus, conſilio habito, quid in quoq; ad futura pericula animi eſſet, explorare conſtituit. Conſilio eo habito, vix unus repertus fuit, qui habendam rationem temporis, fortunæque concedendum, à quarum neutra jam ſublevarentur, cenſeret, à reliquis omnibus vox nulla audita fuit, ſuperioribus ſucceſſibus ſuaque virtute indigna; Principioque à Farensbekio facto, quidvis potius perferendum, quàm infecta re ab obſidione diſcederent, omnes ſtatuerunt.

Miſit mox Samoſcius Georgium Sibricum cum literis ad Regem: ne incommodo hoc in oppugnatione, nimia militis properatione accepto permoveatur: ne ab obſidione ſe revocet: neu ſua cauſa diutius Nevelæ ſubſiſtat, rogat; caſtra ſe poſuiſſe ad obſidionem ducendam aptiſſima, cum loci natura ac munitione, tum circumjacentium regionum fertilitate & abundantia: nihil ſibi vel ad maximas quasque copias hoſtium ſuſtinendas loco tutiſſimo, vel in agro frumentis, pecore, materia, aquis abundante, ad omnium rerum uſum deeſſe poſſe. Hærebat Rex adhuc Nevelæ loco, quòd ſuperioribus ſtationibus & Koſakkorum direptionibus vaſtatus eſſet, quibus ex rebus commeatus ac pabuli inopiam exiſtere neceſſe erat, inprimis incommodo. Sub idem verò tempus ab aëre etiam contagium quoddam, quod primum ex Orientis partibus profectum, in Italiam indè ac Galliam, aliasque regiones perlatum fuerat, univerſam quaſi Europam pervagatum Cracoviam quoque ac Vilnam, atque indè ad exercitum pervenerat. Erat id non tam lethali aliqua vi timendum, quam progreſſu atque celeritate, qua proxima quæque loca complectebatur, admirabile. Primò inferiorem dorſi ſpinam horrore plerumque occupabat: inde in capitis gravedinem & languorem, quos corripuerat, reſolvebat, pectori imprimis grave, qui tamen intra quartum vel quintum diem non deceſſiſſent, eos in febrim degenerans interimebat; Lethale fere iis, qui purgantibus medicamentis, aut venæ ſectione utebantur, quæ utraque reſpirationem graviorem efficiebant: illa quòd humorem omnem à capite in pectus magna vi trahebat: hæc præterquàm quòd corpus refrigeraret, debilitaret etiam vires, quibus ad reſpirationem opus eſſet. Nomen ut novo morbo certum nullum inventum fuit. Rex ad eas copias, quas ante Samoſcius habebat, nongentos equites Polonos, ac mille circiter pedites Ungaros cum Stephano Carolo ei adjecit, moxq; Vilnam movit, Polotiæ eo, de quo dictum eſt, morbo, ipſe etiam tentatus. Samoſcius interim, quæ ad oppugnationem pertinerent, ſummo rurſum ſtudio apparare inſtituit: ratem quamvis ex ſatis magnis trabibus in latitudinem contabulatam, quò latior tamen & expeditior ad arcem acceſſus militi eſſet, duplicari jubet. Navigia cymbasque, quò pluribus circumfuſis omnibus ex partibus oppugnatio adminiſtretur, viresq; præſidij quàm maximè diſtrahantur, per vicinas villas ac ſtagna magna diligentia conquirit. Reliquis omnibus navigiis ſubductis, unum ſolum hoſtes reliquerant. Id cùm Monachorum loci ejus fuiſſet, ac ad majorum retiorum uſus comparatum octuaginta ferè hominibus capie[illegible]lis idoneum eſſet, quia tamen vetuſtate vitium fecerat, rimarumque plenum eſſet, neglexerant. Samoſcius qua patebat partim recentibus coriis bubulis, partim muſco obſtructo, ut commodè navigari eò poſſet, effecit. Iisdem temporibus, cum intellexiſſet, Joannem Suiſcium Petri F. Palatinum Pleſcovienſem cum exercitu ad Porchoviam conſidere, Martinum Volſcium veteranum præfectum cum expedito equitatu exploratum eò miſit. Suiſcius, quod de diſceſſu Regis audiviſſet, neque per anni hoc tempus alium exercitum expectaret, dimiſſo exercitu Pleſcoviam ſe receperat. Itaque accidit, quod evenire neceſſe erat, ut in nulla periculi expectatione incurioſius omnibus agentibus, ac ſine metu commeantibus complures Volſcius opprimeret; miſſisque agreſtibus, quibus parcere à Samoſcio juſſus erat, nobiles aliquot captivos ſecum in caſtra adduxit. Rebus iis, quas diximus ad oppugnationem comparatis, decem omninò diebus perfectis, Samoſcius majori navigio, quod refectum ab eo oſtendimus, militaribus viris aliquot aſſumptis lacum invectus, quibus partibus maximè opportuna oppugnatio futura eſſet, accuratius cognoſcit. Tormentis tria, quæ contra caſtra eſſe diximus, propugnacula, quo & argilla deterſa magis incendio paterent, & materia dilacerata apertis quaſi venis celerius ignem raperent, continuo quati jubet. Cum peditatus propter tempeſtatum etiam injurias, contra quas minus tectus erat, nec animorum

rum nec virium ſatis habiturus videretur; nobilitas equis miſſis, conjuratione inter ſe facta, ad arcem duci ſe flagitabat. Conjungebant ſe cum his pari ſtudio, qui ſub Farensbekio militabant equites, nobiles nonnulli Germani. Samoſcius in media acie, qui cum facibus ac tædis ad incendenda mænia expediti eſſent, collocatis, à dextro cornu, contra quod ſuperius propugnaculum oppoſitum eſſet, Polonos & Germanos: à ſiniſtro ad alterum propugnaculum Ungaros, qui utrinq; à media parte ignes inferentibus, contra eruptiones præſidio eſſent, conſtituit: Polonis Vrovecium præfecit, illique in omnes caſus Andream Orechovium ſubſtituit. Cum Germanis Othonem Uxkelium Farensbekius miſit. Ratem ab utroque latere ſaccis, de quibus oſtenſum eſt, contra transverſos minorum ſclopetorum ictus muniri jubet. Ea adducta inter confertiſſimas hoſtium ejaculationes in adverſam ripam applicatur; tempeſtateque ſub idem tempus commutata, poſt continentes imbres cum ſerenitate majus pugnandi ſtudium omnibus inceſſit. Jam primi ratem tranſierant: Simul navigia milite, tormentis ac facibus inſtructa, omnibus ex partibus provolabant: interim ex utrisque munitionibus: magno cum hoſtium detrimento crebræ ex noſtris jaculationes fiebant. Cùm ſubito regias literas conclamare hoſtes cœperunt. Samoſcius ſuperioribus diebus propterea, quod cum Lucenſi expugnationi magna ex parte præfuiſſet, tanquam crudelitatis ejus authoris nomen ſuum horrori eſſe hoſtibus intellexiſſet, regio nomine atque ſigno, quod pro Cancellariatus munere penes illum erat, literas ad obſeſſos hoc argumento dederat. Juſſiſſe Regem omni ſtudio Samoſcium in oppugnationem incumbere: quòd ſi tamen ultro in deditionem venirent, pro clementia ſua conſervandos ſtatuiſſe, absque omni injuria prohibitos velle: quæ quo diligentius obſerventur, cubicularium ſuum ſe mittere. Literas haſce rejecerant primò. Poſtquam quid in illis eſſet, edocti fuerant, ad ſua præſidia Regem ſcribere debere reſponderant: hoc non ejus juris eſſe, in quo regiæ literæ reciperentur. Eas literas tum primum voce, inde præfectis aliquot ſclopetariorum miſſis flagitabant. Datæ illis fuerunt literæ fidesque. Miſit ſimul Samoſcius Joannem Thomam Droievium, præfectum Premislienſem, qui arcem in fidem acciperet, Palatinosque ad ſe adduceret. Hic primò non Palatinos modò, verum militum etiam magnæ partis animos dubios adhuc reperit: tandem cedentibus timori militibus, Palatini reluctantes ad Samoſcium adducti fuerunt. Dediticiis fides ſervata fuit; matronæ præterea aliquot, quæ Lukis captæ fuerant, quòd ne pudicitia earum in tanta itineris longinquitate ac militum multitudine negligentius haberetur, verebatur, à Samoſcio condonatæ: mirantibusque Moſcis, ac ultro fatentibus, ſe ejus ætatis atque formæ matronas noſtris reddituros non fuisſe, poſtquàm cauſam, ob quam id à Samoſcio fieret, intellexerunt, tum verò minùs etiam mirum videri debere dicebant, ſi in tanta morum diverſitate, fortuna quoque diſſimilis eſſet. Ita arx & loci natura munitiſſima, & ab omnibus rebus ad defenſionem paratiſſima, anni tempore, continuis imbribus, ac gelu hoſtes juvante integra recepta fuit. Globorum candentium ne in hac oppugnatione uſus eſſe poſſet, Saburovus excogitarat. Aliarum enim oppugnationum eventu monitus, parietem, quà craſſior erat, interciderat; ac uno ſolo trabum ordine, quibus contextus erat, relicto, interiorem partem ejus ſatis lato aggere, quem cratibus continebat, veſtierat, fiebat indè, ut globi per tenuem parietem ſubito transeuntes in aggere hærerent, ibique ſua ſponte tandem ſupprimerentur. Memoria inde Samoſcius tenens Regem proximo anno per ea loca in hoſticum ulterius progredi in animo habere, tormenta & graviorem militaris inſtrumenti partem Savolociæ deponere conſtituit; Stephanumque Carolum cum Ungarico milite in arcem traducere omnia juſſit. Hic veteri ponte, quemadmodum oſtendimus, ab hoſtibus interrupto: rate, qua in oppugnatione miles uſus fuerat, infirmiore, quàm ut tantæ molis tormenta promoveri per eam poſſent; alterius etiam pontis tam exiguo tempore efficiendi ſumma difficultate propoſita, tormenta firmiſſimis, iisque pluribus rudentibus apta, quò uno rupto alij ſubſidio eſſent, per lacum ipſum, quà duriſſimum ſolum & maximè argilloſum explorarat, cohortibus aliquot Ungarorum in adverſa ripa collocatis, in arcem à munitionibus noſtris traduxit. In præſidio Georgium Sibricum cum Ungari militis parte relinquit: Farensbekium cùm mille circiter equitibus latiore circuitu capto Opockam verſus proficiſci, converſoque ad ſiniſtram per Neſcerdam itinere ad Polotiam rurſum occurrere ſibi jubet. Nam quod infra ad Velikam amnem ſita ea eſſet, quæ natura fluminis eſſet, cognoſcere: Si etiam oppugnanda proximo anno foret, ſitum ejus eo magis præceptum ante habere cupiebat, quod eodem in loco ſub Sigismundo rege incommodum acceptum memoria teneret. Eadem futuræ expeditionis cura itinera quoque reliqua omnia; flumina, item, ſi quæ navigabilia eſſent, pleraque ut explorata ante haberet, operam dabat, maximè quòd lacum Vſciam eſſe accepiſſet, ex quo ejusdem nominis fluvius ſe derivans in Uſiciam lacum influeret, indeque mutato nomine in Dryſſam lacum effuſus ejusdem nominis fluvium efficeret, earumque potiſſimum opportunitate Sokolam à Moſco commeatu, aliisque rebus neceſſariis proviſam: diligentiſſimè

omnes meatus exitusque ejus cognoſcebat. Itinere inde ob imbrium ac frigorum injurias, ſylvarumque per quas ibatur, magnitudinem, ac pontium pleriſque in locis inopiam aliquanto incommodiore, lue præſertim de qua dictum eſt, exercitum affligente, ut pacatis tamen circumcirca locis omnibus tuto per Polotiam Vilnam ad Regem venit. Dum Rex hoc rerum ſucceſſu expeditione Lucenſi perfecta in Lithuaniam ſe recipit, Moſcus, repudiata priore uxore; quod ipſius moribus toties ei licet, quoties libet, jam ſextum tum maritus delectu puellarum publico indicto novam induxit; idemque ex proceribus etiam, & conſiliariis ſuis quoſdam facere coëgit. Delectus ejus quemadmodum ex nobili quadam captiva, quæ ipſa in delectu eo fuerat, cognitum eſt, hæc eſt ratio. Proceres nobilesque omnes, qui filias aut propinquas nubiles aliqua formæ commendatione in poteſtate habeant, edicto propoſito, certo tempore omnes adducere jubet. Ad diem præparata jam ante eum in uſum domo ſpatioſa & ampla, per ſingula cœnacula duodenos lectos habentia totidem puellæ diſtribuuntur. Ipſe uno ſene comitatus omnia ordine circumit: ut quodque ingreſſus eſt, ſolio jam ante inſtructo conſidet: puellæ in magno omnium principi ſuo placēdi, ac ad eam fortunam perveniendi ſtudio elegantiſſimè omnes ornatæ, ad genua ejus ordine ſingulæ advolutæ, ſudario auro acunionibus contexto in genua injecto diſcedunt; quam ex his maximè probarit, ducit: cæteras vel agris, vel pecunia donatas dimittit. Rex Vilnæ paucis diebus commoratus, Grodnam proficiſcitur, ac jam de futura expeditione cogitans, quòd tardiùs comitia ſibi habenda, tributumque ſi quod in illis ſciſceretur, ſerius exactum iri intelligeret, ne quod gerendæ rei tempus dimittere cogeretur, privatas interim rationes mutuæ ſumendæ pecuniæ jam tum inibat. Præter Marchionem Georgium Fridericum in Pruſſia Ducem, Auguſtum Saxoniæ & Joannem Fridericum Brandeburgenſem principes Electores de mutuo in bellum hoc præſtando appellat, quo facto, duas ſimul res conſecuturum ſe videbat, ut & ſuam erga illos omnibus in rebus fiduciam oſtenderet: & eorum in re aliena ſtudio ordines invitatos ad perficiendi pro ſuis commodis belli voluntatem eò magis accenderet. Credita ab illis pecunia ad certum diem, exactiſque jam comitiis allata, ac ulterius deinde die prolato, ad tempus ſoluta fuit.

Interim Koſakki Niſovij cum Joanne Oriſovio ab altera parte in Moſcoviam Starodubum usque populationibus progreſſi, omni agro longè lateque vaſtato, oppidum ac extimas munitiones arcis quaſdam incenderunt: indeque ad Pociopovam excurſione facta, ab arce repulſi, præda tamen magna acta ſe receperunt. Proficiſcentem Grodna Regem, Rigenſium nuntij ſecuti fuerunt, Civitas eà à Sigismundo Auguſto in fidem iis conditionibus recepta fuerat, quæ jus ac majeſtatem imperij in eam regij ferè enervare, magisque ad ipſius etiam civitatis ſplendorem, quàm utilitatem comparatæ videbantur. Cum Rex iis legibus ſociam eam, quam ſubjectam habere mallet, jam ante ſuperioribus etiam expeditionibus, miſſis legatis, de certis ſubjectionis conditionibus cum Rege egerat: req; Drohicini tandem in hoc itinere transacta, miſſus à Rege Joannes Demetrius Solikovius fuit, qui civitatem in fidem acceptam, jurejurando in verba Regis obſtringeret. Cum primis de portorio conſtituendo actum fuerat. Nam cum omnis negotiatio Rigenſis Dunæ fluminis navigatione ferè contineatur, eaque jam magna ex parte ſuperioribus victoriis Regis expedita eſſet: præterque Kokenhauſium, Aſcherotum, Lenovartum, quæ eo tempore in hoſtium poteſtate adhuc erant, quod morari eam poſſet, nihil reliquum eſſet: ſummæ æquitatis Rex judicabat, ut quæ res tanto publico cum molimento, atque impendio perfecta, ad civitatis privatorumq; omnium fortunas maximum acceſſionem factura eſſet, eadem Reipubl. commodum aliquid afferret: nec alia conditione commercia eò transferri volebat. Homines prudentes cùm ſine vectigalibus & tributis non poſſe ſubſiſtere Rempubl. intelligerent: rectiſſimè autem in iis provinciis ea conſtitui, quæ armis recuperentur, aſſenſerunt tandem, ut portorium maritimum omnium mercium conſtitueretur: ejusque proventuum duæ partes Regi ſine ulla conditione: tertia civitati in portus, ac ſtationum refectionem cederet. Relinquebatur in ambiguo de bonis, quæ Archiepiſcopalis quondam juris fuiſſent: de vallo contra arcem à civitate objecto: & aliis rebus quibusdam, earum omnium definitio regis in illa loca adventum rejecta fuit. Dum in Moſcovia cum exercitu Rex erat, Joannes Tertius ejus nominis Sueciæ Rex ad Narvam claſſem miſerat, verùm integris tum adhuc ab ea parte rebus Moſcoviticis, piſcatoriis aliquot ædificiis in littore exuſtis, re infecta recipere ſe coacta ea fuerat. Interim Varſaviam ad comitia Rex venit. Ordines ut hunc rerum ſucceſſum omnibus modis urgeant, ac non lætentur modò victoria, ſed ea etiam utantur hortatur: ſi univerſam Moſcoviam, & ampliſſimum illud regnum vel appetendum vel ſperandum non arbitrentur, cujus tamen maxima ſpes, jam illis oſtendatur, eousque ſaltem in armis maneant, dum Livoniam univerſam, quam ab initio jam præmium belli hujus ſibi propoſuiſſent, dignam & laborum ſuorum mercedem, & ad poſteros virtutis monumentum relaturi adjungant: magnum incommodum in eo eſſe docet, quòd ipſe quotannis ad comitia tributi cauſa obeunda in regnum revocetur: militem con-

continuis itineribus confici: hoſti reſpirandi ſuique colligendi ſpatium interim dari: quodque tributa tardiùs exigantur, multas rerum gerendarum occaſiones mora hac corrumpi neceſſe eſſe, quibus incommodis quò obviam eatur, ut biennale tributum ſciſcant, flagitat. Ordines tributum non recuſare, à tempore, in quod flagitabatur, alieni videbantur. Priusquam autem ad ullam aliam rem accederent, capita rerum gerendarum de quibus leges perferri vellent, ſcripto comprehenſa Regi offerebant; utque ſancirentur, petebant ita reſponſum fuit, ut quæ concedi poſſe exiſtimabantur, concederentur: quædam interpretatione lenirentur: pleraque in aliud tempus conferrentur. Reſponſo eo accepto, dierum aliquot ſpatio interjecto, idem quod ante jam ſcriptum tradiderant, nullis contra regiam declarationem rationibus aliis allatis, denuò tradunt. Rex ex Senatu aliquot, parique ratione ex nuntiorum collegio aliis delectis, ut iis de rebus utrinque moderatione adhibita diſpiciant, negotium dat: quæ ab his communicatis ſententiis propoſita fuerunt, ſcripto comprehenſa denuò nuntiis traduntur, ij diebus aliquot interpoſitis, idem quod antea fecerant, prius ſcriptum ſuum rurſus Regi oblatum urgent. Appetebat interim finis dierum comitialium legibus definitorum. Itaq; certis conditionibus res tandem convenit: conſtitutionesque iis de rebus promulgatæ fuerunt. Tributum indè primò ſimplex Regi permiſerunt: poſtea Rege partim iis, quas oſtendimus de cauſis, tum quod præterea militi ſtipendium omne nondum ſolutum eſſet: apud Principes quos diximus, & alios privatos nova nomina fierent: novum ad hæc bellum adminiſtrandum eſſet, nulla ratione ſatisfieri eo ſibi poſſe demonſtrante, duplex ea prius conditione ſciverunt; ut ſi pax interim conveniſſet, tributa quoque ceſſarent: deinde iisdem argumentis à Rege illa refutata, ut collatis rationibus, quicquid ſtipendiis omnibus, & ære alieno ob bellum hoc conflato, tum ſi quid deinceps in apparatus belli erogatum fuiſſet, exolutis, reliquum ex tributo eo futurum eſſet, in Ravenſe ærarium inferretur. Venerant huc, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, legati Moſcovitici, per univerſam Poloniam tanquam in triumpho ducti. Hi novis mandatis à Principe ſuo acceptis, denuo hic ad colloquia admiſſi. Primùm Nevelenſes conditiones urgebant; quibus rei tranſigendæ à Lithuanis Senatoribus certam ſpem factam ſibi dicebant, quibus cum aliis rationibus refutatis, tum quòd majoribus poſtea ſumptibus à Rege facts, Savolociaque capta non integra amplius res eſſet; tandem more ſuo diu prius licitati eò deſcenderunt, ut ad alia, quæ ante obtulerant caſtella Livoniæ, urbibus ac caſtellis potioribus Felino, Derpato, Mariemburgo, Parnavia, ac Narva, Principi ſuo receptis reliquis omnibus Regi decederent. Rex niſi omni Livonia, hoſtis decederet, alia conditione pacem ſibi faciendam cum eo non arbitrabatur. Hæc ſententia ordinibus propoſita, publicè quoque omnibus placuit. Adhibiti colloquio cum Moſcis huic ex nobilitatis nuntiis aliquot fuerunt, quo tergiverſatione Moſci perſpecta, tota de re ipſi plenius collegas ſuos edocere poſſent. Utrisque in ſententia permanentibus, infecta re à colloquio receſſum fuit. Rex ita à comitiis diſceſſit, ut biennij tributo ab ordinibus ſancito, non prius pacem ſe facturum cum hoſte polliceretur, quàm is univerſa Livonia exceſſiſſet. Sub finem comitiorum nuntij nobilitatis per Stanislaum Priemſcium, quem à bello reverſum nobilitas majoris Poloniæ nuntium crearat, & tum nuntiorum illud nobilitatis collegium initio comitiorum Marſchalcum è more prodiderat, rege adito, ut remotis, quibus in Senatum ingrediendi jus non eſſet, dicendi poteſtas ſibi fieret, petebant; re impetrata, rogant operam dare Rex velit, ut ea expeditione bellum finiat: ita nobilitatem, maxime familias ejus ruſticas, quarum ſalutem ſine ſuarum quisque fortunarum detrimento negligere non poſſit, tributis exhauſtas, ut majoribus ferendis pares vix ſint futuræ.

Reſpondit Rex per Cancellarium; bellum pacis ac publicæ utilitatis cauſa à ſe ſuſceptum minimè ex induſtria à ſe ali: hoſtem eò redactum, ut, ſi bellum continuetur, non adeò magno negotio confici poſſit: ſe tamen conſentientibus ordinum ſtudiis libenter conceſſurum: quam primumq; ad tradendam ſibi Livoniam hoſtem adduxerit, impetuq; ejus repreſſo, reipubl. otio ac ſecuritati conſuluerit, paci, quæ cum publica dignitate atque utilitate conjuncta ſit, nullam moram facturum. Publice indè more majorum Regi valedicentes, ut de domeſticis etiam rebus, & inteſtinis incommodis ſanandis cogitationem ſuſcipere velit, rogant: nominatim de Regum eligendorum ſtabili aliqua ratione conſtituenda petunt; utque iis de rebus, quàm primùm commodo reipubl. facere poſſit, comitia habere velit, quò majus antea diſcrimen reſpubl. adierit, cùm partibus in diverſa ſtudia ſciſſis, in duos Principes Reſpubl. diſtracta fuerit, eò nunc, poſtquàm metu hoc liberata ſit, ne idem periculum denuò ſubeat, diligentius providendum eſſe docent. Accedere huc controverſias, quæ inter ſacrum & profanum ordinem intercedant; quarum & ipſarum non levem rationem ſibi ducendam, utq; omnes tandem tollantur, plurimum reipubl. intereſſe judicent. Oſtendit Rex per eundem Cancellarium, non minori ſtudio ad domeſticas res rectè conſtituendas, quàm ad perficiendum ex ſententia bellum ſe ferri: & qui bellicarum rerum laudem non aſpernetur,

eò

eò majori tamen domi benè constitutæ Reipubl. quàm maximè diuturnæ memoriæ relinquendæ studio se teneri, quò magis sine hac ne superiorem quidem gloriam stabilem perpetuamq; esse posse perspiciat. De interregnorum ratione quoties cogitet, quanto in periculo superioribus temporibus Resp. fuerit, quibus electionum & ambitionum studia ea tanquam fluctus quidam illam exagitarint; cum non minus hanc, quàm in qua natus sit, omni studio sibi amplectendam, eò chariorem etiam habendam intelligat, quò majoribus honoribus atque ornamentis susceptum se affecerit, cohorrescere se animo, agnoscereque non nisi singulari benignitate divina in commodiorem statum eam pervenisse. Jam ut de certa electionum ratione deliberatio suscipiatur, intelligere se: si id fiat, quantum & in re ipsa difficultatis futurum: & si quod verendum videatur, occulta aliqua Reipublicæ vulnera ea nudet, incommodi indè metuendum sit: suam quidem operam atque authoritatem Reipubl. atque ordinum voluntati non defutura. Idem de concordia inter Ecclesiasticum & civilem ordinem sese judicare: nihil ea posse suscipi utilius, atque ad Reipubl. stabilitatem magis necessarium: sed utramq; ad rem consensu animisque ab omni odio & affectione vacuis opus esse. Proinde sibi quidem summæ curæ ea fore: hortari autem ipsos quoque ut animos ad deliberationes rerum harum sedatos, nulliusq; alterius rei, quàm patriæ ac publicæ salutis & dignitatis studio deditos afferant. Hortatus indè quemadmodum & superioribus temporibus fecerat, ut per absentiam suam otio & tranquillitati publicæ pro se quisque studeret, & animo ad quævis pericula excipienda parato esset, fausta quæq; ac felicia, utque utrique, tam qui domi mansuri essent, quàm qui in bellum ituri ita rem gererent, ut mox læta utrinq; gratulatione, in mutuos complexus ruerent, precatus iis fuit: Ad quam vocem plausu à circumfusis excitato, Cancellarius eum ipsum plausum lætum omen futuri successus, ac non diuturni belli Regem accipere intulit. Sub idem comitiorum tempus Sueciæ Rex, quibus partibus hac expeditione bellum orsurus Rex esset, per literas à Rege quærebat. Rex pro eo, quod ante ad bellum hoc maximè Sueciæ Rex hortatus se fuisset, ac mutua necessitudine celandum eum consilia sua non ratus, Plescoviam se eo anno ire in animo habere ei ostendit: petentiq; legato ejus, ut militem quem in Germania intercipiendæ legationis Moscoviticæ ad Principes Christianos missæ causa scripturus Sueciæ Rex esset, voluntate Regis per ditiones ac portus ejus ducere sibi liceret, literas quarum authoritate id facere posset, dedit. Iisdem temporibus Philo Kmita qui Lucensi præsidio præfectus à Rege fuerat, ne miles otio ac desidia interim corrumperetur, Chelmam Moscoviticam, quod castrum supra Lovatum fluvium situm est, Martinum Curtium & Gabrielem Holubkonem misit; qui cum ex captivis cognovissent, oppidum jam ante Moscos more suo incendisse; ex eo unam domum sub castro ad excubias agendas ab hoste relictam; noctu progressi, cum antequam illuxisset, eò pervenissent, Curtio domum prætervecto ac à tergo excubiis se objiciente, Holubko castrum incendit. Ab alia parte Sibricus Savolociensis præsidij præfectus homines agri ejus omnes ad Sacramentum evocarat; quinque autem antiquitus territoria ad Savolociam pertinent. Venerant in his Voronecienses advocato, Polonico more sibi creato. Oppidum autem Voronecia est supra Savolociam ad Soucam flumen situm; propterque fluminis ejus opportunitatem, quod in Velikam flumen, indeque sub Plescovia in lacum Pelbam ac sinum Finlandicum influit, commercij atque habitatorum numero amplum olim fuit. Castrum quod adjunctum habuerat in tot vicinorum ac munitissimorum aliorum copia desertum à Moscis fuerat. Itaque cum oppido nullo opere munito præsidium Savolociense facile potiturum se cogitaret; quo id ante incenderent; maximè autem, quod oppidani ad Sacramentum convenerant, ut ad deterrendos alios omnia cruciatus exempla in eos ederent, copiis aliquot collectis repentina excursione opprimendi ejus causa in munere ac metu suo non invigilans certiorem mox Sibricum fecisset, hic profligatis Moscis, locum in quo castrum fuerat, cum Kiralio occupat; præsidioq; ei imposito, corbibus militaribus pro tempore communit; agrestibusque ipsis quibus loca vicina nota erant, ducentibus, crebras inde ex hostico prædas egit. Philo Kmita Chelmensis excursionis proventu invitatus eodem Sibrico ac vicinis aliis præsidiis sibi adjunctis; Priscam Russam quæ ad magnam Novogardiam spectat, excurrit. Magna hoc loco Moscoviæ Dux salinarum vectigalia habet: frequentia item & ampla commercia sunt. Oppidum magis in salinarum ac negotiorum usus constitutum, utque loco à finibus remoto, nullo opere munitum sine negotio diripuit, repletumque militem præda reduxit.

REIN-

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti

LIBER V.

SOlutis ad eum, quem superiori libro ostendimus, modum comitiis, Rex militem, quàto in supplementum ad bellum opus erat, Zamoscium quàm celerrime scribere, matureque in Lithuaniam adducere jubet. Ipse Grodnam rectà, inde Vilnam proficiscitur. Interim ad Christophorum fratrem Principem Transilvaniæ de novo equitum ac peditum Ungarorum delectu scribit. Germani militis conquirendi Farensbekio per literas negotium datur; qui militis in inferioris Germaniæ bellis exercitati copiam se habere posse ante ostenderat. Samoscius, quò lectiorem peditatum haberet, Vrovecium ala equitum, cui præerat, missa, peditem ex sola nobilitate scribere jubet. Sublevabantur apparatus hi interim, dum tributariæ pecuniæ conferrentur, partim ea pecunia, quam à Principibus acceptam supra ostendimus, quamque præter eam Marchio in Prussia Dux subsidij loco miserat; partim propria Regis ipsius, maximè tamen equitum studio, quorum magnum numerum Zamoscius evocarat; eaque ad bellum hoc alacritas erat, ut plerique nulla in auctoramentum accepta pecunia ad diem nihilominus convenirent: complures in ipsis castris demum stipendiorum partem acciperent. Grodnam jam Rege progresso, nuntius cum literis à Mosco ad eum venit: mox alios eum amplioribus mandatis, quibus convenire pacem posse existimet, afferre: Interim ne ullum exercitum Rex cogat, neve ulterius progrediatur; posse eum & impensæ & labori parcere. Veniunt legati: Colloquium petentibus datur. Re diu more eorum ducta, atque utrinque disputata, eò tandem descenderunt, ut Narva, Neuschlossio, Derpato, Adsevio, Novogrodeco Livonico, Neuhaus à Germanis dicto, exceptis, reliquam Livoniam universam unà cum iis locis, quæ antea receperant, Weissensteinio, Felinio, Parnavia & aliis omnibus Regi permitterent. Ostenderat Rex, nullam se prius pacis mentionem fieri passurum, quam universa Livonia Moscus cessisset. Urgebant legati ut cum sui principis nomine offenderetur, quid præstiturus esset, sibi quoque quod de ablatis principi suo restituendis animi Rex haberet, demonstraretur.

Repetebant autem uno Polotiensi agro excepto, qui pristinæ ditionis regiæ fuerat, reliqua quæ superioribus annis bello capta erant, omnia: Demonstratum fuit, ita Regem principi eorum illa restituturum, si præter Velisium, quod nulla conditione dimissurus Rex esset, castrum quoque Sebesium quod id penitus intra ditiones regias situm esset, quò certior ac stabilior pax esset, vel tradidisset Regi, vel demolitus fuisset, quod quo minus recusaret, Regem vicissim Dryssam demoliturum; partis sumptus deinde in bellum facti nomine quadraginta aureorum millia Regi refudisset. Impetrarunt legati, ut ad principem suum referre ea sibi liceret; & ut Regis nomine eadem ad illum scriberentur. Sub idem tempus Bogdanus Bilscius, cujus frater patruelis in amoribus Mosco erat, summamq; apud eum rerum omnium fidem obtinebat, ad Regem transiit. Miserat Moscus legatos ad Rodolphum Romanorum Imperatorem: ab eo ulterius deinde ad summum Pontificem Romam pervenerunt. Legatione ad summum Pontificem operam suam contra Turcam Christianitati pollicitus, & de Regis in se injuriis quæstus perhibebatur: & vel secretò, ut ad pacem eum hortaretur, petiisse; aut iis tamen querimoniis, ut suas partes summus Pontifex interponeret, non nolle se satis ostendisse. In Poloniam frequentibus nuntiis afferebatur, cum Græcæ sectæ homines pedes summi Pontificis pro

pro more deosculari diu recusassent, tandem tamen id ut facerent, adductos. Summus Pontifex Antonium Possevinum qui unà in Moscoviam cum illis iret, iis adjunxerat. Hic Moscis per regias ditiones itinere intercluso, ideoque per Germaniam Lubecam, ut inde Narvam trajicerent, se recipientibus, de legatione sua per literas certiorem Regem fecit, ac si voluntate ejus id sibi liceret, per Poloniam & Lithuaniam iturum se ostendit. Rex non modo illi permisit; sed ipsius quoq; Mosci legatis idem se permittere respondit. Hi tamen, ne quid præter præscriptum principis sui facerent, Lubecam se contulerunt; indeq; eodem quo venerant itinere in Moscoviam ad principem suum reversi fuerunt. Iisdem temporibus nuntius mortis Christophori Transilvaniæ Principis Regis fratris allatus, cùm Regi ipsi non levem dolorem attulit: tum Moscum, qui avocato Rege rebus Transilvanicis sui interim colligendi spatium sibi datum iri cogitaret, ut pacem atque eas ipsas conditiones, quas paulò antè ab eo propositas fuisse ostendimus, iterum revocaret, maximè animavit. Verùm Transilvanicis rebus ne à cura belli avocaretur, jam antè à Rege provisum erat. Cogitans enim ultra incertitudinem rerum humanarum ætatem fratris provectam: ipsum continuis articulorum doloribus confectum: antequam Varsaviam ad comitia iret, author fratri ac provincialibus fuerat; ut filium ejus Sigismundum in omnes casus Principem designarent. Quibus de rebus cum legati Alexander Kendius, & Vladislaus Samborius Varsaviam ad Regem venissent, ex ejus authoritate, domum postea illis reversis, communibus ordinum studiis Sigismundus in Principem electus fuerat: tristibus læta Christophoro Principi fortuna temperante, interq; duo funera uxoris unum, ac minoris natu filiæ alterum, principatum Sigismundi fili interjiciente. Maximam in pacis spem omnium jam propè animi venerant. Nam nec propter quadringentorum illorum millium conditionem, si Moscus eam non accepisset, communibus ordinum bellum finiri volentium studiis defuturus Rex fuerat; nec Moscus, qui universam quasi Livoniam pacis cupiditate dimiserat, illorum quæ exceperat, castrorum causa bellum accepturus existimabatur. Itaque inducias etiam ad certam diem, intra quam denuò Moscus responderet, Rex ei concesserat. Verùm intellectum mox fuit, jam tum legatos, quomodo à propositis conditionibus discederent, cogitare. Vincentius erat, de quo ante mentionem fecimus, in finibus Moscoviticis, qui ad Smolenscam pertinent, Ductor Kosakkorum. Hic cum transgressis fines legatis sese adjunxisset, posteaque eodem itinere Vilnam cum illis profectus, familiarius inter eundum ad eos sese applicasset, solicitare hominem, ut ad principem suum transfugeret, cœperunt. Ille constanter primò pernegarat, cum urgeretur, tandem Vilnæ ad magistratum rem detulit; ex ejus sententia simulat transitionem: quæ quò gratior principi eorum esset, nec sine pretio operæ ad illum veniret, ut aliquas magni momenti literas, quas ad eum deferret, sibi committerent, postulat. Illi polliciti, ut prius tamen aliquo argumento fidem ejus exploratam haberent, ut in una prius re conficienda operam suam sibi navet, rogant; tempusque quo profecturus Rex sit, quaque iter facturus exploret. Re ad magistratum delata, quò magis fides ei haberetur, iter regis ex fide descriptum datum illi fuit, quo à perfuga quasi pignore fidei accepto, literas ad principem suum perferendas ei tradunt. In iis ut magno animo sit, eum hortantur. Nam & paucas omnino à Rege copias cogi, & quod mortuo fratre Transilvanicæ res præsentiam ejus desideraturæ sint, maximè cum Turca iis imminere dicatur, minus huic bello eum vacaturum: Per idem verò tempus, & quod Vilnæ Rex substitit, Plescoviam, quam hoc bello petitum iri sibi persuaserat, omnibus rebus Moscus firmat. Muros vetustate neglectos magnis operibus reficit: novas ad priores munitiones adjicit: Præsidia ex aliis arcibus omnibus detracta unum hunc in locum cogit. Ab altera parte Pontus Gardianus Gallus, quem Sueciæ Rex collocata ei in matrimonium filia naturali militiæ præfectum fecerat; extrema quædam Livoniæ castella, quæ ad Osiliam & maritimam Livoniam pertinent, occupat. Jam ab initio cum primùm in Poloniam Rex venisset, Sueciæ Rex per oratorem suum vehementer Regem ad bellum contra Moscum hortatus, fœderis ac societatis contra communem hostem mentionem intulerat. Miserat tum iis de rebus ad eum Rex Joannem Herbortum Castellanum Sanocensem: propositæq; eæ ultro citroq; conditiones fuerant, quibus Revaliam quoq; Regi traderet; utq; quæ cis Narvam flumen essent, Poloniæ Regi cederent; quæ ultra Narvam Sueciæ finitima versus Oceanum glacialem communibus copiis occuparentur, ad Sueciæ Regem pertinerent, cumq; bellum interim differendum sibi Rex non judicaret; quo tempore Polotiam ibat, denuo Laurentium Goslicium Vilna ad Sueciæ Regem miserat, per quem in armis jam se esse ei ostenderat, & ut ipse à suis quoq; finibus in Moscoviam cum exercitu irruptionem faceret, eum hortatus, auxiliorum & belli communicandi rationes quasdam proposuerat: ostendenteq; tum Rege Sueciæ nolle se sibi præscribi, quas in partes copias suas mitteret, omniaq; occupantis fore: Goslicius quemadmodum jussus fuerat, Livonia tamen ut abstineret postulârat; cujus causa & maximè bellum Rex suscepisset & quàm optimo jure pertinere ad se sciret: Re-

gemq; jus in Livonia Reipubl. & suum negligere non posse prædixerat. Nunc cum id accederet, ut Livoniam ferè omnem per legatos Moscus ei detulisset, quo in statu res essent, cùm Sueciæ Regem, tum militiæ præfectum ejus iterum per literas certiorem Rex fecit; utq; Livoniam non hostis, sed suam opinione jam præcipientes, omnino ab ea sibi temperarent, atq; in aliis potius partibus, si ita eis videretur, bellum cum hoste administrarent, postulavit. Vilna tormentis & instrumento militari omni Postauam præmisso, ipse Disnam profectus fuit. Ubi de exercitu hostili ad Smolenscam coacto, ejusq; in Mohiloviensem, & Sclovensem agrum incursione cognovit. Erant in hybernis eorum locorum aliquot equitum turmæ, ex quibus cum Christophori Radivili, & Martini Kasanovij turmæ, diversis locis in palantes incidissent, secundisq; aliquot præliis cum copiis iis conflixissent, non diù in nostro commoratæ, mox intra suos fines se receperunt, Rex tamen nuntio hoc de incursionibus hostis allato, continuò Christophoro Radivilo, qui tum Disnæ unà erat, ad eas quas antea habebat, turmas equitum, alias Polonorum nonnullas, quæ iis in locis ad Borysthenem in hybernis erant, peditatusq; ac levium tormentorum, quæ navibus Vitepsciam præmitteret, certum numerum attribuit. Ei mandat, ut recta contra hostem tendat: dataq; facultate prælium committat. Si hostis jam recesserit, capto per Velisium medio inter Bialam & Toropeciam itinere, ab ea quoq; parte metum hosti ostendat.

Eodem tempore Joannem Thomam Drojovium præfectum Premisliensem ad Turcarum Imperatorem misit. Causæ legationis hæ erant; ut quia fato Christianitatis sicut reliqua Ungaria, ita Transilvania quoque stipendiaria Turcæ facta esset, vereretur; Rex ne mortuo fratre Christophoro novi Principis imperium gravioribus conditionibus Turca premeret, postularet, ut quibus priores Principes legibus principatum eum tenuissent, iisdem huic quoque eum permitteret; nec si quid contra ea fieret, Regem patriæ suisque deesse posse ostenderet.

Præterea verò ut de Janculæ Valachiæ Palatini injuriis, quas frequentes is regiarum ditionum hominibus afferebat, quereretur; utque illo amoto Petrus prior Palatinus in pristinum dignitatis locum restitueretur, peteret: Regemque nec Janculæ vicinitatem æquo animo ferre, nec suorum injurias, uti nec deberet, neglecturum profiteretur. Prius legationis caput mox obtentum; alterum in aliud tempus dilatum fuit. Sub idem autem tempus in Tartaris quoque tumultuatum fuit. Devletes Chiereius, qui novissimè apud Tartaros imperitârat, plures liberos reliquerat. Successerat huic in imperio, qui nunc rerum apud illos potitur, Mahometes Chiereius, qui cum præter alios fratrem haberet ætate proximum Adlejum Chiereium magni & ipsum animi & apud populares virtutis opinione, interficere eum non ausus, cùm alias instituto Turcico apud Tartaros etiam plerumque ejus, qui in principatu succedit, securitatis causa cæteri principum liberi è medio tollantur; quò minus tamen cupiditati ejus loci relinqueret, Galgam creârat. Is summus militiæ præfectus est, eaque authoritate, ut & vivo principe proximam secundum eum potestatem obtineat; & mortuo in imperio succedat. Adleo à Persis capto, & interfecto, eadem ratione Halium Chiereium alterum ab eo fratrem magistratu eo tradito, successionis spe sibi devinxerat.

Verùm confirmatus postea ætate filij Sadi-ti, amoreq; paterno impulsus, dejecto fratre, filium ejus in locum suffecerat; veritusq; ne injuria hac irritatus cum altero minore fratre Solomete Chiereio contra se conspiraret; ad parricidij crudelitatem, quam ante seu metu seu miseratione retentus intermiserat, redierat; priusque quàm illi moliri quid contra se possent, interficere eos conatus fuerat. Hoc periculi metu profugere illi coacti, cum diu exagitati in finibus oberrarent, à Kosakkis excepti, adque Michaëlem Visnovecium præfectum Cirkassiensem adducti fuerunt: à quo certior de iis Rex factus, ut in suum reditum retinerentur, jussit.

Ipse instrumento belli graviore primò per Disnam in Dunam, inde ulterius per Dryssam flumen, navigatione, quemadmodum ostendimus, jam ante explorata navibus præmisso; Disnæque parte aliqua exercitus recensita Polotiam venit. Ibi dum aliis copiis recensendis operam dat, Christophorus Dersekus, qui petentibus legatis Moscoviticis, à Rege ad Moscum missus fuerat, cum literis ab eo redit. Longè alio eæ argumento, quàm superiores fuissent, scriptæ erant, quæ ab initio acta essent, multa & longa oratione repetita invidiosè omnia interpretabatur; quæ per legatos antè Regi obtulerat, irrita rursum faciebat: maximè quod Nevelensibus conditionibus stare Rex noluisset: quòd ut Sebesium demoliretur; bellicique sumptus nomine pecuniam ab se flagitasset, exagitabat; quòd non in eodem statu rem esse, quo Nevelæ fuerat, atque interim in oppugnanda Savolocia majores sumptus se fecisse Rex diceret, cujus coactu, aut rogatu Savolociam cepisset, interrogabat; potuisse eum supersedere labore hoc, non sua voluntate factum, ut eam occuparet: Pecuniam verò quòd flagitaret, scire eum nolle se stipendiarium ejus esse: impensas autem belli imputare, aut earum nomine pecuniam postulare inauditum inter principes esse.

Sebesium se puero, dum Sigismundus Rex rerum in Polonia & Lithuania potiretur, conditum, ejusq; perpetuo postea, etiam cum Polotiam in potestate Reges Poloniæ haberent, in possessione se fuisse, præterea ut maxime ille Sebesium, Rex Dryssam deleret: tamen cum visum esset, Dryssam iterum Regem restauraturum: deniq; semper aliquid repertorum, quod novum à se postularet. Nobilitatis nuntios ad colloquium cum legatis adhibitos criminabatur; idq; in invidiam suam factum ferebat. Indignabatur & oratores nullos à Rege ad se mitti: Itaque se quoque nec post quinquagesimum aut quadragesimum annum oratores ullos missurum confirmabat. Multa de Livonico jure suo aspergebat. In Regem autem ipsum acerbissimè invehebatur, modò quod non regio genere natus esset: modò crudelitatem in victos, adipis detracti argumento, de quo supra dictum est, usus: modò in eosdem indulgentiam, qua ad transitionem eos invitaret, tum quòd globis candentibus inusitata ratione Sokolam incendisset, fraudem ac dolos ei exprobrando. Rex literis hisce acceptis, ostendit legatis etsi jure gentium hostium loco habere eos posset, qui pacis petitione simulata, speculandi, circumveniendiq; sui causa ad se venissent; nolle se tamen ob eorum perfidiam à perpetua mansuetudine atque lenitate sua recedere; itaq; ipsi ad suum principem reverterentur: literis ejus per suum hominem se responsurum.

Proficiscitur sub idem tempus ad Moscum Antonius Possevinus; quem à summo Pontifice ad Moscum missum supra demonstravimus. Ei præfectos, qui Velisij capti fuerant, Rex condonavit. Savolociam inde, sylvis ut in pacato non magna molestia superatis, pontibusque & latioribus viis jam ante jussu regio Savolociensium opera munitis, pervenit. Hic etsi omnium ferè aliorum opinione Plescoviam sine ulla dubitatione hac expeditione eundum tanquam præjudicatum jam videbatur, quò rectius tamen in re præsenti omnia statuerentur, ad consilium de eo Rex retulit. Valuit plurimum apud omnes ferè cum vetus persuasio, tum ipsa rerum gerendarum series, bellique suscepti ratio, quod ea urbe in potestatem redacta, Livoniam simul universam, quæ tum unica belli causa erat, ei accessuram inter omnes conveniret. Rex tamen, ac pauci cum eo annon magnam Novogardiam rectius iretur, dubitabant: cujus etiam nobilitatis motus aliqui contra Moscum audiebantur. Sed periculi plena res videbatur, relinquere à tergo urbem amplissimam, in quam omnes quasi hostiles copiæ convenissent: quæ magnam & bene ad Novogardiã gesta re ad reliqua perficienda moram: & si non tam bello, quàm tempestatibus, contagio, aliisve incommodis in hostico offensum est, gravem recipientibus se metum allatura esset. Derpatum unus Vejerus eundum censebat, cum eadem ratione: quod præsidij ejus magna parte ad Plescoviæ defensionem deducta, facilior expugnatio ejus futura videretur: tum quod per eam ipsam ad reliquam Livoniam universam, quæ una bello eo petebatur, aditus futurus esset. Vicit plurium consensus, rerumque ipsarum continuus quasi ordo, qui primò Plescoviam objiciebat, eò ut iretur. Etsi enim per Lovatum flumen, quod à Lukis Novogardiam tendens magna ex parte in nostra potestate erat, regressus exercitui dari videretur; quod tamen naves omnes subtractæ ab hostibus essent, nec aliarum fabricandarum tam exiguo temporis spatio in provincia nova & dubia facultas data esset: flumen præterea Lovatus non per omne anni tempus navigabile esset; hac quoque re non multum juvari posse exercitus videbatur. De castellis quæ à lateribus imminebant, diu Rex dubitabat, tentandane oppugnatio eorum sibi esset, priusquam Plescoviam iret, an in aliud tempus differenda.

Ex ijs Krasnohorodam, cujus oppugnationem Sigismundi Augusti exercitus frustrà olim tentaverat, ad alterum Veliam Moscus, quòd teneri ea posse diffideret, tormentis prius apparatuq; omni deportato, sub idem tempus ipse delevit. Reliqua erant Sebesium, Opocka, Ostrova. Sebesium etsi ad lævam Dunam versus à tergo relinquebatur, navigationemq; fluminis infestam reddere posse videretur: tamen quòd per sylvas, locaq; magna ex parte invia, ac difficilia, iter illac esset, præstare visum fuit, vel in aliud tempus eam differre, vel si pax interim coiret, aliud præsidium ei opponere, quàm nunc majorum rerum gerendarum tempus, sylvis, viarumque difficultatibus superandis, & ipsa tandem oppugnatione eximere. Opocka non ita viæ imminere videbatur, ut non commodè declinari posset: Præterea flumen Velika supra Opockam nondum ejus altitudinis erat, ut tormenta apparatusque bellicus demitti per eum possent, quam commoditatem vel maximè quidam spectabant; atque ut navigabile esset, Plescoviensi tamen oppugnationi mora ulla minimè interponenda videbatur.

Accedebat huc, quòd ex propinquis præsidiis Savolociensi & Voronociensi facilè excursiones ejus prohiberi posse existimabantur. Interim opportunè accidit, ut sub idem tempus Kosakki Krasnohorodam à Mosco desertam, subitario opere communirent, quò prædis ex hostico agendis sedem in ea collocarent. Mittit eò Rex mox copias nonnullas cum levioribus tormentis aliquot, locumque militaribus corbibus dispositis diligentius communiri Sebesienseque & Opocense præsidia distineri jubet.

Itaq;

Itaque Krasnohoroda, Savolocia & Voronecia occupatis, è quibus non difficulter Sebesienses, & Opocenses, contineri posse viderentur, illis omissis, Ostrovia sola quæ in ipsam viam Plescoviensem incurreret, relinquebatur. Ad Christophorum Radivilum, quem contra hostis ad Borysthenem excursiones missum supra ostendimus, sub idem tempus Philonem Kmitam etiam, ac Lithuanicos Tartaros à Vitoldo quondam Duce agris in Lithuania donatos, Michaële Haraburda illis præfecto se conjungere, hostemq; ancipiti metu distinere, mutuisq; populationibus priores excursiones ejus ulcisci jubet; literasque ea de re ad Radivilum dat. Priusquam Savolocia Rex moveret, tabellarium cum literis ad Moscum mittit, ijs etsi nec illius criminationes quicquam de dignitate sua detrahere posse statueret: & armatum hosti maledicere infra animi sui magnitudinem judicaret; ne tamen ille è silentio Regis, more suo majores sibi spiritus sumeret, ad priores ejus respondet. Quæ acta ante id in invidiam à Mosco vocabantur, ut quæq; gesta sint, ostendit: conditionibus Nevelensibus cur stare non potuerit, demonstrat: nihil per injuriam, aut præter morem aliorum Principum Christianorum ab illo se postulasse docet: ut Savolociam oppugnaret, nullius precibus adductum se respondet; sed id ut faceret, pertinacia & injuriis ejus se coactum; quæ nec se quiescere, donec armis jus suum consequatur, patiantur: nec ipsum nisi armorum metu admoto animum ad æquitatem advertere. Quantum in se fuerit, se fecisse, ut per Oratores ejus aliquoties testificatus ei sit, quò diutius causam duceret, quoque ad majores impensas tergiversatione sua se provocaret, eò graviores postea conditiones se ei ferre necesse habiturum. Sumptus in bellum factos & aliorum principum Christianorum more & exemplo se repetisse: & nihil æquitati convenientius esse, quam ut à quo injuria profecta fuerit, ab eodem omnis injuriæ causa præstetur; quod quoniam illi grave videretur, sciret posthac non de Livonia aut belli ejus sumptibus, sed summa rerum se dimicaturum. Quod Sebesium puero se conditum diceret, qua maximè ratione jus suum ostendere se confideret, ea malam fidem ejus maxime detegi. Nam cum regia Polotiensis ditio ad Dunam flumen semper pertinuerit, intraq; eam nuper Sebesium excitatum fuerit, satis argumenti esse in alieno injustè ædificatum fuisse.

An autem ad priores conditiones, novas subinde Rex adjecturus fuerit, si prius iis conditionibus, quas Rex tulisset, assentiendo periclitatus fuisset, tum certi aliquid affeverare eum potuisse. Nuntios nobilitatis ex ipsius utilitate ad colloquium cum legatis ejus adhibitos fuisse, quo quæ convenissent, majorem firmitudinem haberent. Quod Oratores ad eum non mitteret, non esse, quod se accusaret; neque enim legem ullam de mittendis oratoribus cuiquam perlatam, præterquam vel usus, vel voluntas cujusq; unicuique imponeret: omninoq; judicij potius, quàm necessitatis rem esse. Quod facturum se negaret, ut nec ipse post quadragesimum annum ullos ad se oratores mitteret, facilè ei credi: magnam hanc bono etiam viro ne dum Tyranno vivendi usuram esse: non missurum igitur post quinquagesimum aut quadragesimum annum: at missurum fortassis citius: Regem quidem nihil hac in re temerè sibi præscripturum. Docet & de Livonico jure. Ad convitia ejus respondet, neq; se eum esse, qui contumeliam ullam accipere possit; nec in Moscum, cujus turpitudo & crudelitas omnibus nota sint, rectè hanc alios insectandi personam convenire. Regem se non tam molestè ferre non natum esse, quàm gaudere, quod virtute sua ad regnum pervenerit: quod ea ratione ad honorem hunc evocatus sit, qua summus Pontifex à Cardinalibus, Imperator qui principem inter Christianos Principes dignitatem obtinet, ab Electoribus Germaniæ: qua multi alij reges ac Principes omnibus temporibus à sui quisque regni ordinibus. Interim præclarum sibi ducere privato loco, nobilibus majoribus ortum, qui rebus Christianis egregiam sæpè operam navarint, amplissimos honores gesserint, provincias administrarint, magnaque virtutis & pietatis laude floruerint, cùm majores sui reges non fuerint, virtute tamen sua regnum se adeptum esse; cum illum, nisi ita, ut esset, natus fuisset, mores ejus quemvis potius alium quàm principem facturi fuissent: minimèq; illi invidere, quod non plurimorum de eo hominum judicium, aut spectata virtus ejus potius, quàm mulieris Glinscij Sigismundi quondam regis proditoris filiæ uterus, Moscoviæ dominum imposuisset. Crudelitatem in detrahendo è nonnullorum cadaveribus adipe primum non à se profectam: deinde nihil in eo contra pietatis officium hominumque Christianorum morem, qui ut vivis tanto rectius consulerent, ex medicorum disciplina, vel in minutissimas partes mortuos dissecarent, admissum: ridiculam autem misericordiam esse ipsius, qui cum in vivos omnia cruciatus exempla edat, mortuorum cura se affici præ se ferat. Ejusdem generis esse quod clementiam & lenitatem erga victos suam criminaretur. Non satis enim sibi constare, qui modò crudelem, modò nimis lenem quereretur, indignareturque, quod non omnes, quos in præsidiis expugnatis Rex cœpisset, excruciatos interfecisset. Quod Sokolam inusitata ratione flammis à se deletam vitio sibi verteret, in eo non tam fraudem aliquam illum arguere Regis, quam detegere propriam inscitiam suam, quæ ut omnibus in rebus maxima esset, ita militaris rei multa præclara inventa adhuc eum fugere.

Respondet & aliis de rebus quàm copiosissimè:

ſimè: quæ omnia accuratius hic commemorare, præterquàm quòd epiſtola ipſa in manus hominum pervenit, non etiam noſtri inſtituti eſt. Sub finem epiſtolæ ad ſingulare certamen eum provocat: eamq; Ruſſicè & Latinè ſcriptam ei transmittit, neve nimis ſibi placeret, quæque aliorum de ſe hominum judicia eſſent, cognoſceret, libros de immanitate ejus paſſim per Germaniam editos unà ei mittit. Savolocia Voroneciam Rex progreſſus militarem diſciplinam prioribus legibus partim emendatis partim auctis accuratius eo loco ſanxit; legesque de ea ſcriptas primum Senatoribus, deinde militi, præfectis omnibus differendi de iis facultate permiſſa publicè propoſuit. Quibus ab omnibus probatis præfecti militares, ut ducem exercitus crearet, eumque magiſtratum, qui ſolennis apud majores in republ. fuiſſet, reſtitueret, flagitarunt. Rex quòd partito in plures imperio militari, ſuperiori anno nec ſatis diſciplinam caſtrenſem obſervatam, ſe rebus vel minutiſſimis quibusq; fatigatum, aliaque incommoda nonnulla extitiſſe ex eo meminiſſet, vocato privatim ad ſe Samoſcio, cujus utilem operam ſuperioribus expeditionibus, multis maximisq; rebus ſpectatam habebat, eum ſe magiſtratum ei concrediturum oſtendebat. Zamoſcius magnitudinem ejus, atq; onus demonſtrando, ſeq; ab omnibus rebus, maximè autem muneris hujus expectatione imparatum acceſſiſſe oſtendendo, primò ut alij potius id traderet, aut ne ſibi ſaltem tantum oneris imponeret, petere, poſtea vehementius etiam deprecari cœpit: ubi nihil Rex remitteret, obtemperaturum ſe tandem Deo, & illi ſeu ad gloriam ſeu periculum ſe vocanti recepit.

Privatim cum Samoſcio re communicata, idem publicè deindè facit; conſilioque convocato, quid ſuæ ſit ſententiæ, declarat. Re ab omnibus probata, per Andream Zborovium palatij Marſchalcum, qua qui ſuperioribus temporibus imperio militari præfuisſent, nominatim verò Joannes Tarnovius maxima poteſtate fuiſſent, generalem exercitus Ducem perpetuum Zamoſcium creat. Hic quemadmodum antea fecerat, ita tum in publico quoq; præter oneris ejus magnitudinem, quod per ſe graviſſimum, maxima etiam cum invidia conjunctum eſſet; non eo etiam apparatu inſtructum ſe veniſſe oſtendebat; ut tantum munus ſuſtinere poſſet, qui ſcriptis iis, quas Rex juſſiſſet, copiis, eo animo profectus domo eſſet, ut quemadmodum ſuperioribus expeditionibus feciſſet, partem ſaltem aliquam belli ſuſciperet: cui ſumma rerum adminiſtranda eſſet, oportuiſſe eum priùs omnium ad ſummam belli pertinentium rerum cogitationem ſuſcepiſſe; omnia explorata, cognita, parata antè domo attuliſſe: ipſum inſpexiſſe: legatos, miniſtrosque jam ante domi delegiſſe; quos etſi haberet, non haberet tamen plures, quam qui copiis tantum, quas ipſe ſcripſiſſet, ducendis adminiſtrandisque ſufficerent. Tandem quemadmodum antea privatim, ita tum publicè magiſtratum accepit. Conſtitutis rebus iis, exercitum univerſum recenſere Rex inſtituit. Præ cæteris longè ornatiſſimæ in luſtratione hac Polonorum equitum turmæ comparebant. Cum longè plures ex ampliſſimis quibusque familiis, quàm ulla alia ſuperiorum expeditionum ad bellum hoc conveniſſent; inter alios Zamoſcius ad priores copias ſuas, quas ſuperiori æſtate à ſe conductas, hyeme in Samogitia contra hoſtiles in Livoniam irruptiones mandato Regis collocarat, aliquot ornatiſſimorum equitum millia adjecerat, omnes hi ad ducis exemplum ut ſuperiori anno atrato habitu uſi fuerant, ita tum cæruleum ſumpſerant. Par his ſuo genere peditatus erat: Vrovecianus præſertim ex ſola nobilitate ſcriptus. Nec multum de proximi anni ſtudiis & apparatu Lithuani quoque remiſerant. Itineris ratione à Rege cum Zamoſcio conſtituta, à dextra Lithuani iverunt, ijs aulicus miles, qui ad Gedanum fuerat, perq; abſentiam Joannis Zborovij à Chriſtophoro Niſcicio regebatur, attributus erat. Partem copiarum aliarum cum Stanislao Tarnovio clariſſimæ familiæ, Senatorijq; ordinis viro, quæ locum caſtris deligerent, Oſtroviam verſus Zamoſcius præmiſit; cum eodem Vejerum & Vrovecium ire juſſit. Tarnovius, quemadmodum juſſus erat, caſtrum prætervectus in Pleſcovienſi via, qua præſidia in caſtrum ventura, nuntijq; exituri expectabantur, conſedit: quæq; ad oppugnationem pertinebant adminiſtrare cœpit.

Interim Zamoſcius advenit; caſtraq; ab inferiori parte ad Velikam flumen ponit. Biduò poſt Rex ipſe conſecutus fuit. Sita Oſtrovia eſt in inſula Velikæ fluminis, quodque nullos à terra aditus habeat, indè nomen id, quod inſulam Slavica lingua ſignificat, accepit. Muros ex lapide ſatis firmos: propugnacula item complura habet: unum præcipuè in Septentrionali caſtri angulo, à qua eadem parte porta atque aditus in caſtrum eſt, inſignis magnitudinis, adq; noſtræ ætatis propugnaculorum formam diligenter dimenſum eo poſitu, ut duo caſtri latera, unum quod ad Septentrionem, alterum quod ad Orientem ſpectat, defendat. Cum de oppugnatione cum Zamoſcio Rex deliberaret, animadvertit, Occidentale caſtri latus, ita modico flexu lunatum; ut nulli recta linea ſecundum id latus tormentorum ictus dirigi poſſent, atq; ita nihil ferè ab ea parte à tormentis periculi militi metuendum videretur.

Itaque duo propugnacula altera, quæ in Meridiem converſa erant, tormentis verberare inſtituit; quod ijs à defenſoribus nudatis Occidentali parte jam antè, ut oſtenſum eſt, innoxia, ſine periculo ad oppugnationem

iturus miles videretur. Ungaris orientalis anguli propugnaculum. Polonis occidentale attribuitur, perfectisq; biduo munitionibus, & tormentis intra eas conſtitutis, ex utrisq; muri quaſi cœpti fuerunt. Ab Ungaris propugnaculo, quod oppugnabant, indè proximo muro continuis tormentorum ictibus verberato, ruinis quibusdam, quæ tamen præcipitem aditum in caſtrum præberent, patefactus ab iis murus fuit. Poloni, curante apud eos tormenta Vejero, in fundamenta propugnaculi, & inferiores fornices tormenta converterant. Cùm quòd ab inferiori parte facilior in arcem aditus futurus videretur: tum ne ſuperiore turris parte à ſe occupata, quod facere deſtinaverant, ut per feneſtras ejus ſclopetis indè rem gererent, exque interiore caſtri parte hoſtem propellerent, pulvere fundamentis ſubjecto circumveniri ab hoſte poſſent. Ungari per ruinas, quibus ab eorum munitionibus murus apertus erat, irrumpere mox conabantur. Repreſſo impetu illorum à Samoſcio, qui militem, quò ad majores res integrior accederet, ſine cauſa vulnerari nolebat, cùm rurſum ab utrisque munitionibus ſumma vi tormenta contra muros diſploderentur, magisque murus ruinis aperiretur, hoſtes eodem die deditionem fecerunt. Iam nox appetebat; itaque cùm præſidiis adjunctis ulterius deduci non poſſent, atq; interim ſeparatum in locum è caſtro traducerentur, plebs ruſticana Lucenſis cædis memoria perculſa, ſubitò magna voce ultrò in verba Regis ſe adigit; quo clamore aliquoties repetito, cum vim illis adferri Zamoſcius ratus accurriſſet; narrabant juratos ſe Regi, fidosq; poſthac fore; eoque clamorem tam altum ſuſtuliſſe, quò vel ab ipſis Moſcis exaudirentur. Cæteri, in iisque Nascokinus præſidij præfectus, ejus, quem legatione ad Regem functum, poſteaque captum ſupra oſtendimus, propinquus, dimiſſi fuerunt. Rex antecurſoribus præmiſſis Pleſcoviam mox ipſe progreſſus fuit. In primo agmine Balthaſar Andreæ fratris Regis filius cum Ungaricis, Palatinus Braslavienſis cum Polonicis aliquot copiis incedebant. Hi ubi ad Cerecham flumen, quod ab oriente in Velikam influit, venerunt, ex Ungaris quidam flumen transgreſſi in tres partes copias ſuas diſtribuerunt. Prima ex iis recta Pleſcoviam contendit: duæ reliquæ diverſis locis in inſidiis conſederunt. Ex iis primi cum hoſtium excubiis congreſſi, mox pedem referre cœperunt: hoſtes quod erat, inſidias veriti, recedentes tamen ſecuti, poſtquàm ſecundi ex inſidiis conſurrexiſſent, nihil amplius veriti, quòd numero utrosq; ſuperarent, effuſeque inſecuti, ad tertios protracti fuerunt: à quibus reliqui in fugam conjecti: tres Bojarici generis capti, ac in caſtra adducti fuerunt, ex quibus, quantum in urbe virium eſſet, quid præſidij animiq; hoſtes haberent, cognitum fuit. Simili eventu Sigism. Rosnius, qui cum veteranorum Polonorum copiis, quas Lithuanis adjunctas ſupra oſtendimus, miſſus fuerat, ac deinde Germani aliquot milites, inter quos Rhederus Sileſius voluntarius erat, excurſione ad urbem facta, captivos aliquos adduxerunt. Zamoſcius ipſe primùm Cerecha flumine, inde Pleſcovia amne tranſito, ſitus cognoſcendi cauſa urbem circumvectus fuit, accidit hic, ut cum Vrovecio uno aſſumpto, aliisq; ſubſequi ſe juſſis, quò accuratius ſitum urbis è propinquiori loco cognoſceret, ſub ipſos quaſi muros contra portam quandam ſucceſſiſſet, conſpicati eum hoſtes alam equitum contra eum emitterent; eaq; cum intra teli jactum ad eum acceſſiſſet, Zamoſciusq; etſi periculum videret, non tamen ſe commoveret, illa etiam inſidias vereretur, juſtum temporis ſpatium ex adverſo neutris ſe commoventibus conſtiterunt. Interim qui tardarant accurrentes, impetu in hoſtes facto, in urbem eos rejecerunt. Rex ubi propius ad urbem acceſſiſſet, cognoſcendi loci cauſa ipſe quoque cum Samoſcio eam circumijt.

Civitatis Pleſcovienſis in annalibus Pleſcovienſibus, qui in Polotienſi Bibliotheca inter alios reperti, in manus noſtras pervenerunt circa annum ab orbe condito VI. M. C. CCC XII. antiquiſſima mentio eſt, quo Thorium filium Rurici principis Ruſſiæ Olgam ex civitate ea in matrimonium accepiſſe, ex qua Suentoslaus filius natus ei ſit, memorant. Indè varia cum vicinis gentibus bella ei interceſſiſſe narrantur: maximè tamen Ikolos populos, quorum ab eo tempore cum imperio nomen quoque interijſſe videtur, fœdere cum Novogardienſibus inito debellaſſet: cum Sudetibus, qui ea quondam loca tenuerunt, in quibus Derpatum nunc eſt, & cum Germanis Livonienſibus frequentibus præliis contenderunt; cum vel à ſuis finibus eos prohiberent, vel intra eorum fines bellum gererent. A Germanis capta urbs etiam circa annum VI. M. DCC. L. traditur. Ab Alexandro autem filio Jaroslai ex ſtirpe Monomachi haud multò poſt in libertatem rurſum vindicata; qui profectus à Batti principe Tartarorum, auxiliisque Tartaricis adjutus cùm prælio Livonienſes ſuperaſſet, ex pacto deinde urbem recepit; continentia tamen deinceps quoque bella cum ijsdem civitati fuerunt.

Illud ſatis apparet, eam & opibus plurimum olim valuiſſe, & priusquam à patre hujus Baſilio in ſervitutem redigeretur, non modò propriis legibus magiſtratibusq; uſam, ſed quod eo in loco magis fortaſſis mirandum fuerit, egregiè etiam iis temperatam fuiſſe; cùm primis Poſadniki, quod ſi verbum verbo interpreteris aſſeſſores ſignificat, ex quibus Senatus conſtitutus fuerit, numerantur: in graviorum rerum deliberationibus, legationibus

audiendis, dimittendisq; fœderibus ſanciendis: eligendis principibus: pace deniq; ac bello ſuſcipiendo: legibus ferendis, populi ſumma authoritas erat; qui in comitiis. Viecis ab iis dictis, quæ ad omnes pertinerent, univerſus jubebat: Secundum Poſadnikos nobilitas erat honore iis proxima: tum verò diverſarum ſocietatum mercatorum, quorum & magnam multitudinem eo in loco fuiſſe, eorumq; commerciis maximè civitatem creviſſe apparet, præfecti: qui magiſtratus etiam jus ac authoritatem habuerũt. Ditionem poſſederunt ampliſſimam; ad eamq; cùm magni Luki, & Isborkum, tum quicquid intra eas eſt, pertinebat. Provincias haſce per legatos Palatinos ab ipſis dictos regebant. His omnibus magiſtratibus finita cum poteſtate princeps præerat. Eum ſeu ad vitandas factiones domeſticas, ſeu quod externo regnum occupare volenti, facilius reſtituros ſe exiſtimarent, modo à Ruſſiæ, modò à Lithuaniæ magnis Ducibus certis conditionibus, ac ut ſecundum leges ſuas jus ſibi dicerent, petebant. A Lithuanis Dummunthum, Timotheum nimirum, poſtquàm Chriſtianus factus eſſet, appellatum circa annum VI. M. DCC. LXXIX. ac poſtea filium ejus Davidem accepiſſe memorantur: poſterioribus etiam temporibus ab Olgerdo filium ejus, qui ſacris Chriſtianorum initiari voluerit, Andreasque dictus ſit, quoſdam præter leges ſibi imperantes ipſi removebant. Tandem cum Ruſſiæ magnis Ducibus convenerunt, ut certis deinceps legibus eorum majeſtatem colerent, principesq; non niſi ab illis, qui tamen ſecundum patrias leges civitati imperarent, quique nominatim à civitate petiti eſſent, acciperent. A Baſilij cæci filio Joanne, primùm Baſilius Suiſcius legatus, deinde Baſilius filius Pleſcovienſibus & Novogardienſibus conjunctim princeps datus fuerat. Etenim ſub idem tempus Novogardienſes ſubjugârat, Pleſcovienſium auxiliis adjutus; quæ illi partim ex fœdere, de quo dictum eſt, partim æmulatione Novogardienſium miſerant; cum paulò ante à Livonienſibus bello petiti, à Novogardienſibus ſpreti atq; deſtituti, ab Joanne adjuti fuiſſent. Atque in eo quidem ſtatu ad annum VII. M. XVIII. civitas permanſit. Quo à Baſilio Joannis filio, ejus qui nunc rerum potitur, patre libertate ſpoliata fuit. Impoſuerat eis principem Baſilius Joannem Michaelis filium Repkam, quem Naidenum poſtea appellarunt; ut qui non petitus, ſed ultro quodammodo obtruſus eis eſſet. Contra hunc cum Novogardiæ fortè Baſilius eſſet, miſit ad eum civitas legatos, qui querelas quaſdam ad eum deferrent. Cum verò & Joannes Novogardiam ad Baſilium acceſſiſſet, ipſius hortatu majorem Senatorum partem, quò præſentibus iis controverſias eorum minueret, evocat: in vincula deinde omnes conjicit: Pleſcovienſibus denuntiat, ut conſilium omne abrogent: campanam inſignis magnitudinis, qua ad comitia obeunda ordines convocabantur, ad ſe mittant: eaque ut facturos ſciat, alios plures ex omnium ordinum hominibus obſides ſibi dent. Pleſcovienſes partim amore ſuorum inducti, partim iis rebus præſenti periculo defuncturos ſe exiſtimantes imperata faciunt: Obſides complures alios ad eum mittunt. Quibus acceptis, Pleſcoviam ipſe Dux die menſis Januarij viceſimo quarto Oximæ ſacro venit, cui in memoriam rei benè geſtæ templum deindè ibi conſecravit: primoque in ædem Salvatoris, inde Trinitatis, in cujus tutelam nominatim civitas ſe tradiderat, deſcendens, Vasſiani Epiſcopi Columnenſis, qui eò cum illo venerat, captamq; tum urbem pronuntiabat, oratione confirmatus, urbem diripit: Senatum omnem, magnamque nobilitatis partem in vincula conjicit: noviſq; coloniis immiſſis in Moſcoviam ſecum abducit; ut non pauci tum eſſent è nobilitate, qui ne patria moverentur, religioni ac ſocietati alicui religioſorum fratrum ſe manciparent. Ab eo verò tempore in duriſſima ſervitute civitas permanſit. Urbs in longitudinem porrecta, qua ad occidentem ſpectat anguſtior, à meridie Velika flumine alluitur, qui eo loco non modò nomine, ſed tot aliis fluminibus receptis, re ipſa magnus, quinque infra eum millium paſſuum millibus in Pelbam lacum influit: à Septentrione Pleſcoviam amnem habet, qui non magno à Novogardia intervallo ortus, urbem cui nomen dat mediam ſecans, in Velikam illabitur. Ipſa in tres partes dividitur, quæ ſingulæ, diverſis interjectis muris, inter ſe ſeparantur; alteram, quæ occidentem ſpectat Sapskovam, tanquam ultra Pleſcovianam appellant: tertia & media inter has arx eſt, quæ & ipſa in tres partes dividitur: exteriorem, quæ ad meridiem, atque flumen Velikam pertinet Krſemnoviam: alteram Domantovam: tertiam mediam dictam, non ad arcem, ſed ad urbem ipſam, cujus quaſi umbilicum tenet, appellatione relata.

Septentrionale latus omnium longiſſimum ad octo millia paſſuum in longitudinem, muro omni ex lapide facto protenditur. Ad eum Moſcus Polotia Lukiſq; captis, alium ab interiori parte terra inter binos trabum ordines, quibus ea contineretur, latiſſima interjecta, adjecerat. Propugnacula ab omnibus partibus ex eodẽ lapidis genere firmiſſima habet. Cumq; veteris operis propugnacula non ſatis æqualia inter ſe eſſent, indeque fieret, quominus directis ex uno verſus alterum tormentorum ictibus mutuò ſe protegerent, ex angulis eorum parietibus novis projectis, iiſdemque altiſſimo ceſpite veſtitis, feneſtriſq; per eas diſpoſitis, ut pari inter ſe ſpatio prominerent, effecerat: ad eadem verò propugnacula, quod partim anguſtiora, partim infirmiora viderentur, quàm ut maxima tormenta, eorum-

que vim cum diſploderentur, continere poſſent; turres alias itidem ligneas ex firmiſſimis trabibus magno itidem opere factas opportunis locis ab interiori parte interjecerat, magnaq; majorum tormentorum vi compleverat. Loci facies ab omnibus partibus amœniſſima eſt, cum duorum fluviorum confluxu, & qua patentibus campis, qua crebris collibus leniter aſſurgentibus, iiſdemq; frequenti junipero veſtitis, quæ à Voronecia usque non ſecus ac ſi magna induſtria conſita eſſet, huc excurrens, hortorum ſpeciem loco circumdat: tum maximè monaſteriorum vicinorum frequentia, quæ ultra quadraginta ex lapide omnia elegantiſſime extructa, paſſim per vicinum agrum conſtituta ſunt.

Celeberrimum ex ijs Suatohorenſe eſt, cum religione, à qua ſanctum montem locum eum appellant, tum loci munitione. In rupe enim duriſſima tribus circiter à Pleſcovia paſſuum millibus ſitum, firmiſſima præterea turri, mœnibusque ad caſtelli modum munitum eſt. Moſcus cum, quemadmodum ante oſtenſum eſt, Lukis captis, ad Pleſcoviam moturum, Regem minimè dubitandum ſibi judicaret, omnibus rebus, quæ ad ſuſtinendam poſſeſſionem pertinerent, diligentiſſimè eam inſtruxerat; magnaque copia omnia comportari juſſerat. Cujus rei ultra ea, quæ antiquitus ad defenſionem urbis comparata erant, hoc loco eò majorem facultatem habet, quòd in eum locum per Narvam omnem è Germania aliiſq; occidentalibus regionibus bellicum apparatum convenire neceſſe eſt. Itaque tantus omnium rerum ad bellum pertinentium apparatus in urbe erat, ut ſuperiori anno Moſcus nec illi loco ſatis fidens majorum tormentorum partem aliquam in ulteriorem Moſcoviam deportare inſtitueret, quæ cum gravitate ſua tardius promoverentur. Ilmeno lacu non procul à magna Novogardia ea obruit. Præerat arci Baſilius, & fratris ejus Petri ad Ulam flumen à Nicolao Radivilo ſub Sigism. Auguſto cæſi filius Joannes Suiſcij, è Suſdalienſium Ducum familia oriundi, Andreas Choroſcinus; & Pleſceiovius, quorum Joannes conſilio, Choroſcinus corporis ac animi robore magnam apud Moſcum authoritatem habebant; indeque etſi ætate Baſilius Joannem antecederet, ſummam tamen rerum omnium huic commiſerat. Equitum in urbe ultra ſeptem millia: peditum cum iis, qui ex oppidanis militares operas inter milites obibant, ad quinquaginta millia fuiſſe conſtat: Urbanæ multitudinis totidem. Inter peditatus ductores Koſetſcius cum animi magnitudine, tum procera corporis ſtatura Duci gratiſſimus, authoritatis ac virtutis præcipuam ferè opinionem habebat. Koſakki Nicolao Duce in regia ditione Circaſſij nato, ſed qui diu Moſco operam navârat, hoc conſilio aliquot eò venerant; ut ex inſtituto militiæ ſuæ per agros palantibus excipiendis, prædisque agendis inſidias ponerent. Ad id enim militiæ genus uſu aſſuefacti, nullis armorum vix contra cœli injurias veſtium indumentis tecti acinace & haſtili uno, plerique tamen etiam ſclopetis rem gerentes, ad ſingulos circumſiſtendos, opprimendosq; itinera, loca, res hoſtiles explorandas: flumina cymbis ac trabibus trananda: denſiſſimas ſylvas, ac invia quæque penetranda cum levitate armorum, ſitis, famis, ac laborum tolerantia, tum uſu atque exercitatione plurimùm valent; cæteriſque ferè omnibus præſtant. Verùm eos Suiſcius convivio in urbem acceptos intra mœnia retinuerat. Rex rebus iis cognitis, munitionibuſq; urbis perſpectis, facilè intellexit, non ſine ratione ab initio jam pleriſq; eò potiſſimum eundem contendentibus, aſſenſum ſe non fuiſſe, longeq; minora quàm præſens ipſe cognoſceret, de ſtatu urbis ejus atque munitionibus ſibi renuntiata fuiſſe: ſe nec à peditatu, quem, ſi ſumma vi urbem oppugnare vellet, triplo majorem adducendum ſibi fuiſſe intelligebat; nec à pulvere tormentario ad oppugnandam urbem ſatis inſtructum acceſſiſſe videbat. Qui enim Suſæ depoſitus fuerat, negligentius igne ab iis, qui in præſidio erant, habito, conflagrârat: alterius autem ut præcepta jam opinione pacis nec ab initio ſatis magnam copiam quæſtores parârant: accedenteq; inſigni ſubvectionum difficultate, qua à flumine relinquebantur, vix eum ipſum, quem paratum habebant, advehere potuerant. Itaque varia animo agitanti præſtare aliquando videbatur, ſi Pleſcovia relicta, vel magnam Novogardiam recta contenderet, quam nonnulli minus munitam putabant: vel ad vicina caſtella Porchovam & Udovam ſe converteret; iiſque in poteſtatem redactis, obſidione ex ijs urbem premeret; quorum illud inter Novogardiam & Plescoviam ſitum magnam ad intercludendam à ſubſidiis & commeatu Pleſcoviam facultatem habere putabatur: hoc Ivanogrodenſi arci, quæ portum Narvenſem efficit, imminebat; Priori conſilio cum eæ, quæ ante demonſtratæ ſunt, rationes, & à Pleſcovia metus, tum ipſius Novogardienſis urbis fama, quam & ipſam non exiguas ad reſiſtendum vires habituram conſtabat, itineris denique longinquitas, præcipitante jam æſtate, ac tempeſtatum expectatio locum non relinquebant. Alteram obſidionis rationem, ac vicinorum caſtellorum oppugnationem, præterquam quòd indignam ſuſceptæ expeditionis fama futuram putaret, hoſti etiam animos addituram judicabat. Itaque cum animi magnitudine, ac virtute militis, qua pleraque alia conſecutus eſſet, eas quoque difficultates ſuperare ſe poſſe non deſperaret, de loco caſtris capiendo diſpicere cœpit. Conſtituerat ab initio à Novogardienſi via, qua Pleſcovia fluvius in urbem, indè infra eam in Velikam illabitur,

quòd ad excludenda ab urbe subsidia, subvectionesq; arcendas cum primis opportunum videbatur, castra facere. Sed id ut dimitteret consilium. Longitudo lateris ejus, quod quemadmodum ostensum est, ad octo millia passuum patet, latissimiq; ab ea parte ac patentes circum circa campi faciebant. In quibus cum subsidia equitum nulla tutò collocari posse viderentur, nec verò propter continuas hostilium tormentorum ejaculationes propius castra admoveri; verebatur ne peditatus, qui in opere ac munitionibus futurus esset, si nullum illi è propinquo ab equitatu subsidium ferri posset, in tanta equitatus ac peditatus hostilis tot locis simul erumpentis multitudine, maximè si ancipiti prælio subsidiis à Novogardia missis, & eruptione ex urbe facta pugnandum ei foret, undiq; circumveniretur.

Ostendebat Zamoscius, qui ut nihilominus in sententia permaneret, Regem hortabatur, circa flumen Plescoviam sinus nonnullos sibi videri, in quibus justæ equitum copiæ sub tentoriis collocari possent; quæ in tempore deinde contra excursiones hostium auxilium nostris ferrent: hac ratione castris eo loco quàm latissimè Novogardiam versus explicatis, ab omni subsidio & commeatu, sine frequentibus excubiis, quibus si ab altera parte castra ponerentur, continuis defatigari militem necesse esset, multò commodius obsessos intercludi posse: accedere, quod ab ea parte solum pene esset molle, ab aliis ferè omnibus rupes durissimæ id exciperent; quæ & opus moraturæ, cuniculos autem omninò exclusuræ essent. Rex tamen quod priorem salutis, quàm victoriæ rationem habendam judicaret, ab orientali latere oppugnare urbem statuit: quo in loco & peditatus, qui in opere futurus esset, à sinistra Velika flumine defenderetur; & castra proximè munitiones hostium promoveri possent; quòd ab ea parte frequentes colles exurgentes ab hostilium tormentorum ictibus frontem tutaturi essent: angulus præterea, in quem ab ea parte urbs muris coibat, ipse etiam majorem rei benè gerendæ facultatem dare videretur. Itaque transgressus flumen Cerecham, castrisque tum ibi metatis, ijsdem Lithuanicas copias, & veteranum Polonum equitem, quos à dextra ire jussos diximus, recipit. Eodem Farensbekius Germanicum peditem, cum quo sub id tempus venerat, adduxit, in quibus etsi erant aliquot, qui in Belgio stipendia fecerant, propter tamen & temporis brevitatem, & quòd Lubecenses minus comes in concedendo delectu se præstiterant, plerique ex vicinioribus etiam Germaniæ locis, ijque tirones, raptim scripti erant. Iisdem temporibus Bartholomæus Budlerus à Duce Churlandiæ cum aliquo militum numero, qui superioribus expeditionibus cùm aliis in locis bellum Rex administraret, ad Livoniæ fines in stationibus contra hostes fuerant, in castra venit: Voluntarij præterea aliquot, cùm ex Prussia, inter quos inprimis Fabianus Dhonanus: tum præter Rhederum, de quo supra dictum est, alij etiam ex externa juventute nonnulli fama expeditionis hujus exciti. Rex cum universo exercitu flumen transgressus, sub eos, de quibus dictum est, colles, castra posuit. Ungari à sinistra ad Velikam flumen, Lithuani à superiore parte ad Porchoviensem viam consederunt: medio inter hos spatio Poloni triplici carrorum ordine circumjecto, ea de qua ante ostensum est, ratione, ab utraq; rivi illac labentis parte castra communiverunt, qui inter hos & Lithuanos tanquam angulus relinquebatur, Germanis attributus fuit. Venit sub idem tempus in castra à Turcarum Imperatore legatus, gravis ætate homo. Hic Tartaros, quos supra profugisse ostendimus, ex fœdere, quo utrinque perfugæ reddi juberentur, repetebat. Ostensum fuit, quia nondum Rex eos vidisset, nec quid dicerent audivisset, ubi in Poloniam rediisset, causa cognita Principi ejus responsurum. Etsi minor peditatus erat, quàm pro amplitudine susceptæ oppugnationis requirebatur: erat tamen & numero, & genere ipso militum ac armorum non contemnendus: equitatus autem, quemadmodum supra ostensum est, ornatior ferè, ac instructior, quàm in ulla antehac expeditione fuisset. Itaque per frequentissimam castrorum partem barbarus ductus, castrorum magnitudinem, equitum, quos obvios habebat, ornatum, equorumq; præstantiam, ac universi exercitus speciem admiratus, faceret Deus inquit, ut isti Principes, Regem ac suum Principem designans, conjuncti inter se animis essent; ne orbis quidem terrarum consensui eorum resisteret.

Interim Ungarum militem propius urbem, ut locum munitionibus dirigendis caperet, progressum hostes conspicati, eruptionem mox in eum fecerunt. Sed fortissime ab Ungaris ad portas usque eos insequentibus, nonnullis utrinque desideratis, in urbem rejecti fuerunt. Munitiones mox Ungari ab ea parte, qua castra habebant, contra Pochroviensem, quam appellabant, turrim, penes Velikam flumen: Poloni non longo ab his intervallo contra Suiniensem turrim agere instituunt; prius militaribus corbibus locis aliquot justo intervallo communitis, equitumque ac peditum stationibus in iis collocatis; quæ militi in munitionibus occupato contra eruptiones hostium, si quas fortè facerent, propinquo è loco subsidium ferrent. Magno labore eo loco propter soli duritiem, quod intra cubiti altitudinem in rupem desinebat, fossæ ducebantur. Nihil tamen ea res Ungari militis impetum morabatur; qui ingentibus saxis securibus excisis, indefesso studio opus perfecit; non tam multorum

jactu-

jactura quam insigni unius Petri Kendij juvenis claro in Ungaria loco nati, qui cùm noctu more suo vigilias Moscis citantibus, ad fremitum eorum procurrisset, è majori tormento trajectus interijt. Cæterum Ungari, quia ab ipso flumine nullo ambitu capto breviori spatio recta versus urbem munitiones suas dirigebant, perfectis jam fossis adversam turrim quatere cœperant; exiguoq; tempore propugnaculo convulso proximi muri partem aliquam straverant. Polonis magno impedimento erat, quòd ab eo, de quo dictum est, loco, longiore intervallo munitiones versus urbem institutæ illis erant: latera quæ Ungaris ab una parte Velika flumen, ab altera Polonorum munitiones tuta præstabant, ne circumvenirentur, vineis & subsidiis contra hostium impressiones munienda: indè perfectis tandem munitionibus, curante apud eos tormenta Vejero, prius ex plerisq; turribus, ex quibus ab omnibus ferè partibus petebantur, defensores dejiciendi erant: quod deniq; in fundamenta, ac imam partem muri, ijs quæ ante demonstratæ sunt, causis, tormenta convertebant, quas ob res cum ab eorum parte tardius murus perruptus fuisset; Ungari nihilominus, quà ab ipsis murus stratus erat, irrumpere conabantur. Samoscius cum de eo ad Regem referret, ostendebatur, longè & ad securitatem & spem victoriæ certius sibi videri, si dum è Polonorum quoq; munitionibus aditus in murum patefieret, irruptio sustineretur: interim & pluribus locis mænia verberarentur; ruinæ, quibus contra Ungarorum munitiones murus apertus esset, ampliores fierent, qui per eas in urbem aditus esset, cognosceretur: omnibusq; rebus diligenter exploratis, quæ ad oppugnationem pertinerent, ante præpararentur. Timebatur ab altera parte, ne tempore interposito, spatium sui muniendi, novasq; fossas, objiciendi hosti daretur: maximè verò quò minus consilio huic locus esset, difficultas pulveris tormentarij faciebat; ut necessario prius tentandum aliquid videretur; quàm omni consumpto unà cum pulvere urbis ipsius potiundæ spes decederet. Descenditur eò, ut mittantur, qui locum inspiciant, ac an quæ transgressos fossæ difficultatesve excepturæ essent, explorent.

Deliguntur ex Germanis quinquaginta circiter; quòd erant inter hos, qui in aliarum urbium oppugnationibus assiduè antea versati fuerant. Hortatur simul Zamoscium Rex, ut quæ ad oppugnationem pertinerent, administraret, ne si de aditu non incommoda renunciata essent, vel minimum temporis spatium differretur. Interim Ungaricus Decurio quidam missu centurionis ad os, quod ab Ungaris, quemadmodum dictum est, in muro patefactum erat, profectus omnia facilia ac aperta renunciat: aditum latum: descensum expeditum: exiguas ab interiori parte fossas objectas. Quo tempore cum è primariis Senatoribus quidem differri nonnihil adhuc irruptionem suaderet, ne inter Polonicam & Ungaricam nationes æmulatio aliqua oriretur, si Ungarus prior irrupisset; ostendissetq; Zamoscius, cur à Polonis aditus tam latus patefieri nondum potuisset, is unamquamque felem pro se venari respondit. Zamoscius itaq; ad munitiones profectus, Polonis Germanos adjungit; quæq; oppugnationi usui sint, administrari jubet. Ungaris Bornemissa præficitur. Rex sub ipsam fluminis ripam, ad quam Ungarorum munitiones pertinebant, progressus, militemq; ad irruptionem paratum, paucis, quæ tempus ferebat ad virtutem cohortatus, è propinquo eventum oppugnationis expectare instituit. Jam ante autem tormenta aliquot Velikam translata fuerant, absq; inferiori parte muri, per quem ad oppugnationem iturus miles erat, ita collocata; ut adverso muro à fronte deterso, rectis inde secundum universum id latus interius ictibus defensores peterentur. Eques ex instituto militari idoneis locis supra munitiones, circa urbem atq; vias in omnes casus disponitur. Non poterat latere hostes, quid in castris pararetur; quod in omnes partes latissimus ex urbe despectus erat. Itaq; ipsi quoq; muros frequentes complebant. Zamoscius primum ex Polonico peditatu viginti expeditissimos delectos per adversam fossam muros succedere, quisq; ab eo loco in urbem aditus sit, explorare jubet. Renunciant illi fossam ab ea parte esse, supraque eam pontem aliquanto depressiorem, per quem non difficulter tamen fossa superari possit. Mittit inde è Germanis quinquaginta eo mandat his, ut quam proximè muros subeant; si superare ruinas possint progrediantur, signoq; quid acceperant, dato, alios, quos quamprimum ijs summissurus sit, expectent; si non patere per eas aditum intelligant, sine ignominia se recipiant.

Interim si illis successisset, signumq; quid convenerat, datum ab ijs fuisset, quæ illis subsidia summittat, disponit: primò ejusdem nationis militem, quod qui præmissi fuerant, id postularant: indè Polonum partim equitem, qui sub Georgio Mniscio Præfecto Sanocense, Stanislao Stadnicio, Procopio Penonscio, Andrea Orzechovio, meruerat, & ultrò operam suam detulerat: partim peditem. Primo loco Penonscium & Orsechovium cum turmalibus eorum, qui hastis rem gererent, locat. Inde Vrovecium cum pixidariis. Post hunc Stanislaum Stadnicium, cum altera equitum turma. Huic rursum Vibranovium & Syrneum cum suis quenque cohortibus in subsidiis esse jubet. Ultimo & separato loco Georgium Mniscium cum ijs quos ductabat, equitibus constituit; partem ad tormenta munitionesq; retinet. Germani cum ad fossam successissent, Joannesque Garonna

ronna

ronna Gallus progreſſus primus aditum tentaſſet, gravi caſu ab hoſtibus illo deturbato, cæteri cum anguſtiores ruinas, quàm ut commodè tranſiri per eas poſſet eſſe exiſtimarent, conferti ad foſſam conſtiterunt. Poloni qui à tergo urgebant, cùm non dari ſibi locum viderent, per medios illos penetrant; hoſtes turri lignea, munitioneq; quam tignis in angulo turris, quem cum muro coiens efficiebat, ea de qua ſupra dictum eſt, ratione contabulaverant, ceſpiteque veſtiverant, dejiciunt: in turrim magno ipſi labore evadunt; principesque Vibranovius ac Syrneus in ſumma turri ſigna figunt. Germani ad os, quod contra Ungarorum munitiones erat, quòd per id latiorem aditum eſſe viderent, ſigna convertunt. Præſcriptus idem, qui ſupra demonſtratus eſt, ordo, & Ungaris fuerat, miſſusque ejus rei cauſa ad eos Franciſcus Veſelinius, primarius cubicularius regius. Verùm apud Germanos primum eo turbato, Ungari quoq; cum Polonos jam irrumpere cernerent, ſigno prius à Rege accepto, per ruinas in turrim evaſerant, primiq; Thomas Dercenus, & Matthias Kerekeſius ſigna in ea conſtituerant. Hos Gabriel Bekeſius, arrepto ſigno, equitem, cui præerat, ſecum trahens, ſecutus fuerat; moxq; pluribus aliis ſignis illatis, cùm ulterius indè in urbem contendere vellent, foſſa jam antè ab hoſtibus ducta, ligneæq; munitiones nonnullæ præter opinionem objectæ impetum eorum tardabant. Hoſtes ab initio noſtrorum in ſubeundis muris impetu perterriti, ſuos è propugnaculis pulſos, ſigna diverſis in locis fixa jam videntes fugam circumſpectare cœperant.

Interim Joannes Suiſcius paſſim equo ſaucio volitans, modò minis, modò precibus, tandem ploratu & miſericordia: ab altera etiam parte Epiſcopus urbis ſacra & ſimulachra obtendens, dum in occupandis muris noſtri retinentur, fugam pavoremq; ſuorum ſiſtunt. Primum tormentis ac ſaxis petere noſtros cœperunt: noſtris viciſſim tela in eos adjicientibus, compluribusq; utrinq; ſauciis, turri, quam à Polonis occupatam ſupra oſtendimus, pulverem ſubjiciunt; nullamq; in partem milite ſe commovente, binis aliis vicibus id repetunt. Quo turri tandem correpta noſtri ferre ignem diutius non valentes primum deſcendere: ad extremum etiam cum ex propugnaculo Velikano, quod è noſtris tormentis tam brevi tempore ſterni non potuerat, ipſi tranſverſis hoſtilium tormentorum ictibus ferirentur, recipere ſe coacti fuerunt. Indè in Ungaros omnes convertuntur; qui cum eas quas diximus illis objectas munitiones, ſuperare ſe non poſſe intelligerent, cum diu hoſtium impetum ſuſtinuiſſent, ac nox immineret, cæſis omnibus prius ſublatis more militari ſe receperunt. Deſiderati eo die ſunt ex nobilitate Polonica ultra quadraginta: ex Ungaris non pauciores, ac præcipui inter eos nominis Gabriel Bekeſius. Magnum hoſtes quoque detrimentum acceperunt: cæſi complures, in quibus primarij peditum ductores, Nicolausque Cirkaſſius præfectus Koſakkorum: plurimi vulnerati. Itaque literis, quas ad præſidium Udovenſe dederant, quæ exiguo poſtea tempore interjecto interceptæ à noſtris fuerunt, magnum terrorem oſtendebant; utque ſine mora iis de rebus princeps certior fieret, ſubſidiaque ſibi mitterentur, petebant. Samoſcius militi ob ejus diei laborem ac adverſitatem conſulendum ratus, equitem, qui cum Georgio Mniſcio præfecto Sanocenſe in ſubſidiis collocatus fuerat, integerque adhuc erat, quod conturbato poſtea ordine res ad eum non perveniſſet, circa tormenta munitionesque excubare jubet: univerſo autem peditatui ac munitionibus Vrovecio in oppugnatione concuſſo, Stanislaum Penkoslavium præficit. Altero die conſilio habito, ante omnia de tormentario pulvere conquirendo cogitari cœptum fuit. Mittitur ad Ducem Churlandiæ, Rigenſes aliaq; vicina loca. Exempla literarum Pleſcovienſium, quæ interceptæ fuerant, paſſim deſcribenda Zamoſcius dat; quibus, ſi quis fortè gravior de adverſo oppugnationis exitu rumor in Poloniam perlatus eſſet, hoſtium incommodo perſpecto is deleretur.

Proponit eodem tempore Regi, quò minus caſus aliquis, qui obſidionem eos relinquere cogeret, intervenire poſſet, optimum è re nata ſibi videri, ſi integro adhuc exercitu caſtella per quæ miles diſtributus, longinquâ obſidione, ac commeatus inopia premere urbem poſſet, aliquot communiantur: iis perfectis, quòd voluntarius miles diu moram laturus non eſſet; commeatus præterea difficultatem reliquo exercitui aucturus videretur: nec dignitatis Regis futurum eſſet, ut voluntariis dimiſſis imminuto exercitu remaneret, ipſe in Poloniam, ad comitia obeunda, ſupplementum ſcribendum excurreret; ſe cum exercitu reliquo ad urbem relinqueret. Si hyems expectaretur, Voluntarios incommodis obſidionis, atque hyemis injuriis adactos, miſſionem flagitaturos: reliquum militem nullis rebus præparatis, comeatu omni conſumpto, minus animi & virium habiturum; caſtella verò eo tempore vel muniendi vel exſtruendi nullam rationem fore. Regi cùm aliis multis de cauſis, omnia prius, quàm ad id conſilium deſcenderet, tentanda videbantur; maximè tamen, quòd cùm Poſſevinus, qui in Moſcovia erat, de animo erga pacem Moſci ſignificaturum ſe oſtendiſſet, verendum intelligebat, ne, ſi priusquam ille rediret, eorum quid ſuſciperetur, hoſtis defendendæ urbis ſpe illi aucta, ſi fortè de tradenda ſibi Livonia conſilij quid jam ſuſcepiſſet, id tum commutaret. Dum hæc geruntur, pulvisq; ac apparatus bellicus expectatur, cuni-

culis

culis interim munitiones hoſtium tentare placuit. Bini è Polonorum munitionibus verſus foſſam inſtituti, à rupe dura atq; aſpera excepti perduci non potuerunt. Ungari per ſummum ſolum foſſa ducta, eademque cratibus intecta, unum eo modo perduxerant. Is cum latere hoſtes non poſſet, qui ut minus eum vidiſſent, ex eo ipſo tamē, quod ab oppugnatione tam diu ceſſaretur, conjecturam de conſilio noſtrorum capiebant, alium ſecundum univerſum id latus in longitudinem, ex quo noſtros obſervarent, egerant; ac tum eum pulvere ſubjecto intercipiebant. Iiſdem temporibus ſubſidia è Moſcovia per Udovam obſeſſis mitti cognitum fuit; quæ cum per Pelbam lacum, ac Velikam flumen navibus ventura Zamoſcius intellexiſſet, primum navibus aliquot conquiſitis continuas arbores cuneis ferreis in ſingulas impactis, per eosque catenis transmiſſis, ea qua flumen erat latitudine convecti: alias à ſuperiori parte fluminis, qua venturus hoſtis erat, ſecundum adverſam ripam alligat; ita, ut cum hoſtium naves tranſiiſſent, funibus adductæ regreſſum ab ea parte hoſti clauderent: alias ab inferiori parte verſus urbem ita objicit, ut cum eum in locum perveniſſent, irretitis utrinque navibus, nullam in partem effugium pateret. In naves, quas contraxerat, Germanos, qui earum adminiſtrandarum peritiores credebantur, imponit: Univerſæ rei Vrovecium præficit; cum eoque ſecundum utramq; ripam expeditum peditem diſponit. Advenerant ſub commodum id tempus Albertus Reſaiſcius Caſtellanus Varſavienſis cum centum circiter & quinquaginta: Stephanus Bilavius cum ſeptingentis equitibus: Nicolaus Korffius & Wilhelmus Platerus cum Livonibus aliquot centenis equitibus. Eos cum extra caſtra adhuc verſarentur, Suatohoram verſus conſidere, ac quò tutiores contra hoſtiles incurſiones eſſent, foſſa caſtra communire jubet. Hoſtes navibus ſilenti nocte progreſſi, cùm in inſidias, ac noſtras naves inciđiſſent, ac ne primum quidem impetum noſtrorum ferre potuiſſent, mox in ripam ſe ejiciunt; ibi ante lucem palantes excepti, ducentiq; circiter Bojarici generis capti, ac in caſtra adducti fuerunt. Haud multò poſt aliud à Derpatenſibus ſubſidium obſeſſis mittitur. Verùm id, cùm appropinquanti maturius miles ſe oſtendiſſet, celeriter ſe recepit. Aliquanto deinde tempore interjecto Nicolaus Choſtovus inter peditum ductores ſecundum Koſcecium præcipuæ apud Ducem authoritatis cum ſeptem millibus ſubſidio obſeſſis venire ab exploratoribus nuntiabatur.

Itaque Samoſcius, quòd vereretur, ne ſuperioris ſubſidij caſu fama ab hoſtibus cognito, aliò iter averterent, totum locum eum, qui à caſtris Suatohoram usque ultra duo millia patebat, excubiis complecti ſtatuit. Erant militares ante hac excubiæ à caſtris ad flumen Pleſcoviam usque poſitæ: ab eo verò ad Suatohorenſem viam, quod maximum intervallum eſſet, ne miles in tot excubias diſtractus nimium defatigaretur, Lithuani voluntarij ultrò eam ad rem operam ſuam Regi deferebant. Choſtovus cum diu in inſula quadam Pelbæ lacus hæſiſſet, ac de priori ſubſidio, quod navibus advenerat, intercepto intellexiſſet, in terram exercitu expoſito, noctuque devio per ſylvas ad ſiniſtram itinere capto, Pleſcoviam contendit; noctu major militum pars dilabi ab eo cœpit, ut ex ſeptem millibus vix trecenti penes eum manerent: ipſe ut diffugientes vel vi contineret, extremum agmen cogebat. Itaq; cum Superiorum noctium excubiis Lithuani fatigati, ſimul quod interea temporis nondum hoſtis veniſſet, de diligentia remiſiſſent, præterque morem excubiarum aëris injuriis coacti ignes excitaſſent, Daniel Islenovus, qui in primo agmine incedebat, cum ijs, quæ ſupererant, copijs, evitatis locis ijs, in quibus ignes cernebantur, in urbem evaſit. Choſtovus qui in extremo agmine, ut dictum eſt, erat, ac præterquam quòd totius noctis maximo in ſiſtenda fuga ſuorum labore confectus erat, corporis inſuper mole homo procera ſtatura tardabatur, cùm è ſylvis egreſſum lux oppreſſiſſet, herbis per aliquot horas cæteris dilapſis ſe texit; ibique ab equitibus Andreæ Visnovecij Palatini Volnienſis, qui tum ejus diei excubias excipiebant, repertus, ac ad Regem adductus fuit. Qui eum deſeruerant, partim cæſi, partim magno numero capti fuerunt. Aliquot diebus poſt Theodorus Meſceodovus itidem cum copiis aliquot ſubſidio obſeſſis miſſus fuit.

Hic cum jam ferè excubias Lithuanicas præterijſſet, extremum agmen à Gabriele Cirkaſſio deprehenſum fuit: qui cum impetum in id feciſſet, & clamore ſublato Bilavius quoq; cum ſuis accurriſſet, centum circiter & quinquaginta conciſi, ad ſexaginta capti fuerunt; cæteri ad trecentos cum Meſceodovo in urbem penetrarunt. Dum ad Pleſcoviam hæc geruntur, Sueciæ interim Rex in aliena victoria ſuam prædam facit; eoque quem in Germania ac Gedani, ijs de quibus dictum eſt literis adjutus, militem conquiſiverat, quemq; è ſuis præterea ditionibus contraxerat, per militiæ præfectum ſuum Pontum Gardyanum Narvam occupat. Oppidum id ad Velikam flumen ſitum eſt, quod qua Pelbam lacum relinquit, mutato in Narvam nomine, oppidoq; à ſe appellato triginta circiter infra id paſſuum millibus in mare influit; eo alveo, ut ad urbem ipſam maximæ onerariæ naves appellant; eædemq; ulterius Pleſcoviam usque non incommodè agi poſſent, niſi ſupra lacum Pleſcoviam verſus viginti circiter cubitos altæ cataractæ curſum earum interciperent. Dum in Magiſtrorum ordinis, priſcorum Livoniæ Prin-

Prin-

Principum poteſtate erat, propterea quod omnes merces Moſcoviticæ Derpatum primo devehebantur, indè per Revaliam aut Parnaviam in mare exonerabantur, minus vel à cultoribus frequens, vel munitum erat. Poſtea Joannes ſuperior in adverſa ripa aliam multò munitiorem, è regione illi arcem Ivanogrodum ab illo, à Livonibus Ruſſicam Narvam ad ſuæ, quam Germanicam appellabant, diſcrimen dictam, tam propinquo ab ea ſpatio excitavit, ut cum veteri Narva ponte conjungi, ab utroque loco telum in alterum adjici poſſet: ex ea cum Moſcus profectus Livonica quoq; Narva potitus fuiſſet, cum Germanicis aliisq; ultra marinis & Occidentalibus nationibus commerciorum in ea ſedem collocârat, omniaq; eò negotia & merces transtulerat. Sub famam expeditionis ad Pleſcoviam regiæ, quemadmodum ex aliis arcibus, ita illa etiam majorem præſidij partem ad Pleſcoviam tutandam contraxerat. Gardyanus cum tormentis quatere muros cœpiſſet, ac Moſci, qui in Ivanogrodenſi præſidio erant, Livonicæ Narvæ, cui metuebant, tuendæ ſtudio, pontem tranſijſſent, tormentaq; pleraque ſecum traduxiſſent, ac verò irrumpente jam in oppidum milite, territi, retrocedere cœpiſſent, Itali aliquot, qui cum Hieronymo Cagnolo in Suetico exercitu erant, victoriam ſubitò conclamantes, cumque reliquo milite ad portas usq; eos inſecuti, magnum eorum numerum conciderunt. Hac re cæteri, qui in arcem evaſerant, territi; ſimul tormentis, quibus ſe defenderent, quæ paulò aute Narvam tranſtulerant, deſtituti, exiguitateq; ipſa ſua de defenſione deſperantes, deditionem fecerunt. Eadem præſidiariorum conſternatione Jamorodum quoque & Koporiam vicina caſtella in poteſtatem redegit, quibus rebus perfectis in penitiorem Livoniam, ut per reliquas arces, quæ à Moſcis tenebantur, arma circumferret, cum exercitu regreditur: primoque Weiſenſteinium caſtrum alioquin natura & opere munitiſſimum, in ea Moſcorum trepidatione, præſidij exiguitate, nulla, dum Pleſcovia obſideretur, auxilij ſpe in ditionem accepit. Indè Parnaviæ exercitum admovet.

Poſt captam Narvam literas à Principe ſuo ad Regem mittit, quibus is ad priores Regis literas, quibus multò ante, ut à Livonia tanquam alieni belli præmio abſtineret, amicè hortatus eum Rex fuerat, circumducto die reſcribebat; ac ſuum cujusque judicium, quibus in locis bellum cum hoſte gerere, quasque ditiones ejus invadere vellet, eſſe debere ſignificabat. Magna ſpes Regem tenuerat, fore, ut æquitate priorum poſtulationum ſuarum perſpecta, locum eis Succiæ Rex relinqueret; non modò quod Livoniam univerſam jam olim in fidem Regum Poloniæ veniſſe eò minus ignorare Succiæ Regem ſciebat, quod ſuperioribus temporibus, cum frater ejus Ericus Revaliam occuparet, nullo jure id ab eo fieri propriis literis ſuis teſtatum feciſſet; verùm etiam, quòd, poſtquam ipſe maximo labore ac impenſa ad legatos de pace mittendos, univerſam Livoniam primo cedendam, inde deſerendam pene hoſtem adegiſſet: ad paratam à ſe victoriam Sueciæ Regem acceſſurum expectandum ſibi non arbitrabatur. Quare etſi injuria hac non parum commoveretur, in præſens tamen differendam judicabat. Iisdem temporibus à regiis quoq; Præfectis ſimili fortuna caſtra nonnulla Moſcis in Livonia adempta fuerunt. A Duce Magno Kirempeſium occupatum: Fabianum ſubitario opere munitum: à Byringio Pyrchelium: à Thoma Embdano Salium captum: A Dembinio Lenovardum & Aſcherotum; quæ utraq; Dunæ flumini iminebant, peditatu aliquo à Rigenſibus, quibus gravis hoſtilium præſidiorum vicinitas erat, accepto, Scotoq; milite, qui ad Regem ibat, retento, expugnata. Jamq; Kokenhauſium quoq; caſtrum munitiſſimum, ab eodem Dembinio obſeſſum, commeatus inopia brevi in poteſtatem noſtrorum perventurum videbatur. Supra demonſtravimus Chriſtophorum Radivilum ad ulciſcendas hoſtis in Mohilovenſem & Sclovenſem agrum excurſiones cum parte exercitus Moſcoviam verſus miſſum à Rege fuiſſe; eique Philonem Kmitam ac Haraburdam cum Lithuanicis Tartaris conjungere ſe juſſos. Kmita cum duobus circiter millibus equitum Tartarisque, qui ſub Haraburdæ ductu erant, Lukis egreſſus, octo circiter ultra Toropeciam millibus ad Nemeſam flumen, ac monaſterium quoddam, adventum Radivili expectare inſtituerat.

Sub idem autem tempus Moſcoviæ quoq; Dux, qui non procul indè Stariciæ tum erat, cum de noſtri exercitus adventu nondum cognoviſſet, Michaelem Nosdrovatum, & Petrum Boratinſcium cum tribus circiter millibus militum eodem conſilio miſerat, ut metu undique quàm maximo facto, qui è ſuis in Regis fidem venerant, direptionibus ac populationibus vexarent. Eorum exploratores temerè vagantes cum in pabulatores noſtros incidiſſent, duo ab illis excepti, ac in caſtra adducti, oſtendunt quindecim indè millibus paſſuum ad Saleſam exercitum conſidêre. Contra quem cum Radivilus, qui jam tum advenerat, Bogdanum Ogniſcium ſeptingentis circiter magna ex parte levis armaturæ equitibus ex diverſis turmis ei attributis miſiſſet; ducenti circiter præter imperium pugnandi aviditate cum ſtationibus hoſtium congreſſi, ad diverſos pontes, circa quos ſclopetarios hoſtes in inſidiis diſpoſuerant, pertracti aliquot ex ſuis amiſerunt: verùm aliis ſubſecutis, ac Gabriele Holubkone ſuis, ut de equis deſcenderent, ſclopetisq; rem gererent, mandante, ſummotis per hos à ponte hoſtibus, noſtri hoſtium equites in fugam effuſos ad quindecim ferè millia paſſuum inſecuti, aliquot ex iis ceperunt.

Radivilus cum cognoviſſet ad Reſovam aliam exercitus hoſtilis partem conſediſſe, verſus eam via impeditiſſima, qua nulli ante eum exercitui iter fuerat, cum exercitu progreſſus, triginta à Reſova paſſuum millibus ſubſtitit; inde Sukopſciam Jamam, quo nomine locum in quo diplomata iter facientibus dari ſolent, appellant, ſe convertit; ac ad flumen Volgam caſtris metatis Halimbekum cum Tartaris, quos circa ſe habebat per flumen Stariciam verſus contendere, populationesq; ac incendia quàm latiſſimè in hoſtico circumferre jubet.

Satis conſtat Moſcoviæ Ducem, qui, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, Stariciæ tum eventum obſidionis Pleſcovienſis expectabat, cùm adventantem exercitum, fugas agreſtium, ignes paſſim ſublatos ipſe magna ex parte cerneret; ac quemadmodum ex Poſſevino, qui tum apud illum erat, cognitum poſtea fuit, non ultra ſeptingentos milites circa ſe habebat, ſumma in trepidatione verſatum; delectum ex omni genere hominum promiſcuè habuiſſe, fugamq; jam circumſpectaſſe. In præſentia mittit, qui agmen noſtrorum ſpeculentur, quamprimumque de eo ſibi renuntient. Hi cum ad Okomeciam alterum diplomatum locum, in quo Tartari pernoctabant, quinque millium paſſuum intervallo acceſſiſſent, diligenterque à noſtris excubias agi, loco præterea munito eos conſediſſe ex agreſtibus accepiſſent, ad latus converſo itinere paludesq; quæ iis in locis erant, transgreſſi, ex Nohajenſibus Tartaris ac pabulatoribus noſtris aliquot oppreſſerunt. Interim Daniel Murſa ex iis, qui in menſæ miniſterio apud Moſcum verſabantur, ad noſtros tranſit: qui cum de numero exercitus eadem ferè, quæ antea fama, ac captivorum ſermonibus acceperant, ac inflatius pleraque prædicaſſet, orationique ejus tanti principis inveterata potentiæ fama facilè fidem faceret; etſi memorabilis facinoris, ſi Stariciam proceſſiſſent, patrandi ſpes noſtris oſtendebatur: iis tamen viribus quibus potentiſſimi Principis vitam ac ſalutem ſeptam eſſe credi debebat, minimè pares ſe futuros rati; Dunam indeq; Dubnam magnis itineris difficultatibus conflictati ſe recipiunt.

Ex itinere, temerè ab agreſtibus rumore tradito, commeatu Toropeciam laborare, ad eam deflectunt exercitumque ei admovent. Verùm paucis diebus poſt, cùm falſa de ſtatu præſidij delata ad ſe cognoviſſent, ſe receperunt. Radivilusq; Chelmam rectà, inde priſcam Ruſſam verſus contendit. Collocata ad Opakam contra Novogardiam Koſakkorum manus aliqua fuerat: quæ partim prædis ex hoſtico agendis hoſtem diſtineret, partim ſubvectiones ſubſidiaque, ſi quæ Novogardia Pleſcoviam mitterentur, obſervaret. Hi cum continuè prædas ex hoſtico agerent, magnisque incommodis hoſtes afficerent, Tartari Moſcovitici, parte eorum negligentius agente, parte ex inſtituto ad prædas agendas profecta, repentino adventu, eos qui in ſtatione relicti erant, oppreſſerant. Tartaris à cæteris reverſis rurſum dejectis, Moſci alias ſuas duobus locis ad Ruſſam & Miſciagam ſtationes ab Novogardia noſtris Koſakkis oppoſuerant; contra eos igitur, qui ad Ruſſam erant, Radivilus Koſakkos, quos penes ſe habebat, ipſe ſubſequens, præmiſit. Hi hoſtibus fama adventantis exercitus jam ante territis, ac primo adventu eorum in fugam converſis Obalinſcium ac Bojarici generis aliquot capiunt. Eo deinde ex loco ad Regem & reliquum exercitum Radivilus revenit. Jam ante Antonius Poſſevinus etiam, quem à ſummo Pontifice legatum ad Moſcum iviſſe ſupra oſtendimus, cùm mox poſt diſceſſum à Volga Radivili dimiſſus fuiſſet, ad Regem venerat; turmis aliquot equitum, quas è Novogardia de adventu ejus certior Rex factus, obviam illi miſerat, in caſtra deductus.

Afferebat hic, Moſcum & ſi in ea & ſua trepidatione, & belli adverſitate cumprimis pacis cupidus eſſet, nullis tamen aliis conditionibus eam accipere obſtinatum habere, quàm quas jam ante Polotiæ per legatos ſuos propoſuiſſet. Nam quid hyems, quæ ſæviſſima iis in locis frigora adferre ſoleret, inſtaret; militem quem ne primas quidem injurias ejus toleraturum ſibi perſuadebat, per hyberna diſtributum iri: Regem ſuperiorum annorum conſuetudine ad comitia obeunda in regnum ſe recepturum: interim urbem obſidione, ſe metu ſolutum iri, facileque quamvis aliam ſuſtinendi belli impetusq; regij rationem deinceps ſe reperturum confidebat. Rege contra Poſſevino oſtendente, nec ſe prius exercitum ab urbe deportaturum quàm vel urbe potitus eſſet, vel univerſa Livonia Moſcus deceſſiſſet; hortabatur nihilominus eum Poſſevinus, ne omnem tamen ſpem pacis præcideret; locumque colloquio conſtitui pateretur, in quem utrinque legati convenirent, ac de pace inter ſe agerent: quod cum Rex permiſiſſet, literas per expeditum equitem ad Moſcum dat; his eo omninò animo Regem eſſe oſtendit, ut non prius abſceſſurus, aut ullum belli finem facturus ſit, quam univerſa Livonia Moſcus excedat. Quare ne ſpem ea in re poneret, quòd frigoris ſævitia coactum abſceſſurum tandem exercitum exiſtimaret; videre ſe obfirmato ad perferendam eam omnes animo eſſe; tum ut obſidio ſuſtineretur, debere eum tamen tot ſubjectorum ſibi innoxiorum calamitatibus atque miſeria commoveri; qui cum pro ipſius ſalute nullum periculum ac cruciatum recuſent, ſummæ ſeum iniquitatis condemnari debere, niſi ipſorum vitam ſuis commodis ac obſtinatione potiorem habeat. Eos autem neque propter frigoris vim in

ſylvis jam latere: nec iis ipſis, quòd paludibus omnibus frigore concretis, perviæ brevi noſtris futuræ eſſent, amplius protegi poſſe: eorumq; iis ipſis diebus, quibus in caſtra veniſſet, magnum numerum partim conciſum, partim captum ſe vidiſſe. Sub id enim adventus ejus tempus, ſubſidia, quæ cum Meſceodovo venerant, quemadmodnm ſupra oſtenſum eſt, excepta fuerant. Proinde ipſe ſibi conſilium caperet: ſe quidem, ut ſerio tandem animum ad pacem applicaret, authorem ei eſſe, egiſſeque hanc ob cauſam cum Rege, ut ne omnem tamen de pace agendi facultatem tolleret, impetraſſe, ut legatos ejus certum in locum, qui Moſco videretur, accedere, cumque ſuis legatis de pace agere ſe paſſurum Rex receperit.

Moſcus literis iis acceptis ſine mora nuntium unà cum ſuo tabellario, literisq; ad Poſſevinum remittit. Pagum Sapoliam nonaginta paſſuum à Pleſcovia millibus, in diplomatum uſus & ipſum conſtitutum, ad conventionem deligit, publicæque fidei literas, legatis ſuis mitti poſtulat. Mittuntur literæ: locus accipitur. Exercitus interim, qui ad Pleſcoviam erat, maximis cùm hyemis, tum obſidionis diuturnæ incommodis afficiebatur. Itaque cùm & à voluntariis palam miſſio flagitaretur, conditionesque pacis paſſim ſermonibus agitarentur; non deerant, qui remittendum potius Moſco de Livonia aliquid cenſerent, quàm cùm exercitus incommodo diutius obſidionem ducendam, quod ut ſummi Pontificis authoritate perſuadere Regi conaretur, Poſſevinum etiam tacitè hortabantur: idque quo commodius perficeret, cum ſententias Senatus de conditionibus dicturus eſſet, eum vocari, præſenteq; illo ſententias dici debere cenſebant. Spargebatur in vulgus, Regem ut maximè Livoniam univerſam adjunxiſſet, omnem in Ungaros, vel fratrum ſuorum filios diviſurum. Itaque ſtipendiarius etiam miles ſermonibus tentabatur; cur pro alienis commodis ſuo cum periculo depugnaret: pro provincia, ex qua nec ad ipſum, nec ad rempubl. fructus ullus perventurus eſſet; ut alij ditarentur, vitam ſanguinemque ſuum ipſe in diſcrimen adduceret. Reſiſtebat rebus hiſce ſumma conſtantia atque animi magnitudine Rex: maximè voluntarios obteſtabatur, ne ſuo diſceſſu exploratæ penè victoriæ, aut honeſtæ pacis ſpem corrumperent.

Præter Regem Samoſcius omni contentione in id incumbebat. Oſtendebat publicè, ad omnia prius ſe deſcenſurum, quàm infecta re, aut non tali pace, qualem in ſuperioribus comitiis Rex atq; nomine Regis ipſe ordinibus promiſiſſet, diſcederet; quòd ſi maximè neceſſe eſſet, eousq; tamen, dum comitiis habitis nova ab ordinibus mandata acciperet, ſe perſtiturum.

Ut Poſſevinus in Senatum vocaretur, contra morem majorum eſſe diſſerebat. Virum enim prudentem, & inprimis gravem & ſi nihil curioſius in aliena republica facturum ſciebat; ne tamen vel interrogationibus atque ſtudiis aliorum, vel ſuo pietatis atque pacis in eam ſententiam pertraheretur, ut ipſe quoque cum aliis remittendæ Moſco partis Livoniæ author eſſet, verebatur. Quamvis eandem ſententiam ſuam hac etiam ratione apud Poſſevinum deinde excuſabat; quod cum ex inſtituto Reipubl. omnium aliorum Principum legati publicè audiantur, ſolius ſummi Pontificis nuntij privatim Reges conveniant, ne exemplo ſuo privilegium minueret, illum ipſum vitaturum fuiſſe exiſtimaſſet.

Conſilio deinde iis de rebus habito, duæ omninò manendi rationes proponebantur. Ut vel ex caſtris atque munitionibus, quemadmodum hactenus factum eſſet, obſidio urgeretur: vel caſtellis extructis, in iisque milite collocato, diuturna fame, ac commeatus inopia urbs premeretur. Utramque cum hyemis injuriis, tum ſoli frigore jam aſtricti duritie, quæ nec militem ſub pellibus diutius verſari, nec opus ullum fieri paterentur, omnes ferè refutabant. Lithuani privato etiam iisdem de rebus conſilio inter ſe habito, libellum Regi offerebant, in quo cum & ipſi manendi conſilium omne rejeciſſent, id petebant, ut quò hybernorum incommoda, quæ ſuperioribus annis continua pertulerant, evitarent, in agro Moſcovitico miles haberetur.

Interim diem certam Regi præfiniebant, intra quam niſi pax facta eſſet, nulla conditione diutiùs remanere integrum ſibi eſſe oſtendebant. Non poterant latere hæc hoſtem: quòd propter voluntariorum nullo imperio ſe ſuosque coërceri patientiam licentiam ex calonibus, ac eo hominum genere, quotidie aliqui ab hoſtibus excipiebantur: iisq; ipſis diebus Saba quidam cum ejus de quo dictum eſt, libelli exemplo ad eos tranſierat.

Maxima inter hæc flagrabat invidia Samoſcius: illum unum ſententiæ ejus eſſe authorem: hominem à pueritia literarum ſtudiis deditum, atque in Italiæ Gymnaſiis verſatum conſiliis atque obſtinatione ſua univerſum exercitum perditurum: Legatum cum exercitu in hoſtico relicturum: ipſum extra metum periculi ad Comitia pro Cancellariatus ſui munere obeunda in Poloniam rediturum. Etenim jam conventus nobilitatis Rex edixerat.

Per eos quo loco res eſſet, literis nobilitati oſtenderat: neve vel exercitum reducere, vel ipſe ab obſidione comitiorum habendorum cauſa diſcedere cogeretur, ut in iis conventibus, nova tributa, & quæ alia ad perficiendum bellum neceſſaria eſſent, ſciſceret, hortatus nobilitatem fuerat; In omnes nihilominus caſus, ſi res non teneretur, literas, quibus comitia indiceret, ſimul miſerat. Augebat Samoſcio invidiam diſciplinæ militaris tuendæ ſtudium, jam ab eo tempore, quo militem habere cœperat, contraque illos potiſſimum ab eo ſuſceptum, quorum quod illuſtrior fortuna eſſet, peccata etiam, & peccatorum ad deterrendos alios pœnas illuſtriores eſſe dicebat. Fremebatur non jam quòd in mulieres, quæ caſtra irrepſerant, graviſſimè animadverti juſſiſſet: nonnullas capitis ſupplicio affeciſſet; ſed quod aulicum regium, qui in leges militares aliquid commiſiſſet, in vinculis haberet, nec totius exercitus precibus condonare vellet: quòd pueros nobiles, qui licentius in caſtris verſari fuerant, ad palum alligatos publicè ſpectandos præberet: turmæ præfecti vicarium ſuſpendio affeciſſet: ex nobilitate quosdam propter mundiciem caſtrorum negligentius habitam clava pulſaſſet. Itaq; carmina etiam in eum ſpargebantur, quibus ſcholaſtica vita illi exprobrantur. His ita non movebatur, ut cum ſemel licentiæ feneſtra aperta in alios libelli jacerentur, jactataque ea res in Senatu fuiſſet, oſtenderet, niſi prius in ſeipſum injuria ea incurriſſet, quæſtione habita auxilium ſuum minimè denegaturum iis fuiſſe: jam cum ab iisdem ipſe prius læſus eſſet, verendum ſibi eſſe, ne puſilli animi putaretur, rectiusque facturos eos, ſi ſuo exemplo contemnendo potius ea diluerent, quàm vindicando ultrò authoritatem iis tribuerent. Signa militaria hujusmodi plerumque dabat, quibus modo deſidiam, metum, avaritiam domum properantibus ultrò exprobrando: modo ad perſeverantiam & conſtantiam nobili homine dignam eos cohortando à deſidia ad tolerantiam, ſi qui minus alacres eſſent, binis ut plurimum verbis revocaret. Tentarat ſub initium motus ejus veteranus miles, qui ad Gedanum fuerat, cætus inter ſe agitare, quò de communi re maximè autem de ſtipendiis debitis deliberarent. Edixit mox, qui privatas coitiones feciſſent, contra diſciplinam ac imperium militare feciſſe eos judicaturum, legeque in eos animadverſurum: quòd ſi quid de commodis ſuis agendum exiſtimarent, vel ſe appellarent, vel præſente ſe de iis agerent. Itaque ad tentorium ejus convenerunt. Hic cum ille anguſtiis ærarij demonſtratis, è contra quid amor patriæ ac reipublicæ poſtularet, quid conſtantia boni haberet, concionatus fuiſſet: tandem non legatum ſe ad exercitum relicturum, ſed ipſum toto obſidionis tempore remanſurum pronuntiaſſet, utque idem ipſi facerent, univerſos hortatus fuiſſet: initio à Joanne Sborovio facto, reliqui omnes, quoad ipſe maneret ſe quoque perſeveraturos promiſerunt. Samoſcij conſilium manendi ſecretò amici improbabant: monebant, videret, quam in ſe rem ſuſciperet, cùm periculi plenam, tum quæ ſi ſecus caderet, magna cum invidia ejus ſuperiorum rerum gloriam ipſius omnem corruptura eſſet. Iis unum ille reſpondebat, exiſtimare ſe bonum Imperatorem, eundemque bonum civem non ſuæ ſed publicæ dignitati ſtudere debere: Si re infecta ab obſidione abſcedendum ſit, è re nata commodius futurum, ad ſe peccati ejus opinionem recidere, quàm ad Regem aut rempublicam univerſam. Allato jam ante à Duce Curlandiæ & Rigenſibus pulvere; ante Regis diſceſſum denuò oppugnationem tentare viſum fuit.

Ab ea parte, qua Poloni antea è munitionibus ſuis muros quaſſaverant, hoſtes crebra propugnacula lignea objecerant, eademque foſſis communiverant. Itaque in ſuperiorem aliquanto partem ad dextram munitionibus translatis, inde rurſum tormentis muros percutiebant. Sed eo quoque loco novum propugnaculum, tormenta verò adeò grandia hoſtes oppoſuerant, ut, cum quoddam ſeptuaginta, alterum octuaginta pondo globos jacularetur, trium aggere repletarum corbium militarium, ut ex ordine poſitæ erant, ſeriem, uno ictu penetrarent. Ungari quòd aditum in turrim, quæ ad Velikam flumen & munitiones eorum pertinebat, ſatis latum patefecerant, modò ipſi per ruinas eas hoſtes propellebant, modò ab illis pellebantur.

Converſi etiam ad muros ea ex parte à Velika flumine dolabris & ſecuribus ſubruendos fuerunt, à quibus cum primum aqua piceque ferventi, aliisq; ignibus in eos effuſis, avertere eos conati hoſtes fuiſſent, Ungari nihilominus eò proceſſiſſent, ut parte muri inferiori egeſta, ſuperiore tanquam teſtudine tegerentur, lædique amplius ab illis, quæ in eos mittebantur, non poſſent, hoſtes ligna juſtæ craſſitudinis, ferreis aculeis undique horrentia catenis ferreis ad prælongam ſudem aptata ex urbe ſupra muros, ad quos Ungarus ſubruendos conſtiterat, ita vibrabant, ut ex ea jactatione verbere ſubtus detorto tanquam flagello, qui in opere erant, verberarentur, magnisque incommodis afficerentur; nec tamen Ungarus remiſit, quoad majorem ejus muri partem ſtraviſſet; ad extremum, quòd ab ea quoque parte nova propugnacula contra turrim hoſtes collocarant, foſſasque duxerant, oppugnationis conſilium omninò dimiſſum fuit.

Erat triginta circiter à Pleſcovia paſſuum millibus via, qua in Livoniam & Rigam itur, imminens monaſterium Pezzura à Moſcis, quaſi ſepulchretum dictum, Divæ virginis, cujus eo in loco ex arbore enatam effigiem repertam colunt, religione ſancti-

ſanctitatisque ac miraculorum quorundam fama clariſſimum, ob eamque plurimis ac ampliſſimis proventibus, de Novogroda Livonica agris nonnullis detractis, eique aſſignatis à Moſcoviæ Duce ditatum. Huic Moſci præſidium impoſuerant. Magno id incommodo in ea vicinitate noſtris erat. Nam & pabulatores noſtros frequentiſſimè excipiebat: itinera infeſtabat; eoque ipſo tempore impedimenta à nonnullis præmiſſa, tum mercatores quosdam Rigenſes excuſſerat. Ad quos damna ea pertinebant, quorum non erant pauci, maxime verò, qui impedimenta ſua præmiſſuri illac erant, ut id poteſtatis ſuæ faceret, à Rege contendebant. Proponebatur ab altera parte, milite ex oppugnationis tam diuturnæ, ac irritæ laboribus nondum recreato, novam ullam tentari non ſatis tutò poſſe.

Rex multorum continuis precibus victus, Farensbekium eò mittit. Huic mandat, ut ſitu loci cognito, quid ſui conſilij ſit, certiorem ſe faciat; ſi non magno negotio potiturum ſe eo exiſtimaret, militem tormentaque illi ſummiſſurum; ſi difficiliorem, quàm ut eò tempore ſuſcipi deberet, expugnationem futuram judicaret, integra re ad ſe rediret. Farensbekius paucis cum equitibus eò profectus, in itinere in hoſtium equites longe plures qui Pezzura contra pabulatores noſtros egreſſi. Sub id tempus redibant, incidit; quorum aliis cæſis, cæteris profligatis, prælij hujus proventu invitatus, & quid nec foſſa adeò magna, nec propugnaculis aut ſitu magnopere munitum cerneret, utq; homo militaris bene de ſucceſſu oppugnationis ſperaret, oppugnationem ſuſcipit.

Mittit illi Rex Germanum militem cum tormentis aliquot majoribus, qui cùm actis prius munitionibus muri partem aliquam ſtraviſſet, per ruinas irrumpere conabantur. Jamq; Wilhelmus Ketlerus Ducis Curlandiæ fratris filius, Gaſpar & Reinoldus Tiſenhauſij, ac alij quidam in turrim proximam evaſerant; atque in imam ejus partem per ſcalas ſe demittebant. Iis ab inſequentibus fractis, ac per ruinas etiam cum propter anguſtias earum, tum quod hoſtes omnes conferti contra eas ſe obverterant, nulla irrumpendi facultate militi relicta qui in ima turri remanſerant, ab hoſtibus capiuntur. Mittit iterum Rex ad eas, quas antè miſerat copias Germanorum, Bornemiſſam cum quingentis Ungaris peditibus, & majoribus tormentis aliquot: Polonicum militem ad caſtra Samoſcius omnem retinuit.

Ungari cum ab eadem parte, à qua Germani oppugnabant, inferiori tamen loco lævam verſus muros quatere cœpiſſent, jamque aliquam muri partem diruiſſent, Thomas Solandius manu aliqua Calonum & Koſakkorum Polonorum facta averſam à Germanorum & Ungarorum munitionibus turrim, ut hoſtem diſtineret, ſcalis admotis ſcandere cœpit, iis jam repulſis cùm Germani per ruinas muri, iterum irrumpere tentaſſent, omni hoſtium multitudine in eos converſa, rejiciuntur. Eodem ſucceſſu cùm donec Germani ſe recepiſſent, ceſſaſſent, ab Ungaris quoq; irruptio tentata fuit; hoſtibus rem miraculo, noſtris incantationibus & magicis artibus tribuentibus. Verùm animadverti hic potuit, non minus ſæpè in levioribus munitionibus negligentia, quàm in firmiſſimis difficultate offendi: quod in his magnitudo periculi, ac ex eo natus metus virtutem militum plerumque acuit: in illis exiguitas rei contentionem animi ac curam ut plurimum remittit. Non dubitandum enim aliqui exiſtimabant, ſi conjunctis viribus, ac uno tempore incubitum in oppugnationem fuiſſet, non adeò magno negotio expugnari potuiſſe: Interim dum ſinguli per ſe, primum Germani, indè Ungari ſucceſſiſſent, & hoſti in unum locum vires omnes ſuas convertendi facultatem datam: & noſtrorum impetum imminutum. Recipientibus ſe noſtris Scoti milites, qui haud multo ante ad Regem venerant, opportunis locis ſubſidio collocati, ſi qui è muris telis aut ſclopetis noſtros petebant, certiſſimis ictibus conficiebant.

Antequam diſcederet Rex, legatos, qui de pace cum Moſcis agerent, Januſium Sbaraſium Palatinum Braslavienſem ab regno Poloniæ, Albertum Radivilum, Palatij Lithuanici Marſchalcum à magno Lithuaniæ Ducatu deſignat. His Michaëlem Haraburdam hominem ingenioſum, & Moſcoviticarum rerum cumprimis peritum, more majorum, ſcribam adjungit. Cum de conditionibus, in quas pacem fieri placeret, ageretur; urgebant proceres Lithuanici, ut magni Luki, qui proximo anno capti ab hoſte erant, quò facilius pax conveniret, hoſti redderentur. Oſtendebat Samoſcius, etſi quantum ad Lithuaniam tutandam momenti tam opportuna urbs, ac ea fertilitate, omniumq; rerum copia abundans ager haberet, animadverteret: quò minus tamen id fieret, non usq; adeò ſe repugnare, quod non ea religione ejus retinendi, cujus nulla in comitiis mentio facta eſſet, qua recuperandæ Livoniæ obſtrictus ordinibus eſſet: moleſtè tamen ſe ferre, ante tempus hæc nullo cum fructu, nonnullo autem, ne ad hoſtes efferrentur, periculo jactari. Itaque Rex privatim re cum Samoſcio communicata, paciſq; conſtituendæ arbitrio ei permiſſo, cum quid ab eo fieri vellet, quid cum in regnum venturus eſſet, ipſe procuraturus eſſet, oſtendiſſet, optimæ ſpei & fiduciæ plenus diſceſſit; reliqui fere omnes ex præteritis obſidionis incommodis, ac imminentis hyemis difficultatibus de reliquæ obſidionis eventu judicantes, ſimulque imminuti ac attriti exercitus opprimendi tempus nullum hoſtem prætermiſſurum cogitantes, non

non ſecus ac ſi extremum, quos relinquerent, viſuri eſſent, periculum eorum miſerabantur. Ut non deeſſent ex primariis Senatoribus, qui Regi Balthaſarem, Andreæ fratris ſui filium cum Ungaro milite in caſtris relinquenti, ne id faceret, perſuadere conarentur. Cum Rege univerſus comitatus aulicus ac voluntarij ferè omnes proficiſcebantur; itinere igitur per Oſtrovam & Krasnohorodam capto, indè Ludſenium, & Roſittenium, quæ hoſtilibus præſidiis adhuc tenebantur, ſine impedimento prætergreſſus fuit. Sequebantur reliqua agmina properantius, omnibus ad Dunam flumen prævertere annitentibus.

Itaque & ſi ſubſidia contra eruptiones à Radivilo diſpoſita fuiſſent; iis tamen dilabentibus, aliquot noſtrorum carri abrepti à præſidiariis Moſcis fuerunt. Transmiſſo inde ob navigiorum inopiam non ſine difficultate ad Duneburgum Duna flumine Vilnam Rex venit. In caſtris Polonicus miles ſtipendiarius omnis cum Samoſcio remanſit; tam is qui ab initio cum eo ad Pleſcoviam acceſſerat, quàm quem à Staricienſi excurſione cum Radivilo reverſurum receperat.

Lithuani cum Martino Curtio legato ſexcenti, qui ab eadem excurſione in caſtra venerant; & quo ab ejus incommodis ſe reficerent, ut in vicinis pagis Porchovam verſus collocarentur, à ductoribus impetraverant. E voluntariis Poloni aliqui non multi tamen remanſerunt.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti

LIBER VI.

Samoſcius profectò è caſtris Rege diſciplinam inprimis militarem, quam aliâs magna cura tuebatur, quò inter tot difficultates in hoſtico omnia diligentius circumſpicienda ſibi videbat, eò accuratiori ſtudio ſanxit. Ex præfectis, qui ætate, ordine, ac uſu rei militaris cæteros antecedebant, ad quos de ſecretioribus quibusq; ac gravioribus rebus referret, ſex delegit. Senatorij ordinis Stanislaum Tarnovium Radomienſem: Stephanum Grudſinſcium Naklenſem Caſtellanos: Ex aliis Erneſtum Veierum, Martinum Kaſanovium, Joannem Lesnovolſcium, Sigismundum Rosnium: cæteris in rebus omnes ad conſilium adhibebat. Interim quemadmodum Rex cum illo conſtituerat, eam in rem omni ſtudio incumbebat, ut ſi pax cum hoſte non conveniſſet, ad obſidionem quàm diutiſſimè continuandam fameq; ac omnium rerum inopia ad deditionem urbem adigendam inſtructa omnia ac parata haberet. De hujus autem rei ſucceſſu non dubitandum ſibi exiſtimabat, quòd quantum in urbe virium, apparatus bellici, commeatus ac rei frumentariæ eſſet, ex Suturna ſcriba Suiſcij; qui in excurſione quadam unà cum fratre captus fuerat; ſeu quemadmodum ipſe, poſtquam in poteſtatem noſtrorum perveniſſet, præ ſe ferebat, transfugerat, exactè cognitum habebat: ſubductisq; rationibus, ſi omnes ad importandos in urbem commeatus ac ſubſidia aditus præcluſiſſet, non multum ultra menſem Majum ſuſtineri obſidionem poſſe reperiebat. Itaque ſic ſe comparabat, ut vel ex iisdem ſtativis, quemadmodum eò usque factum fuerat, obſidione urbem premeret; aut ſi hyemis ſævitia, ac commeatus, qui antè omnis ferè ab exercitu conſumtus fuerat, anguſtia, quò minus id facere poſſet, prohiberetur, recreato interim prædis ex hoſtico agendis milite, Pezzuræ peditatum omnem, ac tormentorum partem admoveret; quam ob cauſam & quæ ante eò miſſa fuerant, tormenta non deduxerat; eaq; occupata ſimili ratione Porchovam ac Udovam vicina caſtella oppugnaret; præſidiisque iis impoſitis hoſtes intra mœnia compulſos contineret. Si plus difficultatis oppugnationem eorum, quam ut tentandam putaret, habituram perſpexiſſet, ligneis caſtellis ex vicinarum villarum ædificiis conſtructis, opportuniſſimas quasque vias, maximè verò, quæ à Udova, Porchova, & Pleſcovia ad Novogardiam pertinent, occupare. Cumq; parte exercitus ipſe Novogardiam verſus in Prebuſio Simeonis ſupra Ilmenum lacum ſub tectis conſiſtere: partem dum glacie concretus lacus eſſet, in priſca Ruſſa, & Oſtaskova continere: iisque ex locis omnibus tam Pleſcoviam, quàm Novogardiam premere, latiſſimèque ſupra Novogardiam verſus Tueram & Moſcoviam vaſtitatem circumferre cogitabat. Ita tamen, ut quoad liceret, primam rationem atque Pleſcoviam quàm diutiſſimè retineret: nec niſi hyemis aut commeatus difficultatibus adactus ab ea moveret. Militem quem circa Suatohoram ſupra Pleſcoviam ad Udovenſe iter obſidendum loco opportuniſſimo collocatum ante oſtenſum eſt, minimè interim dimovendum arbitratus, ne tamen repentina impreſſione opprimi ab hoſtibus poſſet, majorem peditatum, ac minora tormenta aliquot, Stanislaumq; Penkoslavium ei adjungit. Si hoſtis incurſionem in eos faciat, die vexillum militare, quo propoſito quàm primum ad opem iis ferendam accurri poſſit: nocte ignem tollere eos jubet. Simul ne diſceſſu regio metu omni liberatum ſe hoſtis putaret, in omnes rei gerendæ occaſiones intentus erat. Quæ cogitanti ex ſuperiorum temporum pabulatorum licentia, qui partito in duos imperio militari, magna præterea

terea voluntariorum parte nullam imperij neceſſitatem recipiente, ſine metu vel imperij vel hoſtis vagabantur, nec raro ſub ipſos muros ſuccedebãt, accidere poſſe facultatem rei gerendæ ratus: die D. Nicolao ſacro, qui vel maximè à Moſcis obſervatur, idoneis locis milite in inſidiis collocato, carros aliquot propinquo à mœnibꝰ ſpatio agi jubet. Verùm diei religione quamvis objectam prædam hoſtibus ſpernentibus idem altero die fieri imperat. Conſederant partitis inſidiis in vicinarum foſſarum, quæ imbrium caſu factæ erant, una Ungari equites; in altera Stanislaus Zolkevius adoleſcens, & Joannes Kretkovius Prijemſcianæ turmæ legatus cum Polonis. Hoſtes ad primum prædæ aſpectum mox erumpunt: protracti in locum inſidiarum ab Ungaris celeriter conſurgentibus profligantur. Poloni qui remotiori ab ijs loco erant, propterq; præruptum per oppoſitos colles aſcenſum, ambitum capere cogebantur, confligendi cum hoſte facultate non data, à dextra impetu in eum facto, inclinatum in effuſiorem fugam præcipitant; conjunctimque cum Ungaris ad mœnia usque inſequuntur. Etſi qui primo loco conſederant Ungari, lectiſſimi equites, eſſent, ac in his Petrus Bathoreus, Georgius Sibricus, ac Joannes Kallajus, omnesq; generoſiſſimis equis Thracicis veherentur: Moſcoviticorum tamen equorum, quamvis ij magnam partem parvi ac deformes ſunt; pernicitatem, aſſequi vix potuernut. Primo tamen impetu triginta circiter interfecti ac duodecim Bojarici generis, in ijsq; maximè ſtrenuus, ac militaribus facinoribus aliquot notus Petrus Koltoviſcius, capti fuerunt. Incommodo hoc accepto Suiſcius averſa porta majoribus aliquot tormentis magno labore, ad imas muri & propugnaculorum feneſtras demiſſis, locoque opportuno non procul à foſſis urbis magna ſclopetariorum manu occultata, ſubinde viginti circiter equites, qui noſtros cis flumen Pleſcoviam in ſtationibus poſitos laceſſerent, atque in inſidias pertraherent, emittebat. Verùm cum excurſione hoſtium nunciata Samoſcius ipſe cum tribus turmis equitum flumen tranſiiſſet, quique in inſidiis conſederant, ad primum unius equitis conſpectum, quem propius ad locum inſidiarum accedere Samoſcius juſſerat, ſclopetos ad unum omnes in caſſum exploſiſſent, ſola ferè urbis propinquitas, & foſſa equiti objecta quò minus conciderentur, hoſtes texit. Dum hæc ad urbem geruntur, advenerunt interim legati à Moſco ad colloquium miſſi Demetrius P. Filius Ilecius, Romanus B. filius Olphirionis; proque ſcriba illis adjunctus Nicolaus Baſſorekus. Iis Poſſevino cum præſidio Polonico ultra Porchovam obviam profecto, ac mox noſtris quoq; legatis ſubſecutis, paulò poſt initium agendi de pace factum fuit. Ab initio de Sueciæ Rege fœdere comprehendendo propoſitum fuit. Etſi enim præreptarum arcium injuriæ non parùm animum Regis alienaſſent: quòd tamen ſuperioribus comitiis Annæ Reginæ precibus adductus, quæ ſororis ſuæ Sueciæ Reginæ amore, ac aſſiduis literis victa genua Regis amplexa, ne ſine Sueco pacem faceret, orârat, daturum ſe operam ut pace comprehenderetur, pollicitus ei fuerat; ac Poſſevinus quoque homo inter Principes Chriſtianos pacis conciliandæ cupidiſſimus, hoc idem ſummo ſtudio contendebat; ut actionum de pace initium ab eo fieret, legatis mandaverat. Qua in re dum hæretur, Bogdanus quidam omnium legationis ejus arcanorum conſcius à legatis Moſcoviticis ad Palatinum Braslavienſem transfugit; ab eoque ad Samoſcium ſtatim mittitur; ab eo hæc legatos mandata habere Samoſcius cognoſcit: Si Regem exercitumq; à Pleſcovia diſceſſiſſe intelligerent, quacumque cauſa interpoſita colloquium tollerent: ſi obſidionem obſtinatè continuari ſentirent, ſine fraude de pace agerent: Eam autem hoc ad extremum concluderent, ut ſi Rex Lukos aliaq; quæ ſuperioribus annis cœpiſſet, præter Veliſium ac univerſum Ducatum Polotienſem, quæ Regi concedebat, ſibi redderet, univerſa Livonia ei decederent.

Legati cum Regem quidem diſceſſiſſe, obſidionem nihilominus urgeri animadverterent, acceſſerant ad conditiones aliquas pacis: Sed cum ob ſæviſſimas hyemis injurias, commeatusq; omni vicino agro vaſtato anguſtias ſubinde incommodum aliquem rumorem de exercitu expectarent, varias interim moras interponebant, deq; leviſſimis quibusque rebus ad principem miſſitabant. Scripſerat ex itinere ad Samoſcium Poſſevinus, oſtendiſſe ſibi legatos, magna cupiditate Moſcum alicujus vel exiguæ ſaltem portionis agri Livonici ad titulum Livoniæ uſurpandum retinendæ teneri. Samoſcius Novocaſtrum, Sereneſcum, Novogrodecum, deſerta nec magni fructus caſtella ea conditione relicturum ſe illi reſcripſerat, ut penes Regem Luki, Savolocia, Nevela remanerent. Cum illi de Lukis nulla ſe mandata habere renuntiaſſent, ſine Lukis ne palmum quidem terræ in Livonia ſe ei permiſſurum oſtendit.

Interim Samoſcius cum copias quasdam, quæ Pleſcovienſibus ſubſidio mitterentur, Novogardiam contrahi rumor ad exercitum perlatus fuiſſet; Spitkonem Jordanum virum ſtrenuum, cujus cum aliâs, tum in pugna Derſavienſi præclara opera extitit, turmis aliquot equitum ei attributis eò miſit. Hic ſtationibus hoſtium, quæ non procul à muris ſe oſtenderant, cum trepidatione intra mœnia compulſis urbi ipſi, omniq; vicino agro magnum terrorem intulit. Eundem opportuno deinde inter Porchovam & Novogardiam pago conſidere juſſit; cùm ad ſubvectiones ſubſidiaque ſi quæ Pleſcovienſibus ab hoſte ſummitte-

mitte-

mitterentur, prohibenda, tum ad pabulationes laxiores noſtris faciendas: maximè autem metum undique hoſtibus oſtentandum. Supra eum verò Koſakki, quos ad Opokam collocatos fuiſſe antè oſtenſum eſt, ad Sajonskovium ultra Ruſſam à Samoſcio deinde translati omnia infeſta reddiderant. Jamque ante eandem ob cauſam ex Kobilogradenſi etiam caſtello, quod adſtricto glacie lacu Pelba, qui ad Pleſcoviam, Derpatum, & Kobilogradum pertinet, ex Derpatenſibus præſidiariis aliqui inſederant, Simonem Charlenſcium dejicere præſidium juſſerat; indeq; ad Prebuſium ſupra Pluſſam flumen, qua lacu concreto iter ex Derpato, & Udova verſus Novogardiam erat, eum collocârat; undè deinde ulterius populationes proferebantur; quibus rebus fiebat, ut quod ab initio ſibi propoſuerat, nec ipſe Pleſcovia propter commeatus difficultates avocaretur; quòd in omnes ferè partes liberè pabulari noſtri poſſent: & populationibus, qua ſupra Briſcam Ruſſam ac Novogardiam verſus Tueram, qua ad Volchodam flumen, ac Lahodam lacum longè lateq; factis, cùm opportuniſſimis viis occupatis undique graviſſimè hoſtes premerentur, indies metus eis augeretur. Miſerat ad Samoſcium Jordanus duos nobiles Moſcos repentina excurſione oppreſſos. Ex iis de Joannis majoris natu principis filij morte cognitum fuit. Hunc cum pater opum ſuarum magnitudinem ac theſauros jactaſſet: Ille verò iis Regis theſauros virtutem ac animi fortitudinem prætuliſſet; quibus & ſi illis, quibus pater abundaret, inferior eſſet, nihilominus ditiones ejus igni ferroq; vaſtaret, magnaq; parte regni eum exuiſſet: vel ut quidam dicerent, cùm obſtinatius à patre exercitum, quo cum regio exercitu dimicaret, flagitaſſet; iratus verò illi pater, Scipionem in caput impegiſſet, non multo poſt, ſive ictus, ſive animi doloris vi, in paroxiſmos epilepticos, atque indè in febrim incidiſſe, ex eaque deinde extinctum narrabant; quæ res ſupra reliquas fortunæ adverſitates eò majorem dolorem Moſco attulit; quòd hic etſi imperio patris priori uxori, cum qua optimè illi conveniebat, nuntio remiſſo, aliam duxerat, ſine liberis tamen diſceſſerat; alter verò filius Theodorus junior natu, mentis vitio ad regnum atq; omnes adeò res inutilis cenſeretur.

Ab altera parte Suiſcius, quòd immenſam frigoris vim cerneret, febresq; paſſim ex ea in caſtris vulgari è transfugis intelligeret: propter vehementiam enim hyemis, quò minus aliqui transirent, fieri non poterat; ad ſervatæ urbis famam, quomodo caſtrorum captorum, ac deleti exercitus gloriam adjiceret, quærebat. Erat tertia ferè pars caſtrorum morbis implicita; cum ut quisque frigoris ea immenſi prope aſperitate correptus eſſet: quod qui effugeret, nemo erat: febri etiam ſtatim corriperetur: ita tamen ut pauci omninò ex ea morerentur. Non minus autem Samoſcius, cum in tanta aëris inclementia, cum hoſte potius, quàm cum frigoris injuriis conflictari militem cupere cerneret, prælio dimicandi facultatem ſibi dari expetebat. Ejusque rei, ut extra muros atq; munitiones hoſtem pertraheret, cùm varias rationes quæreret, omnia conſilia ejus vehementer frigoris, quam diximus ſævitia impediebat. Tanta autem vis ejus erat, ut ubi quis extra tabernaculum vix pedem protuliſſet, omnibus ferè membris, ijs potiſſimum quæ maximè aëri patebant, naribus, auribus, atque facie, gelu adſtrictis emoreretur; quodq; de Moſcovitici cœli natura cum miraculo nonnulli prodiderunt, ejusmodi in iis locis frigora eſſe, ut aquæ caſu ipſo dum funduntur, congelentur, id experiendo multi cognoverint.

Maximè autem quod neceſſe erat evenire, excubiæ ſævitia hac frigoris vexabantur; raræq; omnino obibantur, ex quibus non plures plerumq; aliqua corporis parte mutilata referentur. Memorabilis cumprimis ex turma Sigismundi Rosnij nobilis equitis caſus fuit; cui cùm utrumque crus planè jam frigore emortuum eſſet, isque in febrim inde ac mentis alienationem incidiſſet, interim verò medicus, ferro crura reſecaſſet, ubi ad ſe rediit, non ſecus ac ſi partem aliquam ornatus requireret, de pedibus amiſſis interrogare cœpit. Alius quidam ludicro pene eventu, maximum tamen & ipſe periculum adijt; relictus à Baſilio Surannicio in primis excubiis non procul à foſſis urbis concubia nocte fuerat; cumq; frigore planè obriguiſſet, atque equus ut fieri ſolet ex frigore ſubito gravius ſe concuſſiſſet, is qui nec equum, nec ſe in equo planè jam enectus continere poſſet, de equo decidit: pedeq; ferramentis, quæ ab ephippio dependent, retento, ſub ipſas portas equo incitato magna voce alienam opem, cùm ipſe explicare ſe non poſſet, implorans pertrahitur. Mittit mox Samoſcius, qui eum eripiant; quod ſi ſine periculo facere non poſſint, ne ipſi temerè periculum adeant, mandat. Hoſtes qui in muro conſtiterant, fraudem ſubeſſe rati ultro irridebant; Satisq; jam fraudum ac dolorum eſſe, nec ea ratione amplius ſe capi poſſe exprobrabant. Ita incolumis hic à noſtris recipitur. Id autem tum tempus anni erat, quo intenſiſſima iis in locis frigora eſſe, vulgari ſermone Moſcorum oſtenditur; qui Nicolai & Chriſti frigora appellant, cum maxima deſignare volunt. Moſcovia autem omni ſub ipſis ferè trionibus poſita, nullo ferè loco, niſi iis fortè, quæ ad glaciale mare pertinent, quàm in Pleſcovienſi agro vehementiora frigora eſſe ſolent. Itaque & animalia pleraq; omnis generis, quæ cæteris in locis nigro aut fuſco colore ſunt ut corvi cumprimis, noctuæ, gallinæ ſylveſtres, urſi, lupi, lepores, aliaque ejus generis, ſeu cœli natura, ſeu frigoris vi, candida hic eſſe vulgo animad-

animadverſum eſt: Noctium verò eam longitudinem eſſe, ut cum longiſſimæ ſunt, diei non quinque omnino horarum ſpatium ſit. Magna tamen in hiſce omnibus incommodis tolerandis militum conſtantia erat: Samoſcius etiam, quantum ejus fieri poterat, ratione ac diligentia ea ſublevabat. Excubias quaternis vicibus permutabat; earum ternas per alios obibat. Sub crepuſculum autem ac primum diluculum, per Stanislaum Vlodekonem affinem ſuum, quem Sbaraſio Palatino Braslavienſe ad colloquium cum Moſcis miſſo ſibi legarat; quòd eo tempore eruptiones hoſtium maximè expectandæ erant. Quò pauciores autem frigoris incommodis afficerentur, pro ſuperiorum temporum conſuetudine paucos admodum, qui non tam eruptionibus hoſtium reſiſterent; quam de adventu eorum certiores cæteros facerent, in ſtationibus & excubiis collocabat. Etenim jam ante toto eo tempore, ex quo exercitus urbi admotus fuerat, morem hunc Samoſcius obſervârat, ut vel diligentiſſime excubiis diſpoſitis, in ipſis nihilominus caſtris contra repentinas eruptiones ſubſidia parata haberet: alboque circum caſtra miſſo per vices ſemper aliquot eam ad rem deſcriberet. Hinc etſi quod in obſidionibus fieri ſolet, non rarò eruptio tentata eſſet, ſæpius q; ſe hoſtis oſtenderet; nulla tamen unquam omnino ad arma, niſi ſemel fortè à diſceſſu regio, cùm ad acuendam militis diligentiam ex induſtria tumultum Samoſcius auxiſſet, conclamatum fuit. Ii enim, ad quos cujusque temporis vices pertinebant, cùm conſcenſis equis hoſti obviam progreſſi fuiſſent, cæteris prope ignaris eum rejiciebant. Tum verò eò accuratius obſervandum id ſibi exiſtimabat, quò propter frigoris ſævitiam, ne ea miles affligeretur, pauciores excubitores ponebat; cùm ut maximè firmiores poſuiſſet, aëris tamen injuriis ad rem gerendam penè inutiles futuros cerneret. Itaque in ipſis interim tabernaculis, quæ partim è vicinarum villarum ædificiis, partim cavernis in terra effoſſis, cratibusque ac palea intectis, contra cœli incommoda ex tempore ſui quisque uſus cauſa parârat, more ſtationum per vices ſemper aliquot excubare, equosq; quos ſtatim inſcenderent, atq; arma expedita habere jubebat: qui eruptione aliqua nuntiata recentes, ac ab injuriis aeris illæſi, conſcenſis mox equis hoſti occurrerent, qua re & ſecuritati caſtrorum & militis quieti, atque commodis maximè conſulebatur.

Stationum igitur ea exteriorum infrequentia, ac numero adeò earum ex transfugis à Suiſcio cognito, caſtrorum oppugnandorum, ſtationibus prius repentina eruptione oppreſſis, conſilium cœpit, hunc in uſum ſeptingentos circiter equos, quos obſidionis incommoda reliquos fecerant, conquirit; ad eosq; promptiſſimum quemque reſcribit. Binæ contra urbem à caſtris ſtationes erant; una ultra Velikam flumen, quæ Pezzurenſem viã obſervabat; altera cis flumen ſupra caſtra. Ex altera parte, qui ad Suatohoram erant curabãt. Suicius trecentos circiter equites delectos ultra Velikam contra eos, qui ad Pezzurenſem, ut oſtenſum eſt, viam, in ſtationibus erant, eo conſilio, quemadmodum ex captivis poſtea cognitum eſt, mittit, quòd illis occupatis, ſi quod futurum prævidebat, qui à ſuperiori caſtrorum parte cuſtodias agebant, ſtatione ſua relicta flumen glacie concretum ad ferendam ſuis opem tranſirent, caſtra nudatum iri, ſibique nullo obſiſtente repentina eruptione ea invadendi locum futurum cogitabat. Obvenerant diei ejus ſtationes Sborovianæ turmæ; quæ cum trecentis equitibus conſtaret Thomas Orinſcius cum quadraginta circiter eorum ultra Velikam flumen poſitus erat, cum cæteris Laurentius Scarbecus turmæ legatus ſupra caſtra cis Pleſcoviam flumen excubabat. Jam ante autem ea in univerſum cuſtodiis omnibus mandata Samoſcius dederat, ut erumpenti hoſti nulla pugnandi copia facta ambitu capto, verſus caſtra ſtatim ſe reciperent; non modò quò ſubſidium illis propinquiori è loco facilius ferri poſſet, verùm hoſtis etiam longius ab urbe ad pugnandi neceſſitatem pertraheretur. Id igitur cum Orinſcius feciſſet, Suiſcius peditatum partim ſtatim urbe emittit; qui quòd locus is omnis convallibus interſeptus eſſet, valle quadam occupata receptuq; intercluſo vehementer ſclopetis eos premebat. Interim Samoſcius Scarbecum, qui quemadmodum oſtenſum eſt, in ſuperioribus ſtationibus erat, flumen mox transire, impetumq; in hoſtes dare jubet: Simulq; ipſe equo conſcenſo, iis qui in ſubſidiis, de quibus ante dictum eſt, conſederant, ut ſe ſequantur, imperat. Scarbeco promptiſſimè flumen transgreſſo, Suiſcius ubi primum ſtationibus nudata caſtra animadvertit, mox reliquum peditatum ac equitatum omnem diverſis portis ad caſtra oppugnanda mittit. Interim qui ex inſtituto, quemadmodum oſtenſum eſt, in tabernaculis excubabant, ſequiq; à Samoſcio juſſi fuerant, ad certamen jam ſe expedierant; primique Ungari, qui eam ad Velikam flumen caſtrorum partem tenebant, inde Joannes Kretkovius, cum turma Stanislai Prijemſcij: Sarnacius cum Hieronymi Goſtinij, quarum legati erant; poſt hos alij tanta celeritate procurrerunt; ut eodem quáſi in veſtigio, uno conflictu, atq; impetu trecenti circiter ex hoſtibus caderent; caperentur ultra ſexaginta: magna verò eorum pars vulneraretur. Suiſcius qui è proximo muro eventum eruptionis expectabat, cædem hanc & fugam ſuorum cernens, revocatos intra urbem mox recepit. Deſiderati & ex noſtris prælio eo aliquot fuerunt, cum valle ab hoſtibus occupata circumventis auxilium ferri ab aliis non potuiſſet. Piont-

kovius

kovius nobilis eques captus, ac ab hoſtibus abductus fuit. Orinſcius cum diu fortiter hoſtes ſuſtinuiſſet, globo è ſuperiori loco per humerum & inteſtina trajecto, perijt. Petrus Grudſceſcius cum per hoſtes manu viam ſibi patefeciſſet, adque noſtros jam & ipſa pene caſtra in tutum penetraſſet, è muro tormenti cujusdam majoris ictu interemptus fuit.

Ex Ungaris equitibus Franciſcus Kobor & Barrabas Balog viri militares ceciderunt. Quod niſi ſubſidij iis, qui cum Orinſcio circumveniebantur ferendi cauſa, celerius à caſtris progrediendum noſtris fuiſſet, facile univerſas copias hoſtium ad ipſa caſtra pertrahi, iisque deletis debellari ferè tum potuiſſe, minimè dubitandum videbatur. Erat is quartus menſis Januarij dies. Sub noctem Samoſcius, quòd maximè omnes Moſcos cupidiſſimos ſuorum humandorum ſciret, Nicolaum Vrovecium in loco prælij excubare, ac ſi fortè hoſtibus ad tollenda corpora egreſſis, gerendæ rei facultas accideret in omnes occaſiones intentum eſſe jubet. Ea nocte nullam in partem ſe commoverunt. Altera Martino Lesnovolſcio notæ virtutis præfecto negotium dat; qui cum quibusdam urbe egreſſis, ac proxima, quæ ad eam jacebant, cadavera ſubtrahere incipientibus unâ cum altero equite ſe oſtendiſſet, celeriter in urbem refugerunt; ſemperq; poſtea intra mænia ſe continuerunt. Samoſcius rei gerendæ nullum amplius locum futurum, quodq; pietati ſeu humanitati deberi arbitrabatur, ultro hoſti offerendum ratus, ad obſeſſos mittit: poteſtatem ſe illis mortuorum facere; ac vel per militem comportari corpora, ac tradi iis juſſurum, aut ſi ipſi per ſe tollere ea velint, fide publica integrum id illis futurum oſtendit; qui in muris erant, laudibus hanc ejus pietatem Chriſtianiq; animi ſenſum magnopere extollebant; reque cum Suiſcio communicata ut ſequenti die circa meridiem ad ſe redeat, quo ea de re conſtitui poſſet, rogabant.

Ad tempus Stanislaus Solkevius adoleſcens ſingulari ingenio præditus, Melchior Saviſſa ſtabuli Samoſcij præfectus, alijq; nobiles juvenes Thracicis generoſiſſimis equis vecti ſplendidiſſimeq; omnes ornati injuſſi unâ proficiſcuntur. Agnoſcit ex transfugis Solkevium quidam: Oſtendit hoſtibus, præterquam, quòd præter ætatem, eximiam in eo indolem atq; ingenium perſpiceret, in ſecretioribus rebus ad Regem referendis ipſius plerumq; opera uti. Hac re Moſci inducti, mutato conſilio, ac pietatis in defunctos officio, præſenti quod oſtendebatur, commodo poſthabito, verbis rem extrahunt; interim majores ſclopetos complures, & quingentos circiter ſclopetarios in muro clam diſponunt. Solkevius cùm variè rem duci animadverteret, ut tandem ſe explicent, eos hortatur: continuo unus è ſclopetariis coortus ſclopeto in Saviſſam irruens, irrito tamen propter armorum firmitudinem ictu eum ferit: Simul cæteri ſclopetos omnes uno tempore diſplodunt. Solkevius, quiq; cum eo erant converſis equis celeriter ſe recipiunt; eos è muris aliis mox ſclopetis, & quò longius provecti eſſent, eò majoribus indè tormentis hoſtes perſequuntur. Incolumes nihilominus in caſtra noſtri redierunt; quòd tantum globorum nimbum evaſiſſent, omnibus mirantibus. Jam antè Joannes Oſtromecius, qui ad tormenta cum aliis curabat, hujusmodi rem ad Samoſcium detulerat. In arca ferrea duodecim tubos ſclopetarios, quò citius rumperentur, ex induſtria tenuatos, ordine diſpoſuerat; eosdemq; ſubtiliſſimo pulvere, atque arcam ipſam impleverat; in medio eam ſclopeti partem, quæ rota atque incumbente ſilice ignem ad pulverem incendendum elicit, tenſam paratamque conſtituerat; arca ea in ligneam ciſtam impoſita, fibulam, quæ attracta rotam luxare, ignemq; excitare ſolet, duabus chordis, una ad inferiorem ligneæ ciſtæ fundum, altera ad ipſum ferreæ ciſtæ operculum alligarat; ea ratione, ut ſive ferream arcam ex lignea quis eximeret, ſeu ipſius ferreæ tectum moliretur, neceſſario utraque re fibula commota pulvis inflammaretur, tubisque atq; arca ferrea fracta aſtantes percellerentur. Hanc ſi ita ad Suiſcium miſiſſet, minimè ſibi obtemperaturum, quin eam excuteret ſeque ipſe in fraudem indueret, exiſtimabat. Noluerat tum Samoſcius permittere, ut hujusmodi artibus contra hoſtem res gereretur. Jam publica fide ab illo prius violata, Solkevioque & aliis omnibus qui in conſilio Samoſcio aderant, urgentibus, ut ejus in ſe perfidiam ea ratione ulciſci ſibi liceret, Oſtromecio rem totam permiſit. Hic captivum hominem idoneum nactus, per aliquot dies benignè habitum, tanquam magni ſecreti conſcium facturus juramento adigit, fidemq; ejus ſibi obſtringit.

Fingit Joannem Mollerum, quendam ſe eſſe: cum Farensbekio quondam apud Principem Moſcorum militaſſe: poſtea etiam illo ad Regem ſe conferente, authoritatem ejus ſecutum; ac licet aliquo apud Regem loco eſſet, priſtinam tamen Moſcorum Principis in ſe indulgentiam requirere: eamque ob cauſam interfecto prius imperatore exercitus, cum pro artificio ſuo rei tormentariæ remotis arbitris communicatus cum eo eſſet, ad illum rurſum tranſire in animo habere. Interim ciſtam eam, ut ad Suiſcium perferat rogare: in eam pretioſiſſimas quasque ſuas & alias magni momenti res ſe conjeciſſe; brevi ipſum, opera prius ea, de qua dixiſſet, principi Moſcorum navata ſubſecuturum: magni autem ſua intereſſe, ne priusquam ipſe veniat, ciſta reſignetur.

In eandem ſententiam ad Suiſcium literas perfe-

perferendas illi dat. Moſcus duplici lætitia elatus, quòd & libertatem recuperaturus, & tam gratum nuntium ad Suiſcium perlaturus eſſet, perque excubias ab Oſtromecio traductus ad Suiſcium pervenit; qui cum eo tempore aliis rebus occuparetur, cæteros qui ad conſilium tum fortè convenerant, nullo ad cognoſcendum ſibi ſpatio ſumpto, aperire ſtatim jubet; concurrunt complures rei novitate, atque innata hominibus curioſitate ducti. Ferociſſimus omnium Andreas Chroſcinus alter Palatinus, & æmulus Suiſcij, quemadmodum poſtea cum ex Alexandro qui pace facta ad Pleſcovienſes à legatis miſſus fuit, de quo infra dicetur, tum pace facta ab aliis multis compertum eſt, pede in ciſtam ligneam impoſito, ferream manu ſua ipſe extrahere nititur. Interim fibula convulſa, pulvereq; inflammato, arca ferrea ac tubis disjectis, non modo aſtantes omnes diſſipantur, verùm tecti etiam pars aliqua vi ignis ac fractorum ferramentorum convellitur; Præ cæteris maximè inſignes, Andreas de quo dictum eſt Choroſcinus, & Koſecius periêre. Erat & de Suiſcio ſuſpicio, cùm ex ægritudine per continuos aliquot dies copiam ſui non feciſſet: maximè autem apud noſtros opinio hæc confirmabatur; quòd cum aſſiduè antea in muro verſari, perq; ſtationes volitare ſolitus fuiſſet, nunquam ſe poſtea oſtenderet. Verùm hac de re contumelioſæ poſtea literæ ſcriptæ à Suiſcio ad Samoſcium fuerunt: ab iisque ad ſingularis certaminis provocationem deſcenſum inde fuit. Verùm Samoſcio conſtituto die cum demonſtratis antè inſignibus in deſignatum locum progreſſo hoſtis non prodiit. Diſputabatur nihilominus interim, quemadmodum ſupra oſtendimus, ab utraque parte de conditionibus pacis.

De Sueciæ Rege ab initio jam Moſci reſponderant, non recuſare principem ſuum, quò minus pacem cum illo faciat, verùm debere eum more majorum ad Novogardiæ Palatinum mittere, qui de conditionibus pacis acturus cum illo eſſet: Præter exempla inſtitutaque majorum nihil omnino faciendum ſibi eſſe, qua de ſententia cum deduci non poſſent, inde ad ſummam Livoniæ, cæterarumque arcium utrinque reddendarum conditionem ventum fuit. Plurimum de hac controverſiæ fuit; cùm provinciam, quam novem & viginti annorum bello, multoque ſanguine ſuo vix perperiſſent, & in qua multi Ruſſici generis nati eſſent: plurimi etiam domiciliis conſtitutis inveteraſſent, non minus ægrè quàm ſi de Moſcovitico ſolo ipſo ageretur, reliquerent.

Ad extremum de Derpato atque Novogrodeko Livonica, cum reliquis urbibus, atque caſtellis ferè omnibus ceſſiſſent, vehementer reſiſtebant; quòd in illam religionem ſuam jam invectam, Epiſcopumque in ea à ſe conſtitutum: hanc Divæ virgini matri Pezzurenſi ſacram dicerent. Tandem cum præter expectationem ſuam, minus ad voluntatem ipſorum ad Pleſcoviam res fluere; ac ne ſummam quidem, cùm aliarum rerum ferè omnium, tum frigoris difficultatem ab obſidione noſtros revocare: jamq; maxima hyemis parte exacta mitiora tempora inſtare intelligerent: maximè autem Poſſevinus, qui quò minus ſuſpecta fides ſua apud Moſcos eſſet, cum illis diverſabatur, ne ullo cum fructu in re tam pia tantùm elaboraſſet, ſumma apud utramque partem libertate in pacem incumberet, res convenit. Pacti ut vaſa ſacra Derpato ac Novogrodeko tollere ſibi liceret, nec Epiſcopus ſacerdotesve eorum contumelia afficerentur, univerſa Livonia, quam in ſua poteſtate princeps eorum haberet, deceſſerunt: Regis nomine è contra Lukis, Savolocia, Nevela, aliisq; caſtellis nonnullis, quæ ſuperioribus annis ab hoſte cepiſſet, Velifio ac Polotienſi agro omni recepto illis ceſſum fuit. De Narva aliisq; caſtellis, quæ à Sueco occupata erant, diu diſceptatum fuit, cum noſtri Moſcorum tergiverſatione, in poteſtatem Sueci veniſſe ea dicerent: Moſci nihil ad ſe præſtationem eorum pertinere contenderent; quæ nec ante à ſe inter caſtella Livonica, quæ Regi obtuliſſent, nominata fuiſſent: nec nunc tenerentur. Tandem cum in eo hæreretur, ita controverſia ſuſpenſa, ut juri ſuo in Narvam reliquaq; caſtella, quæ à Sueco tenerentur, minimè Regem defuturum legati teſtatum facerent; Weiſenſteinio autem, quod jam ante Regi Moſcus obtuliſſet, diſertè legati ejus decederent, de captivis deinde actum fuit. Cum Moſci utrinque captivos ſine pretio reddi vellent: Regis nomine, quòd ex Moſcis primarios homines complures, illi ex regiis captivum inſignem nullum fere haberent, Savolocia, Nevela ac Sebeſium, & extremo loco Sebeſium pro captivis poſceretur; Moſcus verò non tantam hominum, quantam poſſeſſionum rationem habendam ſibi judicaret, in aliud tempus, quo ad exigendum in pacem à ſe mutuò Sacramentum legatos utrinque miſſuri eſſent, tota hæc res dilata fuit.

De tormentis & apparatu bellico, quæ in præſidiis eſſent, ita convenit; ut relictis, quæ cum quæque caperentur in iis fuiſſent, quæ utrinque illata eſſent, ſecum quisque deferret. Iis igitur conditionibus decennalis pax perfecta fuit. Cum nec Moſcum in eo amiſſarum provinciarum dolore opportunioribus temporibus per motus aliquos interregni aut alias occaſiones ablata recuperandi ſpes deſereret: & Rex tanta clade atque vaſtitate Moſcoviæ illata, quæ tam paucorum annorum ſpatio reſarciri nullo modo poſſet, ſi Provincia Livonia omnibus interim neceſſariis rebus à ſe firmata bellum Moſcus redintegrare vellet, majores res gerendi facultatem ſibi non præ-

præcidi non molestè ferret. Legati juramento statim eas firmarunt; de Principum juramento, ut majores legati exigendi sacramenti causa primùm à Rege ad Moscum, inde à Mosco ad Regem mitterentur, constitutum fuit. In literis fœderis conscribendis, per aliquot etiam dies controversum fuit; quòd Mosci ab initio universæ Russiæ Ciarium: postea cum de eo jam decessissent, secundum Moscoviæ & Vlodomiriæ aliosq; complures titulos Astrakanensium tamen & Kasanensium Tartarorum Ciarium, Principem suum appellari volebant; nostri præter morem majorum nihil se illi tributuros contenderent.

Jam paulò ante autem Parnaviam, quæ à Suecis obsidebatur, commeatus inopia vehementer laborare, ac vix quatuor septimanarum spatio tolerare Moscos posse, per Thomam Embdanum, aliosq; quorum diligentia in cognoscendis rebus hisce utebatur, Samoscius cognoverat; à Joanne Sborovio præterea, qui maximis vadimoniis, necessariisque suis ac familiæ suæ negotiis, coactus in Poloniam redierat, certior factus fuerat, ad res novas Livones solicitari, rumoresq; spargi, Regẽ si Livoniam recepisset, inter Ungaros universam distributurum. Quod cum id fieri non posse, nisi ipsi omnes sedibus suis everterentur, perspicerent, non parum ea re multorum animos commovèri necesse erat. Proponebantur eodem tempore Sueci nomine edicta, quibus suorum cuiq; bonorum, & quas pristinis temporibus, majores cujusq; beneficiario jure tenuissent, possessionum restitutio promittebatur; adq; possessionem bonorum adeundam, ad quos ea pertinerent, invitabantur. Inter alios Byringius, qui aliquot castella regia in potestate habebat, ut ex Moscis Parnavia decedentibus cognitum postea fuit, literas ad Moscos dederat; quibus si diutius sustinere obsidionem non possent, ut Sueciæ potius quàm Poloniæ Regi dederent, hortatus eos fuerat. In hoc igitur Livoniæ amittendæ discrimine, etsi vel vi tandem, si subsidia sibi à Rege quemadmodum cum eo constituerat, submissa fuissent: aut saltem mense Junio, ultrà quem obsessos non toleraturos, perspectum habebat, fame atque commeatus inopia in potestatem Plescoviam venturam Samoscius non desperaret: ad pacem tamen animum tandem advertendum sibi judicabat. Venerat sub idem tempus in castra à Suecis missu præfecti Narvensis mercator quidam, qui de injuriis, quas finibus suis à milite nostro, qui supra Udovam in Prebusio collocatus erat, illatas dicebant, quereretur. Cui cum præter opinionem Suecorum benignius responsum fuisset, venit postea ad Samoscium à Ponto Gardiano Cagnolus Italus; cujus in Narva occupanda maximè insignis opera extitit: honorificisq; verbis pro Rege Samoscio salutato, ac literis ad Regem à Ponto scriptis illi redditis, ut ad legatos Moscoviticos ipsius voluntate proficisci sibi liceret, petebat. Samoscius etsi quæ in Livonia agerentur, non ignorabat: comitatis tamen suæ apud exterum hominem, rationem sibi habendam ratus, in præsentia humanè ad postulata ipsius respondit: non potuisse in mentem venire Regi, cùm præsertim tamdiu in castris fuisset, nec quisquam à Sueciæ Rege ad se venisset, deinceps legatum ullum missum iri: atque ita nec Regem ulla hac de re mandata sibi reliquisse; nec se sine Regis mandato, ac voluntate quicquam ei permittere posse: literas vel per tabellarium ad Regem missurum: aut si ipse ad eum ire vellet, præsidium se ei adjuncturum. Cagnolus responso hoc accepto, tabellarioq; cum literis relicto ad Pontum se recepit. Eum, tabellario ad Regem è castris nondum profecto, perfectæ pacis nuntius in Livoniam consecutus fuit. Jamque Alexander qui de pace facta Plescoviensibus renuntiaret, à legatis Moscoviticis Sapolia missus ad Samoscium pervenerat; quem cum ad prandium Samoscius invitaret, maximi beneficij loco hàbiturum se respondit, si ad urbem quamprimùm aditus sibi permitteretur. Nam dum ipse epulaturus ibi esset, obsessos interim sanguinem bibituros: his enim verbis utebatur: Pransurum se apud eum, ubi læto pacis nuntio suis impertito, reversus ad eum fuisset. Samoscius præsidio ei adjuncto, ad urbem perduci jussit. Cum sub Pochroviensem turrim, quæ ad Velikam flumen pertinens ab Ungaris tormentis, quemadmodum ostensum est, quassata erat, successisset, ac quis esset ostendisset; tanta eorum, qui in muris constiterant, lætitia atq; gratulatio extitit, ut subitò sublimem raptum in muros extollerent; nullaq; vel suorum vel nostrorum circumfusorum verecundia prohiberi se paterentur; quò minus ad pedes ejus projecti eos oscularentur, Archangelumq; ac pacis nuntium lætis acclamationibus appellarent, ad nostros deinde conversi fratres eos appellabant; utque sine metu propius jam ad se accederent, libereq; vagarentur, invitabant.

Altero die idem Alexander cum aliis nonnullis ex nobilitate ad Samoscium in castra redit: quia pax jam convenisset, ut lignatio sibi libera permittatur, ipse verò quam primùm exercitum deducat, petunt. Respondit Samoscius, etsi de pace transactum esset, literas tamen in quibus conditiones pacis perscriptæ essent, nondum ad se allatas: multo minus qui præsidia traderent, à Principe eorum venisse, convivio deinceps eos excepit. Quod cum lautissimè instructum fuisset, qui maxima apud nostros commeatus inopia laborari sibi persuaserant, omnium non modò necessariarum rerum, verum plurimarum quas nunquam ipsi cognovissent, apparatum eò magis admirati fuerunt. Etenim Samoscius quemadmodum superiori anno fecerat, ita jam

jam initio etiam expeditionis hujus, præter pulverem tormentarium, quo peditatus, quem conscripserat, uteretur, apparatumque bellicum, commeatus quoq; maximam copiam, nonnullam etiam elegantioris victus, externorum hominum excipiendorum causa contraxerat: partemq; ejus, quam Gedani & Rigæ comparârat, à Duce Curlandiæ, civitateq; Rigensi jumentis conquisitis, supra Kokẽhausium, quod tum in hostium potestate adhuc erat, exposuerat; indeq; adverso flumine Disnam, & ulterius Savolociam navibus divexerat: aliam carris deportârat. In eo verò prandio cùm cistæ quoque ad Suiscium missæ mentio facta fuisset, cum de Chroscino, ea quę supra demonstravimus, Alexander præ se ferebat; tum nisi pax interim convenisset, ne ingenio à nostris superati viderentur, vicissim se illis trecenta aurea poma objecturos fuisse dicebat. Id satis apparebat, nullam ferè rem ægrius eos ferre. Jamq; ante priusquàm pacis conditiones cõvenissent, Ungaris propius ad muros succedentibus, sæpiusq; cistam illis exprobrantibus adeò eo commoveri se testabantur; ut cum iidem in flumine glacie adstricto cistam aliquando illis objecissent, crebris tormentorum ictibus doloris atq; iracundiæ suæ flammas in eam ejacularentur, eodem autem modo frequentiùs deinde ad Samoscium ventitabant; à quo cum semper benignè habiti fuissent, ac verò captivorum quorundã permutandorum causa in Procopium Penonscium turmæ præfectum convivium tum fortè agitantem incidissent; qui antea commeatus ac rei frumentariæ difficultate coactum, ultrò Samoscium exercitum reducturum existimarant; ut non modò Imperatorem ipsum, verùm exercitum universum in maxima copia versari videbant; sequenti die Theodorum Mesceodovum aliosq; frequentes ad Samoscium mittunt; ut pace facta exercitum tandem abducat, obsidioneq; urbem liberet, petunt; quod nisi intra triduum faciat, nolle se pace teneri ostendunt. Respondit Samoscius, existimare se pace jam facta non ex animo hæc ab illis dici; quam non ingratam illis accidisse, gratiorem quidem, quam generi hominum ex stipendiis viventi sciret: exercitum cum commodum futurum esset, se abducturum.

Interim Palatinus Braslaviensis ipse in castra venit; nec alia conditione pacem convenire potuisse, quàm ut nulla mora interposita exercitus reduceretur, docuit; reddendarum quoque arcium eas conditiones placuisse, ut aulici ab utroque principe ad arces, quæ restituendæ, quàm primum mitterentur; qui ubi advenissent, rusticorum & agri possessio statim traderetur. Interim ab iis, qui possessionem adirent jumenta decedentibus ad res suas deportandas præberentur; quæ si præbita essent, tum octavo ab adventu aulicorum die, præsidio ipso quoq; decederetur. Si quæ ex vilioribus rebus deportari commodè non possent, eæ consignatæ interim deponerentur, ac primo inde tempore iis, quorum essent restituerentur. Videbat Samoscius magnam hisce in rebus difficultatem. Nam cum in regione continuis bellis vastata, magnam jumentorum paucitatem existere necesse esset, in Moscorum ferè potestate fore intelligebat, pro suo arbitrio restitutionem extrahere. Ut tamen quid animi haberent, periclitaretur, ac fiduciam simul suam iis ostenderet, Ostroviam antequam dies reddendæ ejus venisset, tradi illis jussit; ac licet ea sola in re cum recipiendæ reliquæ Livoniæ, tum pacis stabilitatem omnem positam intelligeret, ut obsidionis & exercitus metu in fide Moscos contineret: ne tamen à se violati jurisjurandi legatorum initium profectum jactare possent, revocatis omnibus ex partibus pabulatoribus, peditatum omnem cum tormentis, ac graviore belli instrumento, Novogrodekum versus, quo in castello deponere ea cogitabat, octo dierum itinere antecedere se jubet. Inde diversas alias turmas ad recipiendas arces Livonicas sigillatim præmittit; eas agmen quod ægris præsidio erat, sequebatur; post id impedimenta agebantur. Ipse cum reliquo exercitu die VI. mensis Februarij Plescovia movit. Spectabant transgredientes copias, partim ex muris atque propugnaculis urbis, partim è ripis fluminis aliisq; eminentioribus locis frequentes Mosci; maxime ultimam hanc exercitus partem admirabantur; quæ cum ad viginti quatuor millia equitum accedere videretur, magis tamen ferè splendore, ornatuq; atque equorum præstantia quàm numero ac multitudine eos in se convertebat: ita plerisq; integris, ut nihil vel parum omnino ex hyemis ac diuturnæ obsidionis incommodis decessisse illis videretur.

Hoc ordine ad Seskelium interim aliosque vicinos pagos supra Derpatum eo consilio exercitum traducit; quòd eo ex loco & in Moscoviam, si pacis conditionibus à Moscis non satisfieret, facilem se receptum habiturum, & in Parnaviam intentum se esse posse judicabat; ac si Suecicæ copiæ, quemadmodum iis denuntiarat, ab ea non decessissent, ex tempore & re ipsa consilium capere. Etenim jam ante, mox à facta pace Joannem Lesnovolscium aliquot cum turmis equitum miserat; qui urbi ac arci præesset, ut ab ea tanquam regij jam juris urbe abstineret, denuntiaret.

Mosci etsi Ostrovam jam recepissent: dies etiam, qua Novogrodekum se reddituros constituerant, lapsus esset: ex industria tamen moras interponebant. Seu quod in exercitum, si fortè dilaberetur, intenti essent; seu quo è remotioribus præsidiis ad extremas oras, finesque ipsos Moscoviæ omnes sui interim convenirent, tutoque res suas deportare possent; ne si primis recedentibus ultimi, qui Kokenhausij, Parnaviæ & in longinquio-

ribus aliis locis erant, tardarent, injuriis ac vexationibus noſtrorum paterent. Quam moram maximo ſuo atque exercitus cum incommodo fieri Samoſcius videns, Vrovecium jam ante cum tormentis Novogrodekum verſus à ſe præmiſſum aditum in caſtrum quærere jubet. Hic cum aditum aliquem amicitiæ ad præfectum ſibi feciſſet, familiariter deinde commeare ad eum cœperat. Itaque aliquanto poſt Samoſcius ipſe, qui interim advenerat, cum Palatino Braslavienſi, ac ſexaginta circiter militibus ſigillatim ſequentibus, rogantiq; ex more portitori, centurionem venire noſtris reſpondentibus, caſtrum ingreditur. Venerat ſub id tempus Petrus Volkoviſcius. Hic cum Palatinum Braslavienſem ex colloquio ad Sapoliam, cui ipſe etiam Volkoviſcius interfuerat, agnoviſſet, incuſasſetq; præfectum, quòd cum centurionem ſe recepiſſe diceret, Palatinum recepiſſet: reſpondit Palatinus, non ſe modò, verùm Samoſcium ipſum adeſſe. Qua re turbatum eum Samoſcius videns; tu quidem inquit caſtrum hoc jam principi tuo perdideras, niſi ex conditionibus pacis ultrò id tradere deberes: nullumq; ea in re dolum à ſe quæſitum, ſed ut caſtrum quod principis ſui eſſet, videret ingreſſum ſe oſtendit: utq; decederet, hortari hominem cœpit. Illo jumentorum inopia incuſante, ex iis equis qui tormenta trahebant, certum numerum ei dat; quibus ſublevatus rebusq; omnibus exportatis, caſtro tradito exceſſit. Eſt Novogrodekum amplitudine quidem non magnum, ſed cum vicinitate Moſcoviæ clarum, tum ob eam ipſam opere, maximè autem triplici muro, crebrisq; turribus ac uno inſigni propugnaculo diligenter munitum.

Inde Seskelium rectà Samoſcius venit; ubi cum per aliquot dies ſubſtitiſſet, dum an Derpatum Sigismundo Rosnio, quem ad accipiendam urbem pro legato miſerat, redditum à Moſcis eſſet, cognoſceret; poſteaquam ne jumentis quidem acceptis, quæ in magna jumentorum inopia à Duce Magno ac aliis conquiſita non parvo numero Samoſcius eò miſerat, decedere Moſcos intelligeret, Derpatum ipſe contendit: inque proximum ad urbem Monaſterium divertit. Inde Nicolaum Zebrzidovium, & Stanislaum Zolkevium filium ad præfectum mittit; ut mox ſe recipiat, urbemque ac arcem ut conventum erat, tradat, poſtulat; quod niſi intra tertium diem faciat, continuò ſe exercitum in Moſcoviam reducturum oſtendit.

Advenerat jam à Moſco Baſilius Halovinus, ex primariis aulicis ipſius. Hic gemitum ducens meminiſſe ſe ejus temporis dicebat, quo Moſcis etiam ferocibus eſſe licuiſſet: moræ tamen cauſam eſſe, quod à jumentis atque carris nondum ſatis paratus eſſet: Itaque, ut ad tridui ſpatium unum ſolum diem adjici pateretur petebat. Cum ex propriis jumentis ducenta circiter Samoſcius illi adjeciſſet, Derpatum quoque XXIV. Menſis Februarij die recepit. Viceſimum nonum jam annum Derpatum Moſcus tenuerat. Itaque ut ab ea, in qua geniti magnam partem eſſent, vel adoleviſſent, maximo cum dolore atque lachrymis plerique divellebantur. Inprimis fœminæ ad ſuorum partim maritorum, partim liberorum, parentum ac propinquorum ſepulturas concurſantes nænias ſuas more ſuo decantabant. Eſt enim omnis gens Moſcovitica, ſi quæquam alia in ſepulchrorum ac mortuorum cultu cumprimis ſuperſtitioſa.

Diverſum autem hac in re ab aliarum gentium inſtitutis hoc maximè habent, ut non ſtatim mortuos ſepeliant, ſed per annum unum loculis conditos in fornicato aliquo cœnaculo aſſervent; ac exacto demum anno multis cum lachrymis ac planctu terra condant. Fuit Derpatum ampliſſima olim Livoniæ urbs; quod vel hodie adhuc publicorum privatorumque ædificiorum cultus indicat. Agrum etiam Livonia Derpatenſi meliorem feracioremq; nullum habet. Priusquam Germani, in Livoniam immigrantes religionem Chriſtianam, linguamq; ſuam ea in loca inferrent, à Sudetibus gente barbara omnis is tractus à mari ſupra Pelbam lacum Pleſcoviam usq; tenebatur: qua cum Ruſſis frequentia bella interceſſiſſe Moſcorum annales narrant. Poſtquam à Chriſtianis ora ea coli cœpit, Epiſcopis usque ad Hermannum Veſſelium paruit. Hunc cum poſt captam Narvam ac Neuhauſium una cum Derpato in deditionem Moſcus accepiſſet, poſtea contra fidem datam in Moſcoviam deportarat; non minori in vivum Epiſcopum perfidia, quàm odio in mortuos uſus; quorum nimirum ibidem paulò poſt & cadavera è templo ſepulchrisq; ejecit.

Urbs aliquandiu deinde à Livonibus & Moſcis æquo jure habitata fuit: aliquanto tempore interjecto cum Livones injuriis Moſcorum coacti in necem eorum conſpiraſſent, Livonibus ut majori Moſcorum numero non difficulter ab iis ſuperatis, ac plerisque interemptis, cæteris in Moſcoviam deportatis, Moſcos ſolos deinde incolas habuit. Jam ante Novogrodeko diſcedentes Moſci ignem fundamentis ſubjecerant; qui mox à noſtris deprehenſus, ſuppreſſusq; fuit. Derpati, quòd præcipua ædificia duo ſunt; arcis alterum, in quo prius Epiſcopus, poſtquam in Moſci poteſtatem venerat, Vladica habitabat: alterum ad principis uſus factum; quod Dux ipſe privatis aliquot primariis domibus occupatis, moreq; ſuo exornatis pro ſe exſtruxerat; cum exiſtimarent, in arcem Samoſcium diverſurum: eorum enim moribus capitale eſt, in principis ædibus quenquam habitandi cauſa eſſe: arci diverſis in locis pulveres ſubjecerant; quorum aliqui intra viginti quatuor horarum

ſpatium, partim intra quadraginta octo abſumptis funiculis incenſi poſt illorum digreſſum tollerentur. Samoſcius cum in principis domum rectà divertiſſet, ruſticorum quorundam, qui in purganda arce occupati erant, nece periculum redemptum fuit. Hoſti nihilominus diligentiſſimè fides conſervata fuit: ac non modo in nullos, qui reliqui è Moſcis in Livonia erant, hanc ob cauſam vindicatum, verum cum puer etiam quidam Pleſcheovi Derpatenſis Palatini propinquus, non tam interceptus à noſtris, quàm more puerorum pueriles quasdam voluptates ſectatus ultra ad eos ſe contuliſſet, vehementerque ea re Pleſcheovus perturbaretur, magna diligentia conquiſitum reddi eum juſſit. Haud alia verò ratione reliquæ etiam pleræque arces, à cæteris præfectis receptæ fuerunt; Moſcis initio, priusquàm de Derpato reddito iis conſtaret, dexteritate potius atque ingenio noſtrorum ex iis dejectis, quàm decedentibus. Derpato recepto ad regios quoq; præfectos, qui Savolociæ, Lukis, ac aliis caſtellis Moſcoviticis præerant, ut Moſcis eas traderent, literæ datæ fuerunt. Ad hanc enim diem nulla à noſtris quoque poſſeſſio præter Oſtrovam tradita Moſcis fuerat; tum autem ex fide omnes redditæ. Interim Gardianus quoq; poſtquam Lesnovolſcius, quæ ſupra oſtendimus, à Samoſcio ei denuntiaſſet, finibus obiter pro arbitrio ei demonſtratis, obſidioneque ſoluta, exercitum Parnavia abduxerat, éque campis contractum per præſidia diſtribuerat. Eodem autem tempore de Veiſſenſteinio quoq; Erneſtum Vejerum & Michaelem Konarſcium ad eum Samoſcius miſit; qui Veiſſenſteinium à Moſco Regi ceſſum oſtenderent, ac non poſſeſſionem ejus impediturus eſſet, quærerent.

Reſpondit iis Regem ſuum ipſum legatos ad Poloniæ Regem de controverſiis hiſce miſſurum. Atque hic quidem belli exitus fuit, minori animo à Moſco geſti, quàm quo vel in prioribus quibusdam uſus fuerat, vel id ipſum ſuſceperat; priſtinaque ejus potentiæ fama requirebat.

Præterquam enim quòd in ſylvis fluminibusque ſuperandis exercitum impeditum, cum facillimè id facere poſſet, priusquam in aperta Moſcoviæ ac viſcera regni ejus penetraret, tranſitu prohibere ne conatus quidem omninò ſit; nullam etiam juſtis viribus pugnandi poteſtatem unquam ab eo factam non paucis mirum viſum eſt. Id ea ne de cauſa fecerit, quòd legatorum miſſionibus ſuorum rei gerendæ tempus eximere ſe poſſe, ac inanibus interim ſumptibus vires Regis minutum iri ſibi perſuaſiſſet; an quòd ſuperiorum temporum fortuna edoctus, parum in acie ſuis ſe committere poſſe ſtatueret: Seu etiam quod ſolet facere Deus, ut quos pro ſcelere eorum punire velit, iis conſilium prius, ac animum eripiat, ipſum quoque perpetuus crudelitatis comes & vindex metus nihil in rebus ſuis ratione providere, aut fortiter ſuſcipere ſiverit non affirmarim. Hoc ſatis conſtat, & ab initio, facillimo momento inter ſylvarum paludumque ac fluminum eas difficultates, Regis, exercitusque impetum vehementer reprimi potuiſſe: ac ſi in ſummum diſcrimen rem adduxiſſet, haud ferè majorem cladem accipi ab eo potuiſſe, quàm dum de ſumma rerum ſolicitus, certamenque omne defugiens diverſis in locis ſingulos ſuos à multitudine exercitus circumventos noſtris objicit, accepta ab eo eſt.

Omni enim Moſcovia à Boryſthene ſupra Starodubam ac Radohoſtiam ad Cernihovam usque: à Duna deinde flumine, quâ Stariciam usque, qua ſupra Novogardiam ad Lahodam usque lacum longè, lateque vaſtata, tot præſidiis expugnatis, multis in deditionem acceptis, trecenta circiter millia hominum interiiſſe: ad quadraginta capta conſtat; ut aliquot vicibus inſtaurari bellum tanto hominum numero potuiſſe videatur. Puerorum quidem quanta multitudo capta ſit, ex eo conjici poteſt, quòd privatus ex nobilitate nullus ferè ſit, qui non unum atque alterum: multi qui plures in ſervitute habeant; quod quidem incommodum ſpecie, quàm ſuperius, minus, re ipſa majus eſt. Juventute enim è quibusdam provinciis, maximè autem Lucenſi, Savolocienſi, Pleſcovienſi, ac Novogardienſi omni ferè ſublata, quæ nunc ab adultioribus coluntur, mox ſobole omni deficiente ultrò deſertum ferè iri apparet. Oppida ac caſtella, quæ ipſe in poteſtate habebat, ultima hac pactione ad octodecim dimiſit; Derpatum nimirum, Felinum, Laiſium, Mariemburgum, Haſſelum, Novogrodekum, Marienhauſium, Ludſenium, Roſſittenum, Trikatum Berſonum, Landeſcum, Sesvegium. Veiſſenſteinij autem cum id à Sueco teneretur, jus atq; repetitionem: quæ verò bello antè capta à Rege tenebantur, numero non pauciora, Polotiam, ac in eodem Ducatu Suſſam, Sokolam, Krasnam, Uſuiatam, Sitnam, Jeſeriſciam, Koſianum, Neſcerdam: Supra Vitepſciam, antiquioris poſſeſſionis Moſcicæ Veliſium, cujus ad centum viginti millia paſſuum ager patet: in Livonia Vendam, Lenovartum, Duneburgum, Pirkelium, Salium, Kirempeſium, Elſenum, Fabianum; cum ipſe ex iis, quæ à Rege armis parta poſſidebantur, Lukos, Savolociam, Oſtrovam, Nevelam, Chelmam, tum ab ipſomet deleta caſtella, Krasnam, Krasnohorodum, Voronecium, Veliam ſola reciperet.

Quibus tamen in omnibus detrimentis nullum fortaſſis majus cenſeri debeat, quàm quod portubus cunctis Balthici maris amiſſis, à Boryſthenis aurem

navigatione jam ante Turcarum armis exclusus, à mari ferè omni præterquam glaciali importuosissimo, ac periculosissimo, atque aliarum ferè nationum Occidentalium, ac Meridionalium commerciis in penitiorem Moscoviam tanquam relegatus; compedesq; quo minus liberè vagari possit, injectæ ei videantur.

Pacato eum ad modum Mosco, nihil prius Rex habuit, quàm ut provinciæ constituendæ causa, ipse in Livoniam Rigam usque procederet. Quem cum XII. Mensis Martij die ingressus fuisset, postridie Samoscius ad eum venit.

Jam ante autem alij etiam Senatores Polonici aliquot, ac Lithuanici satis frequentes comitati eò Regem fuerant. Ad eos Ducem Curlandiæ ac ex nobilitate Livonica quàm frequentissimos literis Rex evocat; quæque ad Provinciæ ejus statum pertinere videbantur, cum omnibus iis communicatis, ut scripto sententiam suam explicarent, hortatus eos fuit. Erant de quibus deliberabatur, capita hæc potissima: de templis cultuque divino instaurando: de Episcopo restituendo: Provincia ordinis judiciorumque causa in partes certas dividenda: magistratibus ac ærario publico constituendo; de quibus cum quid quisq; sentiret ostendisset, Rex etsi non ignoraret, à majoribus suis etiam sine ordinum authoritate provincias ab iis partas privato consilio constitutas: quò tamen gratius beneficium suum esset, si cum omnes operam studiumq; suum ad eam provinciam recuperandam contulissent, ex omnium consilio certa ejus formula describeretur, in comitia totam rem distulit: Legatos tantum partim ex comitatu suo, partim ex nobilitate Livonica designavit; qui provinciam universam inspicerent: agros reditusq; eorum omnes, ac jura describerent, omnibusq; iis de rebus ad se referrent; quò rectius deinceps in comitiis statui de iis posset.

Possessionum autem omnium quatuor genera facienda judicabat; quorum primum esset, quod ad publicam securitatem pertineret, finitimarum artium; quæque ad illas, ut ex propriis proventibus muniri, omnibus necessariis rebus ad defensionem ornari, retinerique possent, adjiciendæ essent; earum alterum, quibus tum Episcopatus cultusque divinus, tum ærarium publicum stabiliretur: tertium earum esse debere statuebat, quæ privatis certo jure deberentur, aut cum iisdem, si hæreditariæ possessiones eorum reipublicæ causa restitui iis non possent, permutarentur: Extremum quibus benè meriti & quorum præ cæteris in hoc bello opera eminuisset, virtutis causa donarentur. Inde militibus magistratus & præfecturæ quæ vacabant collatæ: quibusdam stipendia assignata fuerunt. In toto autem hoc bello id à Rege observatum fuerat, ut si qui in eo periissent, qui publicas possessiones jure aliquo tenerent, easdem liberis eorum quamvis infantibus, partim etiam puellis confirmaret; multis etiam ex plebe cum superioribus expeditionibus, tum maximè hac ob præclara facinora aliqua nobilitatis jus datum fuit; qui cum plerique à Samoscio in insigniorum communionem recipi se peterent, viris fortibus non invitus tribuit, ut cum ipsi ante virtute sua nobilitate dignos se fecissent, à se gentis suæ insignibus non indigni judicarentur; iisque aliqua re auctis, vel minutis, aut aliquantum immutatis, qui id à se petiissent, plerosque donavit. Quibus ita constitutis cum Rigensibus de iis rebus, quas in adventum Regis rejectas supra ostendimus actum fuit.

Occuparat civitas à morte Archiepiscopi Wilhelmi, cùm sedis ac templi Archiepiscopalis possessionem, tum omnia quæ ad id pertinerent, jura ac proventus; adque Augustanæ Confessionis formulam omnia templa revocarat.

De hoc capite ita convenit, ut D. Jacobi & quæ proxima ad illam est, Div. Mariæ Magdalenæ ædes ad Catholicæ religionis usus cum omnibus, quæ antiquitus ad eas aliquo jure spectassent, proventibus redirent: penes civitatem curia, quæ Archiepiscopi fuisset, propè muros urbis sita unà cum domibus Canonicorum, ac areis desertis, quæ ante id collatæ non essent, permanerent; Cum verò census aliqui annui percipi olim publicè iis ex locis soliti fuissent, ut eorum nomine certam pecuniam annuam D. Jacobi ædi ejusdemque sacerdotibus civitas penderet. De vallo, quod contra arcem civitas objecerat, assensum à Rege fuit, ut eo quo nunc esset loco maneret; cumque se quoque ab omnibus partibus arcem vallo circumdaturum ostendisset, id solum adjectum fuit, ut ad ejus modum, quo arcem muniturus esset, urbis quoque vallum æquaretur: ab eademq; arcis parte in muro urbis porta aperiretur.

Inter Curlandiæ etiam Ducem, ac civitatem de navigatione, ac portorio controversia erat; cum ille per fluvium, qui ex ditione ejus infra Rigam in Dunam illabitur usum portus Rigensis, merciumq; exportandarum jus ac immunitatem sibi defenderet, Civitas negaret. Eos ut inter se componerent, hortatus Rex fuit; quod, si convenire non posset, in comitiis cognitum de ea se ostendit. Venerat Rigam & Magnus Dux. Hic ejus quam possidebat, Livoniæ partis confirmationem petebat; atque homagium accipiendum, ac juramentum præstandum sese offerebat.

Ostensum huic, more majorum non nisi in comitiis id fieri posse. Ultimo loco nobilitas desideria sua ad Regem detulit. Quæ cum ad universæ provinciæ statum pertinerent, responsum & huic fuit, humanitatem ipsam postulare, ut cùm ordines regni tantum laboris, atq; sumptus in provincia ea liberanda suscepissent, ne sine eorum authoritate iis de rebus statueretur.

Angebarur potissimum animo Rex, ne cum Moscus, qui in finibus Livoniæ ex præsidiis Livonicis, quæ deduxerat, non contemnendas copias coactas habebat, Narvam iis oppugnaturus diceretur; si minus fortè paratus tum Suecus esset, minusq; ad resistendum virium haberet, utriq; eam perderet. Itaq; mox Petrum Visgerdum Lithuanum cum literis ad Moscum mittit; ostendit, accepisse se ex legatis suis, quos Sapoliæ habuerit, pacem inter eos, atque ipsius legatos certis conditionibus convenisse: eam se ratam habere: cum autem arces Livonicas, quæ à Sueco tenerentur in conditionibus præteritas intelligeret, si à Mosco oppugnarentur, jus suum ac Reipublicæ, quod semper excepisset, negligere se non posse: id se pro sua fide ac religione dissimulare non debuisse: hortari ne fortè ea res pacem turbet, ut dum majores legati, qui pacem utrinque firmaturi sint, ac si quid dubitationis in conditionibus adhuc sit, de eo cum illo conventuri, ad eum perveniant, omnem vim ab illis abstineat. Constituerat iisdem de rebus Regina ad Sororem Sueciæ Reginam, per Christophorum Varsavicium literas dare.

Cum tardaret, Rex qui in ea, cum voluntatis Mosci, tum aliarum rerum incertitudine nullam moram interponi volebat, non dubitandum sibi existimabat, quin Dominicum Alamannium Culinæ præfectum, quàm primùm ad Suecum mitteret; præ cæteris idoneum ad legationem hanc ratus, quòd ab eo jam tempore, quo primum de matrimonio inter Regem Sueciæ Ducem tum Finlandiæ & Reginam Catharinam per Joannem Baptistam Thencinium potissimum actum fuerat, Alamannius, qui in familia Thencinij tum fuisset; indeq; tam Regi quam Reginæ notus esset; Reginæ etiam, apud quam potissimum negotia hæc propter summam cum regno Poloniæ necessitudinem, & quod non parum apud maritum posse existimabatur, agenda videbantur, non ingratus putaretur. Summa legationis erat, ut repetitis iis, quæ ab initio belli utrinque intercessissent, tertij anni bellum nullam aliam ferè ob rem, quàm solam Narvam ac ut communi pace Suecus comprehenderetur, à Rege susceptum ostenderet, reliquam enim Livoniam ferè omnem legatione Vilnam ad Regem missa jam ante Moscum cessisse; eò magis contra opinionem Regis accidisse, quod dum ad Plescoviam cum exercitu Rex esset: quò iturum se pro mutua necessitudine amicè ante ei aperuisset: hostemque ab omni auxilij suis in Livonia ferendi facultate exclusisset, cùm ab aliis potius partibus in Moscoviam illum irruptu- rum expectasset, non modò Narvam, ac vicina castella, præsidiario milite, quem Plescoviam, ex præsidiis omnibus hostis contraxerat, nudata, commeatuq; ac omni spe auxilij destituta; sed Veissensteinium quoque quod jam hostis cessione Regis esse scivisset, dissimulatis literis regiis, ac iis ferè copiis, quas Gedani magna ex parte ministri ejus conquisiverant, occupasset; Parnaviam obsedisset: Potuisse Regem, si id tentaturum eum præscivisset, & sumptu & labore ejus anni belli supersedere: jam verò & cursum rerum præclarè contra Moscum geri cæptarum, & obsidionem Plescoviensem, cujus cum graviorem partem jam superasset, facilè reliquam etiam superaturus fuisset, interrumpere, ac sine ipso etiam pacem facere necesse habuisset; ne dum pro ejus commodis laboraret, majus in Livonia incommodum, de qua solum bellum tum erat ab eo acciperet; pro quibus injuriis omnibus ut Regi reiq; publicæ satisfaceret, postulare jussus fuit.

Secreto mandatum ei fuit, ut cùm hæreditatis Sigismundi Augusti: Pecuniarum ei creditarum: dotis ab eodem promissæ, nec dum numeratæ, aliarumq; rerum quarundam petitionem Suecus relaturus existimaretur, ostenderet quidem, aliam earum rerum petendarum rationem esse, certumque de iis jus, ac morem judiciorum antiquissima regni consuetudine receptum: aliam injuriarum, quibus ab illo Rex affectus esset; quæque cum iis rebus nihil commune haberent: Si tamen ita animatum videret, ut de Revalia quoque ac omni jure Livonico simul decidere paratus esset; dotis & mutui, quod peteret, solutionem sine ulla exceptione ei promitteret: reliquarum controversiarum disceptationem communibus arbitris Regem permissurum: ut communi etiam pace comprehenderetur, apud Moscum elaboraturum ostenderet; quod sine iis quidem conditionibus permoveri se pateretur; vel pacem cum Mosco certam opera Regis ei fore, vel mille equites in bellum Moscoviticum, sumptu suo Regem ei præstiturum; reciperet: ex eorum nimirum genere, qui beneficiis Sigismundi Augusti ornati, haud inviti in militiam eam conventuri essent, idque pro libertate gentis Polonicæ salva pace publica suo arbitratu facere possent: Stipendio autem ac sumptu Regis tamdiu futuri apud eum essent, quoad eadem pace, quam cum Rege haberet, ipsum quoque Moscus comprehenderet; quod si eo tempore de Livonia, quam teneret, universa transigere Suecus alienum existimaret; docere jussus fuit, non recusaturum Regem, quo minus communium amicorum interventu quicquid inter eos esset cõtroversiæ, componi pateretur: Si quid etiam debere illi videretur, præstaret: modo de Narva interim in omnes casus utriq; satis prospiceretur:

ne dum ipſi inter ſe de ea diſceptarent à Moſco occuparetur. Id ea ratione commodiſſimè fieri poſſe, ſi Regis præſidium in eam immitteret. Cum enim Moſcus propter pacem, quæ cum Rege ei eſſet, ſi præſidium regium Narva receptum fuiſſet, oppugnare eam non poſſet, non modo Narvæ, ſed aliorum etiam præſidiorum ſuorum Livonicorum, quibus Narva objecta eſſet, ſecuritati ſine incommodo ac moleſtia ſua eum conſulturum: Simulq; omnibus copiis ſuis conjunctis, ad defendendam Finlandiam longè futurum paratiorem; ſi nec arces controverſæ contra vim hoſtilem defendendæ ei eſſent, nec copiæ in diverſa præſidia diſtrahendæ. Interim de arbitris inter ſe conventuros: & vel minutum controverſias omnes eorum interventu iri; vel ſi tolli eæ non poſſent, Regem Narvam illi redditurum, aliasque juris ſui perſequendi rationes initurum; ne verò fraudi ei eſſet, quòd propter commune periculum, Narvam ſibi tradidiſſet, idoneè in eum caſum ei cauturum.

Profecto jam Alamannio, Varſavicius cum literis à Regina Rigam venit. Dedit & huic Rex eadem ferè, quæ Alamannio data fuerant, ad Succiæ Regem mandata. Juſſit autem, ut ſi priorem legatum aliquid conſtituiſſe intellexiſſet, non expoſita legatione ſe reciperet: Si infecta re dimiſſum comperiſſet, oſtenderet; quòd majores legati eo ipſo tempore in Moſcoviam à Rege mitterentur: comitia etiam brevi indicturus Rex eſſet; ſummam illum, & ut pace à Moſco comprehenderetur, & de aliis rebus ſuis cum ordinibus agendi facultatem habiturum: hanc cauſam fuiſſe Regi, ut etſi jam ante iiſdem de rebus legatum ad eum miſiſſet: tamen & Reginæ conjugis ſuæ precibus, & mutua neceſſitudine adductus, denuò ſe ad illum mitteret: hancq; explicandarum omnium harum controverſiarum opportunitatem ei ſignificaret. In conditionibus nihil, quemadmodum oſtenſum eſt, mutatum fuit. Antequam Riga Rex diſcederet, majores legatos, de quibus dictum eſt, in Moſcoviam deſignavit, Joannem Sbaraſium Palatinum Braslavienſem, Nicolaum Taluoſſium Caſtellanum Samogitiæ, Michaelem Haraburdam. Mandata hæc iis data fuerunt, ut juramento in pacem à Moſco exacto, de Sueciæ præterea Rege eadem pace comprehendendo agerent. De Narva autem, ac aliis caſtellis Livonicis, quæ à Sueco tenerentur, ſi tentaturus ea Moſcus eſſet, quemadmodum per literas Rex jam oſtendiſſet, non defuturum iis Regem, vel etiam pacem, ſi id fieret, ratam habiturum teſtificarentur.

De captivis quia ante Moſcus poſtularat, ut utrinque pariter captivi redderentur, non parem utriusque captivorum rationem eſſe oſtenderent; cum in Regis poteſtate præcipui ipſius ductores eſſent; Ille ex Regiis inſigniorem nullum: ex nobilitate paucos: reliquos ex promiſcua plebe haberet. Itaq; ut vel Savolociam ac Nevelam, aut alterutram ſaltem earum Regi pro illis permitteret, poſtularent; cum ante integrioribus adhuc rebus ſuis pro paucioribus captivis Uſuiatam ac Jeſeriſciam obtuliſſet, quarum hæc nondum tum in poteſtatem Regis veniſſet; vel cum ipſe ante Sigismundi Auguſti temporibus certa pretia in ſingula capita exigere ſolitus fuiſſet, eodem exemplo ſuo ſuos nunc redimeret. Revenit ſub idem tempus Rigam à Moſco ad Regem Poſſevinus, multis incommodis & ærumnis peregrinatione ea perfunctus. Laborarat hic potiſſimum apud Moſcum de diſſenſione, qua à Romana Eccleſia, ſicut cæteri Orientales plerique ita Moſcus quoque diſſidet tollenda: adque Eccleſiæ communionem eodem reducendo: tum pro ſuo in rempubl. Chriſtianam ſtudio, fœderis contra Tartarum cum Rege ſanciendi ultrò mentionem intulerat; quidque animi Moſcus de conjungendo contra barbaros bello haberet, explorarat. De extremo hoc oſtenderat Moſcus, pacem jam cum Tartaro ſe feciſſe. Venêre una cum Poſſevino Legati ad ſummum Pontificem ac Rudolphum Rom. Imper. à Moſco miſſi: alter item quem Conſtantinopolim, cum muneribus quibus cædem filij expiaret, ad Patriarcham Conſtantinopolitanum ablegârat. Utrisque literæ commeatus publici datæ fuerunt. Remiſit iisdem etiam fere temporibus ad Regem Matthiam Prevoſtium; qui cum literis, quibus ipſius Rex reſpondebat, de quibus ſupra dictum eſt, Savolocia ad eum miſſus fuerat: & mercatores, quos per tempus belli retinuerat.

Ad literas paucis reſpondit; intelligere ſe, eas in medio ardore belli ad ſe datas, aſperius aliquantò ſcriptas eſſe: jam cum pax atque amicitia utrinque reſtituta ſint, ad eas, quas bellum tum nonnihil exaſperarit, pacis tempore reſpondere neceſſe ſibi non arbitrari; quòd eum etiam, qui literas attuliſſet, tamdiu retinuerit, cum propter bellum armis viæ omnes obſeſſæ fuerint, fieri aliter à ſe non potuiſſe. Dimiſſis legatis, quos ad deſcribendam provinciam deſignatos ſupra oſtendimus, Vilnam Rex profectus fuit. Ibi legationem Tartaricam audiit, quæ à Mahomete Chiereio Tauricanorum Tartarorum principe haud multò ante venerat. Petebat donativa: de Koſakkorum injuriis & vexationibus querebatur; quæ quidem etſi extiterant non infrequentes: augebantur tamen ex induſtria à Tartaro; quo domeſtici metus, ac vicini periculi ſimulatione longinquam Perſicam militiam effugeret, in quam à Turcarum principe ſub idem tempus evocabatur. Reſponſum à Rege fuit, donativa more majorum datum iri; iiſdemque quibus antea fuiſſet, legibus, pacem cum illo futuram. De Koſakkis idem etiam, quod ante aliquoties oſtenſum; manum hominum ex diverſarum gentium colluvie coactam, vagam, ac nullis certis ſedibus conſiſtentem, nullius etiam in poteſtate eſſe: ut tamen quantum fieri ejus poſſet, ab injuriis & infeſtatione prohiberentur, ſedulò ac cum fide operam datum iri. Inſolentius id à barbaris acceptum fuit, reſponſoque audito, princeps legationis in ipſo quaſi diſceſſu publicè teſtificatus eſt, ut omnia fierent, niſi tamen Koſakki in officio continerentur, pacem ſe non ſervaturos. Jam ante minoris Poloniæ, ac Ruſſiæ nobilitas, legatis miſſis, de tributo in ſuis conventibus à ſe decreto certiorem Regem fecerat. Hoc verò tempore priusquam Vilna Rex diſcederet à majoris quoque Poloniæ, Moſcoviticæ item, ac Podlaſſicæ nobilitatis legatis aditus, de ſimili tributo in illis quoque conventibus ſancito cognoſcit.

Gratiæ utrisque actæ, deque animo in rempubl. Regis optimè ſperare juſſi fuerunt; cujus conſtituendæ ac Livoniæ ſimul, quam communi omnium conſilio, ac ope partam, communi etiam ordinum judicio Rex reſervaſſet, ordinandæ cauſa intra eum ipſum annum comitia Regem habiturum in reſponſo ultimis hiſce dato adjectum fuit. Quibus de cauſis, quibusque cum mandatis tum ad Moſcum Visgerdus Lithuanus, tum ad Succię Regem Alamannius à Rege miſſus fuerit, ſupra oſtendimus. Moſcus literis Regis, quibus, ut à Narva cæterisq; Livonicis præſidiis abſtineret, hortatus eum Rex fuerat, ſtatim aſſenſus fuit. Apud Suecum ingrata legatio fuit: nec multum in Regina etiam ad mitigandum animum ejus præſidij fuit; cùm præterquam quòd iracundia ejus omnes ad placandum eum aditus omnibus obſepſerat, de injuriis, quibus ob non præſtitam dotem hæreditatemq; fraternam, ac non comprehenſum pace maritum affectam ſe exiſtimabat, ultro quereretur. Itaq; cum ea Alamannius inde renuntiaret, ex quibus iſtas quoque res ultra ſuperiores injurias magis exaſperatas appareret, Rex, qui Vilna Grodnam jam venerat, Senatoribus plerisque eò evocatis, ex illorum ſententia comitia eò maturius indicenda ſtatuit, in quibus de Sueci etiam injuriis ad ordines referret.

Interim in Livoniam ad magiſtratus & præfectos, quo loco res eſſent perſcriptum; utq; viderent, ne per negligentiam detrimenti quid acciperetur, moniti fuerunt; cum Lithuanis actum, ut ſi quis præter opinionem in vicina Livonia motus accidiſſet, ſuppetias ferrent: cum Duce item Pruſſiæ; ut finitimo & ipſo Livoniæ principe per Reinoldum Heidenſteinium eadem communicata fuerunt. Cumq; majores legati ad Moſcum miſſi, quibus mandata de pace Sueciæ Regi apud Moſcum conficienda, data ſupra oſtendimus, in itinere jam eſſent; ne ullam ejus rei mentionem facerent, & ipſum rem ſuam agere permitterent, per celerem tabellarium ſignificatum iis fuit. Grodna ſub menſem Auguſtum Varſaviam Rex proceſſit; eò Varſavicius quoq; è Suecia eodem, quo Alamannius, legationis exitu ad eum venit. Ibidem verò dum comitiorum diem expectat, Jancala Valachiæ Palatinus in poteſtatem ejus venit. Hic quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, è Saxonibus Tranſilvanicis, loco humili & obſcuro ortus. Valachiæ principum genus ementitus fuerat, Achmetis autem Baſſæ opera provinciæ ejus principatum nactus, cum ab initio ſtatim, quo animo erga Regem futurus eſſet, oſtenderat; Præterque deceſſorum ſuorum morem nullos unquam legatos ad Regem miſerat; tum poſtea variis injuriis Regem, hominesque ejus affecerat: literas Regias ad Turcarum Imperatorem aliquoties interceperat: reſignarat: reſignatas remiſerat: Regem Senatumq; regni omnibus modis in odium ac invidiam adducere conatus fuerat: in finitimas aliquot villas nobilium latrociniis, ferro, ac incendio graſſatus fuerat: homines regios, qui rerum ſuarum repetendarum, jurisq; obtinendi cauſa ad illum veniſſent, pulſatos in carcerem conjecerat; quibus injuriis cum Rex permotus, quemadmodum ante oſtendimus, Turcarum Imperatorem de iis appellaſſet; utque illum à Valachia, à finibus moleſtiam hanc amoveret, ex dignitate alioquin ſua conſilium capturus, poſtulaſſet, res dilata fuerat.

Masovitiæ

Hoc tempore in aulam Turcicam ſucceſſore ei ſummiſſo evocatus, compilata provincia, omnibusq; rebus convaſatis, ac manu aliqua hominum facta in Cæſareæ ditionis Ungariam transfugere conſtituerat; qua recta transeundum illi erat à Tranſilvanis obſeſſas vias exiſtimabat. Itaq; cum ambitu capto per Pokutiam Polonicæ ditionis provinciam perrumpere conaretur, atque ab ea parte Nicolaus Jaslovecius præfectus Sniatinenſis, alijque nonnulli ex ditionibus regiis fama fugæ ejus exciti eum perſequerentur, ab iis captus Leopolimque deductus fuit. Scripſit mox Rex ad Nicolaum Seniavium qui finitimæ militiæ in Ruſſia præerat, ac Nicolaum Herbortum præfectum Leopolienſem, ut jure gentium ſupplicium de eo ſumerent bona publicavit: miſitq; quæſtorem Palatij Hiacynthum Mlodſevium, qui in publicum ea redigeret; uxori & liberis alimenta annua conſtituit. Appetiit interim tempus comitiorum. Ea in ante tertium Menſis Octobris Rex indixerat. Nam cum in adventum tantum majorum legatorum, quemadmodum Rex poſtularat, oppugnandæ Narvæ impetum ſuum repreſſurum ſe Moſcus promiſiſſet, ne ſi majores legati idem tenere non potuiſſent ad conſilium pro tempore capiendum imparatior eſſet, non committendum ſibi arbitrabatur, quin primo quoque tempore ad ordines de eo referret.

Præterea verò provincia Livonia magiſtratibus ac legibus fundanda, præſidiis, commeatu, inſtrumento omni bellico, aliiſque contra repentinos caſus ad defenſionem neceſſariis rebus providenda erat: munitiones collapſæ inſtaurandæ: novæ inſtituendæ: quæ & in regione partim continuo tot annorum bello vaſtata, partim ab hoſte ita tradita, ut quæ armis ab invitis exprimuntur, tradi ſolent, omnia deerant: & Rex ex omnium ordinum ſententia quemadmodum ſupra oſtendimus conſtituenda ſibi exiſtimabat. Adhæc nonnihil Tartari etiam, de qua ſupra dictum eſt, bellum denuntiantis oratio eum commoverat. Ad quam cum crebri etiam rumores ex Ruſſia de tumultu allati acceſſiſſent, ita ut in procinctu jam Tartari eſſe nuntiarentur, jam ante quidem viginti duas turmas equitum, qui ad Pleſcoviam ſtipendia fecerant, ad Seniavium præfectum militiæ Ruſſicæ præmittere Samoſcium juſſerat. Ut verò in præſentia arma ab illis non ſumerentur: qui tamen facili momento impelli eos videret, ut in ditiones ſuas transirent, dignitatis nihilominus ſuæ eſſe ſtatuebat, ut pro fama rerum à ſe geſtarum ea conſilia ſuſciperet, quibus illos ſuis quoque rebus timere faceret; remque publicam non modo ab incurſionibus eorum, ſed metu omni vaſtationum in perpetuum liberaret; rationesq; quibus id ſalva pace Turcica fieri poſſet, proponere, de iisque cum ordinibus agere in animo habebat. Stipendia præterea militi ſolvenda erant. Etſi enim in conventibus particularibus tributum hanc in rem decretum fuerat: longè minus tamen ex illo redigebatur, quàm in ea ipſa, ac alia debita nonnulla ſufficeret; resque per ſe opinione minor, exactorum præterea quorundam ſeu negligentia ſeu culpa, quòd vel minus quàm deberent, vel tardius ea inferrent, minui dicebatur de quibus & ipſis ut cognoſceretur, neceſſario ad ordines referendum exiſtimabat. De certa interregnorum ac electionum ratione ſtabilienda, etſi quid publico nomine ſuperioribus comitiis à ſe poſtulatum fuiſſet, & ipſe recepiſſet, memoria teneret: hoc tamen tempore, quo ſuperiorum interregnorum vulneribus nondum plane cicatrix obducta eſſet, ad eas res accedere, quæ ſine eorum vulnerum attrectatu agitari non poſſent, intempeſtivum ei videbatur.

Etſi autem idem majoribus quoq; Senatoribus plerisque, cum pro more per literas prius ſententias eos rogaſſet, videretur: quod tamen prioribus comitiis enixè id à ſe nuntiis nobilitatis petentibus relaturum ſe de eo recepiſſet, non poſſe ſe jam à priori promiſſione ſua recedere exiſtimabat; eademque cum de concordia etiam inter ſacrum & profanum ordinem tentanda ipſius ſententia fuiſſet, ut ab ejus temporis ratione alienam tractationem eam exiſtimaret; iisdem quas oſtendimus, de cauſis, id tamen caput etiam ferendum ad ordines ſuſcepit. Addidit his ſi quid judiciorum rationi deeſſe videretur, aut quam illa emendationem deſiderarent, operam ſuam hac quoque in re reipublicæ non defuturam, quæ quia magis ut ordinum ſtudiis, ac ſuæ in eos voluntati ſatisfaceret, adjecerat, ſummam deliberationem omnium ad ea quæ priori loco recenſuimus, capita referebat.

Hæc poſtquam primò ad Senatores, indè ad conventus nobilitatis, qui in ſingulis Palatinatibus ante comitia ex more haberi ſolent, delata fuerant, non eodem ab omnibus animo accepta fuerunt; iidemq; ferè animorum motus, ac hominum ſermones renati, quos in ſuperioribus comitiis nonnullis, extitiſſe oſtendimus. Alij quod ſuffragio ſuo in electione Regem ſublevaſſent, cum regnum ipſum eum ſibi debere exiſtimarent, minus vel ſe expectatione ſua, vel quæ ipſi concupiſſent, alios conſecutos dolebant. Non pauci ad hos diverſarum partium ſuperant, qui in ſuperiorum interregnorum contentione victos ſe meminiſſent. Quidam qui in concionibus, ac conventibus nobilitatis plurimum hactenus potuerant; nomen gratiamq; in vulgus ac opes inde paraverant, omnia præmia in milites conferri muſſitabant: iis artibus quibus ipſi plurimum pollebant, nullum amplius locum relinqui moleſtè ferebant. Univerſæ verò nobilitatis animi, ut qua quisq; re maximè permovebatur, ita variè afficiebantur. Alij non id agi jactabant, ut de modo aliquo electionis tractaretur; interim cum regio imperio alienæ potentiæ vicarius ac adjutor conſtitueretur, Samoſcium notantes: huc devinctos beneficiis milites ſpectare: retentos in pace ex iisdem non paucos à Samoſcio, ut oppreſſa per metum nobilitate per vim ac arma regnum occuparetur.

Diverſum de religione ſentientibus libertatis ejus imminutio, circumſcriptionisque metus objici. Judiciorum emendatione non correctionem aliquam à Rege quæri, à nonnullis diſputabatur; ſed quo cùm in univerſum ea ſuſtuliſſet, ad ſe denuo ea transferret, omniaque ſecus omninò accipiebantur; Ita ut alia ejusdem rogationis capita, quæ regiis opponerentur, detorto ad metum injiciendum ſenſu in vulgus à quibusdam ederentur: erumpente nonnihil inter hæc invidia etiam in Samoſcium. Publicè quidem plerique honores Ungaris collatos exagitabant; Landskoronam ferè deſignantes, quam vidua Gaſparis Bekeſij marito, qui in caſtris ad Polotiam ob virtutem jure nobilitatis Polonicæ donatus fuerat, ac fratre ejus Gabriele, qui in irruptione Pleſcovienſi perierat, amiſſis, unà cum orbis liberis tenebat; & ſub id tempus Franciſco Veſſelinio nupſerat. Interim non deerant, qui Regi, ſi de ſucceſſore agi vellet, operam ſuam ultrò deferrent, cumq; Rex, etſi ita de Republica ſe meritum ſciret, ut non minus, quàm aliorum Regum, ſuæ quoque familiæ ratio haberi deberet: ab hoc tamen tempore id tentare alienum, ſtudiaque ordinum ultro potius expectanda ſibi exiſtimaret; ſpretos ſe rati: ac aliorum opera confici id poſſe Regem ſperare, eò magis incendebantur. Nobilitas etſi quid maximis Regis in ſe ac Rempubl. beneficiis deberet, agnoſcebat: libertatis tamen aliarumq; chariſſimarum quarumcunq; rerum metu injecto hæſitare; cunctantiusq; agere: omnia denique ſuſpecta habere.

His igitur animis cum in comitia ventum eſſet, Samoſcius pro munere cancellarij verba nomine Regis faciens orſus à voto, quod cum ex ſuperioribus comitiis diſcederetur, ipſi feciſſent, quoque ut ſalvus atque incolumis ab expeditione ea Rex ad ſe rediret, ac ipſi lætis animis in mutuos amplexus ruerent, optarant; quod à Deo contenderant, ita cumulatè iis præſtitum, ut non modo incolumem ſalvo exercitu, ſed re etiam benè geſta, immortalique gloria parta, reverſum ex hoſtico Regem viderent: quod in ipſorum poteſtate totum fuiſſet, ut mutuis gratulationibus, ac fraterna benevolentia ſe exciperent, certorum hominum malevolentia impeditum ait, quorum opera id factum ſit, non arbitrari: nunc ſibi inquirendum: videre autem jam Petilios in Republ. quosdam exiſtere: Optandum ne mox Catilinæ etiam aliqui exiſterent, quæ præfatus, domeſticarum rerum nihil aliud hiſce comitiis proponendum ſibi Regem ſtatuiſſe docet, quàm quæ ipſi non modò vivente adhuc Sigismundo Auguſto, ac ſuperioribus comitiis Andreiovienſibus, ut ferrentur, ſanxiſſent; ſed poſtea etiam cum ſæpe alias, tum in proximis comitiis flagitaſſent: Itaque illorum precibus Regem adductum de modo liberæ ac ordinatæ electionis referre. Cum de ratione certa eligendorum Regum ſtatuere eos debere diceret, non id dicere, ut de relinquendo jure electionis, ac patrimonio hoc libertatis, quo nihil à majoribus eorum relinqui iis potuerit præſtantius, cogitarent: ſed quomodo eam, quàm maximè integram conſervarent; & in perpetuum munirent, quæ cogitatio num neceſſariò ab illis ſuſcipi debeat, non aliorum exemplis, confirmandum ſibi exiſtimare: eos ipſos, ſi ſuperiorum interregnorum actiones, ac graviſſimum diſcrimen, in quod Respublica adducta tum fuerit, ſecum perpendant, æſtimaturos: nullam hic Regis rem agi, ſed propriam ipſorum: optare tamen ſe, ne huic ſuo tempori deſint, ſuperiorumque annorum benignitate divina, qua mirabiliter Rempubl. conſervatam intelligant, ad futurorum potius conſiliorum ſpem ſe erigant, quàm ad ſecuritatem ac negligentiam abutantur.

Quòd ſi artibus quorundam in ſuſpicionem mentes eorum adductæ, quemadmodum ægri ſalutares cibos, ita ipſæ ſana conſilia concoquere non poſſint, totum in ipſorum poteſtate futurum; ſeu ſtatuere quid hac de re velint, ſeu omnino eam relinquere. Eandem de altero capite, concordia inter ordines facienda, quod ſecundo loco proponendum Rex judicaſſet, ſententiam ejus eſſe. Optimè ipſos meminiſſe, quo ſtudio & in Andrejovienſi conventu, ut deinceps de eo referretur, egiſſent, & quantopere poſtea idem à Rege contendiſſent.

In communi omnium ferè regnorum, ac horum temporum fato nos præcipua tamen fortuna uſos, ut concordiam civilem egregiè huc usque tutati ſimus: hanc hiſce rebus ferè retineri: ut ab injuriis & contumelia utrinque abſtineatur: jure ac cauſa cognita non vi aut extra ordinem quid ſtatuatur: maximè verò, ut quid cujusque eſt, omnibus tribuatur: Id autem tam ad bona, quàm ad honores etiam ac prærogativas pertinere: hac una re juſtitiam perfici: Juſtitiam fundamentum eſſe Reipubl. & qua illa contineatur concordiæ. Nemini dubium eſſe, quin duobus hiſce ordinibus eccleſiaſtico & civili reſpub. hæc potisſimum ſubſiſtat. Proinde ipſi, quorum res ageretur, viderent, ſuſcipiendamne an relinquendam hujus rei deliberationem exiſtimarent. Judiciis num quid deeſſet, omnium optimè ipſos, qui in iis verſarentur, judicare poſſe: non poſſe ſane diſſimulari, ita brevi tempore calumnias in iis creviſſe, ut non pauci gravioribus ſtudiis relictis, totos ſe cauſidicis ac captionibus excogitandis, quibus alios irretirent, dare dicantur. Regem operam ſuam, ſi qua in re emendatione opus habeant, iis detuliſſe: qua, ſi placeret, uterentur: invitis Regem eam non obtruſurum. Ingresſus deinde in orationem de Livonia, ſtatuque omni ejus demonſtrato, quidque cum Moſco hactenus de locis, quæ à Sueco tenerentur, actum eſſet, commemoratisq; Sueci injuriis eò potiſſimum incumbit, ut quo nullum in ea vicinum inveteraſcere patiantur, iis perſuadeat: omnem ſocietatem imperij infidam: in provincia nuper parta, dum animi hominum adhuc dubij, nondum legibus ac inſtitutis coaluerint, periculi plenam: neminem prudentem in novam provinciam ejusdem præſertim cum indigenis linguæ ac nationis vicinum admiſiſſe; aut qui admiſerit, non eum ſtatim pœnituiſſe.

Inde de Tartari minis Koſakkorumque, qui ſubinde bellum Reipubl. conflarent, injuriis refert. Fuiſſe Superioribus comitiis rogationem latam, qua extraordinaria Jurisdictio ad certum tantum tempus permiſſa Regi fuerit: aut illos in officio continendos, aut de bello cum Tartaris ſuſcipiendo cogitandum. Extremum de ſtipendiis militum fuit. Scitum quidem ſuperioribus conventibus tributum; id num in ſtipendium, ac nomina apud exteros Principes facta diſſolvenda: in defen-

defenſionem Livoniæ: bellum Tartaricum ſufficere: per quos item ſtetiſſet, ut tardius & minus quam deberet, illatum fuiſſet, ipſi inquirerent; in erogando quidem & fidem, & diligentiam ſummam reperturos: ita milites meritos ait, ut ante omnia ipſis conſulere debeant, qui pro gloria ac dignitate nominis Polonici non modo cum ferociſſimo hoſte, urbeq; omnibus rebus munitiſſima ſæviſſima hyeme, cum aeris cœliq; injuriis, ac natura ferè ipſa ab omnibus rebus imparati, ac ſeminudi ferè propugnarint: Nihil hic ſe de Livonia dicturum provincia olim florentiſſima, ac nunc etiam omnibus opportunitatibus abundante per ipſorum conſtantiam parta; quantum apud exteros nomen ipſorum virtus omnibus pepererit, eos ipſos teſtes eſſe poſſe, qui, quæ poſt diſceſſum Henrici, cum Tartari metu ac trepidatione omnia complerent, authoritas eorum apud exteros fuerit meminiſſent; & quæ nunc de virtute eorum exiſtimatio omnium ſit, intelligerent; poſtquam potentiſſimo hoſte ſuperato, amiſſas aliquot provincias recuperârint, novas adjunxerint. Nec tamen pluris hæc à ſe fieri, quàm quem iis ipſis parandis ſimul reſpubl. acquiſiviſſet, plurimorum fortium virorum inæſtimabilem theſaurum; qui ita jam & animis parati, & in armis exercitati ſint, ut nullum tantum periculum exiſtere poſſit, quod non promptiſſimo animo pro republ. ſuſcepturi ij ſint: Horum ſpem ne deſtituerent, qui ne dignitatem nominis Polonici jacere paterentur; fortunas omnes ſuas, ſanguinem vitamq; ipſam profundere non dubitarint: denique non alienis hominibus beneficium præſtituros, ſed neceſſariis, fratribusq; quæ virtuti ac laboribus eorum deberentur, ſtipendia perſoluturos. Hæc eſſe de quibus referendum Rex exiſtimaſſet; viderent nunc ipſi, num cum iis, quæ alieno nomine in vulgus à nonnullis ſparſa eſſent, convenirent.

Converſus deinde ad Regem, optare ſe, inquit, ut pro tantis ejus rebus geſtis, vel ea gratia ei referretur, quæ in benè morata, ac grata civitate pro multo minoribus non Regi, ac tam amanti Reipubl. Regi, ſed cuicunque exercitus Duci referri ſoleret: non egere tamen animi magnitudinem ejus conſolatione ſua: plus enim in illa præſidij ad quoscunque fortunæ impetus, ac malevolorum injurias perferendas eſſe, quam in illis ad eam frangendam virium: Non eſſe dubitandum has ipſas quorumcunq; hominum injurias illuſtraturas magis laudem atque nomen ipſius: Quem enim, qui ipſius res geſtas olim cognoſceret, non magis, quòd in tot à quibusdam objectis difficultatibus, tantas res gerere potuiſſet, quàm quod omninò eas geſſiſſet, admiraturum? eſſe animi magnitudinis ejus, ne injuriis quidem abſterreri ſe pati, quo minus quemadmodum perpetuò feciſſet, porro bene de republ. mereri pergeret. Milites allocutus, non debere eos exiſtimare oſtendit, tam ingrati animi notam, tantamq; injuriam in tam fortibus ac bonis civibus hærere poſſe: Ultimo loco nuntios hortatus fuit, ut cùm primis publicæ dignitati, atque utilitati ſtuderent. Optare ſe inquit adeſſe alios, integros ac bonos etiam cives, quorum magna præter ipſos multitudo eſſet, qui domi liberis ſuis educandis ac domeſticæ rei operam darent, facile ſe iis perſuaſurum, nihil ut reipub. commodis potius haberent, eorum omnium partes illos ſuſcepiſſe, tantoque magis in omnes res intentos eſſe oportere, quibus reliqui, qui domi remanſiſſent, non ſuam modò ac ſuorum, verùm reipublicæ etiam ſalutem commiſiſſent. Peracta rogatione, ſententiæ à Senatoribus dici cæptæ fuerunt, ut de ratione electionis, cæterisq; quæ propoſita fuerant, perferretur, omnes ferè ſtatuêre; duobus tantum exceptis, quorum alter nullis hominum conſiliis à Deo regna mandari; alter, nòn poſſe ulla è republica ac ne oportere quidem ambitum excludi cenſebant. In nuntiorum nobilitatis concilio principiò Cancellarij oratio exagitata fuit; maximè verò, quod jam Petilios nonnullos eſſe dixiſſet, videndum ne mox etiam Catilinæ exiſterent. Cum contra ab aliis oſtenderetur, non univerſum ordinem, ſed certos homines, ac ne homines quidem ſed vitia notata; à quibus qui abeſſe ſe intelligeret, orationem quoq; eam ad ſe non pertinere ſciret, res diſcuſſa fuit. Negotium inde Suentoslao Orſelſcio datum, qui totius nobilitatis nomine pro benè geſta republ. gratias Regi ageret; deque ſermonibus, qui contra dignitatem ejus à nonnullis habiti, aut in vulgus ſparſi dicerentur, ei ſatisfaceret, qui cum in hujusmodi orationem ingreſſus fuiſſet, ut in authores eorum Regem inquirere, ac cognita cauſa animadvertere debere diceret adverſo quorundam collegarum murmure, ac mox convitio penè exceptus fuit.

De re ipſa, maximè de electionis forma certa conſtituenda variæ inter eos ſententiæ fuerunt; quibusdam omnino ferri de eo oportere negantibus; quod in re, qua maxime libertas contineretur, quoties aliquid fieret, quò minus latè ea, quàm antea pateret, libertas ipſa ſemper minueretur, anguſtioribusque quam antea fuiſſet, finibus circumſcriberetur, alij contra, ita maximè libertatem electionis ſtabiliri diſputabant, ſi fraudes atque ambitus legibus excluderentur: præterea tanquam affecta jam re, ac contracta ſuperioribus comitiis tractatione, inprimis Andreiovienſis fœderis religione objecta eam urgebant: plerique ſuſcipi quidem eam, non finiri tamen volebant: ut quæ de ea dicerentur, ad ſuos referrent, quò rectius ſequentibus deinde comitiis ex univerſæ nobilitatis ſententia ſtatui de ea poſſet. Dum inter eos diſputationibus hiſce tempus extrahitur, interim primis octo comitiorum diebus, quibus capitalium rerum cauſæ nova lege judicantur, elapſis, ad aliarum cauſarum cognitionem Rex acceſſit. Adeunt eum nuntij: oſtendunt multos contra leges in regiam evocari: ut ex Senatu nonnullis negotium Rex det, qui cum aliis ex ſuo corpore, quos ipſi iis adjuncturi ſint, de evocationibus cognoſcant, quæque in ea cauſa ſint, ut aboleri debeant, aboleantur, legitimis ratis manentibus, petunt. Reſpondit Rex eſſe magiſtratus, ad quorum curam hæc pertineant, qui ſi muneri ſuo deeſſe doceantur, non recuſare ſe, quò minus eò, ut alios illis adjungat, deſcendat: Interim quemadmodum cœperat, porro cognitionibus operam dare pergit.

Prima Stanislai Carnkovij cauſa ob non relata in theſaurum inſtrumenta quædam cauſæ Brunſvicenſis, quæ à Sigismundo Auguſto in Germaniam miſſus acceperat, in judicium adducta fuit. Collocata in matrimonium fuerat Henrico Duci Brunsvicenſi à Sigismundo Auguſto Sophia ſoror ejus, deq; rebus dotalibus in eventum non ſuſceptorum liberorum reſtituendis pro more ſtipulatio interpoſita. Soluto morte Henrici paulò antè exceſſum Sigismundi Auguſti ſine liberis matrimonio, miſſus ad ſororem ab Auguſto Carnkovius fuit, qui res iſthic inſpiceret, conſilioque viduam juvaret, quam in rem cum inſtrumenta pactorum dotalium tradita ei fuiſſent, penes ſe ea retinuerat. Obiit haud multo poſt Sig. Auguſtus: creatus fuit Rex Henricus: idem mox ex Regno exceſſit. Mortua interim Sophia, ſorores Anna Poloniæ, & Catharina Sueciæ Reginæ, ſucceſſione hæreditatem petere cœperant. Cum aliquot annos à Julio Duce Brunſvicenſi ducerentur, animadverſum poſtea fuit, non in ea cauſa hæreditatem eam eſſe, ut ſucceſſorio jure peti deberet, ſed ad Reges Poloniæ, remque publ. pactis, ac interpoſita ſtipulatione pertinere: miſſusque juris ejus perſequendi cauſa ad Ducem Julium, Laurentius Goslicius Decanus Plocenſis, cùm monumenta ea, quemadmodum juſſus erat, tradere ei Carnkovius noluiſſet, nihilq; præter pauca quædam exempla, quæ ex tabulario Varſavienſi exceperat, proferre Goslicius potuiſſet, in eo ferè fuerat, ut non ſatis petitionem ſuam probare poſſe videretur.

Itaq; cum jam non modò de re, ſed exiſtimatione etiam publica ageretur; eò acrius illa à Carnkovio primum per literas, indè petente Samoſcio per Stephanum Grudinſcium Caſtellanum Naklenſem ſpeciatim eam ob cauſam ad eum allegatum repetita fuerunt. Cum lenitate ſua nihil profici Rex videret, per procuratorem fiſci in jus vocari eum juſſit. Hæc igitur dum agitur, haud multò poſt altera ejusdem cauſa in cognitionem venit. Ea res ita ſe habet. Carnkovius hic nobili ac claro loco natus, plurimum in nobilitatis conventibus, apudq; nobilitatem univerſam gratia ac authoritate poterat, à Sigism. Auguſto ad Referendarij munus provectus ſub exceſſum ejus Plocenſem Præfecturam acceperat; ac quamvis Anſelmus Goſtomſcius Palatinus Ravenſis perpetuas controverſias de ea cum illo haberet, poſſeſſionem tamen ejus retinuerat. Poſt diſceſſum Henrici, Stephano Rege in regnum jam ingreſſo, ac plerisq; ad Regis authoritatem ſe adjungentibus, diverſarum partium legatione ſuſcepta, ad Maximilianum Imperatorem in Germaniam iverat: Cùm Cracoviam Rex veniſſet, inſtarentque apud eum ordines, ut in unum atque alterum, quorum inſignior ac præcipua pertinacia eſſet, exemplum ſtatueret, Præfectura Plocenſis Stanislao Kriſcio Palatino Maſoviæ collata fuit.

Comitiis poſtea Thorunium à Rege indictis, cùm in iis cognitionibus operam dare Rex neceſsè haberet; more autem majorum ita comparatum ſit, ut ſecundum Cancellarios referendarij munere in iis Reges utantur, Carnkoviusq; nondum rediiſſet Nicolao Firleio, qui & ipſe Cæſareanarum partium fuerat, unà cum Caſtellanatu Becenſi referendariatum Rex contulit. Aliquanto tempore interjecto revocatus ab amicis, maximè fratre Alberto, qui majori Poloniæ præfectus tum erat, literis Regis ab eodem ad fratrem impetratis, in Poloniam Carnkovius rediit: benigneq; à Rege acceptus, optimè de Regis erga ſe animo ſperare juſſus fuit; ejusq; quam feciſſet, jacturæ, à largiore liberalitate Regis cum acceſſione compenſationem expectare. Interim Roma ad Regem ſcribitur, coadjutoriæ Archiepiſcopatus Gneſnenſis confirmationem, quam certo jure ſibi vindicaret, inſcio Rege, exteris nonnullis principibus ſequeſtris à ſummo Pontifice eum petere. Accedebat huc ut dum ad Polotiam Rex eſſet, in conventu Lublinenſi, qui primus tum judiciorum appellationis à nobilitate habebatur, novas res à quibusdam tentatas, præcipuumq; earum authorem Carnkovium fuiſſe, certiſſimis indiciis ad Regem deferretur, quæ res non mediocriter rurſum animum Regis illi immutaverat. Mortuo interim Jacobo Uchanſcio Archiepiſcopo, Stanislaum Karnkovium Epiſcopum tum Cujavienſem à quo inauguratus Rex fuerat, ut promiſſo ſuo inaugurationis tempore ordinibus à ſe facto ſatisfaceret, in illius locum Rex nominavit. Etenim cum in diſſenſione electionis Uchanſcius, ejusq; exemplum ſecuti cæteri Epiſcopi præter Cujavienſem omnes ferè diverſas partes ſecuti fuiſſent: ille ad inaugurationem etiam vocatus parere noluiſſet: Itaque à Karnkovio coronatus Rex fuiſſet; petiit ab eo nobilitas, ut dejecto Uchanſcio Karnkovium in locum ejus proveheret. Reſpondit Rex, ſi diſſenſionis Uchanſcij cauſa id peteret, malle ſe, quod conſecuturum ſe non differet,

deret, lenitate eum adjungere: ſi alterius ornandi, poſt mortem Uchanſcij, quæ homini ætate decrepita non longè abeſſe poſſet, rectius illis præſtiturum, quod nunc incommodiori tempore repræſentari vellent. Carnkovius interim Sninum poſſeſſionem Archiepiſcopalem tenebat; eamque cum dimittere nollet, in jus ab Archiepiſcopo ad Regem vocatus fuit. Comparere juſſus, reſpondere primum nolebat; dictum fuit, oſtenderet, quo jure in poſſeſſione eſſet: nam ſi coadjutoriam ipſam ſibi vindicaret, nemini dubium eſſe, quin de jure Regio Regis ſolius cognitio eſſet: Si privato titulo bona ea occupata poſſideret, ad tribunalia terreſtria, quæ de rebus ſoli ordinariè cognoſcerent, remiſſum iri: petiit interim procurator ejus diem ad inſtrumenta producenda, quam qui petit, jure, quo utimur peremptorium terminum propria ſubmiſſione ac ſponte ſua præfinire ſibi putatur. Ad diem non integrum eſſe ſibi illa jam proferre excipit; quod Romæ ea ſint, copiamq; exhibendorum non habeat. Inter hæc nuntij rurſus Regem adeunt: rogant ut evocationes omnes in regiam, exemplo Sigism. Auguſti, qui citationes omnes, quæ in cauſis fiſci editæ fuerant, uno decreto ſuſtuliſſet, inducat.

Poſtulatum, docerent, quæ eæ eſſent; nolle Regem contra leges cuiquam negotium fieri: neq; etiam æquum eſſe, ſine cauſa judicium quenquam ſubterfugere: quod ſi urgerent, quod ante ipſi petiiſſent; permittere Regem, ut ex Senatu & ipſorum collegio, convenirent, qui legitimas ab illegitimis evocationibus diſcernerent. Illi nihil ad hæc reſpondent: Secretum ſaltem cum Senatu petunt. Poteſtate à Rege facta, idem in Senatu faciunt: poſtulant, ut quemadmodum dignitate reliquam nobilitatem præirent, ita in adducendo ad æquitatem Rege, tuendoque jure nobilitatis; Principis cæteris antecederent. Reſponſum, oſtenderent, quos contra jus evocatos, aut qua omnino in re Jus nobilitatis minutum putarent; ſi quid contra leges ſuſceptum probarent, non defuturum Senatum muneri ſuo. Qui verba faciebat, publicam cauſam ſe agere; debere ſingulos, qua in re privatim injuriam ſibi fieri exiſtimarent, pronuntiare dicebat.

Procedit in medium Carnkovius: ſe contra leges in regiam pertractum ait. Oſtenſum, quod ad primam cauſam pertineret, non poſſe eam ulla ratione ſejungi à Republica: repeti inſtrumenta ab illo fidei ejus commiſſa; quibus debitum Reipubl. doceretur: repeti eo jure, quo quivis privatus erga eos, qui in miniſterium ſe illi tradidiſſent, uteretur: qui æquo jure libertatis cum alia nobilitate uti vellet, cui moleſta hæc in regiam evocatio videretur, poſſe eum intra modum vitæ privatæ ſe continere: domi vivere: abeſſe à miniſteriis regijs; quibus qui ſe illigaſſet, indignum eſſe eum poſtulare, ne rationem quidem eorum, quæ ultrò ſuſceperit, reddat. Deteriorique conditione in publica re Regem eſſe, quam quemlibet privatum in ſua qua tamen de re conſtitutio Sigism. Primi eſſet, cujus ſententia eo pertineret: repudiari denique totum à publica utilitate, quæ ſi in rebus, quæ moram nullam patiantur, non prius reſpublica jus ſuum conſequi poſſit, quàm longo temporis intervallo comitia habeantur, ſæpe maximum periculum aditura ſit. Alteram maluiſſe Senatum ad comitia evocatam fuiſſe; tam verò poſtquam procurator ejus diem ad monumenta petierit, ultrò ipſum omnem ſibi præſcriptionem Judicij vitandi præcidiſſe. Ad hæc ille, ad ordines provocaſſe ſe, cùm ad monumenta provocarit: hæc ſe viva monumenta Reipubl. exiſtimare; ad Senatum deinde redeunt: ut à ſingulis ſe præſentibus ſententiæ dicantur, petunt. Dictæ hujusmodi ſententiæ ferè omnes fuerunt; non rectè facere, qui conſtitutionem Sigism. Auguſti de cauſis fiſci ad regias cauſas omnes traherent: eſſe conſtitutionem, qua actiones, quæ ad perſonam principis: ad majeſtatem imperij: jus denique ac poſſeſſiones regias pertinerent, diſertè à cauſis fiſci, ac vectigalium interverſorum diſcernerentur: videndum quæ eæ ſint, ac num omninò fieri poſſit, ut promiſcuè omnes Rex tollat; cum hac ratione non modò ſuum ac reipublicæ, ſed aliorum quoque jus, in cauſis quæ ad delationem quorundam ſuſceptæ ad eorundem utilitatem pertinerent, quod in ipſius poteſtate non eſſet voluntatibus petentium iſta condonaturus eſſet. Nuntij in ſuo propoſito nihilominus perſiſtebant; perq; complures dies diſputatione hac extracta frequenter in concilio ſuo tumultuabantur.

Demonſtrabat iis Rex, quanquam iniquum eſſet, ne diſcerni quidem inter legitimas ac illegitimas evocationes eos velle; videre præterea etiam ſe nulla eos hac de re agendi à ſuis mandata accepiſſe: permittere tamen ut ad ſuos referrent, quò in proximis conventibus certi aliquid ſtatui de eo poſſet: interim rem integram ſe iis ſervaturum; neq; ullas alias cauſas præter Carnkovianas duas, quæ in judicium adductæ jam eſſent, cogniturum. Erant qui ab Archiepiſcopo ob templorum ſacrorumq; violationem evocati fuerant; qui eò vehementiùs ſibi metuebant, quòd rumor per dies eos ſparſus fuerat, conſtituiſſe Regem ſeveriſſimè jus de iis dicere; opinionemq; eam Rex auxerat, quod dum in venatione non procul à poſſeſſionibus Archiepiſcopi eſſet, Lovicium ab Archiepiſcopo invitatus ad eum acceſſerat, familiariterq; per aliquot dies cum illo fuerat; non pauci etiam aliis ex cauſis evocati cum nuntios, quò facilius judicio ſe ſubducerent, creari ſe paſſi fuiſſent, omnia etiam tentanda ſibi ſtatuerant; quò antequam periculum cauſæ dictionis ad ſe perveniret, ſub Carnkovij perſona judicio omnes eriperentur. Itaque etſi liberabantur metu eo, cum præter Carnkovianas cauſas, nullas alias judicaturum ſe Rex oſtenderet; quia tamen ſemel ita in cauſam ingreſſi fuiſſent, ut exiſtimationis de ſe aliorum cauſa non temere recipere ſe poſſent, ne hac quidem ratione ab inſtituto ſuo deduci ſe patiebantur. Alij ſermonibus eorum permoti, ut in metu graviſſimarum rerum, in quibus libertas agi prætenderetur, tempus aliquod interponi, dum certius de eo cognoſci poſſet, non moleſtè ferebant, quidam cum in re nihil periculi eſſe intelligerent, opinionem metuebant; ne tanquam authores libertatis deſtituiſſent, in vulgus traducerentur. Fiebat hinc, ut qui omninò iſta improbabant, cum ab aliis impugnarentur, ab aliis non juvarentur, in tanta diverſa ſententium multitudine ipſi nihil poſſent. Latæ nihilominus ſententiæ contra Carnkovium fuerunt. Prima jam multò ante, qua monumenta reſtituere juſſus fuit, in qua cauſa ne ab ipſis quidem nuntiis magnopere contendebatur. Altera cauſa cùm variè adhuc duceretur, ad id nonnullis decurrendum videbatur; quòd poſt diſceſſum Henrici coadjutoriam impetraſſe diceretur; eique rei fidem faceret, quòd alterius Poſnanienſis Epiſcopatus nominationem à diſceſſu Henrici in illum collatam, Regi ipſe exhibere non dubitârat. Quare cum Varſavienſi fœdere, qui ab abſente Henrico quicquam petiiſſet, contra rempubl. facturum eum judicatum eſſet, conventionis ejus vi urgendum cenſebant. Rex ultimo comitiorum die decretum tulit: coadjutoriam ſuſtulit; de poſſeſſione, quæ ab illo tenebatur, cognitionem ad ordinaria nobilitatis judicia, in quibus quo jure eas poſſideret, doceret, remiſit.

Hunc ad modum ſtato comitiorum tempore extracto, ingenti cum omnium dolore, Samoſcio præſertim omnes obteſtante, Livoniæ ſaltem Ruſſiæque curam ſuſciperent, ne vel illam magno labore ac ſanguine ſuo partam omni ope nunc deſtitutam rurſum amitterent; vel hanc Barbaris diripiendam proderent; Conſtantino etiam Oſtrogiæ Duce, Palatino Kiovienſi recentiſſimos quoſque nuntios de Tartarorum expeditione proferente, nihil tamen actum fuit. Appellatus per eos dies frequenter à Lithuanis Rex fuit, ut Livoniam Lithuanicæ formulæ faceret. Ubi nec in Senatu, nec in Concilio nuntiorum magnopere à quoquam illis contra dicebatur: in hoc potius non deeſſent, qui quò Lithuanis adjutoribus facilius, quod contendebant, à Rege extorquerent, non inviti deceſſuri illis de ea viderentur; Surrexit Samoſcius; reliquosq; intuitus ſuo ſuorumq; commilitonum periculis Livoniam hoſti ereptam dixit; de quo ſi qui ambigerent, ad Moſcum ipſum ſe provocare: non dubitare, ſe vel hoſtis ipſius profeſſione id evincere: ea igitur ne à regno ſejungeretur, ſi à nemine contradiceretur, ſe tamen pro omnibus interceſſurum. Venerant ad comitia Legati Moſcovitici, ut juramentum in pacem à Rege acciperent; quemadmodum regij jam ante ipſorum Principem jurejurando obſtrinxerant. Præſtitum id à Rege maxima omnium ordinum corona fuit, ara in comitio ad id conſtituta, Archiepiſcopoque, poſtquam tabulæ fœderis à ſcribis lectæ fuiſſent, in verba ei præeunte. Præter Juramenti exactionem, ut de captivis utrinque permutandis agerent, mandatum habebant; quod cùm tenere non potuiſſent, ut in locum certum captivi comportarentur, redimendiq; eos poteſtas, quorum eſſent, fieret, impetrârunt. Referebant nonnihil & de finibus controverſiæ ex eo potiſſimum ortæ, quòd de Veliſienſi agro, ne à Polonicis ordinibus à quorum copiis captus erat, vindicaretur, in Sapolienſi fœdere à Lithuanicis ſcribis adjectum fuerat; ut quemadmodum olim is ad Palatinatum Vitepſcienſem pertinuiſſet, ita poſthac pertineret: Moſciq; ab eo tempore, quo in poteſtatem eorum Veliſium veniſſet, magnam partem Toropecienſis agri ad eum adjectam contenderent. Placuit ut utrinque legati ad fines regendos mitterentur.

De caſtellis Livonicis, quæ Suecus occupârat, jam antè per Bojaros Moſcoviticos cum legatis, quos ut per totum pacis tempus à cis Narvanis Moſcus, ab ultra Narvanis Rex utrinq; abſtinerent. Excepti inde convivio fuerunt more majorum, ſplendidiſſimeque habiti; hominibus elegantioris cultus ferè rudibus cum epularum magnificentiam, tum apparatus varietatem; multò magis tamen Regem ipſum admirantibus. In tam inſigni publicarum rerum perturbatione, ſeu potius negligentia præ cæteris tamen militum conditio maximè miſerabilis videbatur. Plerique enim non modò tanquam ad paratum ſtipendium, cujus ſpes facta illis erat, ſed ad magnam honorum, ut benè geſta re agrorumque ſpem, ij præſertim, qui nobilitate ob virtutem donati, præſidia etiam iſta, quibus nobilitatem tuerentur, ac alia præmia ſperaverant, omnium rerum egentes, ac nudi alieniſſimo anni tempore eò venerant; ut non pauci è nobilioribus etiam, ad Pleſcoviam occubuiſſe ſe malle dicerent, quàm ad tantam egeſtatem, atq; omnium rerum difficultatem redigi. Iiſdem autem temporibus Joannes Suiſcius etiam, quem in defenſione Pleſcoviæ egregiam operam navaſſe ſupra oſtendimus, à conſpectu principis ſui abjectus in luctu ac ægritudine erat. Sed militum difficultatibus conquiſita undique pecunia, cum ab aliis deſtitutam ferè Remp. à ſe tamen deſerendam Rex nõ exiſtimaret, quoad ejus fieri potuit, occurſum fuit; agenteq; tum iis Samoſcio tanta animorũ alacritas innata iis fuit, ut non modo diẽ ſolu-

ſolutionis ad Pentecoſtes proferri peterentur, ſed dummodo certo aliquo loco collocarentur, ex quo commeatus ſibi ſuppeterent, ſi interim Tartari irruptionem facerent, etiam ſine ſtipendio, quocunq; ducturus eos Samoſcius eſſet ituros ſe pollicerentur. Cum jam nuntij diſceſſiſſent, Rex cum Senatu Livoniæ etiam quantam potuit, curam impendit; initioq; à divinarum rerum cura facto, quòd pleriq; in Provincia ea Epiſcopatus temporum ac bellorum injuria ſuppreſſi eſſent, Vendam, quam potiſſimum ad accipiendam novam ſedem Epiſcopi idoneam judicabat oppidis, caſtellisq; aliquot ac poſſeſſionibus ad eam adjectis, Epiſcopatui attribuit; àque ſummo Pontifice, ut Epiſcopatum authoritate ſua ibi fundaret, petijt. Provincialibus etiam jura certa, ac forma provinciæ, ut aliquam tamen ſui curam habitam cernerent, pro tempore deſcripta fuerunt. Venerant à nobilitate Legati Varſaviam: alij præterea frequentes privati ſuarum quisq; poſſeſſionum, è quibus ſe, vel majores ſuos à Moſcis dejectos dicerent, recuperandarum cauſa. Summa publicorum poſtulatorum erat, ut pacta inter Sigism. Auguſt. ac provinciæ ejus ordines, quo tempore ſe in poteſtatem illius dediſſent, conventa, rata Rex haberet. Eorum hæc ferè erant capita; ut non niſi Germanicæ gentis in provincia ea magiſtratus eſſent: Poſſeſſiones quas tum ſinguli haberent, aut poſtea conſecuti fuiſſent, quo unquam optimo jure poſſediſſent, poſſiderent: Jura ac privilegia ſingulorum integra conſervarentur. Addiderunt ad hæc ipſi, ut judiciorum certa ratio conſtitueretur: ne caſtella demoliri, quemadmodum Rigæ à Rege imperatum iis fuerat, cogerentur: ut in captivis ſuis recuperandis à Rege juvarentur. Reſponſum fuit: quòd ad vetera à Sigismundo Auguſto conceſſa iis privilegia pertineret, tenere eos memoria, quid ab eo tempore, quamq; varia interceſſiſſent: quid etiam hujus temporis eſſet, pro ſua prudentia perſpicere: debere eos ſe credere judicio Regis, qui cum ſalutis eorum autor fuiſſet, ornamentorum, ac commodorum provinciæ ejus non minorem curam ſe habere oſtenſurus eſſet.

Sigillatim verò, quòd præcipuæ authoritatis in illa provincia magiſtratum Germanicæ gentis peterent, cùm ab honore eo ex provincialibus, ſi qui ad eum idonei futuri eſſent, neminem excluſum Rex vellet; eò futurum acerbius, ſi ipſi propriæ ſalutis libertatisq; authores à dignitate tam præclaræ victoriæ remotos vellent: daturum operam Regem, ut eum Provinciæ præficeret, qui ex æquitate, ipſorumq; jure ac legibus omnia adminiſtraret: tum verò in provinciali publico conſilio conſtituendo, judiciis cæterisq; officiis præſidium, Succamerariorum & reliquorum præcipuam vetuſtæ quoq; nobilitatis Livonicæ in provincia ea rationem habitum iri. Inter jura ac privatas ſingulorum poſſeſſiones id diſcrimen factum: ut, quæ à ſuperioribus Livoniæ Principibus legitimisq; ejus magiſtratibus usq; ad Guilhelmum Marchionem Brandeburgenſem Archiepiſcopum Rigenſem profecta eſſent, jure ipſo rata haberentur; quæ à poſterioribus collata eſſent; quòd ea tempora indè conſecuta fuiſſent, quibus multa non ordine fierent, provinciaq; nullo ferè certo Imperio teneretur, de iis Regem ex publicis provinciæ commodis, cujus ut opibus ac nervis contra omnes caſus muniretur, præcipua ratio habenda ei eſſet; & cujusq; meritis; genere deniq; ipſo poſſeſſionum ſtaturum; ad eaq; cognoſcenda primo quoq; tempore conventum Provincialibus edicturum, in quo ſua quisq; Jura exhiberet.

Cum autem ſuperiori tempeſtate amiſiſſe pleriq; privilegia ſua dicerentur; eos quas, & à quibus, quoq; tempore, & ſententia literas habuiſſent, aperire debere, eaq; omnia ſuo idoneorumq; teſtium juramento comprobare. Judiciorum forma iis, de quibus ſupra oſtenſum eſt, conſtitutionibus deſcripta, tradita illis fuit. Caſtellorum demolitionem hoc potisſimum conſilio Rex imperârat, ne vires Provinciæ, quemadmodum ſuperioribus temporibus factum fuerat, diſtraherentur; eandemq; ob cauſam, ex ſuis quoq; non pauca dejecturum ſe edixerat. Idem hic iis reſponſum fuit, non debere eos detrectare, in re qua publicam potiſſimum provinciæ ſalutem ſpectaret, quò minus ejus exemplum imitarentur. In captivos redimendos certus Bojarici generis numerus promiſſus iis fuit. Magnus Dux cum difficultatibus quibusdam ſuis, quemadmodum Rigę à Rege monitus fuerat, ipſe comitia obire non potuiſſet legatos miſerat, per quos eadem ferè quæ Rigæ propoſuit; quæ cum ſine præſentia ejus explicari non poſſent ad ſequentia comitia dilatus fuit.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti

LIBER VII.

INfectis ad eum, qui oſtenſus eſt modum comitiis, Rex Varſavia Cracoviam recta diſceſſit. Jam autem cum Varſaviæ adhuc eſſet, frequentes de tumultu Tartarico nuntij allati eo fuerant, & tum Cracoviam venientem legatio Tartarica, quæ niſi poſtulatis ſuis ſatisfaceret, bellum denuntiaret, excepit. Querebatur imprimis de Niſoviorum Koſaccorum injuriis, quos cum offenſionum ſuarum ſemper fere cauſam partim habere, partim obtendere Tartarus ſoleat, tum vero eo tempore, quod legatos ſuos, à Moſcho cum muneribus ad ſe redeuntes in itinere Koſacci adorti ſpoliaſſent, ut & à Koſaccis ablata à Rege ſibi reſtituerentur, poſtulabat: & inpoſterum ab omni in ſuos vi & injuria Koſacci prohiberentur.

Poſtulatis minas addebat, moreque loquendi illis, familiari principem ſuum equum jam conſcendiſſe, ad Maria nunquam Regem expectaturum, veniret Rex & fortunam ſecum experiretur: & nihil ſuum reditum expectare, quo minus ſi ſatisfactum non eſſet, quamprimum in fines erumperet, ſignificabat. Idem Turcicus legatus confirmabat, qui Tartaro partim autoritatis, partim terroris augendi cauſa à Turcica aula adjunctus fuerat. Baſſa in ſuis literis addiderat, quadraginta millia Turcarum, Tartaro ſe adjuncturum.

Etſi autem quemadmodum oſtenſum eſt, jam ante ad ipſa etiam comitia minime vel obſcuri, vel incerti rumores, de apparatu Tartarorum allati fuiſſent, eos tamen, qui quo minus quicquam de republ. decerneretur, impediebant, non magis hæc, quam alia reipublicæ pericula movebant. Privatim verò ab omnibus aliis etiam rebus, imparatiſſimus tum Rex erat. Proximè enim tributum, quod in Pleskovienſem expeditionem decretum fuerat, non modo omne in eum exhauſtum erat, ſed nec militi quidem ſtipendia ſoluta adhuc omnia erant. Quas ob cauſas, & ſi metus is alieno reipublicæ tempore objectus fuiſſet, Rex tamen cum eodem animo, quo omnes difficultates ſuperaſſet, in hiſce etiam utendum ſibi exiſtimaſſet, conſilio omnibus de rebus cum Zamoſcio communicato, cum ea, quæ à Tartaro poſtularentur, è ſua reipublicæq; dignitate, neque poſſe à ſe præſtari ſtatueret, neque tanquam ab iis, qui in ſua poteſtate non eſſent, admiſſa ut à ſe præſtarentur, juſte poſtulari, ad bellum quibuscunque poterant rationibus propulſandum ſe comparabat. Itaque Tartarum quidem cum eo reſponſo dimittit; quo neque Koſaccos, qui ad latrocinia in finibus exercenda è diverſarum gentium colluvie, non minusque ex ipſis Tartaris confluerent, quicquam ad ſe pertinere: neque minis ejus moveri ſe oſtenderet. Zamoiſcium inde, qui quaſi veſtigiis legati inſiſteret, contractisque prius, quam ille ad Principem ſuum perveniret quas expeditiſſimas habere poſſet copiis, irrumpenti Tartaro occurreret, in Ruſſiam mittit. Is cum partim ſuis ſtipendiis, partim ex aliis militibus, qui cum ſuperioribus annis in Moſcovia meruiſſent, etſi ſtipendia ſoluta illis non fuiſſent, Zamoiſcij autoritatem, ac fidem ſecuti, operam nihilominus ſuam reipublicæ navabant, non contemnendas copias coegiſſet, omnes eas Leopolim contrahit. Eodemque ex nobilitate etiam promptiſſimum quemq; evocat; cæteros ut ad omnem motum parati ſint hortatur.

Ad eas Conſtantinus Oſtrogiæ Dux Palatinus Kyovienſis, qui è familiaribus & beneficiariis ſuis, quorum magnam copiam habebat, juſtam manum contraxerat, promptiſſimè operam ſuam Regi apud Zamoiſcium deferebat.

Quibus rebus confirmatus, atq; ita animo paratus, ut cum quantocunq; Tartarorũ exercitu quam primum confligere non dubitaret,

contractisque quemadmodum oſtenſum eſt, copiis omnibus Leopolim exploratoribusq; in omnes partes dimiſſis, ibi nuntium adventus Tartarorum expectare, indeque ſine mora occurrere illi ſtatuit. Præcopienſes cum ad proprias copias ſuas multos etiam ex Nohaienſibus, & aliis remotioribus hordis ſpe prædæ exſciviſſent, magnâ manu facta, animoque & aliis omnibus rebus ad irruptionem parati, ad Boryſthenem acceſſerant: Sed cum glacie is nondum conſtitiſſet, dum aſtringeretur, expectabant. Cum enim flumen id æquoris in modum, quam latiſſime iis in locis reſtagnet, non fere niſi duobus temporibus, uno, quo congelatum eſt, altero autem adulta jam æſtate tranſire id ſolent; quod ſi aliis temporibus tranare id conentur, præterquam quod aquis è pluviis, aut nive auctis rapidiores tum impetus ejus ſint, jumenta frigore ex aquarum, & aeris injuriis collecto, mori plæraque ſoleant. Poſtea cum ut mitiora tempora jam imminerent, utque congelaret, fruſtra ſe expectare intelligerent, & de exercitu è captivis, quos Boryſthene non congelato ſecurius in altera ripa agentes, unum atque alterum abripuerant, cognoviſſent, exercitu dimiſſo dilapſi fuêre. Acceſſerat eo, quòd duo Czarij fratres, Salone & Pleti Cherei è cuſtodia Conſtantinopoli elapſi, ut ſuarum etiam rerum domi ſatagendum illi eſſet, facerent: re per exploratores à Zamoiſcio cognitâ, metu omnis incurſionis ſublato, à que Rege revocatus, cum prius juriſdictioni inter nobilitatem, & milites operam dediſſet, ipſe quoque initio Veris Cracoviam rediit.

Priusquam Leopoli diſcederet, Turcicus Legatus ad eum accurrit, qui terrorem & minas, quas prius jecerat, & cum de neceſſitudine Tartari cum Principe ſuo commemoraſſet, non eſſe amicitiæ ejus, quæ cum principe ſuo Regi itidem mutua intercederet, ut cum Principis ſui neceſſario non amicè potius, quam armis diſceptaret, oſtendit. Cum eadem legatione ad Regem Cracoviam proficiſcitur; reſponſum more majorum, quo minus reſtitui ea poſſint, Regem prohibere. Reverſo Cracoviam Zamoiſcio Rex Griſeldim Battoream Chriſtophori Principis Tranſilvaniæ fratris ſui filiam in matrimonium collocat. Patris ipſius de ea judicium quod cum alias in vivis, tum teſtamento etiam teſtatum fecerat ſecutus. Celebratæ nuptiæ fuerunt Cracoviæ menſe Junio: partim Principum aliquot legatorum præſentia, partim apparatu maximo, celeberrimoque totius fere Poloniæ Lithuaniæque concurſu, neque minus conjunctione ea invidiæ apud eos, quibus potentia Zamoiſcij vel gravis vel ingrata erat, quam autoritatis, opumque Zamoiſcio acceſſit; eodem tempore Achmet Charſeus à Turca venit, pacem cum Cæſare principem ſuum feciſſe: eandem ut ipſe etiam coleret: Janculæ res repetebat. De pace cum Cæſare reſponſum Regem quidem probare, pacis autem arbitrium, cum quibus ei videretur colendi penes Reges ſemper fuiſſe.

Quomodo cum aliis in rebus, tum Livonicis etiam è comitiis diſceſſum ſit, ſupra oſtenſum eſt. Cum & bonorum reſtitutio, quamvis certis legibus ac temporibus circumſcripta, & cum præſidum aliorumq; magiſtratuum, tum judicum, illorum quidem æquo jure ex ſingulis nationibus appellatio oſtentata illis fuiſſet, ita reſponſum à legatis eorum acceptum videbatur, ut vix non omni ex parte ſatisfactum illis Rex arbitraretur. Rege Varſavia jam profecto, Zamoiſcium pro magiſtratu eo Cancellarij denuo adeunt, gravia plæraq; in reſponſo eo ſibi accidiſſe oſtendunt. Imprimis quidem de privatis poſſeſſionibus, primum quod ad Archiepiſcopi Wilhelmi ſaltem tempora eis confirmarentur; tum vero Auguſti ipſius, cujus ipſius aliorumque ejus temporis, & conſequentium magiſtrorum, & magiſtratuum Livoniæ donationes ſi reſcindantur, magnam partem nobilitatis poſſeſſionibus ſuis everſam iri oſtendebant: alterum quod in comprobatione privilegiorum amiſſorum & à ſe exigerentur, quæ ne præſtari quidem ulla ratione à ſe poſſe exiſtimarent; ut quæ & à quibus, & quo tempore data, & quo tenore privilegia habuerint: tertium quod Dorpatenſium poſſeſſionum reſtitutio omnino præciſa eſſet. De magiſtratibus omnibus ex indigenis ſolis deligendis iterum urgebant. De religione Auguſtana cum nobilitati ſoli uſum ejus permiſſum interpretati fuiſſent, ne ab oppidis tamen omnino etiam excluderetur, petebant. Maxime autem Caſtellorum demolitio quæ injuncta illis erat, eos pungebat: non tam ob domeſticam quam obtendebant, à furibus latronibusq; ſecuritatem, contra quam vel ſepto Polonicæ Lithuanicæque nobilitatis more, tueri ſe poſſe illis oſtendebatur, quam ob notæ alicujus inuſtæ opinionem; uſuræ itidem pecuniarum creditarum ne per belli tempus cederent petebant: ad captivos itidem ſuos redimendos ut regia clementia ſublevarentur. Eadem cum in Livoniam reveniſſent, ad Georgium Radivilum Epiſcopum Vilnenſem, quem Vicarium ſuo loco provinciæ Rex præfecerat, cum detuliſſet, ab eo quoque iis de rebus appellatus, in curam provinciæ ejus eo diligentius intentus, quo quæ conſtituta à ſe eſſent, executioni etiam quamprimum demandarentur, ad locum tenentem legatum præterea, ſeu Commiſſarium, ut vulgo vocant, Stanislaum Pekoslavium, cui ob egregiam in bello eo navatam operam, Mariæburgenſem in Livonia præfecturam contulerat, Cracovia in Livoniam mittit. Mandat Radivilo, ut eo adhibito provinciæ totius conventum Rigam quam primum indicat, in eo quæ mens de poſtulatis illorum Regia eſſet, iterum eis proponeret. De reſtitutione bonorum à priore reſponſo nihil mutatum: Oſtenſum in publica provinciæ ſalute tuenda, maxime primariorum caſtrorum, Derpatenſ. Kokenhauſen, Felinenſ. Mariæburgenſ. Parnavienſ. Vendenenſium, rationem habendam, quæ ſi quemadmodum Guilielmi, conſequentibusque temporibus per donationes eas præſidiis omnibus nudarentur, quàm tuendorum eorum, ipſiusque adeo provinciæ rationem fore: quidve obſtiturum, quo minus eadem qua ante ratione facillimo negotio in hoſtis poteſtatem reciderent. Cùm tamen tria provincialium genera eſſe viderentur, unum eorum, quorum perfidia aliqua perſpecta fuiſſet, alterum quorum inſignia in rempubl. merita, medium inter hos interjectum, qui non tam perfidia aliqua, quam metu potius in fide erga rempublicam vacillaſſent: quemadmodum perfidiam illorum oblivione potius obliterandam, quam acerbius proſequendam Rex ſtatuerat, ita quantum modo per publicas rationes fieri poſſet, & benemeritorum in poſterioribus etiam donationibus iſtis, juſtam rationem habitum, & dubios etiam, modo non aperte perfidos non omninò etiam neglectum iri.

De Dorpatenſibus autem poſſeſſionibus, præterquam quod finitimam Moſchoviæ præfecturam enervari minime è republ. futurum eſſet, eo minus etiam moleſte ferre eos debere, quod priusquam in fidem Auguſti Livonia ſe contuliſſet ager Dorpatenſis occupatus jam à Moſco fuiſſet. Approbationis jurium privatorum, non iniquam rationem propoſitam fuiſſe exiſtimare: alia ſi ab illis proponatur, quomodo cujusque juri, & publicæ fidei idonee proſpiciatur, fraudesque excludantur, non alienam ſe, ab ea futuram. In magiſtratibus mandandis, niſi Polonicæ, Lithuanicæque gentis, cujus pemiculo & impenſâ recuperata provincia eſſet, æqua ratio habeatur, iniquiſſimum futurum iterum oſtenſum eſt.

De uſu religionis Auguſtanæ, jam ante certis templis ad catholicæ religionis exercitium exceptis, oppidis etiam ſeu temporibus potius Rex indulſerat. De uſuris itidem ne per tempus belli currerent, jam ante conſtituerat; Demolitionem Caſtellorum è republ. eſſe iterum demonſtratum illis fuit: adeoque juſſu Regio Regia caſtella aliquot disjecta fuêre: in ſuis tamen retinendis pervicaciter nobilitas perſtitit.

Ad captivos redimendos, quemadmodum promiſſum fuerat, aliquot Bojarici generis eis aſſignati. Quibus in Conventu propoſitis, ad præſidiatus etiam Succamerariatus, Judicatus aliquos ex quibus Rex qui ei viderentur, deligeret, adjungit. Jus præſcriptum Provinciale, ſecundum quod judicarentur exhibere juſſi. Ad eundem conventum cum Duces etiam Holſatiæ Magnus qui Curoniam tenebat, tum Curlandiæ Gottardus, Rigenſis etiam civitas, quemadmodum jam ante conſtitutionibus Livonicis Varſaviæ ex Senatus autoritate ſcriptis conſtitutum fuerat, evocata: maxime eum provocationes conventus is judicare deberet, ut & judiciis, & formula una omnes tenerentur. Conſtitutiones quarum mentio facta, ut in eodem conventu Radivilus cum Pekoslavio promulgarent juſſi: poſſeſſiones præterea aliquas diſpicerent, Regique proponerent, quæ præſidiatibus perpetuæ adjungi poſſent. Maxime verò in propagationem religionis Catholicæ in provincia ea Rex incumbens, cum ſine Epiſcopo non modo ſubſiſtere, ſed ne pedem quidem ponere ibi poſſet, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, loco omnium Livoniæ Epiſcopatuum unum Vendenſem Varſaviæ jam fundandum conſtituerat, literasque ea de re Romam miſerat.

Verum novum Romanis viſum à Rege Epiſcopatus fundari: in benigniorem tamen partem re accepta, cum non mirandum eſſe ultro oſtenderent, ſi Rex & aula militaris, armorum quam juris Pontificij peritior eſſet, maxime autem quod in hac iniquitate temporum, quibus potius profanarentur Epiſcopatus inſtituti, quam novi inſtituerentur, rariſſima res eſſet. Dotari quidem à Regibus fundari autem nonniſi à ſummis Pontificibus reſcriptum: non ſine cauſa etiam requiſitum, qua ratione Archiepiſcopatus, quatuorque aliorum, Dorpatenſium, Revalienſ. Oſilienſium, & Curoniæ Epiſcopatuum loco, unus ſolus, isque neque magnus valde, neque multis poſſeſſionibus attributis conſtitueretur.

Verum cum diplomate fundationis in ſupplicem libellum verſo, de Epiſcopatibus, Revalienſem, Oſilienſem, Curoniæ, partim in Sueci, partim Dani, partim magni poteſtate adhuc eſſe, Archiepiſcopatum autem Dorpatenſemq; Epiſcopatum injuria temporum, quibus Archiepiſcopus ipſe à fide catholica defeciſſet, partim in varios poſſeſſores diſtractos, partim ob tot Principum in una provincia diſſidia, ſingulorumque imbecillitatem ſuperioribus temporibus ultro in hoſtis poteſtatem provinciam, ipſosque Epiſcopatus veniſſe: Spesque auctionis alicujus, ſi reliqua recuperarentur, facta ſimul fuiſſet, perfecta res fuit. Epiſcopatus ita conſtitutus, ut præter Epiſcopum, Præpoſitus, Decanus, Archidiaconus, Cantor, Scholaſticus, cuſtos, Canonici ſex eſſent. Dotis nomine Wolmaria Arx, oppidumque Tricatum, Burtnikum, Odempenſium, Wrogel Moſa, Rodenpenſium, ſingulæ arces prædiaque cum ſuis territoriis, juriſdictione, reditibus, omnibusq; nullis exceptis, domus præterea Epiſcopo Vendæ, Parnaviæ, Dorpati, ac Felini ſingulæ,

Prælatorum Canonicorumque, Vendæ vicus integer habitationi aſſignata. Prioribus Prælatis tribus, trecenteni, reliquis ducenteni, Canonicis, centeni quinquageni floreni annui, ex eadem dote Epiſcopali reditus nomine aſſignati. Epiſcopo locus in conſilio conventibusq; publicis Livoniæ, à Rege Locumtenenteve ejus primus attributus. Cæteris etiam in rebus tam Epiſcopus, quam Canonici, eo, quo qui in Polonia ejus ordinis optimo eſſent, jure eſſe juſſi. Zamoſcio poſterisque ejus jus patronatus, Decanatus, Canonicatusque unicus, neceſſitate ad eccleſiam reſidendi exemptorum, navatæ in Moſcovitico bello operæ monumentum poſteritati futurum: Cuſtodiæ, & Canonicatuum trium Epiſcopo: reliquorum Regi reſervatum. Officialium Parochorum ſcholarum ſumptus Epiſcopo delegati. Primus mox Epiſcopus Alexander Plievinſcius Abbas Trzemesnenſis à Rege nominatus Pontificia autoritate confirmatus fuit. Cui vix non intra annum mortuo, Andreas Patricius elegantis ingenij doctrinæq; vir, externarum ſcriptionum Auguſtanis temporibus Secretarius ſuffectus fuit. Cum Sueco interim in Livonia nec pax nec bellum erat. Capti aliqui ex partibus Sueticis Parnaviæ detinebantur, pertentandorum maximè ut apparebat animorum cauſa, Pontus Gardianus Sueticæ militiæ præfectus, literis ad Radivilum datis, partim eos repetebat, partem arces pignoris jure, quæ in magna fere poteſtate tum erant, Sueciæ Regi olim obligatæ, partim aliis de injuriis nonnullis querebatur. Reſponſum quid geſtum in Livonia eſſet, quid poſtquam exercitus inde diſceſſiſſet, notius eſſe, quam ut commemorandum ſit: Captivos etſi dum præfecturæ ejus agrum poſſeſſionemq; turbare vellent, in maleficio capti ſint, paci tamen concordiæq; eos condonandos: interim ipſi quoq; à vi injuriaque abſtinerent, dum finiendarum controverſiarum ratio ab ipſis Regibus iniretur. Pignoratiliarum artium jus, ut minime ſibi notum, neque confirmare, neq; refellere: de hujusmodi vero rebus, non miniſtros Regum, ſed Reges ipſos inter ſe agere.

Verum majus in Livonia incendium morte magni Holſatiæ Ducis gliſcere incipiebat. Mortuus is fuit XVIII. menſis Martij Pilthenæ, primaria Epiſcopatus Curonienſis arce. Jam ab initio fere deditiones Kethleri in fidem Sigismundi Auguſti permutatio quædam Curoniæ ejus Epiſcopatus ut qui intra viſcera pene Curlandiæ ſit, pro arce Sonerburgenſi, villisq; Leel, & Medze, inter Ducem Gottardum Ketlerum & magnum non inſcio Rege tractata fuerat: Poſtea etiam ſpe adoptionis Friderici, majoris natu filij Gottardi, Magnus eam vaſtarat: neq; nobilitas Curonica, ut quæ cum vicinitate, tum neceſſitudinibus cum Curlandica permixta eſſet, aliena ab eo erat.

Joannes Beer, qui Lunæburgenſis cum eſſet, in illa prodigalitate Magni, majores quam quisquam alias poſſeſſiones in tractu illo adjunxerat, ne minus legitime parta, legibus Polonicis revocarentur, aliorum etiam Livonum exemplo veritus, ſimulq; in Curlando non ſatis præſidij eſſe ratus, ad Danum rem trahebat: utque tractus ejus opibus facile primus in ſententiam ſuam reliquos etiam non difficulter pertraxerat. Itaque cum Magno lethaliter jam decumbente, in Daniam ipſe præceſſiſſet, ab aliis mors ejus per Livoniam quidem, quanto poterant ſtudio celata, illi per celerrimos nuncios in Daniam ſignificata fuit. Danus ut & provectioris ætatis jam princeps, & incommodorum belli non inexpertus, cum præterea poſſeſſionibus plærisque in varios poſſeſſores Magni diſſolutione diſtractis, ipſorum etiam redituum atque rei exiguitate, ne de tantilla re aleam jaciendam exiſtimaret moveretur, Berione aditu quidem aliquandiu ad ſe præſtito, tandem tamen per familiares Berianos muneribus captos, expugnatus fuit. Magis tamen tuendam, quam aggrediendam rem exiſtimans, ſive ab adeunda poſſeſſione, excluderetur, ſine ullo negotio ab ea mox deſiſtere ſe poſſe, ſive in eam admitteretur, neminem poſtea, qui ſe turbaret, futurum, atq; ita vel receptum facillimum, vel poſſeſſionem pacatam ſe habiturum arbitrabatur, eo conſilio paucos aliquos, cum aliquot tormentis ab initio mittit, qui quam faciles aditus habituri eſſent tentarent, poſſeſſionemq; ipſam ſi poſſent, apprehenderent.

Poſtquam negligentia præfecti Vindavienſis, ſeu ipſius Curlandiæ Ducis, Danum non offendere audentis metu, cum excenſionem partim, iterque per præfecturam Vindavienſem, Piltenam facile impedire potuiſſent, in poteſtate jam Piltenam eſſe in Daniam nunciatum fuit, quod nihil deinceps controverſiæ ſe habiturum exiſtimaret, Matthiam Buddium aulicum, cum tribus iterum navibus armatis, inſtructisque ei ſummittit. Eæ cum ad Oſiliam Danicæ poſſeſſionis appuliſſent, auxiliaque à Georgio Ferensbecio, inſulæ ejus tum præſide poſtulaſſent, negata ab eo illis fuêre.

Conſilia iſta, quibus vicini atque conjuncti inter ſe Principes maximo fortaſſis malo, publico committerentur, minimè ſe probare: ipſi quid agerent viderent: Se quid utrique Principi deberet, memorem omnino ab iis abeſſe velle. Ita cum tres circiter ſeptimanas ad Oſiliam hæſitasſent, re cum Piltenſibus communicatâ, quinquaginta circiter equites Piltenenſes, per eandem præfecturam Vindavienſem egreſſi, cum iis ſe conjungunt, ac ad centum circiter homines, commeatumque & inſtrumentum bellicum, eodem quo venerant itinere Piltenam introducunt.

Interim cum non ita celari mors Magni poſſet, ut non in publicum mox erumperet, Radivilus recognita atque ad Regem relata, ex ejus ſententia legatos primum Piltenam mittit, qui & fidei illos admonerent, & jura poſſeſſionesq; illorum ratas illis fore promitterent.

Cum ad Danum præter cujus nullum aliud imperium agnoſcere ſe dicebant, eum rejeciſſent Radivilus per Oborſcium, primo trans Dunanas arces, quarum aliquot magnus in poteſtate habebat, occupat, præfectisque novis & præſidiis firmat, eoque diligentius, quod in eas fere jus pignoris Suecus prætendebat, neve Magnani cum eo novi aliquid conſilij inirent, verendum eſſet. Inde in ipſam Curoniam Oborſcium immittit; qui partim urendi agros, aliisque detrimentis ad officium illos reduceret, partim, ſi per occaſionem occupare poſſet, tempori non deeſſet.

Hic cum ſpe omni in partes eos traducendi amiſſa, militem jam reduceret. Piltenenſes promiſſis Danicis ſeu eorum potius, qui autoritatem Dani cupiditatibus ſuis obtendebant, & qualiscunq; auxilij illius acceſſione elati, ultro eum inſecuti, cum in Ambotenſe agro adepti fuiſſent, viceſima quarta menſis Maji adoriuntur. Cæſi profligatique, multis amiſſis, reliqui Piltenæ rurſum ſe includunt. Oborſcius autem prælij ejus exitu, aliis perterritis Ambotenſem, Neuhauſenſemq; arces, eodem victoriæ curſu mox occupat. Sub idem tempus dum hæc geruntur, Rex ne præter opinionem bello aliquo cum vicinis principibus illigatus, ab aliis gravioribus rebus avocaretur, maxime ſolicitus Stanislaum Koſtkam Succamerarium Culmenſem, Cracovia Piltenam mittit, ſi qua ratione ad ſanitatem adhuc reducere eos poſſet. Per eum, quod nulli ordini Livonico antea tribuerat, jurium poſſeſſionumq; omnium confirmationem, ſine ulla cognitione, aut diſcrimine promiſcue illis offert.

Cum nihil aliud fructus ex parte ea, præter militaria nobilitatis ejus ſervitia acciperet, hiſce tamen ſarcire alios fructus mallet, quam vel potentem vicinam in provinciam admittere: vel tali tempore ad inimicitias Sueticas, Danicas etiam turbas attrahere. Koſtka ne admiſſus quidem à Piltenenſibus, quæ in eum eventum mandata habebat, cum Radivilo communicare, ſi forte antequam majora auxilia à Dano mitterentur tumultum opprimi, pacarique provincia poſſet.

Jam ante vero ipſe etiam Radivilus ſucceſſu Oberſciano invitatus, ut quam maximum poſſet militem ad recipiendos eos in fidem cogeret, operam dabat. Maxime vero Curlandiæ etiam Ducem, ut auxiliarium equitem mitteret, urgebat. Eum inter metum à Dano, officiumque Regi debitum, anxium ancipitemque Koſtka tandem literis Regiis, hortationeque ſua adducit, ut ducentos equites mitteret, & quam maxime in extenſionem iterque Vindavienſe intenti, ſi quæ à Dano auxilia mitterentur, prohiberent. Supra oſtenſum eſt Matthiam Buddium Piltenam è Dania miſſum. Literas hic ſimul mandataque ad Regem habebat: & quod quemadmodum oſtenſum eſt, ſemel in poſſeſſionem admiſſus, nihil amplius difficultatis habiturum ſe Danus exiſtimaret, humaniſſime ſcriptæ literæ erant: ut quæ jus Danicum in Curoniam, & cum poſſeſſionem jam Danus adijſſet, omnia in vicinitate officia, & offerre & expectare ſe eum oſtenderent. Venit cum iis ſub ipſum nuptiarum Zamoſcianarum tempus. Sed rebus prælio Oborſciano jam ex aſperatus, diverſa à literis oratio, neque ſine minarum aliqua jactatione ab eo adhibita; ad nuptias nihilominus nomine Regio invitatus, mandatum ejus rei ſe non habere cauſatus, abfuit. Jam ante vero binas etiam à Dano literas Rex acceperat; unis in diſſenſionibus inter Suecum & Regem, quas ex publica fama cognoviſſet, ne eum incommodo forte aliquo Chriſtianitatis in apertas inimicitias erumperent, ſi quid à ſe etiam in commune conſuli poſſet amicè, operam ſuam deferebat.

Alteris Henrici Ramelij miniſtri, qui mutuum Auguſti temporibus contractum repetebat, Regi cauſam commendabat. Ad eas per ſuum hominem reſponſurum ſe Rex oſtenderat. Cum ad ea nunc Curonicum etiam negotium acceſſiſſet, mittit ſub initium menſis Julij: In Daniam Jacobum Ponetovium pincernam Lancinenſem. Per eum, quæ cum Sueco hactenus interceſſiſſent, demonſtrat; quàm nihil juris Suecus in Livoniam haberet, præter multa alia, vel ipſius literis, Ericanis temporibus ſcriptis, quibus nullo jure ab Erico fratre ſuo Livoniam appeti ipſe profectus fuiſſet, doceri poſſe; ne tamen tractando res magis exaſperentur, ut conditiones, quibus componi rem poſſe Suecus putaret, Danus prius ex eo cognoſceret, permittit; ex quibus ſi ſpes aliqua compoſitionis eſſe poſſet, quantum in ſe eſſet concordiæ non defuturum.

In Curoniam jus Regni pluribus demonſtrare juſſus: ut quæ non modo univerſæ Livoniæ, deditione ipſa quoque in poteſtatem dominiumque Regium veniſſet, ſed cujus poſſeſſio etiam, partim ab aliis deſerta, partim à Poloniæ Regno ſolo fere defenſa, penes idem ſemper fuerit; atque in quam Magnus ipſe à DEO, poſtquam Tyrannide Moſci ſe ſubduxiſſet mox conceſſerit; non modo enim fidem Regiam mox eum imploraſſe, ſed & jurisjurandum apud Radivilum Palatinum Vilnenſem à Rege ad

illum miſſum, Regi præſtitiſſe: & homagium partim coram, partim cum ad comitia dilatus fuiſſet, proximis comitiis per primarium etiam tractus ejus præfectum Ambotenſem petijſſe. Non eſſe vel humanitatis, vel æquitatis ejus, ut cum eo tempore, quo bello Moſcovitico ita Livonia ardebat, ut jam ad Curoniæ etiam fines pervaſiſſet, ſicut alius nullus, ita ne ipſe quidem, quamvis ad ſocietatem periculorum & præmiorum per Farensbecium à Rege invitatus extiterit. Qui ullam partem periculi ſumptusve ſuſcipere pro ea voluerit, nunc præmia belli alieno ſanguine & labore parta, ad ſe transferre vellet. Ob rem præſertim leviſſimam, ut quæ in diverſos poſſeſſores diſtracta exhauſtaque, nullorum omnino fructuum eſſet, gravioris aliquid contentionis non ſine incommodo publico ſuſcipere.

Itaque ut maxime juris aliquid in tractum eum habere ſe exiſtimaret, non deeſſe tamen rationes inter Principes Chriſtianos receptas, quibus bona inter utrinque gratia jus ſuum perſequeretur. Sineret Regem ex poſſeſſione ei reſponſurum uti poſſideret, poſſidere: neque alieno ab ipſorum Principum rationibus exemplo, alienos ſubditos contra communem principum Chriſtianorum neceſſitudinem reciperet.

Ramelium à privatis per quos nomen id factum eſſet, repetere id bebere, jus de iis etiam extra ordinem illi dicturum. Iisdem de rebus ad Ducem Pruſſiæ etiam Georgium Fridericum à Zamoſcio ſcriptum: oſtenſum, quanto cum incommodo Chriſtianitatis, Chriſtiani Principes ob tantulam rem inter ſe committerentur, ſi ab aliis magis ſalutaribus conſiliis contra paganos alieniſſimo tempore Rex ea evocaretur. Non multo poſt Oborſcius arcem Edweldenſem tentans, quæ exuſta quidem, ſed iterum reſtituta, & præſidio à Piltenſibus munita fuerat, tormento interficitur; tractatum interim per Curlandos non improbante Radivilo cum Piltenſibus de induciis, re per Piltenſes infecta, ſeu rejecta, Stanislaus Pekoslovius, quem Oborſcij loco exercitui præfecerat, quibuscunque poterat rebus Piltenſes infeſtabat: Caſtrisq; ad ipſam Piltenam poſitis, cum Piltenenſes etiam non raro erumperent, crebris inter ſe velitationibus decertabant. Ponetovio in Daniam miſſo, ut tractationis ejus ſpem, quam ex legatione ea, & Ducis Pruſſiæ interventu Rex cœperat, interrumperet, Radivilo ut militem ad Piltenam miſſum revocaret, mandarat, per excurſionem interceptæ fuerant, alteræ pervenerant. Ex iis receptis, ejus cognito adventu animati Penkoslavium, ſex milliaria, tridui itinere jam progreſſum, juſto equitum, peditumque numero, bellicisque aliquot tormentis aſſumptis inſequuntur: Cumque in pago quodam omnium rerum ignarus aſſediſſet, nocte aggrediuntur: ex utraque parte complures, in iisque fortes nonnulli viri periere: ad extremum tamen qui vim faciebant, ab iis qui à vi ſe defendebant, recollectis animis, non parva cum ſtrage repelluntur, nonnulli etiam ex iis capti, quæ quomodo geſta eſſent, Ponetovio in Daniam mox ſignificata. Danum cum eæ res exacerbaverant, acceptæque injuriæ opinio augebat, tum non minus Suetiæ etiam Rex incendebat; qui animo ægro faces per occaſionem hanc admovens, diſerte etiam ſcribere ad eum non dubitarat, pro effœminatiſſimo imbelliſſimoque Rege, per univerſum imperium Germanicum habiturum iri, niſi quas tam atroces à Polonis injurias accepiſſet, iis reponeret. Ad legationem Ponetovio reſpondet, ad gratiam inter Polonum & Suecum reconciliandam, publicæ tranquillitatis ſtudio ſuperiore anno animum appuliſſe, eoque ad utrumque Regem literas ea de re dediſſe: nunc cauſas Regis, ob quas & hactenus rem diſtuliſſet, neque adhuc valde propenſum in eam eſſet, accipere: ſi quid tamen poſtea in medium conſuli à ſe poſſet, vicini, publicamque tranquillitatem amantis Principis, officio non defuturum.

Quod ad Curonicum Epiſcopatum pertineret, neque ſibi quaſi alienis ſubditis receptum præſtaret, recte imputari poſſe: neque Curonibus, quaſi immodicarum largitionum à magno factarum metu nunc demum ad patrocinium Danicum ſe contuliſſent. Pactis enim, quibus Epiſcopatus is Magno permiſſus fuiſſet, diſerte exceptum fuiſſe, ut ſupremi Imperij jus penes Daniæ Reges maneret; quod non ſolum magni, ſed ipſorum provincialium literis ſignisque doceri poſſet; nolle ſe commemorare à Woldemaro ſecundo Daniæ Rege trecentis abhinc annis, Epiſcopatum eum ab initio fundatum, inſtitutumque fuiſſe.

Id certum eſſe, in omnibus pactis fœderibusque, cum Poloniæ & Sueciæ Regibus, cum ipſo adeo Moſco, exceptum ſemper ex parte Danica Epiſcopatus ejus jus fuiſſe. In poſſeſſione etiam continuo fuiſſe. Primo tanquam directum dominum: Deinde vero mox à morte magni præſidio ſuo Piltenam primariam arcem teneri: à qua reliquæ omnes dependent, quod aliquæ vi ab hominibus Regiis ex iis occupatæ interim eſſent, primum contra expectationem ſuam, deinde omnia divina, atque humana jura id factum, utque & jus de iis Rex ſibi dicendum curaret, damnaque ſarcienda, utque inpoſterum ab omni maleficio abſtineretur mandaret, poſtulare: alioquin ipſi ſibi violati juris ſui vindicandi neceſſitatem impoſitum iri. Bellum Moſcoviticum pro Livonia ſuſceptum

ptum nihil huc pertinere. Ut quod cum Epiſcopatu eo quem nunquam hoſtis attigerit, nihil commune habeat; Quemadmodum ne ſocietatis quidem belli ejus recuſatæ commemoratio. Præterquam enim quod ad Epiſcopatus ejus diſceptationem nihil etiam pertineat, cum conſtitutum utrinq; fuiſſet, ut Danici Polonicique Delegati Stetinum ſocietatis ejus tractandæ cauſa, ad certum diem convenirent, cum Danici in decimum usque diem Polonicos expectaſſent, Polonicis neq; venientibus, neque quicquam nunciantibus, infecta re redire coactos fuiſſe, ab eo tempore nihil de ſocietate ea amplius actum: mutuum tantum cum per literas, tum Farensbecium petitum, graviſſimis de cauſis negatum fuiſſe; utcunque tamen eſſet, ſi quid juris Rex habere in Epiſcopatu eo exiſtimaret, ſe quoq; ex poſſeſſione ſua reſpondere paratum eſſe, Principumq; aliquot interventorum, de quibus conveniſſet arbitrio ſtaturum; eoque promptius, quod Georgius Fridericus Marchio in Pruſſia Dux pro mutua neceſſitudine id jam recepiſſet, nec quicquam quod ad ſummam æquitatem ſpectaret: deſiderari ſe paſſurum.

De Ramelij debito ex inſtrumentis, quæ Ramelius penes ſe haberet, planum ſibi factum, non à privatis ſed à Rege Auguſto ipſo, pecuniam eam ſumptam, inque uſus ejus converſam. Ita ſi per alia graviora negotia nondum ſatis cauſam eam cognoſcere potuiſſet, ut vel nunc tandem cognoſceret, Ramelioq; ſatisfieret, curaret, petit. Quæ de ſocietate belli Livonici utrinq; commemorata fuerunt, ita ſe habent. Eo tempore quo ad Polotiam cum exercitu Rex contendebat, Georgium Farensbecium Marſcalcum tum ſuum, Danus ad eum miſerat, cum aliquanto ante ſuſcepti à ſe belli conſilia cum ipſo etiam Rex communicaſſet. Cum conditiones quasdam ſocietatis per Farensbecium proponeret, & humanitas ejus, & hoſtis fama, & belli ſuſcepti magnitudo, ut non rejiciendam eam Rex putaret, fecere. Quod vero ex inſtituto reipub. nonniſi ex comitiis ſtatui de ea poſſet, ad communes delegatos, longioremq; diem neceſſario proferenda fuit.

Probato à Dano conſilio, ut ad exitum menſis Novemb. delegati Stetinum mitterentur, interim conditiones ſocietatis, quas quisque proponendas putaret, aliquanto ante id tempus utrinq; inter ſe communicarent. Ob tarditatem Comitiorum deliberationumque comitialium, primò in menſem Decembrem, inde in Januarium, initiumque Febr. proferendus conventus is Regi fuerat; initio tamen menſis Decembr. Petrum Smielovium, cum conditionibus, de quibus à delegatis tractari debere æquum exiſtimaret, in Daniam miſerat: per eundemque mora excuſata, ut in menſem Februarium res proferretur, petierat.

Conditiones eo fere ſpectabant, ut quemadmodum commodi, ita onerum quoque partem utraque pars, æqua ratione ſubiret. Cum vel Dano conditiones non placuiſſent, ideoque Stetino ſuos revocaſſet, vel delegati Danici, cum antequam Stetinum venirent, Smieliovius in itinere in eos incidiſſet, exemplumq; conditionum cum iis communicaſſet, deſcenſurum eo Regem ſuum non exiſtimaſſent, aut quemadmodum literis in diſceſſu ſuo ad Regem datis, ipſi poſtea ſignificarunt, nulla de iis mandata ſe habere intelligerent, ſuo conſilio uſi fuiſſent, noſtris commiſſariis non expectatis diſceſſerant. Et quamvis per literas mox apud Danum moram Rex excuſaſſet, ac ſi de conditionibus per Smieliovium ad eum transmiſſis ſententiam ſuam ſibi ſignificaſſet, cum uberioribus mandatis, alium legatum miſſurum, ſe oſtendiſſet, intermiſſa tamen poſtea res à Dano fuit.

Verum interventu Georgij Friderici Marchionis in Pruſſia Ducis, cum Lævinum Bielavium ad Danum iis de rebus miſiſſet, induciæ primum inter Piltenſes Regiosque conſtitutæ: interim negotij ipſius tranſigendi conditiones ejusdem Bielavij opera ab eo tractatâ. Vix Tartarico periculo, de quo ſupra oſtenſum eſt, defuncta reſpubl. erat, cum non multo poſt Turcica etiam arma maximo omnium cum metu provocata fuere. Sub idem fere tempus nuptiarum nimirum Cracovienſium, Koſacci Niſovij duces, ex finitima nobilitate aliquot nacti, in Turcicas ditiones irrumpere inſtituunt. Rex certior ea de re factus, ut conatus iſtos eorum, priusquam erumperent opprimeret, operam dabat. Verum nullum mandata, nullum interpretes. Legatique ex aulicis etiam aliquot Regiis miſſi, nullum edicta ad præfectos, nobilitatemque finitimam, vel locum apud eos reperiebant, vel retinere quicquam eos poterant.

Primo Valachicis finibus evaſtatis, in Turcicas deinde ditiones converſi. Jakorlicum non ita dudum verſus Polonicos fines ligneam à Turcis excitatam arcem evertunt, ut quam cervicibus ſuis imponi interpretabantur; à qua Thehinum vetus Imperij Turcici oppidum, & Sendziaci ſedem Benderiam à Turcis appellata progreſſi, ſimili modo eam incendunt, diruuntque; tormenta complura, & tanquam ex oppido populoſo, opulentoque, & ab injuriis metuque armorum à multis ſæculis immuni omnium rerum ingentem prædam nacti ſe recipiunt. Erat tum in Turcia Podlodovius ſtabuli Regij præfectus; præſtantiorum aliquot equorum coemendorum cauſa à Rege miſſus.

In hunc facto hoc exacerbata primum rabies Turcica erupit. Cum Conſtantinopoli egreſſus in reditu jam eſſet, equosque coemptos in Poloniam adduceret, in pago quodam pernoctantem noctu manus quædam

dam aggressa eum fuit: diversorioque in quo erat, eductis cum ipsi, tum qui circa illum erant, cervices præcisæ: equi, reliquaque suppellex direpta: quamvis vulgo etiam, quod cum in Asia, in quam fide publica Constantinopoli accepta parandorum equorum causa profectus fuerat, in exercitum Turcicum à Persica militia valde accisum redeuntem incidisset, quod curiosius illum spectasset; Constantinopoli etiam jactantius nonnihil se, equosque coemptos ostentâsset, periculo illi fuisse, vulgo existimabatur. Quemadmodum ostensum est, ut res quæ potentissimi hostis arma provocatura esset, cum Regi tum magistratibus etiam plærisque maxime finitimis magnæ curæ erat. Itaque cum impedire conatus eorum non potuissent, è finibus tamen Turcicis regressos, miles limitaneus jussu Regio insecutus fuit. Prædones primum tormentis plærisque relictis per Kioviensem tractum, versus solitudines Moscoviæ, & Korsunum in fugam se conjecerunt: inde disjecti, plæriq; etiam capti fuere. Ita ut & tormenta, & ex prædonibus ipsis non pauci in potestatem venirent. Simul monitu Zamoscij ad Beglerbegium Græciæ à Nicolao Sieniavio militiæ campestris præfecto, Stanislao Wlodkone, tanquam præfecto misso, qui jus de prædonibus dictum, ablataq; redditum iri offerret.

Primo die vincula injecta ei fuere: Præsenteq; eo fama victoriæ Persicæ, captique filij Regis Persarum conficta, publico gaudio, bombardarumq; explosione celebrata. Postridie ad colloquium admisso, si quemadmodum promitteret, tormenta, aliaque præda restituerentur, prædonesque dederentur, vel supplicium de iis sumeretur, se ipsum ad pedes Principis sui se abjecturum, neve à tam vetusto constanterque hactenus observato fœdere recederet, supplicaturum se ei Beglerbegius ostendit. Maxime quod de præstatione ex ærario damnorum à Kosaccis illatorum, si aliter pacari Turca non posset, statuendum sibi esset, animo Rex angebatur. Cum hinc exemplum eum terreret. Etsi enim à Sigismundo etiam primo factum id aliquando fuisset, & rarissime tamen factum, & levissima re defunctum constabat: more publico alioquin eorum qui injurias intulissent, supplicio eas expiatas; ab altera parte non modo periculum, sed sumptus etiam, bellum si esset, multò major ostentabatur. Ex sententia Senatus Slostovium præfectum Dapiferorum, cum qui ante etiam aliquando eo nomine functus fuisset, Turcicarum rerum non ignarum ad portam mittit. Cum gravissimæ conditiones propositæ ab initio ei fuissent, restitutione tamen tandem tormentorum, supplicioq; sontium, qui in potestate essent promisso, præter omnem opinionem transactum fuit. Si quid tamen deinceps hujusmodi accideret nolle se ut legati amplius ad semitterentur, cum in eum casum renunciatum jam fœderi velit, à Turca additum. De Podlodovij cæde investigaturum. Quæ in causa repetitionis dotis, rerumq; dotalium à Duce Brunsvicense hactenus intercesserint, supra demonstratum fuit; cum successionis nimirum jure à Julio Duce Brunsvicense repetitæ eæ antea fuissent, animadversum postea fuisse, pactis dotalibus ad ipsum Regnum eas pertinere; Qua ratione eo magis utendum sibi Rex existimabat, quod ut maxime successionis jure sorores persequi eas possent, ob offensiones tamen cum Sueciæ Rege, difficilem inter eos ejus rei communicationem futuram videbat.

Julius autem præter morem Principum Germanorum, ab omni æquitate, fere aversum, alienumque in causa ea se præstabat. Non modo enim nihil æqui impetrari à se patiebatur, sed legatos etiam ea de re ad illum Regios aliquando non admittebat, aliquando sine ullo responso remittebat. Cum comitia imperij sub ipsum Polonicorum proximorum comitiorum tempus Ratisbonæ haberentur, Hieronymum Rozdrazevium Episcopum Cujaviensem ad ea Rex miserat, maxime quidem, ut si de Livonia nuper ab hoste parta, aut Sueticarum etiam controversiarum mentio aliqua incidisset, jus Regni demonstraret, quodve in statu res essent, apud imperij ordines ostenderet. Nominatim vero, ut de Julij Ducis Brunsvicensis injuriis quereretur, utque non tam jure civili, cui minime Principes externi subjecti essent, quam ex æquo & bono arbitrio delegatorum Principum judicio de plano res definiretur, peteret. Delegationem ejus rei in Saxonem & Brandeburgensem Principes Electores à Cæsare impetrarat. Missus ei rei causa mense Julio Cracovia Joannes Miskovius à conjunctis, necessariisque Principibus facile impetravit, ut negotium susciperent. Diem 18. mensis Novemb. Magdeburgum partibus assignarant; quo ipsi quoque Subdelegatos suos ad diem missuri essent.

Pacta quæ inter domum Austriacam regnaque ac ditiones ejus, regno huic plærasq; vicinas, à multis sæculis intercesserant, semperque à novis Principibus renovari solita fuerant, in huncusque diem nondum inter Cæsarem, Regemque renovata fuerant, amicitiam igitur, juraque vicinitatis magis mutuo metu, commodoque, quam certo fœdere inter se tutabantur. Cum & Cæsar dignitatis suæ esse non judicaret, ut prior de fœdere Regem appellaret, Rex autem non ante sibi esse de fœdere agendum existimaret, quam paternæ possessiones suæ arx Zaltmanensis, & oppidum Nemeli, quibus tempore Maximiliani Secundi per injuriam eversum se existimabat, à Cæsare sibi restituerentur. Receperat in eam arcem Rex Joannis Transilvaniæ Principis præsidium, cum

cum ut Principi suo, difficulter id negare posset: ita tamen ut possessio ipsa usus fructusq; penes Regem familiamque Battoream maneret. Cum Melchiori Balasso arcem Joannes credidisset, tempore induciarum Maximiliani, præfecto arcem Balassa tradiderat, Ditrichsteino arce à Maximiliano remuneratus, recuperata postea à Stephano fuerat, & ne sedes quasi belli intestini maximo cum fortunarum suarum incommodo ibi constitueretur, Joanne Principe assentiente demolitus eam fuerat.

Verum postea à Lazaro Suendio denuo occupata, diligentissimeque munita, Turcicum simul bellum, violandarum etiam induciarum occasione eis præbita, attraxerat. Postea Spirense etiam pacificatione cum Joanne Principe Transilvaniæ Cæsar eam sibi confirmarat. Itaque tanquam & jure belli ab hoste captam, & Spirensis fœderis legibus Cæsar sibi eam defendebat. Rex non modo bello non captam, sed induciarum tempore Balassæ perfidia interceptam contendebat. Spirensem autem tractationem, nihil ad se pertinere, qui alieno pacto suis fortunis privari non deberet: præterea vero morte Joannis Principis Transilvaniæ interruptam, cum ante promulgationem exitumque adeo ejus, è vita is discessisset, nullam unquam firmitatem obtinuisse. Non tam res quam indignitas Regem movebat, si ne ad Regium quidem fastigium evectus, à majoribus sibi familiæque relicta vindicare potuisset. Itaque cum ante per alios, tum per Hieronymum Rozdrazevium Episcopum Cujaviensem, quem ad Conventum Imperij missum supra ostensum est, diligenter Cæsarem ea de re appellaret, & per Petrum Duninum Volscium Episcopum Plocensem, qui legatus ab eo ad summum etiam Pontificem, & erat & retulerat.

Hic pacis inter Principes Christianos conciliandæ studiosissimus, cum ut certo etiam fœdere amicitia inter eos firmaretur, maxime cuperet, & per Albertum Bolognetum Episcopum Massanensem, qui apud Regem nuncius ab eo erat, diligentissime Regem appellabat: & multo etiam diligentius cum utroque tam Cæsare quam Rege, per Antoninum Possevinum agebat. Quod maximo sumptu Zattmarum à se munitum, ob publicas etiam rationes Ungariæ restitui non posse ostenderet, ut pretio certo de eo decideret, à Cæsare proponebatur, tanquam à dignitate sua alienissimum, omnino repudiatum à Rege fuit. Eo tandem studio, atque opera Possevini res deducta, ut in permutationem utrinque consentiretur. Ei rei tractandæ dies certa Cassovij dicta, missusq; ab eo ab Rege Martinus Borzevicius, Nagibania cum aliquot Villis, qua Rivolum dominarum à quibusdam dicitur, aurique fodinas habet, iis conditionibus ex parte Cæsaris proposita, ut neque muniturum se eam, & quam primum permutatione satisfactum ei fuisset, renovationem fœderum peteret, res vix non accepta fuit, nisi quod de partibus aliquot Villarum, quas non tam sui, quam consanguineorum quorundam suorum, quorum fuissent, commodi causa adjici Rex volebat, hæsitabatur. Conditiones non tam Rex vel iniquas putabat, vel recusabat, quam publice se iis astringi dignitatis suæ non esse existimabat. Privatim tamen Possevino, ut suo nomine eas promitteret, etiam Syngrapha in eam rem illi data permittebat. Cum ad extremum conditio à legatis Cæsareis omnibus aliis fere rebus pertractatis, de jure supremi dominij agnoscendo, juramentoque fidei, & oneribus aliis præstandis, ultimo loco proposita, conventum infecit: eo Regi suspectior, quod quasi inficiendi negotij causa, ad finem servata videretur; neque tamen postea etiam laborare Possevinus in negotio eo desistit. Sub initium mensis Septembris priusquam Cracovia Rex discederet, Andream Battoreum fratris filium Romam mittit. Hunc omnibus & animi, & fortunæ donis conspicuum tum adolescentem, quod alij duo fratres Stephanus & Balthasar, ætate illum antecederent, contra genium ipsius, & invitis quasi fatis ecclesiastico ordini addixerat. Pultoviæque pietatis & bonarum literarum causa aliquandiu in consortio patrum Societatis educatum, Miechoviensq; præpositura, quæ morte Simonis Lukovij vacabat auctum, sub hoc tempus Romam mittebat, ut non modo summo Pontifici, sed in luce illa hominum orbi Christiano, eo facilius innotesceret.

Legationemq; ad Pontificem illi imponit, ut ratione Livoniæ tanquam nuper partæ provinciæ, nomine Regio obedientiam apud summum Pontificem profiteretur, negotium simul illi datum, cum D. Stephani rotundi ædes, à D. Stephano Ungariæ quondam Rege in nationis Ungaricæ usus cum collegio condita, Germanicæ nationi attributa postea fuisset, ut Ungaricæ gentis adjungi eam rursum peteret. Sub exitum inde mensis Septembr. Cracovia Grodnam Rex proficiscitur, in itinere Korczini Lublinique, atq; aliis nonnullis in locis per aliquot dies subsistit. Sub initium mensis Novembr. Georgius Farensbecius Grodnam ad Regem venit. Hic cum in superioribus bellis Moscoviticis insignem operam Regi præstitisset, & ipse justa sumptuum, periculorumque suorum, in patria maxime sua Livonia præmia à Rege expectabat, & jussu Regio, certa spe honoris, remunerationisque ei facta, evocatus à Zamoscio fuerat. Offerebat illi Rex præfidatum primarium in Livonia Vendensem, advitalitio præterea jure arcem in Episcopatu Curoniæ præcipuam, Piltenam: ex quatuor vero Transdunanis, quæ Regis nomine ei pro-

proponebantur, quam elegiſſet unam. Cum de literis promiſſisque Regiis ad Daniæ Regem, cujus miniſterio addictus, Oſiliæ ab eo præfecturam petebat retuliſſet, non impedire ſe commoda ipſius quæ ab aliis ei offerrentur reſcripſerat, modo de ſuo non alieno largirentur, & tanquam utriq; quidem Regi devinctus, cum ut transactione aliqua controverſia ea Piltenenſis tolleretur, vehementer cuperet, per nullum rectius, quam per Ducem Pruſſiæ, ut cum quo ſumma Dano neceſſitudo intercederet, tractari de ea poſſe, ipſe etiam demonſtrabat. Suſpectum eum primo apud Danum fecerat, quod cum de auxilio ab iis quos Piltenam miſerat appellatus fuisſet, id negaſſet: non minus inde, quod cum hortatu Radivili nobilitatem ſuam contra Piltenſes Dux Curlandiæ evocaſſet, præfectus arcis, quam uxoris jure in Curlandia Farensbecius poſſidebat; etſi ab omnibus oneribus, libera omnino eſſet, ad delectum nihilominus reſpondiſſet, atque ita ipſius etiam equites nonnulli ſub ſignis ad Piltenam fuisſent: ad extremum quod ejus ipſius diſſenſionis tempore à Rege non modo evocaretur, ſed Piltena etiam de qua diſſenſio exorta eſſet, illi offerretur.

Etſi autem utrumque literis apud Regem Daniæ excuſaſſet, ut in quorum altero de officio fideque ſua erga utrunque Principem actum, alterum autem ignaro ſe adminiſtratum fuiſſet, Piltenam vero à Rege ſibi oblatam omnino recuſaſſet, ſcitu etiam permiſſuque Dani ad Regem iviſſet, tantum tamen ſuſpiciones eæ in animo ejus valuerant, ut et Oſiliam per vim abſenti tum auferret, & quamvis multi, interque alios Dux Pruſſiæ ipſe etiam apud eum pro illo ſe interpoſuiſſet, nunquam tamen reconciliari ei potuerit. A Rege poſtea præſidatu Vendenſe, qui quemadmodum alij præſidatus Livonici in Palatinum commutatus, deinde fuit, Karkuſienſeq; arce & agro jure hæreditario, aliisq; nonnullis præfecturis, remuneratus fuit. Initio anni Octuageſimi quarti, Andreas Battoreus fratris Regis filius, in coadjutorem Epiſcopatus Varmienſis confirmatur. Petierat id Rex ex formula fœderis Epiſcopatus ejus qua jus filiorum fratrumve Regiorum præcipuum ad Epiſcopatum eum eſſe jubetur. Non alienus jam ante etiam Cromerus Epiſcopus tum Varmienſis ab eo erat. Sed cum pro jure eccleſiæ ejus ſine voluntate collegij perfici res non poſſet, miſſus ad eos Petrus Tilicius, qui per omnes magiſtratuum, & honorum eccleſiaſticorum gradus, ad Epiſcopatum Cujavienſem ſumma virtute prudentiaque poſtea pervenit, & conſenſu Epiſcopi collegijque & utriusq; inſtrumentum, quod Romam mitteretur abſtulit.

Eadem hyeme de portorio Gedanenſe etiam, inſigni ad publicos proventus acceſſione tranſactum. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, cum in ipſa pacificatione Mariæburgenſe, convenire de ea non potuiſſet, quemadmodum & alia nonnulla ad proxime futura comitia rejecta res fuerat. Gedanenſes, cum recuſandi ejus ipſis privilegiis ſuis jus demonſtraturos ſe obtuliſſent, per aliquot comitia rem duxerant; ante proxima ſuperiora comitia in Regiam eam ob cauſam evocati, cum urgerentur, auctionem Auguſto promiſſam, ut vel centum quinquaginta millibus, in annos quindecim, vel ducentis in annos viginti redimere ſibi liceret agebant. Cum tanquam à dignitate ſua, publicaq; alieniſſima omnino conditio ea repudiata à Rege fuiſſet, auctionem tandem, ſed certis conditionibus promittunt. Cum diu convenire de nonnullis non poſſet comitiis iis Varſavienſibus; tum deinde Cracoviæ per integram æſtatem, omneq; id tempus, quo Cracoviæ Rex hærebat, aliis, atque aliis diverſis temporibus ex magiſtratu miſſis, una re agitata res fuerat.

Sub hoc tempus menſe Febr. cum Joannes Lindanus, & Conradus Lemka è magiſtratu, Henricus Lembka Syndicus, Grodnam ad Regem veniſſent, ab eodem pro munere Cancellarij ad Zamoiſcium, qui quo vicinior Regi eſſet, Kniſſini per id tempus agebat, remiſſi fuiſſent, ejus interventu res tandem transacta; quæ vel alieni juris erant, ut de Schotlandia, Stolcembergo, quæve contra dignitatem jusve publicum eſſe videbantur, debita itidem Auguſtana, partim omnino negata, partim ad eos ad quos pertinerent rejecta: reliqua plæraque ita illis tributa, ut jus Majeſtasq; publica in iis exciperetur imprimis ne auctio ea aliis juribus ipſorum: ipſi denique portorio, quod hactenus poſſediſſent præjudicij: aliquid afferret cavebant: centum millia in placationis formula promiſſa, præteriti præterea temporis auctio, ſeu portorij pars Regia, tum reliqua vel contributionum, vel quorumcunque aliorum ſuperioris temporis debitorum remiſſa; ut more priſtino tres conſules duoque Scribæ à Senatu evecti, ex æſtimatione Senatus, intra Civitatem, conjunctim loco conſueto id exigant, nec poſthac vel ex Regia, vel civitatis parte, ulla re portorium amplius augeatur, literæ itidem paſſus ſub conſueto more civitatis ſigillo, navigantibus poſthac quoque ederentur, generatimq; vetus percipiendi portorij ratio, nulla re mutaretur itidem permisſum: ita tamen, ut qui exacturi id eſſent, juramentum apud delegatum Regis in Civitate præſtare, rationesq; ibidem eidem reddere quoties etiam opus futurum eſſet, in Regio autem judicio tanquam miniſtri Regij ratione officij ſui reſpondere tenerentur. Immunitates à portorio nulli darentur, neque Regiarum mercium colore portorium à quoquam eludi permitteretur.

De jure Maritimo Caſimiri privilegium illis confirmatum, navigationes ac litora tegendi, adminiſtrandique, navigationem aperiendi, & claudendi, cum Regio tamen conſenſu, ac voluntate. De naufragis & caducis Sigismundi Primi, ut in Burggrabij magiſtratusque cuſtodia ſint, quoad vel hæres extiterit, vel fiſco committantur. De novis vero vectigalibus, aut exactionibus nullis, vel terra vel aqua imponendis, itidem Caſimiri jus jam ante Civitati, Pruſſiæque tributum.

Acta Commiſſionis Auguſtanæ, & ſi graviſſimis de cauſis inſtituta ea ab Auguſto fuisſet, ob temporum tamen quæ conſecuta eſt varietatem, ita ſublata, ut pertinere tamen interim ad ſe Succeſſoresque ſuos jus id Rex caveret, quoties publicæ utilitatis, aut ipſius civitatis ratio id poſtularet, Commiſſarios ad Civitatem mittendi arbitrium, neque in hoc jure, quod legitimum & indubitatum deceſſores ejus habuiſſent, quoque ab initio jam uſi fuiſſent, ſuæ ſucceſſorumve autoritati, nulla re derogatum vellet. Commiſſarios autem ea cum poteſtate miſſum iri, ut ſecundum juris communis permiſſionem appellare ab iis ad Regem poſſent: Cauſa alia nonnulla, ut de mandatis, literis fidei publicæ, moratoriis, ſimilibusque quæ ad ſtatum civitatis pertinere videbantur. Quod nonniſi ex ordinum, ſeu Senatus autoritate rata iſthæc eſſe poſſe viderentur, Ver autem æſtasque inſtaret, cujus portorium perire, aut poſſeſſionem ejus diutius differri, Rex nolebat, forma quidem privilegij omnia comprehenſa, ſigno manuque Regia tradita eis fuere; ut autem ex Senatus autoritate, in proximis comitiis ſolennius aliud privilegium iis de rebus civitati ederetur, convenit: ita quidem, ut ſi tum forte aliqua eorum rata non haberentur, neutra pars ad transactionem eam amplius obſtricta, obligataque eſſet; exactio quoque aucti portorij ipſo facto ceſſaret: utriusque tamen partis in omnibus commemoratis capitibus in eo quo ante transactionem fuerat, ſtatu ſalvo permanente. Juramenti ſimul formulæ ad perpetuum ejus rei uſum, manu ſigilloque Regio illis editæ. Ita profectus mox cum iis Joannes Tarnovius Referendarius, qui & gratia Regia & honoribus magiſtratibusque inſignis, ad Archiepiſcopatum Gnesnenſem provectus poſtea fuit, præfectis ſcribisq; juramento adactis poſſeſſionem portorij nomine regio adijt.

Venerat ſub idem tempus cum Gedanenſibus ad Regem, Angliæ Reginæ Legatus, Joannes Herbertus, ut de certæ ſedis negotiationum Anglicarum ratione, ac legibus ipſe quoque cum Rege ſtatueret; non inutilis adventus ejus erat. Cum enim negotiationem Anglicam, ut quæ magno cum incommodo Civitatis Gedanenſis Elbingam tranſlata erat, ad priſtinum morem, vel maxime revocari Gedanenſes cuperent, metus, ne quid cum Anglo novi conſtitueretur, non parum ad tranſigendum cum iis negotium momenti attuliſſe exiſtimabatur. Etſi autem cum Gedanenſibus jam Rex conſtituerat, ne tamen contra communem humanitatem, atque inter Principes neceſſitudinem præciſe rejectus videretur, cognitio cauſæ decreta. Delegati Petrus Koſtka Epiſcopus Culmenſis, Petrus de Potulice Palatinus Breſtenſis, Joannes Dulsky Culmenſis, Stephanus Grudzienſcius Naklenſis, Caſtellani, Stanislaus Koſtka Succamerarius Culmenſis, qui Conventu Mariæburgi indicto, rationes negotij ejus ex Legato cognoſcerent, facultatemque omnibus quorum intereſt, adeundi dicendiq; facta, quæ in negotio eo cognoviſſent, ad Regem Senatumque referrent. Intercedebat per id tempus cum Duce Pruſſiæ, etiam controverſiæ aliquid. Primum de ratione Calendarij, aliquoties à Rege appellatus fuerat, ut in emendato Calendario accipiendo regni, cujus Pruſſia quoque membrum eſſet conſenſum ſequeretur.

Religionis diverſitatem, libertatemq; obtendenti demonſtratum fuerat, nihil ad religionis cauſam, eam rem pertinere, quæ enim ante tot annos non Chriſti, ejusve diſcipulorum autoritate, ſed à Julio Cæſare, qui nihil cum Chriſtianitate commune habuerit, Calendarij ratio introducta ſit, ea à quo nunc mutetur, cujus magnopere intereſſe? nullos certe minus moveri ea debere, quam qui in notando ſummo Pontifice certorum dierum, quæ ab illo retineatur obſervationem, vel imprimis ſuperſtitionem condemnent. Diem quidem Dominicum, qui jam diſſentientibus de religione communis nobis ſit, immotum permanere: alios dies feſtos, vel non obſervari ab illis, vel ſi colantur, ita coli, ut nulla eorum religione adſtrictos ſe putent. Ille in ſententia nihilominus perſtitit. Accedebat ad hoc alterum. Jam ſuperiore anno octuageſimo ſecundo, cum conventum Provincialium Regiomonti habuiſſet, iique durius quædam exigi à ſe exiſtimaſſent, aliis metu cedentibus, Joannes Albertus Eilenburgius, Fridericus Aulacus, Chriſtophorus è Dhela nomine municipiorum ſuorum, Roſtenburgenſ. Bartenſteinenſ. & Tapienſium, appellationem à decretis conventus ejus ad Regem interponunt: cum appellationem per tabellarium literis Grodnam ad Regem detulisſent, tanquam munere ſuo perfuncti, quieſcere poſtea in animum induxerant. Miſerat per me tum libellum eum Rex ad Ducem: utque in regno, in quo maxima libertatis nobilitatis ratio haberetur, quam clementiſſime potius agere cum iis vellet, eum hortabatur. Ab initio cum gubernationem ei Rex confirmaret, ut contra contumaces autoritatem ſuam ei Rex præſtaret, à Rege petierat. Tum verò ne exemplo etiam alij in obedien-

tiores poſthac eſſent, qui circa Ducem erant veriti, in proximis Comitiis Varſavienſibus reſcriptum ad eos Regium impetrarant; quibus ex Conventu Regiomontano hujuſmodi nonnulla delata ad ſe fuiſſe, Rex ſignificabat, ex quibus adverſandi Duci ſtudium quorundam facile perſpexiſſet. Cum non minus ſua, quam Ducis autoritas ea in re agatur, ut ſalvis juribus Regalibus officium facerent, autoritate alioquin ſua Duci non defuturus hortabatur. Quo priusquam publico in Conventu reſcriptum id promulgarent, autores, ut putabant factionis, ab inſtituto deterrerent, gravibus edictis in aulam eos evocaverant. Ii eorum quæ agerentur ignari, periculum ſibi creari veriti, ex Ducatu ſecedunt, ſupplicesque ad fidem Regis confugiunt. Cum aſſidue Regi inſtarent, neque tam ob perfidiam, aut ſcelus aliquod ſuum, ſed ob publicam cauſam, publico juſſu à ſe actam offenſionem Ducis incurriſſe dicerent. Cracovia Grodnam proficiſcens, ex itinere ad Ducem literas Aulaco dat, quibus ut in gratiam eos recipiat ab eo petit; qua cum ipſæ quoque fruſtra fuiſſent, ſub finem menſis Martij Vilnam, quo Livonicarum potiſſimum rerum ex propinquo eo rectius conſtituendarum cauſa excurrerat, iterum ad Regem adeunt. Teſtimonia trium municipiorum, de quibus ſupra mentio facta, manu ſigillisque eorum exhibent, quibus fidem faciunt, quicquid à ſe geſtum ſit, publico mandato eorum geſtum: ob publicam cauſam à ſe actam, privatim periculum ſibi creari: premi ſe apud Principem gratia hominum quorundam externorum: tanto tempore, ſummo cum fortunarum, ac ſalutis ſuæ diſcrimine in exilio extorres circumagi: nihil ne Regias quidem literas adjumenti ſibi attuliſſe: itaque fidem publicam qua tecti ad fortunas ſuas redire poſſent, cognitionemque cauſæ à Rege petebant.

Mittere hiſce de rebus ad Ducem Rex aliquem cogitabat: Cum interim Bulavius à Duce ad Regem venit, cum conditionum Danicarum communicandarum, tum hujus quoque negotij cauſa. Interim enim apud Ducem quoque magis res exacerbatæ fuerant, gratia quaſi Ducis deſperata, ſcriptum quoddam Aulacus, cum apud Regem, tum Senatores nonnullos ſparſerat; quo & Ducem in maximam invidiam vocabat, & cauſas nonnullas, ob quas jure gubernationis, ſeu Ducatus privari, & rationes quibus poſſet collegerat; emanarat id ad Ducem, & apud Regem igitur graviſſime, quod communicatum id ſecum non fuiſſet, quærebatur: & in graviſſimum perduellonis Majeſtatis crimen Aulacum vocabat. Rex tamen quo illi reconciliarentur, operam dare non intermittebat, utque quos vel ipſe maxime vellet, ex Senatu aliquos delegeret, quorum interventu atque opera controverſiæ eæ, inter illos tollerentur, poſtulabat.

Verum aliis gravioribus negotiis, tandem morte etiam Stephani Regis interveniente, Eilenburgius quidem Duci reconciliatus fuit. Dela in exilio mortuus: Aulacus cum in maximo periculo verſatus ſemper fuiſſet, tandem Elbingæ in exilio obiit. Non minus turbarum cum vetus oppidi Regiomontanis fuerat. Cum miniſtrum quendam Ducis, ob vim in civitate factam, in carceres compegiſſent, juſſuque Ducis, qui jus de illo ſe dicturum offerebat, ne conſule quidem eorum in itinere intercepto, in vinculaque ipſo etiam conjecto dimittere voluiſſent, poſſeſſiones eorum publicas Dux occupat. Sub exitum anni ſuperioris octuageſimi tertij, ipſi etiam hac de re ad Regem confugerant. Tandem tamen in gratiam cum Duce rediere, bonaque illis reſtituta fuere. Anno hoc octuageſimo quarto, tres Cardinales in gratiam Regis à Pontifice creati. Georgius Radivilus Epiſcopus Vilnenſis, pro quo aliquoties diligentiſſime honorem eum Rex petierat. Albertus Bolognetus Epiſcopus Maſſanenſis, qui nuntij munere à Pontifice apud Regem fungebatur: poſt omnium autem honorificentiſſime, ut de quo ne appellandum quidem Pontificem Rex exiſtimarat, & extra ordinem ſolus, Andreas fratris filius. Ejuſdem anni æſtatis initium ſupplicium Samuelis Zborovij, contentionesque cum Zboroviis ſecum traxit; quæ cum multarum, magnarumque turbarum, & tum & multo majorum poſtea etiam cauſam præbuerint, altius nonnihil repetenda videntur. Quæ ſententia ob cædem Vapovij in Samuelem Zborovium ab Henrico Rege lata, quantaque in invidia judicium illud fuerit ſuperioribus libris oſtenſum eſt.

Etſi autem integro honore exilium irrogatum ſententia ea illi fuerat, quod tamen edicta ad præfectos omnes miſſa ſimul erant, ut ſi in jurisdictionem alicujus perveniret caperetur, finalis executio fieret, in Tranſilvaniam mox ad Stephanum Palatinum tum Tranſilvaniæ ſe contulerat, in familiamque ejus receptus ab eo fuerat. Cum poſt diſceſſum Henrici imprimis fratribus etiam ejus annitentibus in Regem electus Stephanus fuiſſet, in Poloniam cum eodem rediit: & quemadmodum quidem à Zboroviis jactatum poſtea fuit, fide etiam publica à Rege impetrata, publice non aliis modo in locis, verum aliquando in comitiis ac Regno etiam verſabatur. Indigniſſima omnibus res videri, qui hujuſmodi cæde perpetrata, cum vitæ tum dignitatis omnis expers eſſe deberet, eum ne in exilio quidem, cum id contra leges irrogatum ei eſſet, ſe continere.

Itaque agitata res non ſemel in Senatu: Jactata à nuntiis terreſtribus: Omnium autem fere vocibus deplorata fuit. Agebat ille interim ut reſtitueretur, cum apud Regem, tum apud Senatum: eademque in re Zamoſcij etiam opem, atque gratiam cum ipſe tum fratres ejus implorabant. Sed cum ſententia publici judicij publice lata, primo quidem non niſi eorum, quorum intereſſet, voluntate ac gratia, deinde vero omnium ordinum autoritate conſenſuque, inque publicis comitiis tolli poſſet, dum hæc adjungerentur, Rex qui maxime ab initio ei cupiebat, ut in finibus interim loco aliquo ab hominum oculis remoto, quiete ac modeſte ſe contineret eum monebat.

Eadem Zamoſcij ſententia erat; qui etſi ipſorum Zboroviorum cauſa reſtitutum eum vellet: magis tamen reipublicæ cauſa id cupiebat, quod minori cum juris publici, ac Magiſtratuum indignitate reſtitutum eum iri ſtatueret, quam non reſtitutum leges, magiſtratusque omnes contemnere. Itaque operam quidem ſuam illis deferebat, ſed ita ut dum res conficeretur publicis tamen locis abſtineret: maximeque iis locis, quæ ad ſuam jurisdictionem pertinerent: cum aliis tum Cracovia ei interdicebat. Volitabat ille nihilominus libere per univerſum Regnum, cum viribus ſuis fretus: ſemper enim manum aliquam circa ſe habebat: tum imbecillitate magiſtratum aliis virium tantum non habentibus: plærisque inimicitias, ac contentionem metuentibus, officioque ſuo otium anteponentibus. Accedebat huc, ut in finibus etiam vel cum Coſaccis ſe conjungens, vel manu ipſe facta non raro publicam etiam pacem turbare putaretur: Omnibus quidem indigne iſta ferentibus, nullo tamen potentium hominum inimicitias ſubire audente. Zamoiſcio cum Zboroviis non modo inimicitiæ nullæ, verum officia potius aliqua ante interceſſerant. Prima æmulatio potius quam contentio è ViceCancellariatu nata inter eos fuerat; quem cum pro Andrea Zborovio tum Regiæ Marſchalco peterent, Zamoiſcio à Rege delatus fuerat; auxerat eandem nonnullorum Zamoſcij neceſſariorum patrocinium, quorum defenſionem contra eos Zamoſcius ſuſceperat: maxime autem opinio quod cum & pro ratione muneris Cancellariatus, & pro ea gratia, quam apud Regem Stephanum valebat, preces ſuas per illum aliquando ad Regem deferrent, non modo non ſatis juvari, verum impediri etiam nonnunquam ſe ab eo ſuſpicarentur. Quæ cum & non magna eſſent, & omnia à ſuſpicionibus fere proficiſcerentur, neque cum aliis apertæ ei inimicitiæ erant, & cum Joanne Zborovio ad hoc fere tempus conſtans illi amicitia manſerat.

Primæ non multis diebus poſt nuptias Zamoſcij inimicitiæ inter eos per hanc occaſionem erupere. Venerat ad nuptiarum earum celebritatem, inter alios Chriſtophorus Zborovius, cujus ſupra mentio facta eſt. Hic poſt diſceſſum Henrici, ſtudiis ſuffragatorum in Maximilianum Imperatorem, & Stephanum Palatinum Tranſilvaniæ ſciſſis, primo pecuniam à Stephano per ſpeciem confirmandarum partium contra Maximilianum ſatis grandem acceperat: Poſtea ad Maximiliani partes ipſe tranſierat: Cracoviamq; Stephanum ingredientem, è domo quadam clam occidere voluiſſe delatus: indeque ad Maximilianum de Bello Polonico in Comitiis Ratisbonenſibus deliberantem profectus, per omne id tempus, cum in aula Cæſarea, tum aliis externis locis verſatus fuerat.

Tandem ut Stephano reconciliaretur, per nuptiarum earum occaſionem Cracoviam venerat: annitentibusque fratribus apud Zamoſcium, per hunc difficillime Rege aſſentiente, gratiæ ejus reſtitutus, admiſſusque ad Regem fuerat. Mortuus iis diebus Sperveinus Pruſſus fuerat: vir militaris, & qui ſub Maximiliano Imperatore in Ungaria aliquot annis ordines duxerat; equa militia cum Stephano Regi notus eſſet, certam penſionem annuam virtutis cauſa, à Rege conſecutus fuerat. Hanc ſub idem tempus eo mortuo Chriſtophorus petere cœpit. Alienum Regi videbatur, ut qui tot ſuperiorum temporum injuriarum memoriam deprecatione ex animo ſuo vix dum deleviſſet, eum nullis in ſe meritis profectis beneficio afficere: ſpes tamen ei facta, ſi bene de Rege mereri inciperet, per aliam occaſionem munificentiam Regis ei non defuturam; negationem beneficii injuriam ſuam interpretatus, iram cum in Regem, tum non minus in Zamoſcium vertit; quo interprete impetitione ea ad Regem deferenda uſus fuerat.

Sub idem autem tempus, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, Coſacci manu in finibus facta, Tehiniam præfecturam Turcicam repentina incurſione diripuerant. Cujus incurſionis cum partim autor, partim adjutor Samuel Zborovius in certa fama ferretur, in tanto vicino à Turcis periculo, re in conventu Senatorum, qui frequentes ad nuptias venerant propoſita, cum ab aliis, tum inter eos à Zamoſcio etiam graves aliquot in Samuelem ſententiæ dictæ. Quibus rebus animos fratrum accenſiſſet. Samuel contumelioſas in Zamoſcium literas ad Regem dederat: & Chriſtophorus alias ad Samuelem, quibus non modo acerbiſſime in Regem invehebatur: Verum conſilia etiam quædam contra Regem, inter ipſum Samuelem, & tertium fra-

fratrem Andream, qui Marſchalcus tum Regiæ erat, ſuſcepta ſignificabat. Utque conſilia ea maturaret eum hortabatur: Simul autem quartum fratrem Joannem Caſtellanum Gneſnenſem graviſſime accuſabat, quod is muneribus à Rege & Zamoſcio delinitus, illis ſe totum dediſſet.

Augebat ſuſpicionem tentatarum rerum novarum, quod cum bello Turcico conflato à Coſaccis aliqui maxime quidem purgandi ſui cauſa Cracoviam tum veniſſent, partim cum illis etiam conſilia ſe communicaſſe ſcribebat: Partim ad alios Coſaccos univerſas literas ſe dediſſe, quibus ut Samuelem omnibus in rebus autorem, ac Ducem ſequerentur, hortati eos fuiſſent: Literas has ex pueris domeſticis Samuelis Citharœdus quidam exceperat, & ſive odio heri, ſeu ſpe præmiorum ad Regem detulerat. Quod in tanta libertate non ſine maximo metu homines potentes in judicium honoris, atque omnium fortunarum vocari poſſe exiſtimarentur, magis de ſanandis, quam ulciſcendis iis cogitarent. Per Peremovium conſulto Rex ad Zamoſcium eas remittit. Itaque roganti Zamoſcio ut literas eas Joanni Zborovio Caſtellano Gneſnenſi oſtenderet, Rex permittit, ut ei, qui quamvis natura & cognatione proximus iis eſſet, conſiliorum tamen eorum non modo affinis non eſſet: Sed potius quod nihil cum iis commune habere voluiſſet, graviſſime ab iis accuſaretur. Cum manum & ſignum mox cognoviſſet, ut tanquam in re ſubita, ac gravi deprecari potius fratrum crimen, quam purgare cœpiſſet: complexusque hominem Zamoſcius ſpem ei fecit, modo poſthac ad ſaniorem mentem redirent, plus apud Regem ipſius in Regem obſervantiam, quam aliorum fratrum peccata valituram: monereque cœpit, ut & ipſe quam ſecretiſſime rem haberet, & alios fratres poſthac ſaltem in officio contineret. Itaque hominem dimiſit, ut & Zborovius magnam ſpem veniæ fratribus impetrandæ auferret, & Zamoſcius poſthac ſaltem quieturos ſibi perſuaderet. Verum detecta res animos, & ſua ſponte feroces, & tum metu rerum ſuarum ſolicitos, domeſticis præſertim rebus fere perditis, incendit magis, quam vel ſedavit, vel deterruit. Quod enim & Samuel in exilij illa pœna adhuc hæreret, Andreas autem & Chriſtophorus paternam fere rem omnem luxu perdidiſſent, in iis difficultatibus non modo ſublevatum ſe jam iri ab offenſo Rege deſperabat: Verum quorſum etiam offenſio, odiumque ejus erumperent, metuebant.

Itaque cum partim inopia è luxu nata, quæ una res in omnibus rebuspublicis maxime animos juvenum magnis opibus innutritorum ad res novas ſolicitare ſolet, partim metus judicij, ad omnia potius audenda eos inflammabant, quam ut præſentem ſtatum ferre vellent.

Tempus ejus rei patrandæ electum ab iis fuerat, quo non multo poſt nuptias Zamoſcij Lublinum Rex proficiſcens Zborovium tranſiturus erat; quæ cum ab Andrea teneretur, eodem reliqui etiam duo cum aliis nonnullis, quibus conſilia ſua credebant, convenerant; quibus Spitko Tordanes unus ex maxime neceſſariis eorum, & qui conſilio interfuerat, Zamoſcio de trucidando eo conſilia illos agitare renunciat, quo indicio admonitus, cum ſuum tum amicorum comitatum, quantum poteſt auget. Sed quemadmodum poſtea compertum fuit, vel quod non ſatis virium ad aggrediendam rem habere ſe exiſtimarent: vel conſilia ſua detecta jam ſuſpicarentur: vel etiam tantæ rei cogitatio, quo magis ejus patrandæ tempus appropinquaret, eo magis animos illorum debilitaret, ne ipſi quidem tum in ſententia vel perſtitere, vel conſentientes fuere.

Maxime autem per Samuelem à conſilio receſſum fuiſſe, cum ex aliis nonnullis cognitum poſtea fuit, tum Samuel ipſe, poſtquam in poteſtatem venit, teſtatus fuit. Jam ante autem eum Cracoviæ vicinæque Niepolomiciæ Rex verſaretur, ab Hieronymo Philippovio cubiculi regij præfecto, inſidiæ nonnullæ in Regem in ſylva Niepolomicenſi inſtructæ, delatæ & detectæ Regi fuerant: à Regeq; in rem præſentem miſſis repertæ: conſilio tamen Zamoſcij diſſimulatæ occultatæq; fuerant.

Inſidiis igitur iis partim diligentia ſua amicorumque, partim illorum ipſorum inconſtantia, à Zamoſcio evitatis, Rex quemadmodum oſtenſum eſt Grodnam, Zamoſcius Kniſſinum ſe contulerant; animis ut animis ad ſanandos potius eos proclivibus, ita indicio inſidiarum illarum ad eos delato, graviorum rerum expectatione ſuſpenſis. Ad ea non multo poſt aliæ nonnullæ res acceſſere, quæ imprimis quidem Regem, non minus vero etiam Zamoſcium magis ab iis alienarunt.

Primum Joannes Zborovius, qui alioquin à fratrum conſiliis plane abſuerat, exactorem vectigalis ad montem album ſuperioribus comitiis in biennium rogati, quaſi ultra diem conſtitutione præſcriptam id exigeret, cum tamen dies ea nondum præteriiſſet, familia in eum immiſſa, impetuque facto, multis verberibus, iis, qui publica ibi exercebant illatis deturbarat. Quæ res in ea vicinia Gedani emporij tam nobilis, in oculis quaſi, ac conſpectu tot nationum, ſumma cum indignitate Regis, vehementer animum ejus angebat.

Alterum non amici animi ſignum in Nicolao Vroviecio, cujus ſupra aliquoties mentio facta eſt, oſtenderat. Huic Vicario in præfectura Cracovienſe Zamoſcij, cum rixa inter pocula primum cœpta, indeque gravior contentio cum Sigiſmundo Palczevio Burggrabio arcis Cracovienſis, Zboroviorum autem cliente, interceſſiſſet, eo ab Vroviecio deventum fuerat, ut impetu in domum ejus facto, domi ejus vim illi faceret. Operam Zamoſcius dabat, ut Palczevio placato, compoſitione res tolleretur: Zborovij ex altera parte, ut judicio injuriam perſequeretur quantum poterant, eum incitabant. Cum à ſuis inſectandis ne in tam perditis quidem rebus deſiſtere eos videret, de amicitia eorum omnino deſperare Zamoſcius cœpit.

Itaque Stanislao Zolkievio Palatini de Belzenſe, ad Andream Opalenium Marſalcum in majorem Poloniam miſſo, per eum & literas Chriſtophori, quæ delatæ fuerat, Opalenio oſtendit: & pro ea neceſſitudine, quæ Joanni Zborovio cum Opalenio intercedebat: Sororis enim filiam Opalenij in matrimonio habebat: amicitiam apud illum Zboroviis renunciat. Appetebat interim tempus quo ad judicia nobilitatis, quæ quot trimeſtribus bis in ſingulis præfecturis legitima & ſtata haberi ſolent, exercenda Cracoviam Kniſſino excurrendum Zamoſcio erat. Movit inde Menſe Majo nullo alio omnino quam domeſtico cum comitatu, eo nimirum, quem ordinarium circa ſe habere ſolebat. Nurum cum veniſſet, triſtiſſimo nuntio abortus uxoris, quam ſeptimum jam menſem uterum ferentem reliquerat, ſubito revocatus Kniſſinum fuit; quod cum ad conſolandam ſolummodo uxorem, celerrimo itinere recurriſſet, triduo poſt ad comitatum, quem Nuri reliquerat, recurrit. Unius atque alterius diei iter inde progreſſo, per certos homines renunciatur, Samuelem Zborovium ipſum quoque diverſo ex Ruſſia itinere Cracoviam contendere, publiceque prædicare, una cum Zamoſcio Cracoviam ingredi ſe velle; neque multo poſt Joannes Thomas Drojevius præfectus Przemislienſis, de conſilio Samuelis, qui Sloſtovio profectus per Przemislienſem Præfecturam iter fecerat, cognito, veritusque id quod erat, imparatum omnino Zamoſcium domo profectum, juſto cum comitatu ei occurrit.

Idem Nicolaus Vroviecius fecerat, qui quam primum de adventu Samuelis cognoviſſet, cum aliquo itidem comitatu aliquot à Cracovia dierum itinere ſimiliter ei occurrerat. Itidem Vielunenſis præfectus Koniecpolius, cum ſub id tempus Cracoviæ tum eſſet.

Quam primum in Sandomirienſem agrum ventum, Samuelem non longo à ſe intervallo ita diaria ſua perſequi cognoſcit, ut aliquando dimidio, ad ſummum uno milliari à ſe conſidens, iiſdem fere, quibus ipſe diariis uteretur.

Cum autem publice etiam Zamoſcio vim minitari, & conſilia ſua jactare non dubitaret, in horas fere complures honeſtiſſimi homines, cum illa, quæ ab eo jactari audiviſſent ad Zamoſcium deferebant: tum ut non tam inſidias quam vim caveret, eum monebant: Zamoſcius etſi dimicationem ſibi ſubeundam videret: quantum tamen caveri ejus poterat, ne cum eo congrederetur, vitabat: partim quod invitus ad eam deſcenderet: partim quod non ut cum inimico, ſed jure magiſtratus agendum ſibi in eum ſtatueret, qui legibus & rebus judicatis ſpretis, cum exul eſſet, libere nihilominus & armatis hominibus ſuccinctus, per Regnum volitaret; quo quidem jure cum in aliena juriſdictione uti in eum non poſſet, dum in ſuæ juriſdictionis Cracovienſem præfecturam veniret, expectandum ſibi ſtatuit. Ita tandem Zamoſcius Proſſoviciam, quæ ad Cracovienſem præfecturam jam pertinet Samuel diebus primo Podolamam, uno à Proſſovicia milliari diſſitam, & cum in ea pernoctaturum ſe ſimulaſſet ſole jam occidente, ipſe Piecmam ad ſororis ſuæ filiam viduam ſuo uterque fato divertit, comitatum Jacubovicij in villa inter Pieczmam & Proſſoviciam interjecta collocat. Re à Zamoſcio cognita, non amplius ſibi cunctandum: Verum ſive quod à plærisque pro certo, & comperto delatum ad eum eſſet, inſidias vitæ ſuæ ſtrueret, præveniendum ratus: ſive nihil aliud moliretur, quam ut in contemptum ſuum eandem ſecum urbem ingrederetur, nihil indignius fieri poſſe ſtatuit, quam loco tam celebri in tot nationum oculis, in ſe legibus & magiſtratui publico inſultari; cum eo ipſo jam ſatis indignitatis admiſſum eſſet, quod exul, qui legibus publicis nullo in loco Regni verſari poſſet, cum per fratres ipſius diſerte aliquoties illi denunciaſſet, ut iis locis quæ ad juriſdictionem ſuam pertinerent, ſe abſtineret, in præfecturam nihilominus ſuam tam prope ad ſe acceſſiſſet.

Conſilio igitur cum amicis & militaribus aliquot viris, quos circa ſe habebat habito, mittit ex ijs Stanislaum Zolkievium Palatinidem Belzenſem, Nicolaum Vroviecium, Simonem Charlenſcium, Albertum Vibranovium, Mrodſkonem Lucam Syrneam, cum ea peditum manu, quam non magnam partim ſuam, partim amicorum, qui obviam ei progreſſi fuerant, tum circa ſe habebat. Egreſſi ſub veſperam, noctu, Jacuboviciam ut juſſi circumeuntes, in Villam in quam Samuel diverterat perveniunt.

Cracoviæ interim quemadmodum poſtea compertum fuit, ex omni genere juventutis, quæ partim corrupta, partim alios corrumpendi, cauſa frequentiſſima ſemper Cracoviæ eſſe ſolet, aliam manum compararat, quæ poſtridie urbem ſibi ingredienti occurreret; ſeu potius ipſo à tergo Zamoſcium ſecuturo, illa à fronte ſe ei objiceret. Zamoſcianis prætorium villæ ingreſſis, unus ex iis ſclopetum diſplodit: quo ſtrepitu exaudito, duobus mox per feneſtras reſponſum, inde compluribus à Zamoſcianis exploſis, numeroque adverſariorum ex iis cognito, ſilentium mox fuit, omnique defenſionis, aut reſiſtendi ſpe abjecta latebræ quæſitæ. In quibus indicio ſororis ejus filij, metu & minis à Charlenſcio ſclopeto ei intentato perterriti inventus, paulo ante lucem Proſſoviciam adductus ad Zamoſcium fuit. Zamoſcius mora nulla interpoſita literas cum ad Regem tum ad plerosque Senatores dimittit; quibus & de facto ipſo certiores eos faciebat, & facti rationem reddebat. Pueris quos omnes fere in partes dimittebat, ut non modo captum, ſed ſupplicio jam affectum eſſe, ubique ſpargerent, mandabat; quo quamvis in eum qui leges, & jura contempſiſſet, ex lege agere jam decreviſſet, quæ tamen ea de re judicia hominum, quique animorum motus futuri eſſent, etiam ante tempus perciperet.

Re tanta celeritate Cracoviam perlata, ut quod mirum videri poſſet, eodem fere temporis momento, quo captus fuit, Cracoviæ jam publica fama res jactaretur, cum tamen quinque bonis milliaribus noſtratibus Cracovia Proſſovicia diſtat; quicquid fere nobilitatis ibi erat, tum tota fere civitas in occurſum effuſa Zamoſcio fuit. Samuel in curru camerato, eodemq; clauſo proxime ante Zamoſcium ducebatur. Quamprimum in arcem ventum fuit, honeſtam in cuſtodiam ad Nicolaum Vroviecium ut præfecti vicarium datus fuit.

Zamoſcius à nobilitate ſatis frequente deductus, concionem ſtatim habuit; quanta cum indignitate publica leges, magiſtratus, ac res judicatas hactenus contempſiſſet expoſuit: religionem jurisjurandi qua omnes præfecti ad res judicatas exequendas aſtricti eſſent, oſtendit. Cui quin pareret, ſine ſumma indignitate, interituque adeo legum, atque omnis juris publici facere aliter ſe non poſſe: omninoque ex jure ſtatim in eum ſe animadverſurum declarat.

Poſtea tamen & Regias & Senatorum plærorumque ea de re literas expectare tutius ei viſum, quas dum expectat, nonnulli ex nobilitate, quæ judiciorum cauſa ex vicinis etiam municipiis ſatis ut oſtenſum eſt frequens convenerat, cœtu inter ſe facto per libellum Zamoſcium adeunt: ut tanquam in re ambigua executionem ſuſtineret, & vel ad comitia ſaltem in cuſtodia ſervaret petunt, alij autem, ijque qui maxime propinqui Zboroviorum erant, ferociores ea re facti; inſultare etiam ei, & riſus ex eo captare non dubitabant: & tanquam lupum auribus ab eo teneri palam jactare.

Dum deliberat, Regisque etiam ſententiam expectat non ſtatim ad libellum eum reſpondet. Interim majore fere parte dilapſa, reliquis ſcripto ipſe etiam ita reſpondet, ut neque jure publico ſalvo facile id fieri poſſe demonſtraret: neque cuſtodiam ejus ad comitia quod illi petebant, ſine maximis difficultatibus ſuſcipi poſſe: non alienum tamen ſe oſtenderet, ſi quis ſub certo vadimonio ſiſtendi ejus in Comitiis onus, in ſe recipere vellet, quin illius periculo precibus eorum locum daret: certus nullum omnino qui id periculi in ſe reciperet futurum. Pridie quam ſupplicium de eo ſumeretur, denunciatum ei fuit, ut ſi quid rerum ſuarum procurare prius vellet, arbitratu id ſuo faceret.

Ab initio jam quam primum in poteſtatem venerat, hujusmodi voces ſpargere non deſtiterat, quibus ab iis conſiliis quæ contra Regem ſuſcepta eſſent, plane ſe alienum fuiſſe oſtendebat, omnia autem in fratres conferret. Itaque cum aliquoties ea jactasſet, non negligenda Zamoſcius ratus, ſub veſperam cum aliquot amicis, ipſe ad eum venit: quæque illa eſſent, quorum ab eo mentio facta eſſet, quæſivit. Ille cum vitam multis verbis fruſtra ſupplex petiiſſet, tandem agnoſcere ſe oſtendit, fato in eum locum pertractum, in quo & ſanguinis humani non ſemel à ſe fuſi, & multorum aliorum peccatorum pœnas daret.

De conſiliis contra Regem, duos fratres ſuos Chriſtophorum & Andream aliqua agitaſſe profeſſus fuit: Duplicem autem eorum rationem ſibi propoſuiſſe. Nam & in Venatione, ſi quando more ſuo ſolus à reliquo comitatu Rex excurreret, tollendi ejus ſpem aliquam eos habuiſſe: & ſi hæc non procederet, ut externum aliquem Principem, cujus patrocinio niterentur, ſibi deligerent, illis placuiſſe: interim ut ipſi per Poloniam tacite quantum poſſent, in odium hominum Regem adducerent; Spem etiam nonnullam in Livonicis, & aliis quibusdam motibus eos poſuiſſe.

Interrogatus quibuscum conſilia ea ſociasſent, ea de re minus ſibi conſtare oſtendit; quod conſiliorum omnium fratres autores fuiſſent, ſui tanquam rudis hominis opera potius, quam conſilio uti voluiſſent ſolitos fuiſſe, eos notis, quibusdam inter ſe uti, cujus generis literæ, cum ad ſe aliquando perlatæ eſſent, quod eas non intellexiſſet, ad fratrem à ſe remiſſas.

Facile

Facile Zamoſcius paſſus fuit, alios conſcios ab eo non nominari, atque ex inſtituto potius ſermonem eum ſuppreſſit. Profeſſione autem ea illius conteſtata, poſtridie qui XXVI. menſis Maji decimo quarto autem die, poſtquam in poteſtatem veniſſet, in Saxo, quod ab arce Caſimiriam ſpectat, ſontium ſuppliciis deſtinato, ſummo mane publice caput amputatum fuit, corpus ad ſepulturam propinquis datum; tanta autem mox invidiæ flamma concitata, recte ut dici poſſet, eo fato natum illum fuiſſe; ut neque antea ſine maximo motu publico negligi in eo jus potuerit, neque poſtea executioni mandari.

Maxime autem ipſi Zborovij partim invidiam, partim miſerationem apud populum movere; eum fide publica in Regnum à Rege admiſſum, poſtea publice etiam, ſolennibus ac publicis in locis toleratum, fraude, & inſidiis adverſarij irretitum, ac captum, contra ipſius decreti Regij, quo condemnatus eſſet, ſententiam, capite plexum fuiſſe; quæ quo magis probarent, illud ipſum iter ipſius in quo captus fuiſſet, ut decreto Regio ſatisfaceret, patriaque cederet, Italiam verſus, quam exilij locum ſibi delegiſſet, ſuſceptum ab eo ferebant: Interim præter omnem opinionem improviſe oppreſſum fuiſſe.

Non parum etiam invidiæ locus ipſe quo captus fuerat faciebat: quod apud viduam propinquam: quod per vim è domo nobilis privata; quæ jure publico ſacroſancta ſint: maxime autem jureve cæſus eſſet, à nonnullis controvertebatur. Dicebantur contra hæc à Zamoſcio, quod de fide publica afferrebatur, primum non potuiſſe in tali cauſa Regem eam dare, aut datam validam eſſe: Sed ne datam quidem unquam fuiſſe: ut in bonis ſuis Sloſtovienſibus, quæ in ipſis fere finibus ſunt, ſine cujusquam injuria pacatè ſe contineret, dum parte ad compoſitionem adducta, ordinumque omnium autoritate adjuncta, abolitionem decreti Henricani impetraſſet, privatim potius, quam publica autoritate permiſſum illi à Rege fuiſſe; Quod autem publice per Regnum volitasſet, partim imbecillitate, partim conniventia magiſtratuum, non modo contra voluntatem Regis, ſed ſumma cum indignitate publica plerisque frementibus, indigneq; ferentibus factum. Nominatim de ſe Zamoſcius teſtabatur, ſi quibus in locis una ſecum fuiſſet, vel non ad ſuam jurisdictionem ea pertinuiſſe, vel minimè à ſe latum fuiſſe.

Cum germanus frater ejus Andreas Marſchalcatu, cujus ſumma in Aula jurisdictio eſt, fungeretur, non modo in Regia aliquoties eum viſum, ſed ad ipſum etiam Regem privatim introductum, aliquando fuiſſe. Monuiſſe ſe tum ea de re Regem, diſerteque oſtendiſſe, ſi ſua tum jurisdictio fuiſſet, paſſurum ſe eum non fuiſſe; adductum deinde privatim aliquando ad ſe Varſaviæ fuiſſe, cum itidem Rex, alienaque jurisdictio ibi fuiſſet: adductum autem improviſo, cum de adventu ejus nihil ante præſcivisſet, gratias tantummodo, quod de reconciliatione cum parte ſuo nomine laboraſſet, ei egiſſe. Poſtea cum in Lucenſem expeditionem ipſe quoque veniſſet, atque jure publico in bellis proſcripti etiam operam navare poſſent, in iis tamen caſtris, quæ ſub ſuo imperio fuerant, quamvis poſtulanti, locum tribuere noluiſſe. Extra caſtra quin verſaretur recuſare ſe non debuiſſe. Eodem modo cum ſuperiore anno contra Tartaros excubaſſet, Samuelem ſero aliquando ſub noctem eo veniſſe, atque in ſuburbium Leopolitanum divertiſſe, quam primum certior de eo factus fuiſſet, Petro Caſimirſcio familiari ſuo ad eum miſſo, ut quam primum recederet, & poſthac etiam ab aliis locis, in quibus ipſe eſſet, ſe abſtineret, ei denunciaſſe. Idem multo diligentius poſtea per illius ipſius fratrem Andream feciſſe; qui cum de negotiis ſuis, ac fratris, ſub id ipſum tempus, quo Leopoli Cracoviam rediiſſet, ſe appellaſſet, in utriusque quidem cauſa, operam ſuam pollicitum illi fuiſſe: de Samuele tamen, ne ijs in locis, quæ jurisdictioni ſuæ ſubjecta eſſent, dum publicè reſtitutus eſſet, diſerte caviſſe.

Jam vero uter alteri inſidias ſtruxiſſet, nec quæri quidem neceſſe eſſe, cum à ſe iter ſolenne, ſtatu ac legitimum ſuſceptum fuiſſet, quod nemo ignorare poterat: Samuelem eo tempore profecturum ne divinando quidem in mentem venire ſibi potuiſſe. Ac quo animo quidem iter illud vel ſuſcepisſet, vel cum ſuo conjunxiſſet, & ſi multa à multis, & antequam in poteſtatem venisſet, & poſtea delata ad ſe fuiſſent, in neutram tamen partem confirmare magnopere attinere: Cracoviam quidem certo tum eum cogitaſſe, illius ipſius Chirographo Zamoſcius docebat: quod cum ab initio è cuſtodia Cracovienſe ad ſocrum ſuam Caſtellanam Cracovienſem miſiſſet, à Zamoſcio ejus potiſſimum rei illius ipſius voce ac manu convincendæ cauſa exceptum fuerat. Contra id quod è domo privata propinquæ ſuæ per vim ablatus diceretur, non modo proſcriptorum ubique comprehendorum jure publico poteſtatem eſſe demonſtrabat: Verum illam potius in culpa eſſe, quæ quamvis propinquo, publice tamen proſcripto, receptum præſtitiſſet; quod qui facerent, ijsdem pœnis & legibus, quibus proſcripti tenerentur.

De jure id maxime dubitationem faciebat: quod cum decreto Henrici exilium illi irrogatum eſſet, honos nihilominus

contra jus quidem, & leges publicas, sed tamen conservatus, capitis pœnam, quæ & cum infamia conjuncta esset, & in cujus locum infamia ut plurimum succederet, irrogari ei non potuisse disputabant. Docebatur ab altera parte, nisi capitis pœnæ metu in exilio quis contineretur: eam ipsam exilij irrogationem irritam plane futuram. Quid enim fieret quod exilio aliquem prohibeat, si salute ac vita integra nihilominus domi versari posset. Itaque in omnibus fere rebuspublicis in quibus exilium sontibus irrogari solitum fuerit, & iis fere tantum irrogatum fuisse, qui capitis pœnam meruissent: & qui cum hoc exilium commutare maluissent, cum id nisi elegissent, capitis pœna subeunda illis fuisset. Maxime autem in hac ipsa causa id esse. Cum enim si præsens eventum judicij expectare voluisset, secundum leges publicas capitis pœnam sustinere eum oportuisset, hanc cum absentia effugisset in ejus locum exilij irrogatam fuisse. In quo cum se non continuisset, necessario alteram successisse, quæ præsenti subeunda fuisset.

Tum vero quamvis integra fama proscriptus essent. Capitis tamen pœnam dum in proscriptione ea hæreret, effugere illum non potuisse, ex eo maxime docebatur, quod etiam in privata causa à præfecto loci, seu quocunque judicio proscriptorum, legibus in Regis potestate vitam esse constitutum esset; qui certe ne ipsi quidem, quoad honorem & famam pertineret, summam illam capitis diminutionem passi non essent; nam neque honore extra comitia & nonnisi à Rege jure publico privari quenquam posse: nec honore privatos aliter, quam communi ordinum autoritate, in publicis comitiis restitui, quod in his, qui ob pecuniarum controversiam proscriberentur, totum secus esset. Nam & à præfectis fere solis, si ad eorum judicium se astrinxissent, proscribi eos solere: & controversia cum adversaria & præfecto composita, etiam extra comitia solo Regis beneficio, in pristinum statum, atq; jus restitui.

In qua causa cum essent si nihilominus, dum in proscriptione hærerent caperentur, Regisque consensus ad id accederet, & rectè supplicium capitis sumi: & multos hoc jure capite plexos esse, non paucis exemplis doceri posse. Quanto rectius in eum animadversum, qui non ob pecuniariam aliquam causam, sed cædem Senatoris in publicis Regni comitiis, loco Sacrosancto factam, cum ne in eo ipso quidem exilio, quod contra jus pœnæ loco irrogatum ei fuisset, se contineret, publicè nihilominus in Regno obversaretur

Non solum autem odio, invidiaque contra eum Zborovij pugnabant, verum ut vires etiam quam maximas contra eum sibi compararent, incumbebant. Inter alios Palatinum Posnaniensem, Stanislaum Gorkanum statim sibi adjungunt; qui quod & majoribus iis ortus esset, qui ab aliquot sæculis in majore præsertim Polonia, Principes magistratus gessissent: opibus autem, quas maximas habebant, liberalissime in omnes uteretur majorem fere majoris Poloniæ partem, cum autoritate, tum liberalitate tenebat.

Ad hoc quidem tempus cum Zamoscio summa necessitudo, cum Zboroviis simultas illi intercesserat. Nam & in utroque interregno, non partibus solum, sed consiliis etiam conjunctissimi, inter se fuerant: & postea sororis ipsius filius Lucas Dzialinius, sororem Zamoscij matrimonio sibi junxerat, sesqui anno ante & Dzialinius mortuus fuerat, & fratre Gorkani Andreæ Castellano Miedziricense sub id ipsum tempus mortuo, Zamoscius præfecturam Javoroviensem, quam in Russia is tenuerat, sibi à Rege impetrarat. Supplicio hoc de Samuele sumpto, & si quemadmodum supra ostensum est, simultas cum Zboroviis ei intercedebat, Joannes tamen Castellanus Gnesnensis, qui alioquin quemadmodum alibi demonstratum est, consilia sua à fratrum consiliis, sejuncta habuerat, nihil dubitans, supplex ad eum venit, ut simultate deposita; & sui misereretur, & communi ope tanta tyrannide: ita enim supplicium id Samuelis vulgo tum nominabant: oppressæ reipublicæ succurrerent, petit. Cum alioquin necessitudinis etiam aliquid cum Zboroviis ei intercederet, præfecturaque Javoroviense, quam una cum aliis præfecturis, quas frater tenuerat ambierat, alienatus esset, falilè ab eo impetrarat, ut reconciliata cum iis gratia totum se postea cum illis conjungeret. Eodem modo alios etiam quoscunque poterant, partim miseratione sui, partim invidiâ in Zamoscium, quæ omnium qui in Regum amicitiâ aliquid posse putantur, ut plurimum comes esse solet, partim etiam publicæ libertatis, periculum atque interitum, omnium animis inculcando, in partes suas pertrahebant.

Quibus conditionibus pax cum Turca restituta fuerit, supra demonstratum est. Ad eas exequendas Nicolaus Mieliecius Palatinusque Podoliæ, & Zamoscius à Rege delegati. Sub id ipsum igitur tempus, cum Mustapha Causius ejus rei causa à Turca primum ad Regem venisset, à Rege autem ad delegatos missus fuisset. Zamoscius judiciis, quorum causa venerat, Cracoviæ finitis, in Russiam mox movit.

Lega-

Legatus Turcicus Leopolim præcesserat. Quo in loco cum de legali etiam convenissent, quæ administranda essent, cum ipso constituerunt: executionem eorum præfectis aliquot finitimis commiserunt. Capite plexi inspectante Causio ultra triginta, omnes quidem plebei fuere: reliquos latebræ, nonnullos etiam publicum nobilitatis jus texit. Interim eorum supplicio barbarus sautiatus. Non parum sane ad eum mitigandum Samuelis quoque hominis apud ipsos etiam clari supplicium valuisse, existimatum.

Etsi enim aliam ob causam plexus esset, quod tamen ab illo, potissimum Kosaccos in finibus ad hujusmodi incursiones incitari fama esset, supplicium hoc ipsius fœderi violato datum fuisse, & Turcæ opinati fuere, & à nostris opinio hæc illorum si non confirmata, exempta saltem iis non fuit. Jam antequam ad turbas istas apertasque inimicitias cum Zboroviis deveniretur, Conventum Senatorum indicendum Rex statuerat.

Quod enim tempus Comitiorum, intra aliquot menses ex lege appetebat, eo facilius, quæ è republica essent, persuaderi hominibus posse existimabat, si conventu Senatorum iis de rebus prius habito, tanquam publica multorum autoritate, multitudini proposita fuissent. Magnæ autem rerum quarundam gerendarum occasiones obtulisse se videbantur, si uti iis respublica vellet.

Primum Moscus XXVIII. Mensis Martij ejusdem anni octuagesimi quarti mortuus fuerat. Morte ejus à Bojaris aliquandiu celata, tandem tamen vulgata, Theodorus mente captus, filius ejus in Czarium inauguratus ab iis fuerat. Curæ ejus quatuor Principes, Micislavius, Mihita, Romanovicus, Joannes Suiscius, & Zolchanovius Cancellarius, qui ægri imperium moderarentur præfecti; ut cætera in iis essent, concordia diu esse non poterat. Initium à Bilscio maxime profectum, qui alios sibi in curatione principis antepositos moleste ferebat. Sed ne Simeo Czarovicius quidem Tuerensis Dux æquo animo posthabitum se ferre poterat; neque curationi ipsi, vel Bojari consentientes diu inter se esse poterant.

Paulo ante mortem ejus, Leonem Sapieham legatum in Moscoviam Rex miserat, ille cum mortuo jam Duce pervenisset, nullaque ad novum Principem mandata se habere diceret, cum ipsis tamen Bojaris, si ita eis videretur, quædam acturum non negaret, neque Bojari recusarent, vel ipso præsente eo contentionibus cum Bilscio provecti fuerant, ut Palatium ipsum Principis sanguine fœdare, non dubitarent, cum viginti circiter mutuis cædibus inter eos caderent, multi vulnerarentur. Ab ipsis quoque duplex legatio pacem petitum, altera Principis ægri, altera Curatorum ejus nomine ad Regem venerat; ad quam nihil aliud Rex responderat, quam per suos legatos ad eam responsurum.

Ruptæ autem morte ejus induciæ erant. Cum enim quemadmodum supra ostensum est, ita ex parte Regis tractatæ fuissent, ut non modo inter ipsos principes, sed subjectos utrinque populos constituerentur, magis tum rebus suis expedire existimabat, ut ad principes solos referrentur. Præter intestinas dissensiones, principisque ipsius valetudinem, accedebat huc, ut vires etiam domesticæ, partim superioris Principis crudelitate, partim bellis plane attritæ essent. Præclara omnino occasio visa, non modo Smolecensem Ducatum, cæteraque à ditionibus Regiis, partim dolo, partim iniquitate temporum avulsa recuperandi, sed vel ipsum imperium Moscoviticum tam amplum, atque potens, & maximarum rerum contra Turcam opportunitates habens, ad regnum seu universæ potius reipublicæ Christianæ utilitatem adjungendi quod eo magis non negligendum Rex arbitrabatur; quod ne in tanta re, quæ ad cujuscunque potentiam adjuncta fuisset, magnam omnino ad eam accessionem allatura esset, à Barbaris certissimis Christiani nominis hostibus præveniretur verebatur. Qui & opportunitatem eam temporis optime intelligerent, & quantum ad ejus, à quo imperium tam potens occupatum fuisset, opes momenti allaturum esset, non ignorabant.

Nam & sub illud ipsum tempus hoc interregni Moscovitici occuparent, ne qua ab ea parte cum Persis commercia Christianis intercedere, aut omnino conjungere aliquando se possent. Inter Tartarum etiam ac Turcam ex detrectatione militiæ Persicæ dissensiones superiore æstate exortæ fuerant. Cumque Machometes Czarius, cujus supra etiam mentio facta, præter imperium ejus movere contra Persam noluisset, in suspicionem prætereà ne consilia cum Rege communicaret, taciteque contumacia ejus à Rege foveretur, apud Turcam venerat. Turca re dissimulata, exercitum cum Sinan Bassa Caffam mittit: alterum ad Danubium retento; quo sub tempus direptionis Thehinensis, cum Beglerbego eum promoverat: Subitoque Machomete oppresso, Aslamem Czarium in imperio ei suffecerat. Inter dissensiones istas Turcicas cum Tartaris, rei contra Tartarum etiam præclarè gerendæ, tempus Regem non latebat;

&non

& non modo in præſens excurſionibus iſtis ejus, ſed in perpetuum etiam metu omni incurſionum, quibus tot millia capitum Chriſtianorum quotannis ferè in ſervitutem abducerentur, regnum liberandi: Si ſuſcipere rem ordines voluiſſent. Sed cum fruſtra & antea ea de re actum, & tum etiam agi animadverteret, de præſidiis tamen aliquibus contra Tartaros conſtituendis, agendum exiſtimabat.

Cum enim Aslan Czarius Machomete, vix non ſuis etiam ob ſegnitiem non viſo, in regno autem exhauſto, ipſe etiam famelicus ſucceſſiſſet, principem novum nominis, & rei parandæ cupidum, facile vel egeſtas, vel gloriæ cupiditas, ut in vicinas ditiones Regias incurreret, impulſura videbatur; cum præſertim vel nulla fame ſtimulante, ad invadendas Regni ditiones, expediti ſemper, & parati ſint.

Accedebat eo, ut Broniovius legatus Regius, quem ante annum ad Machometem Czarium miſerat, in eum usque diem adhuc retineretur. Præter hæc cum Turcæ ex conditionibus, cum Sloſtouo conſtitutis, jus de prædonibus reddendum eſſet, quo & majore cum autoritate adminiſtrari res videretur, & quod ſuperiorum temporum more receptum fere eſſet, ut ex Senatus ſententia, hujusmodi de rebus ſtatueretur inter alias hæc quoq; non levis cauſa convocandi ſenatus. Pars quædam Tartarorum in Moſcoviam excurſionem fecerat Moſcus cumque usque populationibus pervenerat non ſine ſuſpicione id à barbaris agi ut Aſtracanum ac per id mare Caſpium ſub tempus ei videri verum cum legatio Turcica quam ejus rei cauſa miſero non differenda tam diu videretur, in plebeis quidem, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt etiam ſine Senatus-Conſulto actum; quia tamen ab iis potiſſimum tanquam capite proficiſci dicerentur, qui ipſi à latrociniis fines tueri deberent; non paucosque ex nobilitate etiam præfectisque ipſis earum turbarum autores adjutoresque eſſe ad Regem deferebatur adeoque ſub hoc ipſum tempus iterum fines Turcicos violare, Tartarumque ulciſci præfefectorum nonnullorum litteris ad Regem deferebatur, qua ratione tantæ fœderum licentiæ obviam iretur cum Senatu deliberandum conſtituendumque exiſtimabat. Jam vero rebus inter Zborovios ac Regem ita exacerbatis eum ad ſuperiora indicia Samuelis etiam de qua oſtenſum eſt profesſio acceſſiſſet, non dubitandum ſibi amplius Rex exiſtimabat quia primis comitiis in judicium eos vocaret: Prius tamen cum Senatu etiam communicanda putabat, atque ex ejus ſententia de iis ſtatuendum.

Conventum igitur Senatorium in menſem Julium Lublinum indicit, convenere non infrequentes quamvis non pauci ſtudioſe remanerent, partim ex iis, qui alteri parti animo addicti erant, partim qui utriusque partis offenſionem vitabant. Cum ea quæ paulo ante commemoravimus propoſita in conventu eo fuere, tum Chriſtophori literæ, de quibus ſupra demonſtrata lectæ, tum quæ alia ad Regem delata fuerant Senatoribus aperta. Dederat & Andreas Zborovius literas alias ad univerſum conventum, alias ad ſingulos Senatores quibus partim caſum familiæ ſuæ miſerabatur, partim ne quid gravius in ſe ſtatuerent, aut ſtatui putarentur, petebat.

Nullus tamen omni fere ex numero erat, qui vel negligenda ea, vel non in judicium vocanda cenſeret, ſimiliter authores violare fœderis Turcici ut in judicium ad comitia Rex vocaret authores ei eſſe reliqua etiam quæ ſupra commemorata ſunt, ut quam diligentiſſime ordinibus proponeret. Conventu eum admodum peracto, Grodnam ſe Rex retulit, inde Comitia in diem XV. Menſis Januarij ex Senatus ſententia indicit. Præter eas res, de quibus ſupra oſtenſum eſt, de Livoniæ & certo aliquo ſtatu tamen conſtituendo, Piltenenſe itidem negotio, tum ſtipendiis militum ad ordines refert. Supra oſtenſum eſt cognitioni cauſæ Brunsvicenſis, diem decimum octavum menſis Novembris ab Electoribus de legatis Magdeburgi conſtitutum.

Miſſus eo fuerat ſuperiore anno Lublino cum Rex ibi eſſet, Laurentius Goslicius Decanus Plocenſis, Secretarius Regius. Nihil magis Rex eo in negotio laborabat, quam ne in tricas iſtas juris Civilis, ſeu Cæſarei contra & æquitatem juris gentium, & dignitatem ſuam Regnique, Quod juri externo ſubjectum non eſſet, ſe demitteret. Itaque pacta tantum, jusque gentium, quod factorum dictorumque conſtantia maxime conſtaret, urgebat: à quibus ne diſcederetur, ad ipſorum etiam Principum Germaniæ dignitatem pertinere, ne cum ea laude, maxime cæteris gentibus præſtitiſſent, hujusmodi apud illos difficultates, Principibus externis objicerentur, minus poſtea promptos ad hujusmodi ſecum contractus haberent.

Brunsvicenſes è contra, jus Cæſareum, jurisque ejus Conſultorum placita ubique ingerendo, multis variisque difficultatibus rem implicabant. Nam & contra libelli mutationem, cum ſucceſſio jure petita ante res fuiſſet, & contra præſentis libelli formam, cum ad juris Cæſarei rationem omnia revocarentur, multa ab iis dicebantur: &

Regi-

Reginæ Sueciæ nomine cautiones exigebant: Maxime autem nomine uxoris ſuæ, quæ ex domo Brandeburgica nata Sigismundi Primi Poloniæ Regis neptis, Joannis autem Ungariæ quondam Regis Sororis filia fuiſſet, reconventionem contra Regem inſtituebat; qua non modo hæreditatem Sepuſiam, quæ in Turcæ poteſtate magna ex parte erat, ſed Tranſilvaniam etiam fere omnem, ut quam in Regis poteſtate eſſe dicebat à Rege repetebat. Et alia complura, contra hæc dicebantur, tum maxime pactorum, mutuorumque promiſſorum, quæ pactis firmata eſſet, æquitas opponebatur.

Res in Conventu Magdeburgenſe à Subdelegatis Electoralibus ita explicata fuerat, ut binis, ſeu ternis utrinque ſcriptis tota res finiretur: quæ ab utraque parte Francofortum miſſa utrinque communicarentur, permutatisque utrinque iis tandem ſententiam Electores, ſeu Subdelegati eorum fecerant. Scriptis hiſce ad Comitiorum horum tempus ducta res fuerat.

Quemadmodum autem oſtenſum eſt, variis difficultatibus, atque ambagibus, partim etiam literis ex ſæculorum memoria repetitis, partim obſcurare, partim omnino excludere cauſam Brunſvicenſem conabatur, Regioque procuratore pacta, jus gentium, atque æquitatem naturalem contra ea opponente, partim Juris Civilis æquitatem demonſtrabat, partim quod tandem illud jus gentium eſſet, quæ æquitas, ubi exiſteret, quæ commemoraretur, quærebat: neque enim vel chaos aliquod, vel jurium diſſolutionem eſſe debere.

Reſpondebatur ad ea à Regiis ſcire jus Civile ſumma apud omnes gentes æquitatis opinione eſſe; neque dubitare, vel ex eo ipſo cauſam Regiam ſatis probari, ac defendi poſſe, ſi ut eo deſcenderent, vel Regiæ, vel Regni dignitatis eſſe exiſtimarent: vel in ea pactorum perſpicuitate judicio denique tali Cæſareo, quo ſummarius proceſſus præſcriptus eſſet, neceſſe id eſſe. Sed tamen ut æquiſſimum jus Civile ſit, de quo non diſputandum ſibi, exiſtimarent, eſſe nihilominus quiddam, in quo à jure reliquarum gentium diſſideat; quod ſi vel nullum, vel parvum eſſet, Jus Civile, id eſt unius civitatis, à quo nomen haberet, non eſſet. Et tamen vel Jure Civili ipſo apices juris, ſeu ſummum jus ab æquitate cum naturali tum civili ſecerni. Nec vero cum ad æquitatem, atque jus gentium cauſam revocent, chaos aliquod, aut jurium omnium, vel confuſionem, vel incertitudinem introducere.

Sed eſſe certe quoddam jus omnibus gentibus inter ſe commune, quod natura omnibus inſitum, ſua ſponte autem ſapientibus notum ſit, dictorum factorumq; conſtantiam ſtatuant, ad quam cum cauſam Regiam revocent, non in certum aliquod jus opinione ſibi fingere; Sed eo, quod utrinque iis, inter quos res acta eſſet placuit, nullum certius eſſe poſſe judicare.

Etſi enim pacta conventa, tanquam privatam quandam legem quam contrahentes ipſi ſibi dicerent, quæ eo etiam firmior exiſtimanda eſſet, quod ad communes leges publico conſenſu: ad pacta privato ſuo ſinguli obſtringerentur. Inter Reges vero ac Principes, liberosque populos neceſſario etiam conſtituta eſſe; ut cum alter alterius juri non pareat, tanquam commune quoddam jus, cui uterque pareat, mutuo ipſi ſibi conſtituant. Quod niſi conſtituerentur, nullam inter exteros commerciorum viciſſitudinem, ne dum ſocietatem ullam, aut amicitiam extare poſſe. Cum ex nullo alio igitur jure, quam ex pactis cauſa iſta cognoſci, vel poſſit vel debeat, dum in dubitationem Brunſvicenſem illa adducere, labefactareque conaretur, clare ea contra ſe facere: ac ſi ſecundum ea judicetur, ſuccumbendum ſibi eſſe propria quaſi voce ipſum profiteri. A delegatis nihilominus ſecundum jus civile pronuntiatum: utque ad capita propoſitionesque Brunsvicenſes directe à Regiis reſponderetur, decretum. Moleſtius id nonnihil à Rege acceptum, ne literis quidem ad eos diſſimulatum fuit. Quibus & Auguſtus ſuboffenſus negotio illi poſtea ſuperſedit: & non multo poſt etiam eo mortuo, filius ejus Chriſtianus, qui in Electoratu ei ſucceſſit, cum alia poſtea delegatio à Cæſare accepta eſſet, ſuſcipere id denuo quaſi recuſavit. Ardebat interim Polonia, cum diſſenſione animorum, tum quæ ex hac exiſtere ſolent, factionibus, miniſtrisque factionum rumoribus.

Maxime autem minores Conventus in ſingulis municipiis, qui Comitia ſolennes præcedere ſolent, partim ſtudiis partium, partim quod ante unquam factum, vix quisquam meminerat, graviſſimisque ſanctionibus aliquot ſanctiſſime vetitum eſt, armis aut turbari, aut decreta quædam eorum per vim fere expreſſa.

Ad Proſſovicenſem Conventum Palatinus Cracovienſis, Chriſtophorus Zborovius ipſe ex Moravia excurrerat: ubi Kaffkam viduam nobilem ac copioſam nuper admodum duxerat. Initio Conventus tumultus mox exortus ingrediente

Nico-

Nicolao Zebrzidovio Præfecto tum Stezicenſe, Zamoſcij affine, cum ſclopus fortuito exploſus eſſet, Zboroviani, qui ſuperiorem partem templi occuparant, turpare cœperunt, moxque utrinque aliquot ſclopeti exonerati trepidationem potius omnibus quam cuiquam periculum attulerunt.

Sedato tumultu, ſententiiſque rogari cœptis, cum multi, qui vel clientes vel propinqui Zboroviorum esſent, tum maxime Chriſtophorus vehementes in Regem ſententias dicere. In invidiam maxime Zamoſcij potentia vocabatur: deplorabatur mors Samuelis judicium quod reliquis duobus intentaretur, in crudelitatem vertebatur, quæ non ſatiata unius morte, toti domui exitium ſtrueret; accuſabantur inter hæc Senatores, qui in Conventu Lublinenſe judicij ejus inſtituendi, vel autores, vel approbatores Regi fuiſſent. Vel maximam autem invidiam veneni, per Pruſcium quendam à Zamoſcio ſibi ſubjecti crimine in illum collata ei conflabat. Erat Pruſcius is cubicularius Regius ex iis, qui mandatis & literis Regiis deferendis, tabellariorum verius Regiorum, quam cubiculariorum munere funguntur. Hic poſt mortem Sperweini, de quo ſupra mentio facta eſt, cum beneficium id Regium ad Sperweinum detuliſſet, eaque ex re uxori ipſius innotuiſſet, ſpe nonnulla ejus potiundæ ductus, per familiarem quendam Zamoſcij literas, quibus propinquis mulieris commendaretur, homo alioquin Zamoſcio pene ignotus, multis precibus, & importunitate potius aliqua à Zamoſcio expreſſerat.

Cum mulier ante ipſius adventum, ex conſilio propinquorum jam alteri nupſisſet, ulterius in Moraviam progreſſus Olumutiam, ubi tunc Chriſtophorus erat pervenerat. Narrabat hunc cum literas à fratre ſuo Andrea Marſchalco quamvis inveteratas & reſignatas ſibi tradidiſſet, quod tamen caſu id factum excuſaſſet, poſcenti alias ad eundem literas ſuas ei dediſſe: deinde per aliquot ſeptimanas ſe ignorante, ibi autem hæſiſſe: re ad ſe delata, hominem accerſiri juſſiſſe: cunctantem & tergiverſantem apprehenſum adduci. De literis interrogatum partim hæſitaſſe, partim nugari cœpiſſe; ipſo apud ſe retento, res ejus per miniſtros in diverſorio ejus excuſſas fuiſſe: repertas inter eas fuiſſe, cum Zamoſcij literas, quibus matrimonium id ei conciliaret: Tum ſuas quas ad fratrem dederat, jam ab eo reſignatas: Maxime vero præſentiſſima Venena aliqua.

Indiciis iis ſcelerum detectis, captivum à ſe abductum, in vinculis haberi faſſum, idque Chirographis quæ publice proferebat, teſtatum fuiſſe, per Joannem Dzierzekum, qui in familia tum Zamoſcij erat, ad venenum ſibi propinandum ſubjectum fuiſſe. Poſtea ab eodem & Sperweinum veneno ſublatum: & alterum maritum, cui vidua nupſiſſet, cum in itinere eo ad illam divertiſſet, ſimiliter ab illo tentatum fuiſſe, comperiſſe ſe dicebat.

Hæc ſive ita geſta fuiſſent, ſive quemadmodum Pruſcius, poſtquam è cuſtodia elapſus fuiſſet, jactabat, Primo promiſſis & pollicitationibus, deinde tormentis, ac minis indicia illa in Zamoſcium ac Dzierzekium Chirographaque Chriſtophorus expreſſiſſet, Zamoſcio è quidem omnium rerum ignaro, non leve hominum odium afferebant. Neque tamen alteri etiam cauſæ patrocinium deerat.

Maxime autem Nicolaus Firleius Caſtellanus tum Biecenſis & Referendarius, Nicolaus Zebrzidovius Stenzicenſis, Petrus Miskowsky Opocnenſis Præfecti, multique alij primarij ab altera parte ſtabant.

Contra quorum autoritatem cum quicquam decerni poſſe Zboroviani deſperarent, non tam ut certi aliquid decerneretur laborabant: quam ut & Legati ad Comitia è ſuis crearentur, & iis non tam certa aliqua quam libera poteſtas, in re præſente cum aliorum Conventum Legatis, quod è republica viſum illis eſſet, ſtatuendi permitteretur. Quod ipſum etiam cum difficulter iis de quibus oſtenſum eſt, præſentibus aſſequi ſe poſſe ſperarent, de die in diem tempus extrahere, ſi forte, quos obſtare ſibi putabant, dilapſis, in ſua poteſtate habere Conventum poſſent.

Verum re ab aliis animadverſa, quamvis nonnullis tædio moræ ad ſua ſe recipientibus, cæteris tamen manentibus, tandem utriſque fere defatigatis, legati utriuſque partis, pari fere numero lecti, mandata nulla certa iis data: fidei illorum reſpublica gerenda commiſſa. Idem Sredenſis Conventus majoris Polonicæ exitus fuit.

In quo cum Joannes Zborovius Caſtellanus Gneſnenſis, gravem in Zamoſcium querelam propoſuiſſet, contraque Joannes Piotrovius Canonicus Cracovienſis Secretarius Regius dicere pro Zamoſcio cœpiſſet, à Palatino Poſnanienſe Gorkano minaciter interpellatus, omnium qui illarum partium erant, non odia ſolum, ac voces, Verum

Verum re ab aliis animadverſa, quamvis nonnullis tædio moræ ad ſua ſe recipientibus, cæteris tamen manentibus, tandem utriſque fere defatigatis, legati utriuſque partis, pari fere numero lecti, mandata nulla certa iis data: fidei illorum reſpublica gerenda commiſſa. Idem Sredenſis conventus majoris Poloniæ exitus fuit. In quo cum Joannes Zborovius, Caſtellanus Gneſnenſis, gravem in Zamoſcium querelam propoſuiſſet, contraque Joannes Piotrovius, Canonicus Cracovienſis, Secretarius Regius, dicere pro Zamoſcio cœpisſet, à Palatino Poſnanienſe Gorkano minaciter interpellatus, omnium, qui illarum partium erant, non odia ſolum, ac voces, verum ſclopetos etiam, atq; arma in ſe convertit. Inde eadem fere ratione, qua Proſſoviciis, & utriuſque partis legati lecti, & nullis certis cum mandatis legati. In Sendomirienſe conventu, qui ſecundum Proſſovicienſem in minore Polonia, primæ autoritatis eſt, plus etiam fere ab adverſa parte obtentum. Nam & mandata certa in eo legatis data, & inter illa id maxime, ut de Samuelis cæde, quam Zborovii factam quererentur, judicio quereretur. Grave id non tam in Zamoſcium, quam leges ipſas publicas præjudicium viſum; quibus proſcripti patrocinium à quoq; ſuſcipi, aut de ejus morte queri fœderis, ac jurisjurandi religione interpoſita vetitum eſt. Viſnenſis conventus, qui Ruſſiæ quaſi univerſæ eſt, bis turbatus, ſemel contentione de diverſoriis Stadniciorum, qui ſororis filii Zboroviorum erant, cum Joanne Thoma Drojevio, Præfecto Przemislienſe: ad cujus præfecturam & Viſna, & pro eo diverſoriorum in conventu aſſignandorum jus more recepto pertinebat, qua contentione, cum conventus infectus, atque ſecundo à Rege indictus eſſet, gravior multo inter Joannem Herburtum Bruchnalſcium & Stanislaum Zolkievium filium turba exorta, iterum fere eum diremit. Herburtus is conſobrinus erat Zamoſcii, ab eo alienatus, invidioſiſſimam in eum concionem habebat, quam cum Zolkievius ob Javorovienſ. præfecturæ locationem ei negatam ab eo haberi illi exprobraſſet, ad rixam, mox ad gladios res devenit. Poſtridie tumultu ſedato, cum legatorũ, tum mandatorum genere, eundem fere, quem ſuperiores, de quibus oſtenſum eſt, exitum conventus habuit: legatuſq; inter alios ipſe etiam Herburtus creatus. In Lancicenſe, Syradienſe ac Maſoviticis aliquot conventibus jus valuit. Partim poſtulata Zboroviorum omnino refutata, partim ſupplicium de Samuele ſumptum probatum, gratiæque Magiſtratibus, qui ſine ullo reſpectu perſonarum res judicatas executi fuiſſent, actæ. Verum potioribus conventibus ita partim turbatis, partim ſciſſis, ad comitia etiam armatis comitatibus magis, tanquam ad bellum, quam ad conſilia utrinq; itum: inſtructis comitatibus ad comitia Regem deducentibus, præter Zamoſcium, Senatoribus pleriſq; Lithuanicis, tum Conſtantino etiam Oſtrogiæ Duce, Palatino Kyovienſe. Relatio nomine Regis à Zamoſcio pro munere Cancellariatus facta. De cujus capitibus, dum inſtituto vetere primum Senatores, deinde nuntii nobilitatis in conſilio ſuo ſententias dicunt, incidiſſentq; interim dies, quibus jure publico, non alias, quam publici judicii cauſas Reges judicant, inter primas Zboroviorum etiam cauſa, ac primo quidem Chriſtophori, in judicium vocatur. Ante omnia fides publica per amicos ejus illi petita, quæ cum non minus inſtanter ab illo peteretur, quam à Rege negaretur, per aliquot dies, varie res extracta fuit. Non ſolùm autem res nova atq; inaudita fere erat, ab homine nobili judicii cauſa fidem publicam in Regno hoc peti; Verùm publicæ etiam libertati, non parum præjudicii creatum ea re iri exiſtimabatur, quę cum jure publico ſatis munita, ſemper habita fuiſſet, quo, ne quiſquam niſi judicio condemnatus capi poſſet, diligentiſſime cavetur, poſtulatione hac in dubium vocari, quodammodo videbatur. Tandem Zboroviis annitentibus, nuntiiſq; etiam nobilitatis ſe interponentibus, ad ultimam uſq; ſententiam literis etiam ſecuritatis ei præſtita, neque tamen ſtetit. Comparuerunt nomine ejus, Joannes Zborovius, Caſtellanus Gneſnenſis, & Joannes Niemojevius. Contra quos cum Procurator Regius in cauſa judicii publice per procuratorem defendi reum non poſſe exciperet, illi contra tenderent, moribus Regni permitti, id reo interlocutum fuit. Recitatus inde à Procuratore Regio libellus, quo in judicium vocatus fuerat, criminaque, quæ illi objicerentur, continebantur. Præter id autem, de quo ſuperius mentio facta, conſiliorum contra Regem initorum; alterum etiam pecuniarum contra patriam à Moſcho, hoſte publico, captarum, jusjurandiq; eidem dati illi objiciebatur, quibus, quantum in ipſo fuerat, Regem ac Rempublicam turbare, atque, ut Regem dignitate ac vita, ita Rempublicam ſua pace ac tranquillitate, privare inſtituerit. Qui rei nomine judicium excipiebant, primo Regem judicem ejus cauſæ recuſabant: in eamque rem Alexandri Regis literas quaſdam, prius ſane, quam inauguratus regno eſſet, ab eo datas, quas interregno jam examinatas non receptas fuiſſe ſupra oſtenſum eſt, proferebant. Cum econtra nullum in cauſa Majeſtatis, præter Regem ipſum ac Senatum judicem eſſe poſſe, multis & rationibus & novis aliquot legibus doceretur, in hanc ſententiam ab omnibus etiam fere Senatoribus itum fuit. Exceptione hac excluſi, libellum vitioſum eſſe oſtendere nitebantur; quo contra leges contumelioſis verbis reus appellaretur. Inſtigatore contra docente, eam naturam criminum eſſe, ut non niſi verbis crimen deſignantibus in judicium vocari poſſent: interim conſtitutio à Senatore quodam prolata publiceq; lecta fuit; qua, ſi quis contumelioſum libellum in aliquem edidiſſet, continuo objecta probare ju-

jubetur. Ex quo inſtigatore crimen, quod verbis iis contineretur, in continente probare juſſo, ultimo loco delatorem poſcere cupere: ſine quo Regio nomine jure, quem accuſare poſſe negabant. Verum hac etiam præſcriptione, cum multis rationibus ab Inſtigatore allatis tum ad extremum interlocutione etiam Regis ſublata, interroganti num quas alias haberent deinceps, quibus rebus objecta crimina probarentur, audituros ſe reſponderunt. Qua re in diem ſequentem dilata, primum de vita rei nonnulla Inſtigator præfatus, quibus ab hujusmodi criminibus nunquam alienum fuiſſe doceret, ad primum conſiliorum cum Moſcho agitatorum probandum, primo Livonem quendam Wilhelmum Peplerum, Interpretem olim Moſchoviticum, tum civem Dorpatenſem, quo ſequeſtro Moſchus cum illo egerat, inde Petrum Raſs, Tribunum Rigenſem, Petrum Chorelſcium, ad extremum Joannem Zulaff, Medicum olim magni Moſchoviæ Ducis, ac reliquos quidem omnes, in ipſo judicio, huic poſtea judicium quidem inſtitutum, ſed ante ſententiam prolatam teſtes citavit. Deplerus legatum à Moſcho Ophanaſium Rozanovium, ſeq; una cum illo interpretem ad Cæſarem miſſum fuiſſe teſtabatur, ut legationis ejus obtenta conſilia cum Chriſtophoro ac Samuele per literas cœpta perficeret, ſub id maxime tempus, quo Rex Lukoſs oppugnaſſet: utrinq; vero ante literas ad Moſchum, per priorem legatum Zachariam Zuchanſcium dediſſe. Pragæ Chriſtophorum nocturnis maxime temporibus cum legato aſſidue occulta conſilia agitaſſe: appellatum à legato, ut, quemadmodum promiſiſſet, in Moſchoviam ſecum iret, pecuniam inviaticum propoſuiſſe; cujus cauſa cum Lebekam legatum ſecutus fuiſſet, legatum mille Talieros à duobus mercatoribus Lubecenſibus conquiſitos ei dediſſe: prius tamen ſolenne juramentum in fidem Principi ſuo præſtandum. Ab eo accepiſſe, juramentum id, tanquam interpretem, ſe ei præiviſſe. Quod ob hyemem navigari tum non poſſet, Chriſtophorum, ut ad iter ſe inſtrueret, Pragam rediiſſe: interim hyeme exacta alterum legatum, Thomam Schaurium, ad Cęſarem & ſummum Pontificem miſſum: cui iterum pro interprete adjunctus fuerit. Eundem literas ad Samuelem eodem argumento, quo priores ad Chriſtophorum attuliſſe, eas ſe præſente Chriſtophorum accepiſſe, atque ad fratrem ſe miſſurum recepiſſe: Pragæ poſtea ad Marſchalcum Cæſareum Fridericum Steinium, inde ad ipſum etiam Cæſarem accerſitum, deque juramento hoc Chriſtophori interrogatum fuiſſe: rem omnem, ut Lubecæ geſta fuiſſet, expoſuiſſe. Mercatores, à quibus mille Taleros eos accepiſſet, quas Chriſtophoro dediſſet, mutuo acceperat, nominabat unum poſtea ex illis, pecuniam eam repetitum, in Moſcoviam iviſſe, per quem tota de re, literas & formam ſimul juramenti præſtiti, ad Moſcum legatus miſiſſet. Cum duorum civium Rigenſium opera ad Moſcum evaſiſſet, re cognita juſſu Regio in vincula conjectos eos fuiſſe: poſtea publicis civitatis precibus liberatos. Hunc verò pecuniam, quam mutuo dediſſet, tandem Joannis Sikauff, Medici magni Ducis, qui Gedani nunc habitaret, ægre recepiſſe. Raſſius, Tribunus Rigenſis, quod de mercatoris Lubecenſis in Moſcoviam tranſitu, deq; civibus Rigenſibus, quorum opera tranſiiſſet, Peplerus teſtatus fuiſſet, ita confirmabat, ut & nomina eorum ederet, & publice omnibus id notum eſſe teſtaretur. Chojenſcius, cum in aula Cæſarea verſaretur, ad judicium hoc ipſe etiam evocatus, omnibus rebus relictis ſe ſtiterat. Rogatus publice juſſu Regio à Marſchalco Regni Opalenio, literas Chriſtophorum à legato Moſcovitico accepiſſe ſcire ſe dixit: literas eas ſe vidiſſe, non tamen legiſſe: ipſum etiam legatum Moſcoviticum, cum aliquando ad eum veniſſet, de Chriſtophoro interrogaſſe: Principiq; ſuo pecunia accepta addixiſſe, ſe eum jactaſſe. Joannes Zulauffius, qui Medicus Moſchi fuerat, cum initio judicii à Peplero nominatus fuiſſet, Gedaniq; habitare diceretur, accerſitus, atq; ante prolatam ſententiam, ipſe etiam interrogatus, eadem, quæ Peplerus teſtatus fuerat, confirmabat: Literas ipſas Chriſtophori à Bogdano Bielſcio, intimo Moſci Conſiliario, ſibi demonſtratas, totamque rem, quemadmodum geſta eſſet, narratam oſtendebat. Adjungebatur ad hæc Oſcici, qui ob idem crimen Vilnæ ſupplicio affectus fuerat, atq; miniſtri ejus Bartholomæi cujusdam indicium. Cum enim Bartholomæus is herum ſuum detuliſſet, ſimul ad Samuelem etiam Zborovium literas à Moſco miſſas eſſe ſcire ſe indicarat. Oſcicius vero ipſe capitis jam condemnatus, ut Ungarum aliquem Rex ad ſe mitteret, poſtulaverat. Miſſo à Rege Caſpare Bekeſio, Chriſtophorum ac Samuelem Zborovios, tum Albertum Laſcum, Palatinum Syradienſem, qui itidem literas à Moſcho acciperent, indicarat. A Laſcio dignitatis ſuæ & fidei memore, literæ, quas à Moſcho acceperat, ſtatim Regi exhibitę fuerant, atq; ita indicium id, non modo ipſius damnati profeſſione, verum Palatini etiam Syradienſis facto comprobatum. Ad alterum crimen probandum, primum ipſius literæ, manu ejus ſcriptæ, exemplumque epiſtolæ ad Niſovios ejusdem manu ſcriptum, lecta in judicio fuerant, inde ſingula earum capita excuſſa: oſtenſus infeſtus animus ejus in Regem; cum ex injuria, quam quod beneficio non afficerentur, fieri ſibi jactarent opinione: tum convitiorum, quæ in Regem jaceret & genere & multitudine, conſilia ſecreta inita: confœderationes inter eos factas: ſolicitatos Niſovios, manum hominum partim deſperatorum atque egentium, omnium autem vagorum: certum tempus, atq; opportunitatem maximi facinoris patrandi quęſita: rumores ad invidiam Regi, ſeditionemq; concitandam confictos, ſparſosque. Literæ te-

ſtimo-

ſtimoniis confirmatæ, primus teſtis Joannes Borudenſcius, aulicus Regius citatus. Teſtatus is Bokſicium, pręcurſorem Kawcę, qui jam caſu periiſſet; & Stanislaum Goslavium ad ſe detuliſſe, ſolicitatos ſe, à Samule Zborovio, ut Regem interficerent, fuiſſe, idque tum in re præſente, vivo adhuc Bokſicio Regi indicaſſe. Productus autem ipſe Goslavius: nam Bokſicius jam interierat: non modo ſolicitatos ſe à Samuele ad Regem interficiendum, fuiſſe teſtabatur: verum, quomodo etiam, & quo in loco, quibus promiſſis ſolicitati ab eo fuiſſent: quæ deinde conſilia cum ipſius Regis interficiendi, tum interfecto eo, fugę capiendæ, alteriusq; Regis eligendi habuiſſet, ordine enarrabat. Secundum hunc Samuel Laſcus citatus, teſtimonium ejus de ſcripto recitatum: habebat id ex aliis quibusdam literis Chriſtophori ad Samuelem ſcriptis ſententias quasdam exceptas, quæ cum earum literarum, quæ publice in judicio lectæ fuerant, ſententia omnino convenirent. Jam ante vero, patruus etiam hujus Albertus Laſcus, Palatinus Siradienſis, quæ ſecum etiam hac de re Samuel agitaſſet, publice in Senatu profeſſus fuerat. Veniſſe aliquando ad eum Varſaviæ ad ſe: ſecretoq; petito, ut Regis hujus interficiendi, alteriusq; inducendi, ſocietatem ſecum iniret, ſe ſolicitaſſe: eam rem jam tum cum primario Senatore, cujus memoriam præſentis teſtabatur ſe communicaſſe, exque ejus conſilio eo ipſo tempore ad Regem detuliſſe. Ultimo loco ipſius Samuelis, quæ ſupra commemorata eſt, profeſſio lecta in judicio fuit. Quibus rebus ab inſtigatore prolatis, defenſores rei, quo ad ipſum reum rem referre poſſent, aliquot dierum dilationem petere, data in diem ſequentem fuit, humanitatis potius cauſa, quam quod vel more vel jure deberetur. Ei præſertim, qui, cum ipſe ſiſtere ſe debuiſſet, & potuiſſet, quod non ſtetiſſet, ſibi imputare deberet: de literis tamen, an eas agnoſcerent, ſtatim reſpondere juſſi. Reſpondit frater rei, aliter ſibi non videri. Poſtridie Niemojevius principio totum crimen elevare: accuſationem autem ipſam, quantum poterat, in invidiam vocare, ut quam primum ex literis potiſſimum rei & inſtituta eſſet, & iisdem probaretur: deinde vero non facta aliqua, ſed dicta tantum & ſuſpiciones quasdam in judicium vocaret: externi id juris eſſe: noſtras leges, cum crimen Majeſtatis nonniſi in perſonam Regis committi definirent, factum ipſum requirere. Iis precęs miſcebat; quibus, etſi viderentur aliqua contra dignitatem Regis iis literis ſcripta, clementiſſimorum tamen potius Imperatorum non ſolum legem, quam in judicio recitabat, verum exemplum etiam imitaretur, petebat. Ad extremum ad juramentum provocabat, quo ſecundum leges publicas nobili integræ famæ, ſi præſtare id paratus eſſet, evadere liceret. Excepit ſermonem rei frater, Caſtellanus Gneſnenſis. Cum Moſco commune fratrem aliquid habuiſſe, fieri poſſe concedebat; ſed cum & alios hoſtes, imprimis Svecum, Moſcus habuerit, contra patriam cum illo conſpiraſſe negabat. De altero crimine literas, ex quibus id maxime objiceretur, etſi fratris ſui eſſe negare non auderet: tamen, ut manus ac ſigna quorundam alii imitentur, neq; novum eſſe: & vel Cancellariæ ipſi, in tanta diligentia, quæ adhiberetur, nuper admodum accidiſſe: ſed tamen, ſi quid acerbius contra dignitatem Regis ſcriptum in iis videretur, ab ætatis vitio omne eſſe. Converſus deinde ad preces, ne iis moveretur, ac fraternas potius injurias, ſuis familiæq; ſuæ meritis condonaret, multis lachrymis obſecrare Regem cœpit. Quas ſi in fine orationis adhibuiſſet, plus fortaſſis moviſſent: ſed immemor, nihil citius lachryma exareſcere, ad aliam rationem defenſionis, quam maxime trepidabat, totamque quaſi defenſionem elevabat, ſe convertit. Cum enim conſiliorum, contra ſalutem Regis initorum, quicquam iis contineri poſt preces jam adhibitas negaſſet, ſingulas partes epiſtolæ interpretari, & vix non violenter cœpit, minas in nullum alium, quam partim in ſe, partim in Zamoſcium, quos commodis ſuis apud Regem obſtare exiſtimaſſet, jactare Fœdus, cujus mentio in literis fieret, ad peregrinationem, quam in Inſulam Melitam communi conſilio ſuscipere decreviſſent, ſpectare: eodem ſolicitationem Niſoviorum pertinere, quos una ſecum in militiam eam abducere voluiſſent. Proferebat in eam rem ſingulas trium fratrum literas; quas vivo adhuc Samuele de Epiſtola hac, cum ad Regem delata fuiſſet, ſibi autem juſſu Regio oſtenſa, à ſe appellati diverſis ex locis ad ſe dediſſent, quibus unanimiter, ita interpretati eam fuiſſent. Nonnihil & contra teſtimonia ab eo dictum: maxime plebejorum, quæ ad Moſcoviticum crimen probandum prolata fuerant; quæ contra nobilem jure valere poſſe negabat. Samuelis ſupplicio affecti profeſſionem, quod ab adverſario excepta: quod cum tanta crimina in lucem proferri ab eo potuerint, ad judicium ſervatus non fuerit, ſuſpectam facere conabatur. Tandem juratoriam quam vocant purgationem, ex privilegio maximę Alexandri, ipſe etiam petebat. Reſponſum ab inſtigatore utriq; fuit, conſilia cum Moſcho agitata tot teſtibus, profeſſionibus defunctorum, nonnullorum deniq; hominum conſcientia ita teſtata eſſe, ſatis ut appareat, cum purgare id frater rei voluerit, non tam excuſari id ab eo, quam agnoſci. Hac enim excuſatione ſi uti liceret, qui minus Oſcicum, & alios, qui ob id crimē condemnati fuiſſent, uti ea potuiſſe? Cui autem dubium eſſe poſſe, cum in ipſo ardore belli, quod cum Rege tum Moſcus gerebat, operam ipſius conduxerat, contra Regem ac Regnum hoc, an alium quempiam minus tum moleſtum, aut nullum fere iis temporibus hoſtem eum conduxiſſe. Alterum crimen, ut maxime literis, quę proferuntur, & admiſſum eſſe doceretur, & ſimul probaretur, nihil tamen id iniqui vel abſurdum habiturum: eam fere rationem notoriorum criminū eſſe,

ut in iis crimen ipſum probationem ſuſtineat, ut, ſi quis in homicidio aut falſo deprehendatur, crimine ipſo & inſtrumentis falſis extantibus, nullam aliam probationem requiri : eſſe autem id non minus & teſtibus compluribus & conjecturis certiſſimis, quæ in hujusmodi criminibus, quæ latebram maxime quærunt, vel primum valere debeant, quam literis ipſis à ſe comprobatum, quas ſuſpicione aliqua fruſtra nunc involvi, cum heſterna die, de iis interrogati, nullam omnino dubitationem interpoſuiſſent; præterea vero, cui veriſimile esſe poſſe, literas tam longas, iisq; de rebus, quæ nonniſi fratribus ipſis notæ eſſe poſſent, ab alio confictas, aut in iis manum ejus imitari quenquam potuiſſe? Satisq; vel ipſos eas agnoſcere, cum & ante & nunc maxime in judicio crimen id literarum diluere, atq; interpretando mitigare, quam negare eas maluerint: adeoq; omnes tres fratres interpellatione ſua diverſis ex locis, agnoviſſe eas fateantur. Quod non tam facta, quam dicta, conſiliaq; ac conatus, in judicium vocarentur : non ſolum cum jure Cæſareo, verum maxime cum ratione ipſa ac noſtro etiam jure convenire. Recitatæ in eam rem leges aliquæ noſtræ fuere; quibus partim gladiorum diſtrictiones, coram Rege aut Magiſtratibus factæ, & ſi nullus vulneratus aut cęſus eſſet, partim voluntas ac conatus conventum, judiciorumve turbandorum, recentiſſime vero minæ ac machinationes in parentem intentatæ, capitali ſupplicio punirentur, quam perfecta eſſent, quid abſurdius futurum, quam in id tempus maleficii perſecutionem conferri, quo, qui punire debeat, amplius exititurus non eſſet : clementiam in privatis jurgiis aut iis, quæ à temeritate potius aliqua ac levitate, quam conſilio profecta esſent, laudandam maxime eſſe, in ſalute publica oppugnata qui remiſſus eſſet, non clementem eum, ſed crudelem eſſe. Hic ſi quæ dicta eſſent, hujusmodi eſſe, ut facinus ab iis nullo modo ſejungi poſſet : eſſe vero non modo dicta illi objecta, ſed primo crimen Moſcoviticum, conſiliorumq; contra patriam, quæ recte Rempublicam ipſam peterent : inde clandeſtinas machinationes, ſolicitationes militis finitimi, ejusdemq; ad ſeditionem parati : tempus, locum, opportunitatem captata : conſilia tandem ſecreto quidem inita, ſed tamen luce fere ipſa clariora, quæ ſi Rex clementiæ ſuæ cauſa condonare reo vellet : Respublica tamen, ſecuritatis atq; ſalutis cauſa, quam eo exemplo in maximum diſcrimen conjecturus eſſet, negligere eum non debere. Inde ad interpretationes à Gneſnenſe allatas acceſſit. Minas in nullum alium, quam Regem ipſum ac forte etiam Zamoſcium, convenire poſſe, cum ſatis verba ipſa teſtari: tum illam de Gneſnenſe interpretationem illorum verborum eorundem evidentia ultro refutari. Deinde verò, cum tot locis aperte, ac nominatim in Gneſnenſem inveheretur, cur idem non cęteris tot locis faceret? Cur notas, quas inter ſe communicatas non eſſe dolet, requireret? Idem de confœderatione liquere: nullo modo ad peregrinationem trahi poſſe. Quem enim fœdere hujusmodi profectiones ſancire ſolere? Multas patrum memoria à claris viris ſusceptas eſſe, & quotidie ſuſcipi, nullam unquam ſacramento vel hujusmodi confœderatione ſancitam. Ad eandem quorſum univerſa progenie eorum opus, quam adjungendam literis iis ſcriberet? quomodo denique, quod in iis ipſis literis oſtenderet, uxoris ducendæ Chriſtophori conſilium cum ea convenire? quid ſtudiis nobilitatis quæ concilianda ſcriberet, ad profectionem eam opus? illis autem quem fructum: quod in commodum Regi allatura peregrinatio fuiſſet? quæ illa maxima ex ea re expectate ſe oſtenderet. Ad extremum, ſi honeſtum, licitum, laudabile conſilium eorum fuiſſet, cur, quod non profiterentur, literis etiam non aperte perſcripſiſſet? cur notas ad ea explicanda ſe expetere, multa celare oſtendiſſet? Quæ ſi omnia, qualia eſſent, ſatis manifeſto tenerentur, cui dubium eſſe poſſe, quorſum Niſoviorum ad eadem conſilia conjunctio ſpectaret? ut jam non quereretur, quem uſum manus militum primum egens & vaga, deinde in mediterraneis locis ac vaſtitatibus ſemper verſata, in maritima militia, ſermonis hominum, locorum, in quæ duceretur, imperita habitura eſſet, verba ipſa literarum ita evidentia eſſe, ut nulla interpretatione in alium ſenſum detorqueri poſſent. De plebejorum teſtimoniis demonſtratum, præterquam, quod aliis etiam teſtibus, quos ipſi reciperent, quorumq; teſtimoniis illorum confirmentur, ac quaſi illius ipſius confeſſione, tum vero publico etiam civitatis Rigenſis teſtimonio crimen id Moſcoviticum comprobaretur, in hoc etiam judicio minime rejici illa poſſe; cum in aliorum judiciorum capitalium, quæ inter privatos exercerentur, quæſtionibus plebejorum juratorum, qui oculati teſtes fuiſſent, teſtimonia moribus noſtris excludantur, quanto magis Majeſtatis ac perduellionis in Rempublicam commiſſæ judicium præcipuum aliquid habere debere; in quibus priſcis etiam liberarum Rerumpublicarum temporibus ſervorum quoque & mulierum cum indicia tum teſtimonia Reipublicæ cauſa recepta ſemper fuerint. Samuelis profeſſionem à juratis hominibus exceptam fuiſſe : eam autem earum rerum autoritatem eſſe, ut nullius Magiſtratus fides inimicitiarum obtentu in dubium unquam vocata fuerit. Sub quam orationem Zamoſcius ipſe, cum aſſurrexiſſet, omniumq; earum rerum, quæ acciderant, totiusq; ſupplicii ratione prolixe demonſtrata, quam non modo minime inimico, ſed benevolo etiam animo apud Regem pro Zboroviis antehac appellaſſet, ipſum Regem teſtem citavit : cum tantarum rerum commemorationem, ab omni eo tempore, quo captus Samuel fuerat, fieri ab eo intellexiſſet, pro muneris ſui ratione, non negligendas ſibi exiſtimaſſe : adfuiſſe,

cum iis de rebus Samuel diceret, complures honeſtiſſimos homines ex nobilitate, tum juratos officiales : quæ excepiſſet, ad Regem & Senatum deferre ſe debuiſſe : profeſſum hæc certum eſſe: quantum contra reum valere deberent, ipſos judicaturos. Quod ſervatus ad comitia non fuerit, multas cauſas fuiſſe: imprimis, ne executio decretorum Regiorum, maxime vero comitialium, maximo cum Reipublicæ periculo, in dubium vocaretur: ne novus gradus juris introduceretur: ne ſi cum alii ſtatim punirentur, hoc ad comitia ſervato; inæqualitas inter potentiores & tenuiores conſtituta videretur: quod denique, cum ſub id præſertim tempus Reipublicę cauſa Cracovia proficiſcendum ſibi eſſet, non modo ſine ſumptu ac moleſtia, verum periculo etiam maximo, cuſtodiri non potuiſſet. Ex iis rebus omnibus purgationem juratoriam nullo modo decerni ei poſſe, inſtigator demonſtrabat, quæ ipſa in eo Alexandri privilegio, de cujus autoritate jam querere nollet, non ſimpliciter tamen, ſed prout æquum ac juſtum viſum foret, reo decerneretur. Jam vero alias recentiores leges, easq; certiſſimas, quibus & quomodo decerni ea deberet, aperte ſtatuere. Primum integræ famæ nobili: reum, cum de anteacta vita ipſius nihil diceretur, aliquoties jam in judicio, quamvis creditarum rerum proſcriptum: profeſſionibus ſupplicio affectorum bis nominatum. Ita deinde decerni, ſi plures firmioresque ad innocentiam ſuam tuendam, rationes reus, quam accuſator ad oppugnandam eam haberet. In hoc judicio contra reum, primo ejus ipſius literas, manum, ſignum, tot fide dignos teſtes prolatos: ipſum præter ſimplicem negationem facti, contra apertiſſimas tot res, quo ſe defenderet, nihil attuliſſe, quæ ſi reciperetur, præterquam, quod manifeſtum perjurium admitteretur, nullum etiam unquam condemnatum, eademq; opera omnes leges è Republica ſublatum iri. In qua oratione cum proſcriptionis etiam Chriſtophori mentio facta eſſet, exceperunt defenſores, non ab ordinario Magiſtratu, ſed, ſub interregnum, à temporario judicio proſcriptum fuiſſe : præterea cum creditoribus compoſitum jam eſſe; cujus rei inſtrumenta proferebant: ſed transactionem quidem cum uno tantum actore; cum aliis bonorum ceſſiones, ſub hoc ipſum fere judicium ex inſtituto poſt tot annos factas. Proſcriptiones quamvis in interregno editas, eandem vim, quam ordinarias habere Cracovienſis potiſſimum conſtitutionis autoritate docebatur: transactione autem ſola cum parte, quamvis una tantum proferretur, niſi Principis beneficium accederet, proſcriptione damnatum, non liberari Sigismundi Auguſti comitialibus, & ſupremi tribunalis decretis aliquot demonſtrabatur. Per aliquot inde dies ſententiæ à Senatoribus dictæ. Primo non poſſe in hac cauſa juramento reum evadere decretum: itaq; teſtes, excepto tamen Chojenſcio, qui id recuſabat, publice juramento adacti. Senatu iterum habito, eoq; ante ſententiæ dictionem aliquoties per præconem citato, decretum per Andream Opalenium, Marſchalcum Regni, latum: crimen liquere: perduellionis ac Majeſtatis reum convictum, ipſe poſteritasque ejus omnis honore ac jure nobilitatis privata: à Magiſtratu, quicunque in poteſtate habere eum poſſet, ut captus, capitis ſupplicio afficeretur: bona, ſi quæ reliqua haberet, publicata, ſucceſſioq; ipſi, poſteritatiq; ejus, omnis in perpetuum præciſa. Eidem pœnæ receptatores, fautores, ſocii, ſi qui futuri ejus eſſent, ſubjecti. Petierant nuntii nobilitatis, ut tanquam in re gravi & quaſi nova ex ipſorum collegio ad judicium aliqui allegerentur, qui una cum Senatoribus ſententias de eo dicerent, idque ex privilegio eo Alexandri, de quo ſupra mentio facta, deberi quaſi contendebant. Quod nova omnino poſtulatio videretur, negatum fuerat: ac ne ex ipſo quidem privilegio Alexandtino ad alios, quam ad Regem & Senatum, cognitionem ejus pertinere poſſe, demonſtratum. Priusquam in Majeſtatis crimine ſententia in reum ferretur, jam aliis etiam judiciis, quibus à Zamoſcio & Joanne Dzierzeko ob veneficii in conventu Proſſovicenſe in ſimulationem, de qua ſupra oſtenſum eſt, privatim poſtulatus erat, condemnatus fuerat. Non comparenti in judicio reo, revocatio criminum falſo in actores collatorum decreta: certum tempus præſtitum; intra quod niſi revocaſſet, perpetua infamia proſcriptioq; ſuccederet. Eodem fere tempore, tanquam conjuncta in cauſa, alteram in Wlodkowam, viduam, ſororis filiam Zboroviorum, in cujus domo captus Samuel fuerat, judicium adminiſtratum, quæ cum & publice de vi queri non dubitaret, & privatim judicium in Zamoſcium meditari diceretur, præveniendam ratus, legibus iis, quæ proſcriptorum fautores iisdem pœnis ac judiciis, quibus ipſos proſcriptos ſubjiciunt, ad comitia in judicium eum vocarat. Judicii exitus is fuit, ut nullum receptum vel ante ſua voluntate, proſcripto præſtitiſſe, vel nunc etiam patrocinium ullum ejus ſuſcipere, aut quenquam eam ob cauſam incuſare neganti, juramentum, ad quod provocarat, decerneretur, quod deinceps in proximis judiciis inferioris ſubſellii præſtitum ab ea fuit. Omnia non ſine invidia aliqua Zamoſcii adminiſtrata, partim miſeratione hominum; quam qui à potentioribus premi putantur, facile apud quosdam reperiunt. Maxime tamen, qui inter legatos nobilitatis Zboroviorum neceſſarii erant, vel partes eorum tutabantur, quorum, quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, ex compluribus Palatinatibus, non pauci erant, turbare, qui & alia conſilia omnia fere impediebant, neve de Republica ſtatueretur, obſtabant, & cum more recepto, die comitiorum elapſa, Regi univerſi valedicerent, aliquot eorum re inter ſe communicata, contra judicia ea publice proteſtati fuere: neq; quicquam eorum ratum ſe habituros

denunciarunt. Verba Nicolaus Caſimirſcius faciebat: ſeu potius ex ſcripto recitabat. Cum illo Zbigneus Oſſolinius Oſtrogius Lvvovvius, ſororum filii Zboroviorum, Procopius Penkoslavius, aliique unus atque alter erant. Cum paucitas illis objiceretur, illi autem univerſi collegii aut majoris ejus partis nomine denuntiationem eam facere ſe ſignificarent, pleroſq; vero jam diſceſſiſſe dicerent, urgebantur à Rege, ut nomina ſaltem eorum ederent; quo qui & quot eorum eſſent, ſciri poſſet. Illis hærentibus, neque ſcriptum ipſum, quod recitabant, tradere volentibus, prodit Sventoslaus Orſelſcius, Judex tum Caliſienſis, commemorataq; & majorum in Reges fide, & Regis in Rempublicam meritis, & præſentibus periculis, quæ cum maxima Reipublicæ impenderent ſolius Regis ſapientia, ac virtute ſuperanda eſſent, ne paucorum quorundam, vel ingrato animo, vel contumacia moveri ſe pateretur, eum hortabatur: perpetuam vero fidem, ac ſummam in ea conſtantiam, omnium nomine ei deferebat. In iiſdem tamen comitiis, controverſia cum Dano Piltenſis etiam compoſita. Cum à matre Regis Daniæ, & Magno in Epiſcopatu, viginti quinque millia thalerorum oblata fuiſſent, neq; Rex, ut ſumma ea illi repoſita, & vicinum & bellum ex provincia ſummoveret, alienus erat: & Danus quamcunq; rationem ex negotio eo, quod & non magni momenti eſſet, & præter expectationem ejus cecidiſſet, quæ cum dignitate modo ejus conjuncta eſſet; quaq; non tam rejectus à Curonia, quam poſtquam jus ſuum conſecutus fuiſſet, ultro rejeciſſe ab ea videretur, non invitus arrepturus exiſtimabatur. Itaque cum à Farensbecio primum ſummo utrumq; Regem pacificandi ſtudio propoſita, Georgio Friderico deinde Marchioni, in Pruſſia Duci, permiſſa fuiſſet, illeque non minore ſtudio apud Danum ea in re laboraret, hiſce tandem conditionibus tranſactum: Injuriæ damnaq; utrinq; data, utriuſq; partis oblivione obliterarentur, priſtinaque inter illos gratia & amicitia maneret, ne de alterius jure, cum uterq; jus ſuum obtenderet, disceptaretur, per tranſactionem triginta talerorum millia Polonus Dano numeraret: quæ poſtquam certo loco ac die, de quo privatim conveniſſet, numerata fuiſſent, tum Danus poſſeſſione arcis Piltenenſis totiusque Epiſcopatus Polono cederet. Apud Polonum ne fidem Dani ſecutis fraudi eſſet, omnium libertates, juraque legitime obtenta, uſurpataque, ex autoritate Senatus ſcripto diplomate æque confirmarat, imprimis vero Auguſtanæ religionis uſum, nominatim etiam Joanni Beeri, ſeceſſionis autori, cautum. Emptionis vel hypothecæ titulo poſſidens, niſi re cognita, pignoreve legitime Curonia moveretur: bona ſoli tumultus ejus tempore, per vim alicui ablata, legitimo poſſeſſori ſine mora ut reſtituerentur. Conditionibus impletis, incolæ juramento à Daniæ Rege ſolverentur, Regiq; & Regno Poloniæ ſucceſſoribusque ejus in perpetuum novo obſtringerentur, ſimiliterque promiſſa confirmatio viciſſim illis præſtaretur. In tributis exactionibus, vectigalibusque, eadem, quæ aliorum Regni incolarum, conditio eorum eſſe. Dum vero ex belli ejus detrimentis ſe colligerent, ab omni tributo, militia, aliiſq; oneribus publicis, per quinquennium immunes eſſent, tormenta, inſtrumentum bellicum, aliamq; ſuppellectilem, quicquid ejus in arce Piltenſe eſſet, Dano vel cujus eſſet, auferre integrum eſſet. Captivi ſponſioneve aut fide obſtricti, ſine ullo pretio utrinq; dimitterentur, liberarenturve. Forma tranſactionis, ex Pruſſica Ducali Cancellaria tranſmiſſa, paucis mutatis accepta, primumq; à Rege Senatu Polonico & Lithuanico, deinde Dano etiam, ejusque Senatoribus, ſubſcripta, ſignataque, conditionibus utrinque, quemadmodum convenerat ſatisfactum. Cum autem neque in comitiis tributum decretum fuiſſet, nec alia in ærario tum parata pecunia eſſet, præterea vero difficultates, quæ cum incolis de juribus interceſſuræ eſſent, ab ipſo Duce explicari Rex mallet, ut ipſe triginta illis millibus talerorum numeratis, hypothecæ interim jure tractum eum poſſideret, Rex ab eo impetrat. Delegatus ad eam rem, tanquam Vicarius in Livonia Regis, Cardinalis Radivilus, cum aliis nonnullis, poſſeſſionem à Dano acceptam delegatis Pruſſicis ducalibus tradit; quæque alia negotium poſtulabant, in præſente cum iis conſtituit, tranſigitque. De vidua Ducis magni Moſcha, quamvis ad alios potius cura ejus pertineret, pietatis tamen cauſa, vel ad ſuos remiſſurum, vel religioſo aliquo loco honeſte exhibendam curaturum, ſe Rex receperat, remiſſa in Moſcoviam fuit. Habebat more ſolenni ſuos etiam in iiſdem comitiis Dux Pruſſiæ legatos, gratiæ per eos Duci actæ, pro opera ſtudioq; in Piltenenſe controverſia adhibito, privatim etiam, quod conatibus Zboroviorum, motibusque aliquibus gravioribus, ad illum quoque fama delatis, opes contra eos ſuas Regi detuliſſet, quibus tamen, ut opus non erat, ita ne utendum quidem Rex exiſtimabat. Navigatio, quæ ex Lithuania Regiomontum eſt, cum per Habum ſeu ſinum maris Venedici longo ambitu inſtituatur, non ſolum longinqua eſt, ſed periculo etiam non vacat. Si flumina quædam partim derivarentur, partim purgarentur, breviſſimo omnino tractu & ſine ullo periculo conſtitui eam poſſe nonnulli repererant. Appellatus ea de re Dux à Lithuanis, quod non ſine maximo ſumptu perfici res poſſet, præter alia ſolennia poſtulata ſua, vectigal eo nomine ſibi permitti, in comitiis hiſce Dux petebat. De navigatione itidem ab Elbingenſibus, derivatione Viſtulæ deteriore facta, querebatur. Lithuanicæ navigationis cognitio ſeu conſtitutio ad communes delegatos rejecta. De Elbingenſe oſtenſum, cum à delegatis ad Regem cauſa ea relata eſſet, Regem judicaturum: ſi ita ei videretur, ſuum etiam hominem ad judicium id mitteret. Similiter portorii Gedanenſis negotium in iiſdem comitiis finitum. Scripto hujusmodi ex autoritate Senatus illis dato, de quali ſupra oſtenſum eſt. Ab uno atque altero tamen atteſtationes nonnullæ interpoſitæ, maxime Hieronymo Rozrazevio, Epiſcopo ut Vladislavienſe, ita Pomeraniç, ne juribus eccleſiarum, rerumq; eccleſiaſticarum, jurisdictionive, quicquam eo derogaretur. Anglica legatio, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, primo ad conventum delegatorum Mariæburgenſem, deinde ex conventu Senatorum Lublinenſe Levartoviam rurſum. Nicolao Firleo, Caſtellano Vislicienſe, poſſeſſore Levvartovienſe, ipſo etiam una cum aliis aliquot Senatoribus, ad rationes ejus, quod petebant emporii excutiendas delegato, revocata fuerat. In comitiis hiſce negotio illo portorii cum Gedanenſibus tranſacto reſponſum Reginæ: Iis legibus, quas propoſuiſſent, teneri rem apud ordines non potuiſſe, quod publicis Regni legibus monopolia omnia, collegiaq; hujusmodi, vetita ſint, quod tamen proximum huic eſſet, quodque pro ſua erga eam benevolentia promptiſſime ſemper ei detuliſſet, iis juribus atque libertatibus, quibus ſub prioribus Regibus uſi fuiſſent, portus omnes ditionesq; Regias illis paſſituras. Cumq; Gedanenſes ob ſocietatem eam commerciorum, quç cum Anſeaticis civitatibus aliis eis intercedit, paulo ante ſuum in Regnum adventum, duriores nonnihil leges atq; conditiones impoſuiſſe iis accepiſſet, ut in priſtinum jus ac libertatem eos reſtituerent, illis mandaſſe: neq; dubitare, ſi quid tum ſocietatis ejus cauſa durius in illos ſtatuiſſent, nunc autoritate ſua adductos emendaturos, atq; omni potius benevolentia & officiis eos proſecuturos. Non invitis ac procurantibus potius Gedanenſibus id additum, ſi forte revocare commercia Anglica Gedanum poſſent. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, cum Sveco omnia incerta erant. Querebat tamen ſubinde cauſas cum Rege agendi, aliiſq; viis præcluſis, aliquando per Cancellarios aut Secretarios ſuos, Poſſevinum, qui in concilianda ut plurimum Principum gratia verſabatur, appellabat, poſtulataq; ſua illi ingerebat. Reſpondebatur plerunq; Poſſevino, mirari Regem, inter graviſſimas offenſiones, leviorum rerum mentionem ab illis fieri, niſi ipſe autem prius Regi ſatisfaceret, fruſtra vel legatos vel arbitros communes Rex mitteret, eum expectare; cum non ſemel nonnulla, cum indignitate ſua, fruſtra id hactenus feciſſet. Interim Regina Sveciæ anno ſuperiore, menſe Octobr. mortua, Secretarium Petrum Eraſmi Brunum ad comitia hæc mittit. Literas ille à Rege ad Senatum: à filio autem ejus Sigismundo Principe, qui occulta vi facti in Regno poſtea Stephano ſucceſſit, cum ad ipſum Regem, tum ad Senatores Polonicos & Lithuanicos ſeparatim habebat. Repetebant iis uterq; vetera poſtulata ſua, cum pecuniæ creditæ, tum dotis, tum ſucceſſionis: in literis vero ad Lithuanos magni Ducatus Lithuaniæ, etiam hæreditatem in præjudicium hæredum, conjunctione cum Regno Poloniæ, interverſam quærebatur. Reſponſum nomine Senatus, ad Regem ſe detuliſſe. Cum autem ante parenti ipſius Sveciæ, copioſiſſime à Rege ſuo reſponſum iis de rebus fuerit, commodius ad eadem nunc reſponſuros fuiſſe, ſi quid in reſponſo eo deſiderarent, oſtendiſſent. Nunc de Rege ſuo hoc ſolum dicere poſſe, nunquam ab æquitate, ac ne amicitia quidem cum ſereniſſimo parente ejus retinenda, abhorrentem animum habuiſſe: cupere, ut pari ſtudio illinc quoque reſponſum ei fuiſſet: ſed tamen, ne deinceps quoque de voluntate erga eum ſua quicquam diminuat, libenter autores ei futuros, cumque ipſe, per communes delegatos controverſias haſce tollendi, commodiſſimam rationem futuram exiſtimet, ut ſuum quoque in eam rem aſſenſum præberet, à Rege ſe impetraſſe. Legatos autem ſuos, ſi ita Sveciæ Regi videatur, ad diem ſextum menſis Septembris Parnaviam ſe miſſuros, inde de loco aliquo medio, quo cum legatis Sveticis conveniret, cum iis communicaturos, quç an acciperet, in tempore certiorem Regem facerent. Simul vero in iiſdem comitiis delegati ad conventum eum Sveticum fuere, Andreas Firlejus Lublinenſis, Joannes Leſnonolſcius Zakrocinenſis, Chriſtophorus Zienovvic Brzeſtenſis, Caſtellani, Joannes Piotrovius, Canonicus Cracovienſis, Secretarius Regius: præſcriptumq; legationis, ex Senatus conſilio, iis datum. Verum cum ad diem illi poſtea ſe ſtetiſſent, Svecis alia tractatione cum Moſco tum impeditis, infecta res fuit. A Lithuanis expoſtulatum, non tam moleſtam eam rem ſibi videri: quamvis liberis populis, tanquam in peculio alicujus ſe cenſeri, vix non indignum videri debeat, quam novam, quod quo jure ſemper gens Lithuanica uſa fuerit, non diligentius quæſiſſet, quod ſi feciſſet, reperturum ſine dubio fuiſſe, nullum unquam tempus extitiſſe, quo non liberæ electionis jus illa quoq; habuerit. Et ſi enim ex Jagiellonica familia continua ſerie aliquot Principes ei imperarint, voluntate tamen iis paruiſſe: neque magis ea re ſuam libertatem minui potuiſſe, quam Polonicæ gentis, quod ex eadem domo ipſa etiam complures Principes liberis ſuffragiis ſibi præfecerit. Itaque qua voluntatis, libertate è Jagiellonicæ gentis Principibus antea paruiſſet, eadem in ſocietatem Reipublicæ Polonæ deſcendiſſe.

Cui rei id vel argumento esse posse, quod, cum Divus Sigismundus Augustus diu multumque de conjunctione hac laborasset, vix post multos annos perficere eam potuerit; ut quæ non tam in ipsius potestate, tanquam Domini hæreditarii, quam arbitrio atq; voluntate gentis suæ, tanquam liberæ, fuisset. In iisdem comitiis, cum superiore æstate Joannes Borkovius, Vicecancellarius, mortuus fuisset, Magistratus is Alberto Baranovio, cui, tanquam majori Secretario, ex jure id debebatur, una cum Episcopatu Przemisliense, qui morte Simonis Lukovii, nondum tamen Romæ confirmati, vacabat, datus fuit: præpositura vero Plocensis, quam antea tenebat, conservata. Secretariatus major & Referendariatus Petro Tilicio. Jam Prussos etiam tedere judiciorum aulicorum cœperat. Privatim vero Kostkus Stangenbergensem possessionem, primam in Prussia sedem suam, cum in judicio Regio à Venceslao Sakio repetiissent, causaq; cecidissent, per judicia ista tribunalis, rem à Rege judicatam rescindere, recuperareque possessionem eam posse, spem aliquam habebant. Per omne quidem hoc Stephanani Imperii tempus, ut peculiare in Prussia causarum Prussicarum ultimæ instantiæ tribunal haberent, operam dederant: jamq; formam ejus in conventu anno superiore sibi constituerant: verum ordinibus Regni semper obstantibus, Stephano etiam postquam de scitis eorum certior factus fuerat, per Stanislaum Zolkievium filium, nullo modo successionis quasi speciem hanc laturam se ostendere, tandem in hisce comitiis Stanislao Kostka, Succamerario Culmense, maxime annitente, Petrikovia ipsi quoq; contributi. Edictaque, quibus judicium id omnibus denuntiaretur, edita, non multo post comitia publice per Prussiam proposita fuerunt, quod tamen comitiis hisce infectis, inter leges, cum nullæ scriptæ fuissent, referri non potuisset, sub hujus deinde Regis imperio, lege etiam in tabulas relata stabilitum fuit, eodem modo, idem Kyoviensibus, ac Volchinii tributum. Ac primo quidem, ut exemplo Ecclesiasticorum, sex Prussi, sex è Regni judicibus res Prussicas judicarent, constituerant, postea satius judicantes, æquo cum reliqua Regni nobilitate jure uti, more aliorum Regni Palatinatuum, communia judicia, ita, ut promiscue & judicarent, & judicarentur, habere cœperunt. Quomodo portoriũ Gedanense constitutum fuerit, supra ostensum est. In conventu Levartoviense, cujus supra mentio facta, diserte cum Anglis & Elbingensibus actum fuerat, at cum tumultus Gedanensis tempore primus Rex commercia in urbem eam introduxisset, si posthac etiam ibi habere ea vellent, portorium ad exemplum Gedanensium, ipsi etiam constituerent; maxime cum Gedani habiturus jam Rex portorium esset, si illi immunes ibi commercia exercerent, non parum decessurum Regi videretur. Itaq; Joannem Schorcium, Præfectum Kissoviensem, ad civitates eas mittit, ad Gedanenses quidem, ut præteriti anni rationes acciperet, inq; futurum annum præfectos scribasq; vel novos eligendos curaret, aut saltem, si veteres manerent, novo juramento eosdem astringeret. Ad Elbingenses vero, ut quo ipsi quoq; ad normam Gedanensium tres consules præfectos, duos scribas eligerent, qui portorium id nomine Regio jam exigere inciperent, eos hortaretur: Juramentoq; ipsos quoq; adigeret. Sub idem comitiorum tempus, in Livonia quoq; initio à mutatione calendarii sumpto, Parnaviæ & Rigæ tumultuatum. Parnaviæ edicta Regia, quibus emendatum calendarium accipere jubebantur, clam à quibusdam refixa abjectaq; fuerant. Verum ubi autoritate Præfecti, edictorumq; Regiorum ad Magistratum, cum non de religione, sed ordine ea re agi, ostensum illis fuisset, utq; in autores contemptæ Majestatis Regiæ inquirerent, neve inposterum tale quid committeretur, caverent, mandatum; non magno negotio, oppressum gliscens incendium fuit. Rigæ & gravior tumultus & longius progressus fuit. Edictis Regiis de emendato calendario recipiendo acceptis, Magistratus maxime autem Nicolaus Ekius, qui in Purgrabiatu erat, ut secundum calendarium id cum dies festi observarentur, tum alia omnia administrarentur, & publice, & imprimis ecclesiarum scholarumq; ministris suis, mandaverant. Autore Georgio Neumano, primario inter eos ministro, reliqui etiam parent; cum decem dierum spatio ex emendatione ista festorum, festa natalitia anteverterent, ministrique, quemadmodum à Magistratu jussi fuerant, solitas ceremonias in templis obirent, cathedramque conscendissent, populo ad solita negotia laboresque nihilominus converso, vel paucissimis vel parietibus concionabantur. Stato deinde veterum natalitiorum die, opere omni remisso, ornatusque ad templa populus convenit: à ministrisq; destitutus, nullo prætereunte, ipse hymnos cantionesque suas concinnebat. Intercesserat inter Neunemanum ludique magistrum contentio quædam hac de re, in qua cum ludimagister in ipsum etiam Regem contumeliosis verbis invectus fuisset, re ad Ekium à Neunemano delata, pro munere Burgrabii ad se citatum, verbisque castigatum, in carcerem compingit. Eum cum primum collega ipsius, pueris omnibus comitatus, deinde concursu facto populus etiam repetiisset, reposcentibus dimittere Ekius noluisset, subito in domum ejus impetu facto, illo furori eorum cedente, domum diripiunt, ludimagistrum foribus carceris effractis vi auferunt, eademq; rabie in Neunemanum etiam, quem autorem totius ejus rei ferebant, invecti, multis preterea verberibus affectum semianimem relinquunt. Postridie Magistratu fere omni præ metu se abscondente, cum multitudo sine Duce, sine capite, sine consilio certo, ne ipsa quidem sine metu, quonam res evaderent, esset, imprimis Duces sibi, Mar-

Martinum Gisium, obscuro loco Rigæ natum, sed qui in causis agendis operam suam navare solitus, ingenio calliditateque, maxime in animos multitudinis influebat, & Joannem Brinkium Belgam, tum alios nonnullos Duces seu Tribunos sibi creant. Ekium repertum protractumq;. Neunemanum itidem ad reconciliationem adigunt: vetus calendarium restituunt: leges quasdam, quibus in ordinem Magistratum redigunt, neve sine plebis scito quicquam gravioris rei agat, statuatve, cum obligant, constituunt. Qui vi ad reconciliationem adacti fuerant, primam quamq; subducendi se occasionem nacti, attestationi, qua vim discessumq; suum contestabantur, interposita, ad Cardinalem locum tenentem Regium in arcem se recipiunt: rem inde ad Regem deferunt. Rex in ea omnium rerum, cum Sveciæ præsertim Rege, in certitudine temporis, rationem habendam putabat. Itaq; Cardinali mandat, operam det, ut civitati persvadeat, quo à contentionibus discedat, in concordiamque redeat: de controversiis, quæ inter eos sint, cum Magistratus tum populus, ex suo uterque corpore, primarios legatos ad Regem mitteret. Si autores tumultus in potestate haberet, neque reliquam plebem facile se commoturum ratus: & se, quod è dignitate publica videretur, statuendi facultatem habiturum. Quo humanius Cardinalis cum illis ageret, eo homines, omnis humanitatis expertes, quæ natura fere plebis est, insolentius se efferebant. Itaq; de die in diem in pejus ibi res ruere. Sub initium mensis Maji universa plebs, cœtu facto, viginti quatuor Seniores, quos vocabat, homines totius civitatis seditiosissimos factiosissimosq; eligit: in eorum consilia, adq; salutem eorum etiam vitæ suæ periculo tuendam jurejurando se adigit. Qui comminationi illi subscribere nollent, aut superiorem in ea Magistratum exciperent, sibilis convitiisq; multitudinis explodebantur. Consilio eo plebis constituto, & eas, quas antea tulerant, leges, quibus Senatum in ordinem redigunt, renovant, & alias novas ferunt. Muros vallumq; civitatis, maxime arci oppositum, muniunt, tormentaque in eo collocant, apertamq; omnino rebellionem spirabant. Senatus, qui coercere ista debebat, vi metuque à plebe oppressus, ne mutire quidem audebat. Itaque, ne in curiam quidem, nisi à plebe vocatus, conveniebat. Quod; quoties fiebat, ex arbitrio seu imperio potius plebis, omnia statuere cogebatur. Omninoque, nullo quasi Magistratu existente, tanquam domicilium aliquod latronum, omnium rerum perturbatio, atque horror quasi quidam ac vastitas, civitatem occuparat, miserandaq; plane facies ejus erat. Querebant causas cædis in Magistratum: cumq; jura, de quibus cum Stephano constitutum fuerat, omnia excussissent, neq; satis justam causam accusandi Magistratus reperire possent, tandem templum D. Jacobi, quod collegio patrum Societatis Jesu, à Rege constituto, attributum fuerat, alterumq; minus illi vicinum, D. Mariæ Magdalenæ, cum cœnobio virginum Cisterciensis ordinis, proditum à Magistratu Regi insimulabant: obliti præter alia præclara, imprimis cathedrale, etiam Archiepiscopale templum, ipsiusq; Archiepiscopi curiam, domosq; plerasque canonicorum, tum reditus earum plerosque. Quæ ne titulo quidem aut specie ulla juris occupata ab iis tenebantur, summo cum dolore injuriaque Catholicorum permutata, confirmataq; eorum loco à Rege cum illis fuisse. Cum alios autem ejus rei insimulabant, tum maxime Joannem Testium, Advocatum civitatis, & Gottardum Willingum, Syndicum. Idq; cum agitari ea subsensisset, Testius metu perculsus, præter Ekium, ipse etiam ex civitate profugit, in arcem se recipit. Patres Societatis intra parietes se continebant, quoties in publico conspectus aliquis eorum fuisset, omnium probris injuriisq; mox incessebatur. Unus vero lapide etiam à quodam de vulgo in terram prostratus, cum eo non contentus, seminimem pugione etiam confodere vellet, vix ab astante alio servatus fuit. Cum vero, non multo post, in ipsum etiam collegium templumq; impetum plebem facturam præviderent, assiduis injuriis, quæ quotidie fere illis inferebantur, exagitati, tristiora etiam & graviora indies expectantes, in arcem ipsi quoq; possessionis causa, uno atq; altero relicto, se recipiunt, templum collegiumq; plebs ut hostis occupat. Non multo post Comitia, de Zatmariensi etiam cum Cæsare controversia decisum: opera maxime Antonii Possevinii: qui negotio hoc à summo Pontifice ei demandato, in reconciliandum Principum gratia, nihil omnino intentatum relinquebat. Conditio jurisjurandi, onerumq; præstandorum, quæ maxime negotium morari videbatur, Zamoscio ratione eam proponente, ita expedita fuit, ut jurejurando remisso literas tantum, quibus Majestatem, supremumque Regni Ungariæ imperium Rex successoresve ejus agnoscerent, à singulis Regibus Ungariæ acciperent, illi vero sine detrectatione eas darent: cæteroquin à juramento, aliisve oneribus, immunes possessiones eas tenerent, quæ difficultas postquam sublata fuit, de aliis, quæ reliquæ erant, non difficulter postea convenit: acceptaque possessio omnino Regio fuit. Exitus comitiorum expectatus à Cæsare existimabatur; qui cum præter opinionem eorum, qui ipsi vana quæq; sibi pollicendo, non minus certas spes, aliis fortassis etiam fecerant, cecidisset, finis tandem controversiæ compositus. A comitiis Cracoviam mox Rex profectus, quo in loco seu vicino Cracoviæ Niepolomiciæ, ob venationes maxime ei grato, cum integram fere æstatem egisset, sub hyemem Grodnam se contulit, ubi ad mortẽ usq; substitit. Per omne autem id tempus, quod ad futura comitia intercessurum esset, cum maximas res animo agitaret, quod tamen neque de Tartarorum incursionibus reprimendis, neque de bello contra Moscum quicquam statu-

statutum fuerat, de iis autem rebus, quas animo agitabat, cum summo Pontifice, aliisque nonnullis Principibus, tractandum interim existimaret, otium id, ita transmittebat, ut, quantum in se esset, nonnullis locis, partim ædificiis, partim aliis ornamentis excolendis, totum se daret. Imprimis Grodnam, quam ob venationes, quibus maxime delectabatur, quasi secessum quendam sibi delegerat, arce temploq; murato, aliisq; omnibus rebus ornare instituerat, totusque in eam rem incumbebat. Quæ Joanne Basilide Moscoviæ Duce mortuo occasio Imperii Moscovitici adjungendi se ostenderit, supra dictum est. Cum frustra in Comitiis rem Rex proposuisset, aliis tantæ rei occasionem spernentibus, aliis ex instituto omnes Regis actiones impedientibus, Rex tamen, ne ita quidem, tantas spes deserendas ratus, cum summo Pontifice, Italisque nonnullis Principibus, Venetis maxime, & Florentino, communicare, de iis instituit: ac maxime quidem per Antonium Possevinum, tum Cardinalem Battoreum, quem cum sub proxime præteritorum comitiorum tempus ex urbe revocasset, hujus negotii causa denuo Romam mittit. Statu rerum Moscoviticarum demonstrato, quanta vel maximo Septentrionis imperio potiundi occasio se ostenderet, simul demonstrare. Quod si adjunctum esset, cum idem finibus Imperii Turcici latissime obtenderetur, tantis viribus conjunctis, quanto non modo tutior, verum formidabilior, etiam Turcicæ potentiæ, Christianitas futura esset: quanta simul facultas religionis catholicæ per latissimos illos Septentrionis tractus propagandæ. Itaq; cum non minus cum universæ Christianitatis commodo, quam Regni sui dignitate conjuncta ea res futura esset, ut ad eas suscipiendas subsidio aliquo pecuniario ab iis juvaretur, operam dabat. Subque finem anni octuagesimi quinti Georgio XIII. mortuo, Sixtoq; quinto ei suffecto, eadem de re ipsum quoq; per Cardinalem Battoreum & Possevinum appellabat. Probata utriq; res, justumque subsidium ab utroq; in eam promissum. Sixto quinto autem, qui maxime fœdus etiam contra Turcam cum Persa, cui vicina Moscovia esset, maximi animi viri spectabat, ita cordi res esse, ut etiam remotis arbitris & scribis, adeo illud tractaret, suaque manu ea de re literas ad Regem daret. Uniusq; mensis stipendium, jam per novum legatum Annibalem de Capua, Archiepiscopum Neapolitanum, viginti quinque millia scutatorum ad Regem destinasset. Verum res optimo consilio suscepta, mortuo postea Rege, cum ipsi, tum Zamoscio, ut quo Consiliario omnia a Rege facta essent, vel maximam invidiam conflavit. Communicatione enim hac cum summo Pontifice, ipsiusque summi Pontificis studio in vulgus jactato, cum, quid actum esset, alii non satis compertum haberent, aliiq; studiose etiam in diversæ religionis hominum perniciem comparata fingerent, vehementer animos eorum accenderunt. Et si fœdera cum Cæsare, domoque Austriaca, nondum renovata essent, quod tamen controversia Zatmariensis jam transacta esset, huc usq; etiam si solenniter non renovata, tacite tamen quasi servata utrinq; fuissent, Joannes Skretuscius, Secretarius Regius, ad Cæsarem a Rege missus; qui Christophorum Zborovium, judicio victum damnatumque, actis judicii ejus ad Cæsarem per eum missis, ex pristini fœderis formula dedi peteret. Quod, uxore ducta, inter ordines Bohemiæ seu Moraviæ receptus fuisset, ad eos a Cæsare res rejecta, posteaq; ad mortem usq; Stephani Regis ducta. Initio anni octuagesimi sexti, Joannes Demetrius Sulikovius, Archiepiscopus Leopoliensis, ad novum Pontificem Sixtum quintum a Rege missus; qui & fastigium illud Reipublicæ Christianæ ei gratularetur, & officium seu obedientiam, quam vocant, inter alios Reges, Principesq; Christianos, Regis Regniq; nomine ei deferret, præter hæc privata nonnulla negotia ei demandata: maxime de Abbatia Olivense, Casparus Jeskau, Abbas Olivensis, cliens Kostkanorum, Georgium Kostkam, Palatinidem Pomeraniæ, invito Rege, suffragiis monachorum, coadjutorem sibi adsciverat. Rex Fabianum Lokkam illi opponebat: maxime autem de jure Regio ei agebatur: Itaq; intentus in conatus eos esse jussus, maxime, si in judicio rotæ aliquid susciperetur, ne in controversiam ullam descenderet. Sed potius jure hoc longissimi temporis spacio confirmatum in Regno hoc Reges semper obtinuisse, ut ad nullas omnino Abbatias alii, quam quos Reges ipsi commendassent, eligerentur, contra attestaretur. Sub idem fere tempus, initio nimirum anni octuagesimi sexti, Henricus Dux Lignicensis e custodia, qua astrictus a Cæsare fuerat, egressus, primo Varsaviam, ad Reginam, inde, omnibus rebus, interque alias vestibus etiam, suppellectileque, & abaco argentea, pro generis ejus dignitate, ab ea instructus ornatusque, ad Regem Grodnam venit; ab eo, ut priscorum Regum Poloniæ Piastorum posteritas, humanissime ipse etiam exceptus fuit. Postridie adventus ejus tabellarius a Cæsare ad Regem venit, quibus significabat, cum custodia, qua obstrictus fuerat, rupta, præter voluntatem suam, in ditiones Regias se contulisse eum intellexisset, evocandum eum existimasse; postulabatque, ut tabellario, qui literas, quibus eum ad se revocarat, traditurus ei esset, per Regem in ditionibus, iisve locis, in quibus adepturus eum esset, id liceret, securitasque eidem a Rege præstaretur. Adjunxerat literis scriptum, quæ causæ, ob quas custodia obstrictus fuisset, maxime quidem prodigalitas ejus, vitiaque prodigalitatis, dissolutio & æris alieni magnitudo, comprehendebantur. Quo a Rege cum illo communicato, alia partim negare, partim excusare, partim elevare, ob novarum autem quarundam rerum, consiliorumque cum ipso Rege, suspiciones ad Cæsarem delatum, odium

ejus

ejus incurrisse obtendere. Rex, ne vel bonam causam male agendo corrumperet, ut vel quamprimum Cæsari se sisteret, hortari eum cœpit: testimonium etiam innocentiæ ejus, vel ipse præbiturum se ei apud Cæsarem offerebat. Verum, cum ille vanas spes quasdam, quas in plerisq; Germaniæ Principibus habere se diceret, sequi mallet, interq; alios Præfecto militiæ Sveticæ tum mortuo gubernationem partis ejus Livoniæ a Sveco, a quo evocatus esset, expectare se ostenderet, literas tamen ad Cæsarem illi dedit, quibus & iis rebus, de quibus delatum se ad Cæsarem dicebat, diligentissime eum purgat, & prolixe eidem commendat. Ad Georgium Fridericum Marchionem, in Prussia Ducem, cujus sororem in matrimonio, liberosq; ex ea habuerat, indeq; in Sveciam profectus, postea Sigismundo III. Rege electo, cum eo in Poloniam revenit, in exilioque Cracoviæ obiit. Quo Rigenses res prolapsæ fuerint, supra ostensum est. Plebe indies magis turbante, exules in arce interim erant; atque in judicium primo ad Cardinalem, deinde ad Regem seditiosis vocatis, ut causæ cognitionem susciperent, urgebant: Interim Cardinali, qui Romam spectabat, ad Regem, ut Magistratu eo Locum tenentis se abdicaret, domumq; inde profecto, arci Thomas Endanus Saxo præerat. Cum Rigensium minæ aliquæ, ut ultro sibi dederentur, alias per vim exules ex arce se ablaturos delatæ ad eas essent, Joannes Tastius, cæteris meticulosior, ut noctu per Dunam in tutum evaderet, persvaderi sibi patitur. Cum in medium flumen, ignoto rustico habitu indutus, jam pervenisset, sclopeto exploso, qui in insidiis a Rigensibus locati fuerant, non absque suspicione proditionis mox advolant, exceptumq; in urbem perducunt, sævissimisq; tormentis subjectum. Hominem jam vitæ pertæsum adigunt, ut cum alia nonnulla, contra fidem civitati debitam admissa, tum maxime templa, de quibus supra mentio facta, Regi condonata fateretur. De fasso, mox publice in foro supplicium sumptum. Conscios ejusdem facti sui, cum alios nonnullos, tum maxime Casparem Bergium, Consulem, Gottardum Willingium, Syndicum, Ottonem Rannium, Scribam civitatis, nominarat. Bergium constantia ejus servavit, cum nullo metu, ut quicquam contra fidem a se admissum fateretur, adigi potuisset. Willingius tormentorum dolore victus, cum ipse etiam fassus fuisset, primum vita publice in loco supplicii a populo donatus, domumque deductus; mox a complexu uxoris, & liberorum, iterum e domo abstractus, supplicio ipse quoq; afficitur. Jam ante, priusquam ad sævitiam eam descendissent, exulibus urgentibus, & exules decreto Rex restituerat, & seditionis autores, maxime autem Gisium & Brunkium, proscripserat. Curlandiæ tamen Duci, ut componere inter eos posset, transactionem inter eos tentaret, permiserat; nonnulla spe, si in pristinum statum opera ipsorum civitas restituta fuisset, receptum eos ad gratiam Regiam habere posse, damnatis facta. Tentata perfectaq; a Curlando transactio fuerat, sed ita, ut in eodem fere statu, in quo tum civitas erat, relinqueretur. Exules verbo magis quam re restituerentur, aut securitati eorum idonee caveretur. Detrimenta rei familiaris direptæ, vix uni Ekio, & ne illi quidem satis sarcirentur: injuriæ utrinq; obliterarentur; interim, ut damnati restituerentur, opera apud Regem daretur. Jam crudelitate etiam tanta Rex commotus, cum & suam Regniq; majestatem in tantum contemptum, & ipsius civitatis salutem, in tantum discrimen vocatum videret, acriora remedia adhibenda ei existimans, meditansq; animo vindictam seditiosorum, innocenterque supplicio affectorum ultionem, cum capita seditionis denuo proscribit: tum in ipso Dunæ ostio propugnaculo, portum occupare instituit; quo perfecto, & commeatu commerciisq; eos prohibere, & non magno negotio in potestate civitatem habere posse videbatur. Operi Stanislao Penkoslavio, cui Sendomiriensem paulo ante præfecturam contulerat, impigre administrato, præsidium etiam imponitur. Seditiosi rerum suarum solliciti, cum conjurationem, quam antea fecerant, denuo sanctissimo jurejurando renovant, universamque adeo civitatem in id adigunt, tum partim aliorum Principum externorum opem patrociniumq; circumspicere incipiunt, tum in Sveciam Gisius, communi aliorum, seu privato suo consilio proficiscitur, quo rerum in civitate ea statu, aliquanto post Rex moritur. Portorio Gedanense constituto, ad alteram rem, in qua non minus Majestatem Regni versari existimabat, animum mox Rex convertit. Privilegio Casimiriano, quo possessiones libertatesq; adeo omnes suas civitas tueretur, diserte cautum fuit, ut domum Gedani, pro dignitate Regia Civitas Regi ædificaret. Res non tam a Regibus neglecta, quam Gedanensium precibus, causisque interpositis semper ducta, receptis iis Mariæburgi in gratiam, una cum portorii negotio ad Comitia rejecta fuerat. In portorio etiam superiore anno nonnulla Regem offenderant: quod, cum literas Regias præfectis scribisque legatus Regius tradidisset, illi, nisi prius ad Senatum retulissent, resignare eas noluissent. Deinde, cum novos præfectos scribasque eligerent, quos juramento adigerent, hortatus eos fuisset, illi eosdem jam ante juratos confirmatos a se ostendissent. Nonnihil de ipsa æstimatione etiam, exactioneque portorii, an bona fide omnia administrarentur, dubitationis aliquid objectum fuerat. Itaq; misso, sub initium Veris, Reinoldo Heidenstinio, qui & præfectos scribasq; solenni juramento adigeret, & rationes portorii præteriti ab illis acciperet, in eaque, quorum supra mentio facta, inquireret, imprimis, ut dignitatis Regiæ omnibus iis in rebus curam haberet, ei mandat: tum nominatim, ut domum ex privilegio Casimiriano debitam ab illis exigeret, certumque scriptum aliquod responsum ea de re referret. Stanislao Kostka, Succamera-

mera-

merario Culmense,& Ernesto Vejero,Pucense Præfecto, controversiam mandatam, quæ collegio cerevisiæ coctorum,cum Magistratu erat, & non perfecta, cognoscendam eidem delegat. Elbingæ vero,ut de certa ratione portorii, quæ nondum explicata erat,constitueret. Cum negotium Brunsvicense,quemadmodum supra ostensum est, delegatis principibus ob eventum litis inexpectatum, asperius nonnihil appellatis plane hæreret, ad Ducem Prussiæ simul descendere jussus : quæ in causa ea hactenus intercessissent, ei demonstrare,ut ipse in ea apud delegatos Principes se interponeret, novumque quasi causæ aditum præstaret, petere. A Duce res suscepta. In Germaniam is tum sub id ipsum tempus ibat, cumque ab eo tempore in assidua semper apud Prussos expectatione esset,per septemdecim tamen annos, quos supervixit, nunquam tamen postea Prussiam vidit. Gedani summa voluntate Senatus, ex dignitate Regia,omnia administrata : Literæ Regiæ etiam non consulto Senatu,præsente legato,à Præfectis Scribisq; lectæ : novoq; juramento in verba Regia adacti,rationes diligentissime exactæ , satis bona fide eas administratas docebant. De domo Regia,quemadmodum Rex voluerat,scriptum responsum à Senatu datum, quo, quod privilegio Casimiriano debebat,non negabat: difficultatibus Civitatis demonstratis, ut in aliud commodius tempus differri rem Rex pateretur, petebat. Satisfactum tum temporis eo Regi. Cerevisiæ coctoribus,cum aliis nonnullis de rebus,tum maxime de vectigali quodam, accisam vulgo vocant, quod extra ordinem à Magistratu impositum , querebantur, controversia cum Magistratu erat,ad Regium judicium tota re rejecta,compositione postea transactum,de eo inter illos fuit. Elbingæ de duabus maxime rebus dubitatio erat: una, quod exemplo Gedanensium dimidiam partem portorii Elbingensis etiam petebant:Præfectos etiam Scribasque,eodem exemplo,ipsi quoq; eligere volebant. Altera, quod à solis Anglis,non civibus aliis,etiam externis,pendi id debere æquum censeret. Rex aliam rationem Gedanensis portorii, ut quod à prima civitatis ejus ad Regnum adjunctione possessum ab illis fuisset, aliam Elbingens. ut quod à se primum institutum fuisset, esse debere statuebat : ut partem quidem aliquam pro arbitratu suo ad portus stationesq; reficiendas illis permitteret,non alienus erat,dimidium nimirum putabat. Præfectos etiam ac Scribas,non quidem nisi ex corpore civitatis deligere volebat, præscribi tamen aliquid in iis sibi nolebat, quo minus postea etiamsi ita ei videretur, aliquid mutare, ac pro suo arbitratu statuere, de iis posset , æstimationem etiam ad Gedanens. quidem portorii revocare volebat; ne, si minor æstimatio iniretur, de proventibus Regiis aliquid decederet: si major, magnitudine portorii ab emporio eo mercatores absterrerentur. Imprimis tamen ab omnibus,non modo civibus & Anglis , verum quibuscunque, qui merces aliquas per portum eum importarent, aut exportarent, æqualiter exigi id volebat, itaq; accipere se beneficium, non dare,cogitare eos debere monebat: ideoque,tanquam in re, quæ tota potestatis Regiæ esset, accipere conditiones,non præscribere. Petebant nihilominus Elbingenses, de aliis externis, præter Anglos, immunes ut essent: de navibus item, ut cum ea ratio adhuc portus esset , ut ingredi in eam naves non possent, ab iis quoq; portorium ne exigeretur. De externis,cum in eadem omnes causa essent, ut eodem omnes etiam jure essent, perstitit. De navibus assensus fuit, quo ad portus in eum statum perduceretur, ut naves ipsas capere posset. Salarium simul præfectis quinquagenos : scribis septuagenos singulis, annuos ex portorio constituit. Cum, quemadmodum supra ostensum est, Zatmarensis controversia sublata esset, ad pacta cum Cæsare, domoque Austriaca,quemadmodum convenerat renovanda , venisse Rex putabat. Ita autem in cogitatione ea versabatur, ut pristina cum prioribus Regibus fœdera diligentissime ipse expenderet,examinaretque. Sic vero de iis judicabat, vix non majorem partem eorum magis ad mercatores , quam Principes ipsos pertinere: ut de liberis utriusque subditorum commerciis jure administrando, transitu utrinq; præstando; & quæ ejus generis, vel sine fœderibus ullis, communis utilitatis causa, apud fere omnes gentes serventur: quæ autem ad communem Principum dignitatem atque utilitatem constituta in iis viderentur, hujusmodi esse, ut vel ad unius partis, Austriacæ nimirum, commodum sola revocata, vel frustra omnino constituta viderentur , quemadmodum , quæ non recipiendis subditis alterius, commodisq; mutuis & liberorum utrinq; provehendis , Ferdinando quidem utilitatis aliquid afferre potuisse, qui Boemos & Transilvanos, partim non admodum obsequentes, partim alienatos à se haberet , pro liberis autem, vix non vivente adhuc Augusto, Regnum ambiret: Augusto nihil, qui & Regnum pacatissimum,liberos nullos haberet. Auxilia vero mutua, cum ad utriusq; arbitrium revocarentur, præter alios autem utrinq; Turca exciperetur, in re seria nihil omnino serio actum videri potuisse. Ea igitur quomodo emendarentur,cogitabat. Caput maxime de perduellibus duplex in pristino fœdere erat. Unum de publica perduellione,vel universi Regni, vel populi, alterum privatorum. In illa parte duo vitanda putabat. Unum,ne hac ipsa re jus liberæ electionis, quod utriusq; populi, Poloniæ, Ungariæ, Boemiæ Regnorum haberent , imminutum videretur: alterum, ne,cum existere tempus posset, quo patrocinium Ungariæ, seu partis ejus suscipere Poloniæ, non modo expediret,sed necessitas forte ei offerretur,ne fœdere aliquo astringi se pateretur, quo minus postea omnia integra essent. Si forte permissu divino reliqua Ungaria à Turca omni occupata , sal-

tem vicinæ partis, patrocinio suscipiendo, excludere à finibus Poloniæ Turcam posset. Itaque ejus generis perduellionis seu defectionis mentionem, omnino potius omittendam judicabat ; cum præsertim vel sine gravissima causa, vel duriore, quam ut tolerari possit, servitute adactus publico consensu nunquam populus universus descendere eo soleat. In capite de privatis perduellibus, ne cui forte ex necessariis suis Ungaris suspicio propensionis alicujus in eum, periculi quid afferre posset, eam etiam cautionem addendam existimabat. Si jure Regni ejus, cujus incolæ fuerunt, publicæ ac legitimæ perduellionis convicti damnatiq; fuerint. Caput etiam de auxiliis mutuis, vel omnino prætermittendum putabat: vel cum utrique fortassis parti expediret, contra commune à Turca maxime periculum,mutuo fœdere sese munire, certa aliqua vel militum, vel pecuniaria auxilia designata. Ad quam conditionem , si ordines Poloniæ astringere se pati nollent, re cum Transilvanicis ordinibus deliberata, fratris filium Principem, ordinesque Transilvaniæ obligare ea cogitabat. Cum sine autoritate Senatus agi de confirmatione fœderum non posset, in comitiis, quorum tempus legitimum jam imminebat, diligentissime proponere rem Senatui cogitabat , maxime autem Moscoviticum negotium, cum animo agitabat, quemadmodum supra ostensum est. Per fratris filium , Cardinalem Battoreum, non solum promissum de auxilio, sed certum jam in eam rem auxilium, à Sixto quinto Pontifice obtinuerat, certaque jam pecunia trajecta, apudq; mercatores quosdam Italos deposita in usus eos fuerat. Itaq; denuo in comitiis proponere rem ordinibus statuit. Ab his si nihil scisceretur, partim tamen privatis facultatibus, partim summi Pontificis auxilio, consilia prosequi: ac primo quidem legatione missa, de conjunctione seu societate cum Regno, vel in eum saltem eventum , si Princeps nulla posteritate relicta decederet,agere statuit. Si, ut sponte in ditionem Regni perveniret, persvaderi eis non posset,agrum Smolencensem,& Severiensem, quæ olim de Regno alienata fuissent,repetere: utrinque negantibus,tum demum bellum intentare. Hisce igitur & aliis nonnullis minoris momenti de rebus, ut Livonia constituenda,& similibus,ad diem certum mensis Decembris comitia indicit. Jam conventus minores,qui ante comitia solennes haberi solent, agebantur; vixq; non omnes propensos se in negotium ostenderant. Cum morte Regia, subito nuntiata, omnia relicta fuerunt. Obiit Grodnæ duodecima mensis Decembris, sub vesperam ; sexta fere die, postquam morbo tentari cœpisset, ita, ut idem mensis & vitæ ipsius,& anno octuagesimo sexto finem afferret, quo genere morbi perierit: cum multis libris , in publicum etiam editis, Medici inter se certarint,ne nunc quidem fortassis,satis in aperto est: Nicolaum Buccellam Patavinum, Simonem Simonium Lucensem. De Simonio constat, cum Cardinalis Radivilus, paulo ante mortem Regis Romam iturus, ei valedixisset, non diu vitalem futurum Simonium ei denuntiasse: de Puccella idem Christophorus Zborovius jactabat : operam præterea ad tollendum Regem ab eo sibi delatam, à se repudiatam. Ego literas Ducis Prussiæ vidi, quibus paulo ante mortem Regis, ut à Medicis, dissensioneque eorum, quæ summa inter illos erat, sibi caveret, eum hortabatur. Verum rumores eorum, qui de morte ejus sparsi sunt, neq; confirmare quicquam, neq; refutare animus est. Nihil certe morte ejus inopinatius plerisque accidit. Cum enim annum ætatis quinquagesimum quartum nondum egressus esset, valetudine præterea & firma erat, & cum exercitationibus, tum aliis rebus diligentissime valetudinem tuebatur. Princeps immortali memoria dignissimus fuit. Natus in Ungaria erat, anno salutis humanæ M. D. XXXIII. V. Calendas Octobr. die DD. Cosmi & Damiani, genere Illustri Patre Stephano, sub Joanne Rege, Palatino Transilvaniæ: matre Catharina Thelegdea. Neq; solum antiquitate generis & opibus clara domo, verum, quod multo augustius, constantia in Religione catholica. Cum enim, Deo ita permittente, invalescentibus hæresibus, universa fere Ungaria ab Ecclesia Catholica se avertisset, stirpem suam, quæ de Somlio Battoreorum erat, solam fere, constantissime in fide permansisse commemorare solebat. Fratres duos habuerat, ex quibus Christophorus ipsi postea in Principatu Transilvaniæ successit; sorores aliquot. Itaque, cum in multas partes, hæreditate scissa, continuis præterea Ungariæ bellis, tenuiores aliquanto facti essent , ipse Ferdinandi Regis tum Ungariæ ministerio se addixit : in cujus Regia cum eo tempore versaretur, quo Catharina filia Ferdinandi, quæ postea Regina Poloniæ fuit, Duci Mantuæ elocabatur, per eam occasionem in comitatu ejus Italiam quoq; vidit. Verum postea cùm Ferdinando serviens in pugna quadam captus fuisset, abq; illo neglectus, neque ullam sui liberandi curam sæpe appellans flagitansq; impetrare potuisset, ad Joannem, Joannis filium, Transilvaniæ Principem, se contulit. Tantum autem aberat, ut tenuioris istius temporis conditionis eum puderet , ut publice etiam ipse non raro prædicare ea de se soleret. A Joanne legatus deinde ad Maximilianum missus, per speciem turbatarum induciarum, in triennali fere custodia retentus fuit; quod omne tempus, cum in omnis generis Scriptorum, maxime vero etiam Historicorum scriptis legendis transegisset, prudentiam eam , quam ex rerum ipsarum usu, multorumque hominum & regionum cognitione antea sibi compararat , lectione etiam, doctorumq; hominum, quos frequentes ad se accersebat, assiduo usu & consvetudine auxit. Inde dimissus à morte Principis Joannis , imperio Transilvaniæ omnium ordinum voluntate admotus, Bekiesium, ejusdem Principa-

tus æmulum, auxiliis Germanicis turbantem, ejecerat. Omnibus & corporis & animi dotibus ita cumulatus, ut exemplum quoddam raræ inter homines excellentię effingere natura voluiſſe videretur. In ſtatura, facie, oratione, Majeſtas ſumma : ſimul tamen & virginalis quædam verecundia & facilitas, comitasque tanta, ut cum in faſtigio eo Regio & ipſius quam omnibus rebus præ ſe ferebat, Majeſtate, in familiariſſimos tamen ſermones cum adeuntibus ſe demitteret, non raroque cunctantes ipſe ad eos invitaret, dubium eſſet, vererenturne eum magis homines, an amarent. Religionis catholicæ obſervantiſſimus erat: quod vel ultimi codicilli ejus teſtari poſſint, quibus fratris filium Sigismundum, Tranſilvaniæ Principem, moribundus affatur, patrociniumq; religionis catholicæ, collegii patrum Societatis Jeſu à ſe inſtituti, contra Arrianos Tranſilvanos, maxime Coloſvarienſes, ardentiſſime ei commendat. Idem tamen diverſæ ſectæ homines ferendos potius, DEOque & tempori committendos, quam perſequendos arbitrabatur. Prudentia in eo ſumma erat. Præter Ungaricas, ex Turcicarum etiam, Germanicarum, Italicarum rerum uſu tum multiplici, quemadmodum oſtenſum eſt, Hiſtoricorum maxime lectione comparata: ex quibus tamen cum Cæſarem unum maxime cæteris omnibus anteferret, aſſidue etiam fere in manibus eum habebat, ut cum copioſus imprimis in dicendo eſſet, latinaq; lingva ad omnes uteretur, ſingula, quæ ab eo dicerentur, non tam ſententiæ, quam oracula quædam, viderentur. A jure æquitateq; ſciens non facile diſcedebat. Veri amantiſſimus, quemadmodum ipſe apertus erat, ita facile omnibus credebat. In iram atq; crudelitatem pronior à nonnullis, maxime, cum in Tranſilvania eſſet, exiſtimatus fuit. Sed vix quenquam fuiſſe exiſtimo, qui facilius idem injurias ex animo deponeret, earumque citius oblivisceretur: meritorum vero, etiam minimorum, in ſe & benefactorum æque memor eſſet. Itaq; non paucos, vel oblitos jam, operam aliquam ſe ei navaſſe, vel ne expectantes quidem beneficio ipſe aliquando præbuit. In rem item attentior parciorque vulgo habebatur, & revera erat. Verum idem in loco non ſolum liberaliſſimus, ſed ſplendidiſſimus etiam eſſe ſciebat, àq; familiaribus ſimiliter ſuis ac domeſticis non minus ipſis etiam, ubi opus erat, ſplendorem exigebat. Neq; facile quisquam Regum Poloniæ ante eum fuerit, qui paratis pecuniis largiendis plus eorum in Magiſtratus domeſticosq; ſuos contulerit. Ob Ungaros, quamvis in externo Regno, natura tamen aliquanto rapaciores, cum natura ipſa propenſior in eos exiſtimaretur, vulgo minus amabile imperium ejus eſſe videbatur: publice maxima in Regnum hoc beneficia ab eo profecta. Militaris gloria, Auguſtanis temporibus ac poſtea interregnanis quaſi interrupta, ab eo reſtituta: Genusq; armorum partim immutatum, partim auctum: cum Joannem Zborovium militiæ aulicæ præficeret, genus armorum ſimul vel mutavit, vel auxit, loco Loricæ Thoracem ferreum inſtituit, ſellæ magnæ Turcicæ rejectæ, quod ſcutis magnis Ungaricis non omnes uti poſſe viderentur, veruto pixidem adjecit. Livonia Polotienſisq; tractus recuperatus: Lithuaniæ fines, latiſſimo Veliſienſe agro adjecto, prolati: portoria, Gedanenſe, Elbingenſe, Rigenſe, maximi fructus adjuncta: alii etiam reditus publici: nam paterfamilias ſimul bonus, reique & ſuæ & publicæ bene gerens erat, diligentiſſime conſtituti. Cumq; fama rerum geſtarum virtutumq; ſuarum Orbem fere terrarum complevisset, multo majora tamen, ſi vita ſuperfuiſſet, animo meditabatur.

REIN-

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti.

LIBER VIII. ag: 1582.

TUrbis iis, de quibus ſupra oſtenſum eſt, nondum compoſitis, Stephano Rege è rebus humanis exempto, invidia odiumq; Zboroviorum, ſequaciumq; eorum, in Zamoſcium ſolum mox omne vertit. Quorum animis cum irritati magis quam fracti eſſent, optatius votis ipſis ſuis tempus nacti, quo ſuperiorum temporum invidia & ad ſui miſericordiam & ad Zamoſcii odium, maxime autem ad Regem ſuo arbitratu creandum, abuti poſſent, non tam ad erigendos, quam ipſum opprimendum, omnes vires comparabant. Vulgata morte Regis, Archiepiſcopus Stanislaus Karnkovius, edictis in omnes partes dimiſſis, primo minores conventus, per omnes Palatinatus, univerſi autem Senatus conventum Warſaviam, in initium menſis Februarii, lege, quæ de re eſt, moreque indicit. In plerisq; vero Palatinatibus, morte Regis cognita, per eamq; imperio omni ad nobilitatem revocato, etiam ad edictum Archiepiſcopi ultro nobilitas convenerat, ad quosdam nuntium mortis Regiæ, priusquam ex conventibus dilaberentur, pervenerat. Inter alios, Ruſſiæ nobilitatem Stanislaus Zolkievius pater, quem paulo ante mortem Palatinum Ruſſiæ Stephanus Rex dixerat, Leopolim evocarat. Ad conventum eum cum Zamoſcius quoque veniſſet, imprimis exequias Regi fecit; ſumma omnium, qui eo confluxerant, frequentia, magno cum luctu, celebratas. Laudatus de ſuggeſtu Latina oratione à Matthæo Piſcorovio, Secretario Regio, fuit. Maxime vero in eo jam conventu magnæ partis hominum ſtudia adverſa Zamoſcius ſenſit. Cum enim inter alios conventus minores Ruſſicæ nobilitatis conventus nulli alii frequentia inferior ſit, fieri non poterat, quin in magno numero non aliqui malevoli, aliqui invidi, nonnulli etiam alias ob cauſas alienati ab eo reperirentur. Accedebant ad hos ipſorum Zboroviorum neceſſarii ac propinqui, quorum ipſorum etiam non pauci erant: plures vero promiſſis ac pollicitationibus in partes ab iis traducti. Hisce Nicolaus Jasloviecius, Præfectus Sniatinenſis, Ducem ſe præbebat. Hic non modo inimicitiæ cauſas nullas cum Zamoſcio habebat. Verum cum initio imperii Stephanani præfecturam Sniatinenſem eripere Zborovii ei voluiſſent, ipſius potius cauſa, dum illum protegit, cum Palatino Cracovienſe Zborovio inimicitiarum nonnihil Zamoſcius ſusceperat. Maxime de imperio militari ei abrogando, aut in ordinem redigendo, ab adverſariis laborabatur. Ad quam rem partim invidia potentiæ ejus, cum ex literis quibusdam ejus, quibus poſt mortem Stephani amicos confirmando opes ſuas ipſe extollebat, exceptis magis etiam augebat, tum neceſſitudinis cum domo Battorea, ad reliquam nobilitatem abutebatur: partim ratione. Aperte ei dicere, metuere ſe potentiam ejus, quam vel ipſe jactare non dubitaret: moveri ſe rumoribus; quibus Principem Tranſilvaniæ, aut aliquem è Battoreis, per vim atq; arma Regno eum impoſiturum, vulgo ferretur: debere eum Rempublicam liberare hoc metu; quod non modo pietas in Rempublicam, ſed jus atque mos majorum ipſe ab eo poſtularent. Etenim id ab aliquot jam ſeculis jus uſurpatum, ut morte Regis omnes Magiſtratus ceſſarent, omniumq;, ut ante, libertas exęquata eſſet, ita dignitas etiam atq; autoritas exęquaretur. Quod ſi in reliquis omnibus Magiſtratibus receptum eſſet, cur non idem in imperio militari valere? Si ſigillum morte Regis vacaret, cur non eadem ratione clava? Invidiam, quantum poterat, mitigare Zamoſcius conabatur, quantis meritis in Rempublicam ac laboribus, id, quodcunq; autoritatis haberet, conſecutus eſſet, oſtendere: ſemper pro patria, nunquam contra eam illa uſam. Ne eam maculam alia potius merito ſibi inurerent, petere: rumores de Battoreis refutare, non tam dementem ſe eſſe, ut contra omnium conſenſum vel poſſe quenquam in Regnum inducere ſperarent, vel, ſi poſſet, vellet. Ut morte Regum Magiſtratus ceſſarent, omnium id jus eſſe negare. Nam & interregni tempore ſua quædam cujusque munia eſſe re

ipſa perſpici. Minime vero in imperio militari id recipiendum; quod non tam juſſu, aut autoritate aliqua Regia, quam ipſius Reip. utilitate, ac ſecuritate, niteretur, quæ interregni temporibus, vel maximis periculis, objecta eſſet. Non deerant Zamoſcio ſuæ etiam partes. Quamvis à multis enim oppugnaretur, non modo tamen potiores, verum plures etiam fere cum illo faciebant. Quibus obſtantibus, cum de abrogando illi imperio fruſtra altera pars niteretur, tandem ut collega ei adjungeretur pugnare. Cum enim, more majorum, præter ſummum exercitus Præfectum, alius etiam, tanquam finitimæ militiæ Præfectus, eſſe ſoleat, qui excubiis quaſi in finibus præſit: is autem Magiſtratus, poſt mortem Sieniavii, qui proxime ei præfuerat, vacaret, ut tam periculoſo Reipublicæ tempore alii mandaretur, flagitabant; non modo ſuis partibus autoritatis ac virium plus eo acceſſurum rati, verum tantundem de Zamoſcii etiam potentia communicato imperio deceſſurum: nominatim vero ipſum Jasloviecium ad munus id depoſcebant. Oſtendebatur ab altera parte, cum ſummus militiæ Præfectus in Republica eſſet, minorem hunc vel omnino non neceſſarium eſſe, vel ab ipſo ſummo Præfecto conſtituendum; ut in cujus non modo poteſtate more majorum is eſſet, verum ex cujus autoritate à Regibus ipſis etiam conſtitui is ſoleret: neq; ab alio nunquam id mandari poſſe, quin ſummo militiæ Præfecto, Magiſtratui & legitimo, & qui tantæ ſemper in Republica autoritatis fuiſſet, plurimum derogaretur. Conventu per aliquot dies extracto, quod distractis in diverſa ſtudiis ut plurimum accidere ſolet, nihil fere, maxime de iis rebus, de quibus controverſia fuerat, ſtatutum. Securitas tantum publica, judiciorumque ratio, receptis jam per ſuperiora interregna legibus & pœnis ſancita: legati item ad Varſavienſem conventum utrorumque partium creati. Eadem reliquorum etiam per Regnum conventuum facies fere & fortuna fuit. Multa in plerisq; & ab adverſariis invidioſe in Zamoſcium jactata: dum quibuscunque rebus concitare contra eum nobilitatem conarentur: & pro illo ab amicis reſponſa: ne quicquam fere præter judiciorum & ſecuritatis rationem in iis conſtitutum: legatiq; ad Varſavienſem conventum delecti: in quo adverſarii ejus, quæ in minoribus conventibus efficere non potuiſſent, vi atque armis perficere, quod exitus poſtea oſtendit, ſibi propoſuerant. Zamoſcio, conventum eum non obire, ab initio jam certum & deliberatum erat. Quod enim, propter adverſariorum in ſe conatus, nonniſi maximo cum comitatu venire eo poſſet, nihil autem vel ſtatui in eo poſſe judicaret, vel, ut maxime ſtatueretur, firmum futurum, præterquam de die & loco electionis, neq; vires ſuas ante tempus oſtentandas putabat: & ſumptus non leves in neceſſarium magis tum ſervandos. Poſtea tamen hanc quoq; cauſam in vulgus edebat; quod cum Archiepiſcopus Palatinum Poſnanienſem, qui alterius factionis quaſi Princeps erat, non venturum ſibi confirmaſſet, ab illo, ne ipſe quoq; veniret, inductus eſſet. Venerant autem eo cum Palatinus Poſnanienſis, tum Zborovius uterque, Caſtellanus Gneſnenſis, & Curiæ Marſchalcus, tum qui partium earum erant, frequentiſſimi. Neq; tamen pauci ex aliis etiam Senatoribus, partim Zamoſcio amicis, partim neutrarum partium. Conventus ab initio mox turbari cœptus. Erat inter legatos nobilitatis Stanislaus Carnkovius, de quo ſupra mentio facta; ob referendariatum, præfecturam Plocenſem, deinde etiam coadjutoriam Archiepiſcopatus Gneſnenſis à Rege ei abjudicatam, cum Regi tum Zamoſcio inimiciſſimus. Is, quamvis ſenex jam & cæcus, inter majoris tamen Poloniæ legatos lectus in collegio legatorum nobilitatis, vel maxime tum turbabat. Accuſare Regem mortuum: in Zamoſcium invehi: omnia, quæ cum invidia aliqua eorum dici poſſent, ſtudioſe conquirere: debita ſecus, quam conditionibus & juramento receptum fuiſſet, non ſoluta: externos contra easdem conditiones in Regno habitos: honores iisdem collatos: de ſucceſſore ſuperſtite Rege actum: curationem Pruſſiæ Marchioni venditam: quibusdam binos Magiſtratus contra leges datos: nonnullis ſacerdotia aliosq; honores, qui legibus capere eos non poſſent: & ejus generis alia, nullo diſcrimine; certane incertave eſſent. Quæ & ſi partim ad Zomoſcium non pertinebant: nonnulla vero etiam contra autoritatem ejus adminiſtrata eſſent. Ut in eum tamen, quem Imperii Regii præcipuum ſeu autorem, ſeu adminiſtrum videri volebant, omnia conferebantur. Jam vero ſupplicium de Samuele contra jus, ut jactabant, ſumptum. Tum vero ſuperiorum comitiorum, in Chriſtophorum & Wlodkovam judicia proferre, & in Zamoſcium expromere: exagitare potentiam ipſius, antea præfecturas Cracovienſem & Belzenſem, cum ab uno teneri non poſſent, contra leges ab eo poſſeſſas: nunc Cancellariatum, & imperium militare, duos vel maximæ autoritatis Magiſtratus contra leges obtineri. Quod tamen non modo nusquam legibus vetitum eſt, verum quo magis cum unoquoque Magiſtratu imperium militare conjungi poſſit, proprius in Senatu locus nullus antiquitus illi attributus eſt. Verum ea tum tempora erant, ut non tam, quod conſtantiſſime diceretur, pleriq; arriperent; ut ne à matrimonio quidem ipſius invidiam illi quærere abſtinerent: affinitatem contraxiſſe cum Rege, èq; Ducali genere uxorem habere; ex quo qui orti eſſent, à Magiſtratibus & beneficiis Reipublicæ multis legibus antiquitus excluſi eſſent, quę & hisce ſimilia. Poſtquam magno ſuorum cum aſſenſu diſſeruiſſet, tum ſuas quoq; injurias deplorare: Referendariatum & Præfecturam Plocenſem erepta, coadjutoriam vero Archiepiſcopatus Gneſnenſis per injuriam ſibi abjudicatam. Unum hoc Reipublicæ tamdiu oppreſſæ recuperandæ tempus eſſe: maxime, ut imperium militare Zamoſcio abrogetur, aut collega ſaltem ei adjungatur, incumbere. Non minore vero cum invidia in Senatu res agebatur. Ad eum querelas ſuas multa cum miſeratione ab initio jam Zborovii deferebant. Samuelem repetebant: judicia inter arma ſclopetosq; in Chriſtophorum reſcindi, publicaq; ordinum omnium autoritate reſtitui eum flagitabant. Miſerationi minas tacite intermiſcebant. Quas & ſi præ ſe non ferrent: tamen ſponte metuebantur. Nam & in Senatu, cum per ſe, tum per Palatinum Poſnanienſem, Zamoſcio præſertim tum abſente, non parum poterant: & ſtipati armatiq; venerant. Neque tamen propterea ab aliis omnino cauſa deſerta. Inter quos, poſtquam querelas ſuas Zborovii expoſuiſſent; aſſurrexit è Senatu, ut pro Zamoſcio reſponderet, Martinus Leſnovolſcius, Caſtellanus Podlaſſienſis: non tam Zamoſcii præcipuo aliquo beneficio devinctus: quam ad conſtantiam, & officium ſenatorium, pertinere exiſtimans, Senatorem abſentem, in tali præſertim cauſa, quæ à ſe probaretur, indefenſum, ab aliis lacerari non pati. Cum dicere orſus vix eſſet, mox totius fere coronæ, quæ tota Zboroviana Senatui ſe circumfuderat, clamoribus & convitiis exceptus fuit. Unus vero ſclopetum etiam tenſum in illum dirigere, atque, an ferire juberent, publice Zborovios interrogare: neq; ad tantum facinus quicquam pręter nutum illorum expectare. Peſſimi exempli res etiam inſanientibus viſa. Itaque & turba mox ſedata fuit; & Leſnovolſcius, cum accidere ea ſibi poſſe jam ante ſe meditatum, ipſo exordio orationis ſignificaſſet; nihil ea re deterritus, inſtitutum ſermonem nihilominus perfecit. Quæ cum ad Zamoſcium delata eſſent, literas ad conventum dat. Quod ipſe non venerit, gravibus aliquot & magnis cauſis ſe prohibitum: perlata interim ad ſe, quæ cum in illo tum aliis nonnullis conventibus in ſe Magiſtratusque, quos gereret, agitata à quibusdam eſſent: extitiſſe, qui nullo ejus rogatu, ſed ſua ſponte pro ſe reſpondiſſent: clamoribus & minis exceptos fuiſſe, in qua ne defendendi quidem ſui locus alicui negaretur: nihil ſe de meritis in Rempublicam ſuis dicturum: aliis glorias hujusmodi relinquere: ut juris atque æquitatis, tum publicæ etiam ſalutis rationem haberent, ſe petere; neve gravior aliqua diſſenſio tam difficili Reipublicæ alias multis diſſenſionibus laborantis tempore exiſteret, providerent: quid in tali conventu ſtatui ab illis poſſet, vel deberet, conſtitutione Sigismundi primi, quæ de conventu poſt exceſſum Regum habendo eſſet, eis præſcriptum: privatim ſi quis negotii quid ſecum haberet, eſſe ſubſellia: eſſe tribunalia: futurum Regem: nullum legitimum judicium à ſe recuſari: ſub uno omnes in hac Republica jure eſſe: cui ſi quis jure ſe convenire vellet, ſe quoq; pariturum, per factionem ſi quæ ſibi irrogarentur, non plus autoritatis apud ſe habitura, quam quæ extra judicium indicta cauſa, nullo jure fierent, habere deberent. Ut literæ legerentur, vix impetrari potuit; lectæ nihilominus, apud eos ſolos fere aliquid valuerunt, ad quos minime opus iis erat. Adverſarii, cum ejus potiſſimum conventus autoritate & ſuam priſtinam dignitatem recuperare, in animum induxiſſent; & Zamoſcium ſi qua poſſent exuere, parum omnino iis movebantur. Bis iis de rebus ſecreto Senatus habitus, ut ſententiis in partes diſtractis magis mala ipſa, quibus Reſpublica premebatur, quam remedia malorum reperit. Itaque, quamvis abſentibus iis, ad quos privatim res pertinere videbatur, ex illa parte Palatino Poſnanienſe Gorkano, & Zboroviis, ex hac Andrea Opalenio, Marſalco, diſputatum iis de rebus in Senatu eſſet, nihil tamen fere explicatum. Obſtabant adverſariis in Senatu maxime, Andreas Opalenius, quem cum Zamoſcio tum adhuc conjunctiſſimum, cum Palatino Poſnanienſe privatæ ſimultates magis etiam conjungebant; Epiſcopus deinde Przemislienſis, idemque Vicecancellarius, Albertus Baranovius: Joannes Dulsky, Theſaurarius: in legatorum collegio Stanislaus Zolkievius filius, quiq; una cum illo ex Belzenſe Palatinatu legati erant: in utroq; autem ordine alii etiam multi & boni. Conſtitutione Sigismundi primi, de qua ſupra demonſtratum eſt, hi innixi. Ne ulla alia de re, præterquam loco & die electionis, quicquam conſtitueretur, contendebant; in quam quidem ſolam etiam rem in plerisque conventibus mandata legatis data fuerant: De aliis rebus ſtatuere aut decernere quid volentibus intercedebant. Illi contra, partim via jam ante etiam uſitata graſſari, conventumque, dum qui tędio victi diſcederent, de die in diem ducere, partim vi agere. Quidam erat Joannis Zborovii, Caſtellani Gneſnenſis, familiaris. Hic cum Stanislaum Zolkievium, legatum, quemadmodum oſtenſum eſt, nobilitatis Belzenſis, de comitio invectum in diverſorium diſcedentem obſervaſſet, loco commodo capto malleum in illum conjicit; cum meliore hujus fortuna aberraſſet, quod ſclopetum ſecum non haberet, publice dolere cœpit. Interim inſidias vitæ ejus paratas, à multis Zolkievius certior factus; utque diſceſſu ſaluti conſulat, admonitus; cum poſtridie mane curribus per pontem præmiſſis ipſe, cum comitatu ſuo, pedes conſequeretur, mox omnis Zborovii familia armata eum inſequitur: ſive ne diſceſſu quidem è parata cæde ſe eriperet, ſive quod poſtea obtentum fuit, cum Zolkievium tranſire comperiſſent, ſocio, qui in ea parte diverſabatur, metuebant. Spectatui ea res publice omnibus ex ipſo comitio erat, ut ex quo latiſſimus in omnes partes in ſubjectos campos proſpectus pateat. Appropinquantibus Zborovianis, Zolkievius, curribus mox circumvectis, ſuos intra eos recepit. Illi ultro laceſſiti, ne tentato quidem certamine receſſerunt. Gravis ea res omnibus viſa: in conventu publico, in quo omnium ſecuritas ſancita eſſet, violatum in omnium oculis jus le-

gatorum, quod quocunq; loco ſacroſanctum eſſe deberet. Itaq; & legati nobilitatis univerſi, tanquam communem injuriam, queſti eam fuerunt: & Senatu, qui de ea quererent, legati; neq; tamen punita fuit. Ita autem aliis perterritis, aliis tædio moræ profectis, interq; hosce Marſalco etiam Opalenio decreta tandem nonnulla perferunt. Diem Electionis ultimam Junii, locum campum Volenſem ſub Varſavia aſſignant. Tempus id initium nobilitati re familiari tum maxime occupatæ, ad frequentandam Electionem incommodiſſimum, exitus autem, ut adulta jam æſtate, frugibus maturis bellum parantibus commodiſſimus futurus eſſet, ſtudioſe ne ab illis jam tum externam vim ſpectantibus captum ſit, incertum. Cum quidam è ſuperiorum interregnorum ſcitis aliquot, ut externo militi plane omnibus interdiceretur, non pauci urgerent, aperte reſtiterunt. Diem deinde & modum nobilitati cenſendæ per univerſum Regnum præfiniunt: Securitatem per futuram electionem ſanciunt: ipſiusque Electionis modum præſcribunt. Quæ ut pleraq; maxime è Republica erant, ita ex ſuperiorum fere interregnorum formulis uſurpata erant; & poſtea non tam hujus conventus, quam ſuperiorum conſtitutionum autoritate obſervata. In plerisq; etiam Palatinatibus cum alia, tum præſertim dies cenſendæ nobilitatis, pro cujusque Palatinatus arbitratu mutata. Finibus deinde ac militi finitimo Nicolaum Herburtum à Fulſtin, Succamerarium tum Halicienſem, cum imperio præficiunt: non tam, ut beneficio hoc illum devincerent, quam à Zamoſcio avellerent. Eidem formulam juramenti, in quam imperium acciperet, novam præſcribunt. Jasloviecio Præfecto Sniatinenſi, per ſpeciem tutelæ affinis ipſius, qui idem Præfectus Camenenſis ab aliquot annis mente laborabat, Cameneciam in ipſis Valachię finibus ſitam, atque unicum fere verſus Turcicos fines Regni propugnaculum, in poteſtatem tradunt. In Zamoſcium, quamvis omnia eo tempore audere viderentur, præciſe tamen ſtatuere nihil auſi. Quod non multo ſecus erat, ut conditiones aliquas conventus probaret, quibus concordia inter ſe & Zamoſcium conſtitueretur, apud plerosq; evincunt. Conditiones hæ erant: Judicia in Chriſtophorum ſuperioribus comitiis lata reſcinderentur: memoriaq; ejus rei ex omnibus monumentis ac libris tolleretur: de Samuelis morte jure contra Zamoſcium agerent: nominatim de commentariis bello Moſcovitico, & accuſatione, quæ ſub Andreæ Rzecicii, inſtigatoris, ut vocant, Regii, nomine in Chriſtophorum Zborovium exiiſſet, abolendis adjectum fuit. E quibus commentariis, cum ad res Zborovianas nihil plane pertinerent, Ciarnkovii potiſſimum, & unius Lithuani Senatoris, partim vera non ferentium, partim falſas laudis ſibi non tributas dolentium, odio dati fuerunt. Verum & qui ante partim è Senatu, partim è legatis nobilitatis diſceſſerant, ita profecti fuerant, ut qui præter diem & locum electionis ſe abſentibus ſtatueretur, nihil plane ratum ſe habituros publice teſtarentur; & idem è præſentibus quoq; non pauci opponebant. Itaq; conditiones etiam eas, à non multis adeo utriusq; ordinis, atq; eorum ipſorum nonnullis, contra animi eorum ſententiam, ſubſcriptæ fuerunt. Cum vel ipſa ſubſcriptione, magis otii publici cauſa, quam quod eas probarent, illis ſe ſubſcripſiſſe, non multi teſtarentur. Præterquam vero, quod ita propoſitæ eſſent, ut niſi à Zamoſcio acciperentur, compoſitione non procedente, conditiones quoq; eæ, neutri parti fraudi eſſent: & tum jam à plerisque fere neglectæ fuerant, & multo magis poſtea, nulla earum rata fuit. Sequeſter & autor concordiæ ejus, Archiepiſcopus, tanquam Princeps Senatus, deſignatus. Quem paci atq; otio ab ineunte ætate innutritum, ac pacis potiſſimum artibus clarum, ætate jam provecta imbecilliorem, cum terrore ac minis perculiſſent, totum fere in poteſtate Gorkani & Zborovii habebant. Hic igitur ut legatione ad Zamoſcium miſſa, conditionibus iis ab aliqua parte conventus ſubſcriptis, & ſignatis, ei propoſitis, ad concordiam eam, autoritate ſua Zamoſcium adduceret, convenerat. Præter Zborovios ediderant eodem in conventu, non modo ſinguli, verum ordines ac nationes univerſæ, in quibus Lithuani ac Pruſſi, ſua etiam quædam poſtulata ſeu querelas. Omnes in electionis comitia rejecti: in capiteq; de electione ex compoſito. Ut ante omnia hæc explicarentur, neq; priusquam publicis querelis ſatisfactum eſſet, ad electionem accederetur cautum. Legatos ad conventum eum cum Cæſar, tum frater ejus Archidux etiam Maximilianus per ſpeciem Reginæ conſolandæ miſerant; revera, ut ad futurum ambitum viam ſternerent. Miſerat & Turcarum Imperator Cauſium Machometem; natione Ungarum ac Ludimagiſtrum quondam in Ungaria, aliquot ad Stephanum Regem legationibus antea cognitum. Hic nomine Sinan, ſupremi tum Baſſæ, cum mortem Regis doluiſſet, ad alium Regem liberis ſuis ſuffragiis, conſenſu tamen Imperatoris Turcici, quod jus & ante fuiſſet, eligendum ordines hortabatur. Omnium magna cum offenſione res accepta. Negotio etiam Zamoſcio, ut ad legationem eam reſponderet, dato, ita ordinum nomine reſcriptum fuit, ut Regis Stephani laudibus repetitis, ad alterius Regis electionem, quamprimum ſe acceſſuros oſtenderent: eundem in nullius alterius, quam DEI atque ordinum Regni hujus libera voluntate, ac ſuffragiis, vel antea unquam fuiſſe, vel nunc etiam eſſe, diſerte profiterentur. Ita conventu ſoluto, non minori poſtea animi offenſione à plerisque, qui domi manſerant, quam ab iis, qui illi interfuerant, acceptus fuit. Non multo

etiam poſt, quemadmodum conſtitutum erat, Sczupsky Caſtellanum Inovvladislavienſem, quo Marſchalco tum utebatur, ad Zamoſcium Archiepiſcopus mittit; qui & Archiepiſcopi, & eorum, qui ſubſcripſerant, nomine concordiam conditionesque eas illius, quæ in conventu probatæ ab illis fuerant, Zamoſcio perſvaderet. Ei Zamoſcius ſcripto reſpondit. Archiepiſcopum, quod Palatinum Poſnanienſem ad conventum eum venturum negando, ne ipſe quoq; ad eum veniret, ſe induxiſſet, leviter ab initio ſubaccuſabat. Ad conditiones pluribus reſpondit, ſupplicii de Samuele ſumpti rationem eam eſſe, ut ſine interitu juris publici ne jure quidem agi de eo poſſet: In Chriſtophori judiciis ſententiam à ſe nullam dictam: in publicis autem comitiis publice ſententiam latam in illum fuiſſe: ita autem latam fuiſſe; ut non modo conſenſu fere omnium damnatus; ſed nihil etiam in iis à jure publico alienum ſuſceptum fuerat. Nihil in quacunq; Republica majori cum periculo, quam judicatas res reſcindi; quod etiam in pereuntibus Rebuspublicis, atq; ultimo quaſi exitio earum, ultimum eſſe ſoleat. Quod ſi maxime abolendæ eſſent, minime tamen in hujusmodi conventu, in quo præter illa, quæ à Rege de eo lata definita ſint, nihil ſtatui poſſit, inconſulta præſertim, ante per minores conventus nobilitate univerſa, aut privatim ex pacto; ſed in publico conventu, ex omnium ordinum autoritate fieri id oportere. De libris, de quibus ut tollerentur, nominatim conditio adjecta fuerat, quo conſilio & qua religione ſcripti editiq; eſſent, oſtendit. Præterea vero & libertatem publicam, uno atq; altero ſcripto notando, in aliis etiam tentari: nec eam rationem cum ſcriptis pugnandi eſſe; quæ quo magis premerentur, eo magis fere expeterentur. Si quis quid à re ipſa alienum ſcriptum exiſtimaret; quod vel ſummos aliquos Imperatores facere non puduiſſet, contrario ſcripto edito argueret: verum cum ſua ſponte facile cuivis ſe probarent, tum magis, ſi contentione etiam falſi illuſtrata eſſent; atq; illa ut dies fere magis confirmaret, ſic falſa ſua ſponte intercidere. Maxime autem conſtitutionis Sigismundanæ, qua ſupra demonſtratum eſt, autoritate præter diem & locum electionis, nihil, quod in conventu eo actum eſſet, ratum ſe habere ſignificare. Exitus hic fuit, ut ſe in Zborovios hoſtili animo minime oſtenderet; multo minus ob privatas controverſias publicam tranquillitatem turbatam velle: venturum ſe ad comitia Electionis, ut pro ſuo loco Rempublicam gereret: venturum nullis cum externis copiis, ſed iis omnibus, qui non modo ejusdem Reipublicæ cives eſſent, verum quorum virtus etiam atq; fides in Rempublicam multis rebus jam ante perſpecta eſſet: cauſas turbarum nulli ſe præbiturum: ſi quis ſe infeſtaturus eſſet, id ſolum ſibi reliquum futurum: quod natura omnibus pręſcriberet: conditiones concordiæ propoſitas, ob eas cauſas, quæ ante demonſtratæ à ſe eſſent, accipi à ſe non poſſe: ſi vel ab ipſis ordinibus vel ab aliis etiam ęquiores conditiones ſibi proponerentur, maxime quæ ſine incommodo publico Stephaniq; tam laudati Regis ignominia accipi poſſent, eæq; à Republica univerſa, ad quam magis, quam ad ſe privatim, controverſiæ eæ pertinerent, probarentur, ne à compoſitione quidem honeſta alienum ſe futurum.

Legato Archiepiſcopi, cum reſponſo hoc dimiſſo, quo minor ſpes concordiæ erat, eo magis ſe ad ipſam electionem utriq; parare. Zborovii ut quæ in ſuperiore conventu per factionem extorſerant, in publicis electionis comitiis etiam invito Zamoſcio confirmare: Zamoſcius non tam, ut oppugnaret aliquos, quam contra aliorum inſultum ſe tutaretur. Verum Zborovii, cum & ſtudiis nobilitatis diffiderent, & à præſidiis præſertim militaribus deſtitutos ſe viderent, ad externas opes totos ſe conferre. Itaq; non modo militem externum circa ſe habebant, verum pecunias etiam ab Auſtriacis eis ſubminiſtrari, vix non pro certo habebatur. Ac milite quidem externo neceſſitate adactos ſe uti videri volebant; quod tantæ opes Zamoſcii eſſent, ut domeſticis viribus reſiſtere iis non poſſent: De pecuniis magis invidiæ publicæ deteſtandæ cauſa, quantum poterant, tegebant, quam vel ex ipſo monetæ genere, aureis & taleris Rudolphinis, latebant. Zamoſcius cum contra tantas opes, quantæ tam potentium Principum, à quibus adverſarii ejus ſuſtinebantur, eſſent, domeſticis copiis vix ſe reſiſtere poſſe exiſtimaret, partim ratione ſumptus moderabat, partim, ut aliqua quidem ſubſidia ipſe etiam ſibi adjungeret, operam dabat; ea tamen nonniſi à conjunctis cum Regno peteret. In eam rem & cum Duce & cum civitatibus majoribus Pruſſiæ, tum Senatoribus præſertim, tam Polonicis, quam Lithuanicis, à quorumcunq; modo amicitia apertum odium vel inimicitiæ eum non excludebant, ad conſiliorum in communi Republica ſocietatem, quos poterat, invitabat, communicareque cum iis non intermittebat. Verum conſociatio quidem conſiliorum non difficulter à plerisq; accepta, ubi ad ſubſidiũ aliquod ventũ, hæſitatũ apud omnes fuit. Quæ à morte Stephani Regis in fiſcis ejus pecuniæ repertę fuerant, ea, exemplo ab Auguſti temporibus jam uſurpato, publica omnis habita fuit. Reperta autem fuerant, ex captivorum Moſcorum pretio, centum circiter millia, quam Rex, tanquam proprio periculo partam, penes ſe habuerat. Præter eam viginti, quam ex portorio Gedanenſe paucis ante mortem diebus avocarat. Omnis partim in ſtipendia aulæ erogata, alia ad fines tuendos à Lithuanicis Senatoribus ablata. Cum autem poſt ultima comitia Cracovia Grodnam Rex rediret, Zamoſciusq; Proſſoviciam ad eum excurriſſet, in ſermone eo, qui ultimus ei fuit,

ex reditibus Fogerassensibus centum millia in Transilvania deposita se habere illi ostenderat. Qua si quid sibi accidisset, familiamq; suam juvari posse existimaret, uti posset. Vix decem millia sola, eaq; ægre impetrata, ut tamen miles aliquis paratus haberetur, quo contra vim, si quam adversarii facerent, uti posset, à Transilvanis constitutum. Apud Turcam etiam quo legationem ad Austriacos mitteret, ut procurarent admoniti; si forte belli Turcici metu, ne rebus Polonicis se immiscerent, deterreri possent. Ne Turca vel in electione futura nominatim aliquem commendando, vel in ulla omnino re, quæ ad regnum pertineret, quicquam usurparet, operam darent, diserte simul eos monet: in regno enim liberrimo, sine maxima invidia, ne minima quidem re tentari libertatem posse. Militem, quem ad Electionem ducturus secum esset, partim ipse cogebat, partim delectu inter amicos dispertito stipendiis suis habebat: partim etiam voluntarium comparabat. Non pauci enim cum ex Præfectis Regiis, tum aliis militaribus viris, vel beneficio aliquo ejus devincti, vel autoritatem ejus secuti, ad eum se conferebant: inter quos Weierus ac Farensbecius erant; cum Farensbecio magna etiam pars reliquæ nobilitatis Livonicæ expectabatur: quod enim nuper ad modum Livones adjuncti essent ipsius Electione suffragii vel obtinendi, vel usurpandi causa ipsi etiam, si universi non possent, justo tamen numero obire Electionem cupiebant. Impedimentum illis è conventu Warsaviense objectum videbatur. Quemadmodum enim alii Reipublicæ partes curandas susceperant, ita ad Farensbecium etiam, tanquam nobilitatis Livonicæ belli Præfectum, literas dederant, quibus custodiam finium eorum illi nobilitatiq; universæ commendarant. Quæ autoritas cum negligi posse videretur, quod nihil fere in conventu eo statutum ratum haberetur, magis pericula, quæ & à vicinis & à Rigensibus, maxime sub id tempus tumultuantibus, impendere videbantur, movebant. Verum cum Svecus & Moscus competitores futuri viderentur, Moscus vero diligenter pacem ambiret, ab iis minus eo tempore metuendum: & vel eorum præsidio, qui vel ætate, vel aliqua alia re occupati, cæteris ad electionem proficiscentibus, necessario domi mansuri essent, satis tuta provincia futura videbatur. A Rigensibus cum graves aliquot viri legati ad comitia Electionis missi essent, reliquos fidei loco hosce obsides Rempublicam habituram apparebat. Quas rationes à Farensbecio & nobilitate Zamoscius consultus iis demonstrando, ut quam maximo numero venirent, operam dabat; quicquid cum Farensbecio virium venturum esset, sine dubitatione secum futurum certus. Re tamen ab aliquibus ex ipsis Livonibus impedita, omnium nomine legatos universi postea miserunt. Farensbecius cum proprio comitatu soli Zamoscio adfuit. Reliquis præsidiis, quæ autoritatem magis, quam vires, præstant, sine controversia superior Zamoscius erat. Nam & Senatus non majorem modo partem, verum, quæ majori etiam fere cum autoritate esset, habebat: præter primarios enim aliquot Palatinos, in Polonia Cracoviensem, & Kyoviensem; in Lithuania Vilnensem, Magistratus etiam, ut Marschalcus, Vicecancellarius, Thesaurarius, omnes in hisce partibus erant. Accedebant autem ad hæc studia majoris partis nobilitatis, ejus præsertim, quæ incorrupta esset: tenebat majores civitates, cum autoritate, tum in omnes æquitate, plerasq; etiam beneficiis. Verum cum omnis utrinq; apparatus magna cura susciperetur, in eo utra pars Regem daret, omnia esse nemo non videbat.

Itaque & ante diem Electionis ambitione jam tota fere Polonia ardebat, & futuri Regis expectatione maxime animi hominum suspensi erant. Res omnis tamen inter quatuor potissimum verti. Austriaci Principes, ut studia nobilitatis minima habere videbantur, ita maximis opibus ambire. Quibus cum Zborovii aperte faverent, ut quorum potentia maxime res suas se constituturos in animū induxissent, qui à Zboroviis alieni erant, ii eo ipso tanto magis ab Austriacis etiam, cum per Zborovios Regnum eos ambire viderent, alienabantur: maxime autem, quo magis vis ab illis timebatur, eo magis suspecti hominibus esse. Neq; enim obscure ea res præferebatur: jamque adeo voces aliquę spargebantur, quod pater Maximilianus, senio & ætate impeditus, cunctando amisisset, filios, qui per ętatem possent, celeritate recuperaturos. Pro Sveciæ Principe Sigismundo Regina matertera maxime laborabat: eratq; etiam sua sponte gratiosum ejus in vulgus nomen. Nam & nominis Jagiellonici, proxime autem avunculi Augusti memoria, & cum lingvæ Polonicæ peritia, tum Livoniæ, quæ sub Sveco erat, per eam occasionem, cum reliqua Livonia conjungendæ, cæterarumque controversiarum, quæ non leves cum Sveco intercedebant, tollendarum spes vulgo hominibus eum commendabant. Voluntates quidem hasce hominum non parum ipsius Sveciæ Regis ad Reginam literæ in commodum non multo ante tempus Electionis allatæ, incommodius autem ab ipsa Regina vulgatæ minuebant. Cum enim de statu Regni certiorem eum Regina fecisset, proq; filio petendum hortata eum fuisset, ita rescribebat; ut suum in filium unicum amorem, simulq; ætatem suam commemorando, maxime autem Sveciæ Regni dignitatem & potentiam amplificando, non modo nihil causæ esse, cur eum dimitteret, sed multas potius, cur retineret, ostenderet.

Ad

Ad extremum tamen petiturum se pro filio per legatum non abnueret, si talibus conditionibus Regnum illi deferretur, quæ utriusq; Regni jus, dignitatem & immunitatem integram conservarent; ita tamen, ut magis fere daturum se, quam accepturum beneficium ostenderet: quare nonnullorum animos haud nihil refrigeratos, haud multo post Martini Lesnovolscii, Castellani Podlasiensis, in Sveciam profecti, iterum partim erexit, partim confirmavit. Hic cum ingenio & prudentia facile tum inter primos, Zamoscio etiam consvetudine ac benevolentia conjunctus esset; de Austriaco Rege inducendo, maxime autem Zamoscio ad partes traducendo, Per Nicolaum Volscium, Præfectum Krzepicienlem, nunc Marschalcum Regni, jam ante ab Austriacis Principibus appellatus fuerat: postea autem à Regina persvasus, ut de rebus iis cum Sveco ageret, accelerato itinere, Quo ad diem electioni præstitutum rediret, in Sveciam trajecerat. Quod & si sine consilio Zamoscii ab eo susceptum, gratum tamen Zamoscio erat, quod per eum & de indole adolescentis Principis & de voluntate cum ejus tum patris in Regnum exactius omnia cogniturum se intelligeret, maxime & eorum, qui antea Sveco studebant, animos, non parum profectio ea illius in spem erigebat: & Austriacorum de Zamoscio præsertim adjungendo spem omnem fere infringebat.

Moscum Lithuani fere simul, vero cum eo & pacem perpetuam, propter vicinitatem, vel maxime sibi expetendam, & tanti imperii accessionem, neque tamen omnes spectabant: ex Polonis pauci in eum propendebant: quos eadem illa tanti imperii atq; opum adjunctio movebat. Cæteroquin enim nihil fere, quod expetendum in eo esset, eminere. Valetudo, ætas ad Regnum inepta: quod vero Græci ritus esset, neq; spes ulla relinquendæ religionis ejus ostendebatur, neque, si eam non relinqueret, ratio Regno ejus inaugurandi: Indigenam Regem major fere pars cupere: maxime vero multitudo: eundem Zamoscius etiam potissimum celebrare: neq; vero, cum in universum de genere toto quereretur, ab ulla parte vel plura vel speciosiora dici videbantur: ubi ad singulos ventum, fere hærebatur. Nam neq; ipse eo honore dignari se quisquam sustinebat: & inter multos non multi ita eminere, sibi eos prælatos æquo animo ferre, plerique possent. Maxime autem, cum universum Regnum in duas factiones; tum potentes, tum gravissimis odiis inter se diffidentes, divisum tum esset, neque, qui inter hosce interjecti essent, tantum valebant, ut vel ex se ipsi aliquem creare, vel utriq; factioni resistere possent: neq; factiones ipsæ facile in aliquem consensuræ, multo minus autem adversarium sibi, ab altera imponi passuræ videbantur. In hosce nihilominus potissimum, de quibus dictum est, animi hominum fere distrahebantur. De Battoreis, quod ad Principem Transilvaniæ pertinebat, propter ætatem, ne ab initio quidem ullam spem Zamoscius habuerat, tempore autem procedente, voluntatibus hominum perspectis, omnem de omnibus prorsus spem abjecerat. Andreas Cardinalis Battoreus, cum tempore mortis Regis Romæ fuisset, nuntio mortis Regis allato excitatus, mutato cultu, ac nullo fere comitatu, maxima celeritate per Germaniam Micchoviam, quam præposituram beneficio patrui Stephani Regis obtinebat, redierat. Reversum mox, & patrui Stephani Regis, cujus mortem omnibus fere ab initio lugubre, Zborovianorum variæ in eum criminationes congestę non paucis gratam effecerant, & propria ejus invidia, eorundem similibus artibus excitata, exceperat. Fratris Regis filium, eundemque & sedis Romanæ favore, & cum Transilvanicis, tum affinis Zamoscii opibus innixum, non tam ad ambiendum, quam ad occupandum Regnum venisse: in limine urbis Cracoviæ, domicilii Regni, ubi ipsius Regni sacra & insignia deposita essent, versari: ut nihil ab eo metuendum esset, periculosissimum tamen libertati esse, eum, qui candidatus Regni putetur, in ipso Regno versari. Suspicionibus ultro in invidiam conficta miscebantur.

Turcica parari auxilia, quibus nobilitate in Electione Varsaviæ occupata, Cracoviæ, vel invitis omnibus, in Regnum imponatur. Vocibus hisce Zamoscius commotus ab initio jam, ut in Transilvaniam potius, ne ipsam quidem valde remotam, dum Electio perageretur, secederet, autor Cardinali fuerat; maxime quidem, ne se coitione aliqua vicinæ nobilitatis facta excedere è Regno juberetur, eo magis postea cum indignitate faciendum id illi esset, veritus. Manserat nihilominus, sive spe aliqua sive familiarium consilio retentus. Ex omnibus quidem Battoreis nemo magis Regno destinabatur: præterquam enim, quod vivo patruo à tot annis in Regno versatus, cum lingvæ tum hominum atque institutorum majorem quam cæteri notitiam haberet, indoles etiam in eo præclara, magnarum virtutum vel index vel testis, egregia corporis statura, formaque, ut prima ætate, plerisq; eum commendabant. Verum ejus rei spem, cum potentia adversę factionis, tum ab iisdem in omne nomen Battoreum invidia concitata, tollebant. Præter enim ea, quæ supra demonstrata sunt, cum sub id ipsum fere tempus Kosaci Nisovii more suo Bialogrodiensem agrum, excursione in eum facta, deprædati fuissent, Turcæque, seu ut ulciscerentur injuriam, seu aliam prohiberent, arma sumpsissent, motus eorum nuntiatus, ut summam omnibus passim trepidationem: ita non minus odium Battoreo nomini afferebat;

cum

cum ad Regnum Turcarum viribus occupandum ab illis in Regnum Turcas induci, passim Zboroviani præsertim vociferarentur. Quæ & si vana esse Zamoscius sciebat, non tamen negligenda putabat: itaque, ut partim hortatione, partim minis atque omni ratione ab armis Turcam revocarent, Transilvanos monuit; cum si, sub hoc præsertim tempus, vim aliquam Regno intentaret, nihil certius futurum esset, quam ut non modo Zboroviani, verum fortassis universi ad Austriacos se conferrent, quos cum propter pacem Turcicam conservandā adsciscere hactenus Reges noluissent, nunc propter & potentiam eorum & in Turcam odium ad vim Turcicam propulsandam maxime idoneos judicaturi essent: cum Turca vel sua sponte vel à Transilvanis appellatus cessasset, rumore discusso, metus nihilominus & invidia mansit. Ad quam haud multo post alia etiam ex literis Turcicis accessit, quibus familiam Battoream nominatim ordinibus commendabat. Quod cum Zamoscius, ut omni ratione caverent, diligentissime Transilvanos monuisset, an nihilominus Turcæ suo judicio, an quod spem aliquam in eo haberent, ipsorum Transilvanorum scitu, contra autoritatem Zamoscii factum sit, confirmare nolim, hominum certe animos supra alia, non parum ea res, magis etiam ab illis alienavit. Itaque neq; Cardinalis, præter paucos aliquos, vel familiaritate ei devinctos, vel beneficiorum à Stephano Rege acceptorum memores, qui Regnum ad eum deferri vellent, tenebat: & Zamoscius, venientibus, jam ad Electionem legatis Transilvanicis, omnem de Regno spem ab initio mox prævidebat; cumq; inter eos, de quibus supra ostensum est, omnis fere contentio futura esset, magis de eo cogitare, ut ex Regis proxime defuncti familia Rex nullus sperari posset, qui futurus Rex esset, conjunctissimus tamen, proximi decessoris familiæ foret.

Hisce igitur & apparatibus & animis utrinque ad Electionem itum, anticiparunt Gorkanus & Zborovii: Zamoscius ipso die conventui præstito omnibus cum copiis, ad militaris itineris rationem instructis, advenit: per Varsaviam cum pertransiret, ex itinere primum Reginam, inde legatum Pontificium salutavit; quorum utriusq; dignitati, cum tribuendum id esset, ne postea vel sine integro armato comitatu cum periculo, vel comitatum tantum post se trahens, cum invidia & molestia facere id necesse haberet, providerat. Ubi omnes copias pontem, qui ad Varsaviam Vistulam conjungit, traduxisset, non magna quidem, sed, quod quibusdam in futurum omini esset, non negligenda etiam res accidit. Jugum unius partis, quod antea tot equitum & peditum copias, tot gravissimorum carrorum onera sustinuerat, ruptum, non plures tamen octo homines in flumen effudit, qui tamen ex comitatu Palatini Cracoviensis, qui à colloquio Palatini Vilnensis redierant, eum sequebantur, omnes servati.

Locus inde castris captus, non procul ab ipso comitio, jam ante quidem à Marschalco majore, Andrea Opalenio, jure Magistratus ei assignatus. Primo mox comitiorum die & Senatus habitus & equester ordo convenit: Zamoscius Senatum non ingressus fuit; ne, cum ab adversariis armatis fere Senatus teneretur, si ipse quoq; ingressus esset, discordiæ initium præberetur. Itaq; nihil fere etiam in Senatu præter querelas adversariorum auditum: magis tamen apud equestrem ordinem turbabatur.

Principes concionis, Czarnkovius, de quo supra aliquoties ostensum est, Casparus Dembinius, quem Marsalcum factio ea crearat, Nicolaus Jasloviecius, Præfectus Sniatinensis, Procopius Penkoslavius, aliique non pauci. Maxime propinquitas Zamoscii castrorum eos offendebat: atque erant sane cum aliis rebus, ut vicinitate silvæ, amnis item præterlabentis, tum maxime ob propinquitatem comitii, opportunissimo loco: supra ea vero Constantinus, Dux Ostrogiæ Kyoviensis, & filius, Volynensis Palatinus, tendebant, non longo intervallo Opalenius, intra autem Zamoscii castra, versus oppidum, Joannes Dulscius, Thesaurarius, constiterat, qui, cum omnes inter se conjuncti essent, duplicari quasi metus aliis. Ab hisce enim, cum non longo intervallo, comitium ipsum, versus villam Vollam, constitutum esset, Gorkano & Zboroviis ab altera parte comitiis, ultra oppidum, justo inde intervallo, consistendi attributus fuerat locus. Itaq; nulla prior ab his actio suscipi, quam ut quam longissime Zamoscium removerent. Queri non satis esse, quod tanto cum numero venisset, nisi ipsi etiam comitio armatus immineret: cernere jam oculis sibi videri, & Ducem eum, qui in Ungaria quondam cruce in comitia fixa. Matthiā Regē p vim renuntiasset, & electionis exitū fere eundē. Quoad eo in loco consisteret, neque comitia libera, neq; à quoquam vocem liberam emitti posse censere. Hæc cum maxime omnibus contumeliis, nullo prohibente, Zamoscium lacerarent, tamen non satis libere sententiam dicere se posse, vociferabantur. Zamoscius cum à consilio, propter eam, quæ ostensa est, causam, ipse abesset, tam in Senatu, quam apud equestrem ordinem, per amicos ostendere, frustra ab iis turbari: qui neque à se, neque ab iis, qui secum essent, ut qui omnes ejusdem Reipublicæ cives, omnes etiam nota virtute ac fide in Rempublicam essent, quicquam metuendum esset; arma non cujusquam opprimendi, sed sui defendendi causa, cum ab adversariis prius sumpta essent, ab

ab illis indita; vel inde apparitum, quod si adversarii deponere illa vellent, multo promptius Zamoscius, armis abjectis, nihil gratius sibi fore ostensurus esset, quam ut pacate de Republica ageretur.

Locum, quem instituisset; à Magistratu publica autoritate ei attributum; de quo sine incommodo maximo neque injuria dimoveri posset. Et si conditiones, quæ in superiore conventu Varsaviense in Zamoscium à quibusdam adversarii extorserant, repudiatæ à Zamoscio fuissent, non tamen ob id omnis spes concordiæ sublata fuerat.

Susceperant eam inter partes tractandam, Stanislaus Saffraniecius de Pieskowa Skala, Palatinus tum Sendomiriensis, & Nicolaus Firlejus de Dambrovica, Castellanus Biecensis. Interpretibus iis, priusquam Varsaviam, utraque pars moveret, ut in itinere alicubi propinquis in locis considerent, quo de conditionibus concordiæ eo commodius ageretur, jam convenerat. Delecti ad eam rem Czersko & Vilga vici fuerant; quos cum Vistula medius dirimeret, ut Gorkanus & Zborovii ad Czersko: Opalenius & Zamoscius ad Vilgam subsisterent, constitutum fuerat, dies ejus rei XXVI. mensis Junii, comitatus utriq; parti trecentorum equitum præfinitus, neq; flumen Vistulam, nisi duobus milliaribus supra, totidem infra eum locum, in quo constitissent, per eos dies quisq; ab altera parte trajiceret, sancitum.

Sed repudiata postea re à Zboroviis, seu quod opibus Austriacorum facile superiores se futuros statuerent, seu quod responso Zamoscii ad legationem Archiepiscopi, quod sub id maxime tempus in vulgus promanarat, quemadmodum prę se ferebant, vere exacerbati magis essent, in itinere nihil actum fuit.

Postquam Varsaviam ventum fuit, eodem, quo orsi fuerant studio, nihilominus apud utramque partem diligentissime de concordia iidem laborare cœperunt: nihil fere aliud tamen effectum, quam ut alternis vicibus in Senatum venirent, partes reciperent: ne, si dum alter alteri concedere nollet, & utrique simul in Senatum venirent, initium cædis, idemq; publici exitii fieret.

Ea jam ante Zamoscio per aliquot dies in Senatum non veniendi causa fuerat: nono demum die, postquam venerat, conditione ea, ac qua dictum est, ab arbitris ante constituta, in Senatum venit; Senatum tantum salutavit: operam atque opes suas Reipublicæ detulit: de adversariorum in se injuriis atque concionibus, quas in absentem se habuissent, magis ut facta, quam dicta cujusquam spectarent, Senatum admonuit, quam quicquam contra eos disseruit.

Cum, quemadmodum ostensum est, neque concordia coiret, & de alterius partis conatibus indies magis hostilia ad Zamoscium deferrentur, à familiaribus admonitus, aggere & vallo locum, quem insederat, munire instituit.

Jam ante quidem nihil aut parum à castris differebat: non modo, quod armati omnes, & sub tentoriis agerent, verum genere etiam hominum. Erant enim cum eo plerique fere Præfecti militares, quiq; sub Stephano Rege ad Gedanum atq; in bellis Moscoviticis ordines duxerant: tum magna pars equitis veterani, delegati etiam Secretarii Regii plerique cum illo erant, ut qui & vivente Rege in Cancellariorum autoritate fere sunt.

Munimenta cœpta eos avide muniendo loco hactenus urserant, eo magis etiam accenderunt: vociferari jam illius ipsius confessione aperte vim parati: itaque non modo in Zamoscium invehi; verum adversam etiam partem, per speciem subsidii, sibi ac libertati ferendæ, in eundem armare.

Cum ab altera parte ostenderetur, nihil munitione ea præter defensionem queri, neque vero facere vim, qui arceret: munitiones Zamoscius perfecit. Interim altercationibus hisce aliquot nihilominus septimanę extractę, illis omni conatu loco dimovere Zamoscium conantibus, Zamoscio non minore studio eundem retinente. Quo temporis spatio, comitium, non modo armatis aliquoties completum, verum sanguine etiam quorundam cruentatum fuit. Gorkanus & Zborovii, cum, quemadmodū ostensum est, cū ultra oppidum, longiore aliquantum intervallo, à comitio locus diversandi assignatus illis fuisset, ideoque, quoties in Senatum veniebant, omnes copias suas secū ducēdas sibi statuerunt, non comitatus, sed exercitus speciem secum trahebant. Non modo enim, equitem, & quos ex nobilitate honoratiores circa se habebant, familiaribus suis stipati, in Senatum veniebant, verum peditem etiam ac majora tormenta secum ducebant. Die quodam cum Zamoscius in Senatum venisset, quidam ex familiaribus eorum, in Zamoscii Comitatum invectus, quem proximum reperit, Ostrovii Præfecti Dunæmundensis famulum, publice omnibus spectantibus globo trajicit, fugaq; ad suos mox conversus evasit. Alio tempore, cum Senatus convenisset, Zboroviisq; itidem copias omnes suas ac majora tormenta comitio circumfudissent, cum Senatus ut in re subita trepidus dilaberetur, tumultu orto, Sacerdos Cancellarius Episcopi Cujaviensis Rozrazovii ab ipso Episcopi ministro, dum Domini defendendi causa sclopetum parat, temere sclopeto disploso, proxime ad ipsius Episcopi latus interficitur. Aliæ in aliis partibus cædes fiebant; inter quos Vonsovicius nobilis, equitum Præfectus, ex eodem partium studio à Zborovianis occisus. Jamque in oppido eo res devenerat, ut utræque acies, Gorkani & Zbo-

Zboroviorum, ſub ipſum comitium; Zamoſciana verſus comitium aliquantum caſtris ſuis progreſſa inſtructæ ex adverſo conſtiterent. In præſentia tamen & prælium Laurentii Goslicii, Epiſcopi Camenecenſis, Saffraniecii, Palatini Sendomirienſis, & Firleji, Caſtellani Biecenſis, de quibus ſupra oſtenſum eſt, interventu direptum fuit; & comitium, quod cura Marſchalci, ſubitario opere ex materia conſtructum fuerat, proxima nocte incenſum. Ipſius Samoſcii, qui materiam & cauſam præſentium litium, futuræ autem cædis, quæ metuebatur, tolli vellet, juſſu factum, & tum frequens rumor obtinebat, & poſtea ab illo non negatum fuit. Tecto eo comitii exuſto, alius ad comitium locus, ut à caſtris Zamoſcianis remotior, ita Gorkano & Zboroviis propinquior, ipſorum fere arbitrio ab Archiepiſco delectus; iisdem cerimoniis, religioneque, & jure creandi Regis conſecratus fuit. Ita controverſia de loco ſuppreſſa potius quam compoſita erat. Alia inde de erroribus, qui contra leges & libertatem publicam, tum cujusq; privatim irrepſiſſent, tollendis ſuſcepta fuit. Cujus generis, cum, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, univerſi ordines & nationes, maxime autem Lithuania & Pruſſia, jam in ſuperiore conventu Warſavienſe quædam detuliſſent; ſpes facta iis fuerat, in comitiis utique electionis, priusquam ad nominationem Regis accederetur, certi aliquid de tollendis iis ſtatutum iri. Neq; tamen quicquam definitum. Nam & Zboroviani, ſub obtentu publicarum injuriarum ſua ferentium, ut Samuelis ſupplicium, judicium in Chriſtophorum, aliaq; hisce ſimilia, quæ vel ad ipſos vel eorum ſequaces pertinerent, jactabant; & Zamoſcius, cum eoque non pauci, neque ſine univerſorum ordinum, inter quos ipſi quoq; eſſent, ſcito quicquam eos ferre poſſe, & ut omnia hujusmodi, ad legitimam futuri Regis aliorumq; tribunalium cognitionem referrentur, contendebant. Lithuanos tamen ante ab altera parte Viſtulæ armatis violentisve conciliis ad futuros ſe cum negarent, in eumque diem ſe continuiſſent, deliberationum harum oſtentatio ipſos quoq; in hanc ripam exciverat. Maxime quidem Livonia eos angebat, quam, ſub communis poſſeſſionis nomine, totam fere ſibi ereptam jactabant. Concilia ſua tentorio in campo, ad Electionem deſignato, ſeparato tamen loco, inſtituere: inde per interpretes cum Polonicis ordinibus communicabant. Cum in tanta rerum perturbatione ne ipſi quidem de Livonia, aliisq; poſtulatis ſuis, quicquam perficere poſſent, privato à Polonicis ordinibus conſilio, inducias tamen cum Moſcicis legatis in decennium ſanxerunt. Dum hisce altercationibus verius quam deliberationibus tempus teritur, non deerant inter hæc, qui ex publicis discordiis occaſione capta Rokos poſtularent. Ea res & vox ex Ungaria petita. Quod enim in campo Rokos Budæ ſubjecto armatis comitiis Reges Ungariæ electi, aliquando tradantur, ad ſimilem rem nomen quoq; huc translatum. Ex omni memoria vix unum atque alterum hujusmodi comitiorum exemplum commemoratur; nunquam autem ſine maximo motu agitatorum. Non modo enim Magiſtratuum Senatorumque ac privatorum, verum familiarium etiam clientium, ac patronorum, ut discrimine, ita reverentia omni ſublata, cum pari jure armati univerſi conveniunt; impetu magis ac ſeditione, quam conſilio, res geritur; quam in unum atq; alterum fere potentiorum, quotiescunq; motus hujusmodi concitatus fuit, erupiſſe animadverſum fuit. Princeps rei & conſilii Nicolaus Caſimirſcius ferebatur; jamque & familiæ Senatorum aliorumq; Procerum ſollicitabantur: & primum ipſi appellabantur, ut non modo ipſi ſuo conatu eam rem juvarent, verum familias etiam ſuas, quamvis ſibi obnoxiis, tamen cum pari nobilitatis jure eſſent, quo minus communem libertatem communibus etiam viribus conſtituerent, non impedirent. Memini, cum ea res jactaretur, ab iis, qui Auſtriacum Regem per vim imponere vellent, conſilium hoc captum vulgo exiſtimatum; quodq; non multo abludente nomine & Auſtria & comitia ea appellentur, verbo ipſo cavillatos, non tam comitia armata, quam Auſtriacum Principem eos velle, qui diverſam ſectam ſequebantur, illis exprobraſſe: Ab aliis ad indigenam Regem, qui ipſis videretur, in reliquorum discordia imponendum conſilia illorum ſpectaſſe exiſtimatum: jamq; paratum ad eam rem vexillum fuiſſe, cum elogio, Bonum publicum, quod concurrentibus ad ſe publice proponerent. Verum quodcunq; conſilium id fuerit, tanquam propriis viribus deſtitutum, potius ſua ſponte discuſſum, quam cum periculo aliquo oppreſſum fuit. Jam ſexta ſeptimana à die electioni Regis præſtituto labebatur, neque tamen adhuc vel legati Principum, qui Regnum peterent, auditi; vel ulla de ipſa Electione publice ſententia dicta erat. Omne enim tempus iis, de quibus ſupra oſtenſum eſt, tum turbis, tum remediis turbarum, quæ fruſtra tamen fere quærebantur, extractum fuerat. Interim ad futuram Electionem, quæ de die in diem extrahebatur, privatim tamen cum ſtudia hominum partim explorabantur, partim, prout quisq; ſtudebat, ab unoquoque conciliabantur: tum maxime ab ipſis Principum legatis, ambitus accendebatur. Ac de indigena quidem, quem, ſi vel pacata comitia, vel nulla inter Primores diſſenſio fuiſſet, maxima fere atq; incorruptior pars prælatura tum fuiſſe videbatur, inter tantas & Primorum, & qui ab illis pendebant, diſſenſiones omnis ſpes omiſſa. Battoreos non modo favor clariſſimi Regis nihil juvabat, verum premebat magis apud quosdam invidia nomini illius ab adverſariis conflata. Itaq; legati etiam Tranſilvanici ipſi, non tam de Regno, quam Rege, qui familiæ Battoreæ conjunctiſſimus & rebus Tranſilvanicis accommodatiſſimus futurus eſſet, cogitabant. Moſcum vulgus Lithuanorum ſolum

lum fere, è primoribus pauci expetere videbantur. Omne certamen inter Auſtriacos, & Suecum relictum videbatur: Sueci magis antiquo more petere, quam vel ſtudio ſummo, vel magna impenſa ambire; magisq; ſi qui alliciendi eſſent promiſſis, quam re aliqua oneratos dimittebant: ſive quod & ab opibus, & conciliandorum animorum artibus perinde minus inſtructi eſſent: neque vero de regno tam ipſi laborare, quam ne ad Moſcum deferretur, tantummodo anniti videbantur; dumq; hic eo non potiretur, ad quemcunque alium delatum eſſet, æquo animo laturi.

Verum omnium inſtar hi cum Regina matertera, tum Lesnovolſcius Caſtellanus Podlaſſienſis, qui nuper ex Suecia redierat; maxime Zamoſcius in partes poſtea traducti erant, qui quos illi ſeu inſcitia, ſeu injuria, ſeu etiam inopia adjungere non poterant autoritate ac rationibus ad partes adjungebant. Auſtriaci cum alteram factionem Gorkani & Zboroviorum, ſeu Principes ſaltem factionis jam ante devictos haberent, ne ipſi quidem nulla re ſibi deerant. Legationes miſſæ erant. Splendidiſſimæ à Cæſare, ab Hiſpano, ab Archiducibus Ferdinando, Erneſto Maximiliano, Matthia, quorum nomine Stanislaus Parolowsky Epiſcopus Olumucenſis, Richardius Streinius Tiffenbachius; Cæteriq; præcipui è Sileſia & Germania regna poſcebant. Cæſareani autem nominatim nullum commendabant; pro univerſa familia petebant, ut qui ex ea maxime idoneus videretur, ad Regnum vocaretur reliquorum triplex petitio erat; Nam & Erneſtus & Matthias & Maximilianus, pro ſe quisquam laborabat. Ferdinandus poſt Conventum mox Warſavienſem miſſo Zacharia Geiczkonlero, quem & tum legatum Zollocenſi Comiti adjunxerat, cum aliorum tum maxime etiam Zamoſcij pro ſe ipſo ſtudia ambierat. A Zamoſcio ut in re, & ex univerſorum autoritate penderet, & in qua omnium libertas verteretur, in ipſa Comitia rejectus, tum petitione pro ſe omiſſa, ut Maximiliani ratio haberetur, non minore ſtudio quam Maximilianus contendebat. Maxime quidem ut exiſtimabatur, quod ſi ad regnum Maximilianus evectus eſſet, ſucceſſionem Magiſterij ordinis Theutonici filio ſuo Marchioni Burgaviæ pactus ab eo fuiſſet. Erneſto quod neque cum Zboroviis quicquam commune habere exiſtimabatur, & controverſum regnum non acceptutum eum aperte legati ejus præſeferebant, inque ipſa petitione, magis gravitatis ſuæ, quam ut id quod, peteret conſequeretur, rationem habere videretur; ex iis qui Genti Auſtiacæ cupiebant, cum omnes quibus violentia Zboroviorum infenſa erat, tum optimus fere & graviſſimus quisq; favebant, Matthiæ quod qui ab Auſtriacis abhorrebant, non minus illum quam alios nollent, qui vero Auſtriacarum partium erant, ab Erneſto, vel Maximiliano præoccupati erant, non minore quidem ſtudio ac diligentia Richardi Streinij ſplendidi Auſtriæ Baronis, & imprimis docti, omnium autem minima cum ſpe petitio ſuſtinebatur. Validiſſimæ fere ex iis Maximiliani partes erant: qui adjuncta quemadmodum oſtenſum eſt ſuffragatione, & ope Ferdinandi, jam ante in Germania Chriſtophorum Zborovium, per eum deinde, cum fratres ejus, tum qui Princeps in ea parte erat, Palatinum Poſnanienſem Gorkanum ſibi devinxerat. Quorum partes, ut & omnibus fere, qui ab Auſtriaco imperio, abhorrebant, & maxime illis, qui Zboroviorum violentiam oderant, non minus exoſæ quam ſuſpectæ, ita viribus non contemnendæ erant. Præter enim Gorkanum & Zborovios, qui cum autoritate, tum cognationibus & clientelis non paucos trahebant, omnes etiam fere, qui nonniſi turbata republica vel ſalvos vel magnos ſe eſſe poſſe exiſtimabant, quorum feraciſſima tempora ea erant, ea confluebant. Itaque quicquid fere ob æs alienum proſcriptorum, quicquid prodigorum aut cum mala, aut nova cum ſpe erat, iſthac faciebat. Neque vero legati vel Principi ſuo vel iis deeſſe, ſed partim comiter appellando, partim largiendo, largius etiam promittendo, non modo non reſpuebant ullum, verum cupiditati ſuæ ſerviendo, quantum poterant, aliorum cupiditatem alebant. Itaque ad extremum ne Erneſtum quidem aut Matthiam etiam magnopere cum illis contendere, non obſcureque vacuam petitionem ſolis illis relinquere. Accedere ad ea putabatur ſummi Pontificis etiam nuntij autoritas. Erat is tum Annibal de Capua Archiepiſcopus Neapolitanus, ſub ipſum fere tempus mortis Regiæ ad Stephanum Regem à ſummo Pontifice Sixto Quinto, deſtinatus, qua legatione ad Regem fungi debuiſſet, eo mortuo, per interregnum ad Reginam atque ordines functus, maxime tum partes Auſtriacorum juvare, neque in levi propterea apud eos qui ab Auſtriacis diſſentiebant invidia erat. Nam & Archiepiſcopum Gneſnenſem ne in alium quam Auſtriacum autor fieret, certa conditione obligaſſe: & cum alios quoscunque potuiſſet, maxime Eccleſiaſtici ordinis Auſtriacis conciliaſſe, tum poſtquam neque Archiepiſcopi neque aliorum ſtudia retinere potuiſſet, Sigismundo Tertio jam Electo, Cardinale potiſſimum Radivilo ad Maximiliani Electionem dato, ſecundæ electionis ipſe potiſſimum autor fuiſſe vulgo ferebatur. Quibus præſidiis & ſpe & ſi non parum Maximilianici nitebantur, non minus tamen de Zamoſcij etiam voluntate adjungenda ita laborabant, ut cum diligentiſſime illo appellando, tum nulla re, qua pellici eum poſſe exiſtimarent, prætermittenda non minus in hoc quam in cæteris omnibus poſitum ſibi arbitrari facile, oſtenderent.

Ac primo quidem quemadmodum supra demonstratum est, per Ferdinandum Ducem appellatus, & si non tam aperte negando, quam in omnium consensum differendo, non multum spei reliquisse ei videbatur: à legatis nihilominus, cum ipsius tum Maximiliani, in re præsente, iterum vel diligentissime sollicitatus fuit. Præter legatorum autem diligentiam occulte etiam cum à Ferdinando, tum Maximiliano ipso aliquot epistolæ grandissimis cum promissis commeare. Maxime quidem Maximiliani literæ humanissime scriptæ erat; atque non modo promissis, sed laudibus etiam in Zamoscium largæ, dolere discordiam quæ inter partes exorta esset, non dissimulare benevolentiam suam in Zborovios: æquitatem tamen & benevolentiam in quemcunque, & aliis omnibus rebus præferre: hortari tamen ad concordiam; Sine qua neque electio utilis Regno, neque salus ulla sperari posset: opinionem quæ duriore sub Principibus Austriacis nobilitas conditione vulgo per Poloniam sparsa diceretur, non tam verbis quam re ipsa refutare, quod ex quo tempore sub Principum Austriacorum ditione aliqui esse cœpissent, nullius omnium ordinum, non modo non diminutas aliqua re opes, verum in immensum potius omnium prosecuturas res auctas esse. Ad ea privatas conditiones Zamoscio amplissimas ferebat: ad extremum ut quamprimum coram etiam illum complecti, ac videre posset, ignarus fati sui optabat. Omnia hæc occultissime ad Zamoscium deferebantur. Nam & quas Ferdinandus ad eum literas dederat, Stanislao Cziolkoni ita crediderat, ut nisi acciperentur à Zamoscio conditiones, ne literas quidem suas tales conditionum & syngrapham relinqueret. Itaque noctu etiam fere ad Zamoscium introductus mandata exequebatur; Maximilianus autem, & sua manu ipse literas scripserat, & easdem longis ambagibus, per Comitem Nogarolam Ungariæ Cæsareæ ditionis præfectum, qui ex instituto ejus rei causa hominem ad Zamoscium miserat, perferendas curarat. Sive ut major fides, si non vulgarentur, esset, sive Zborovios ipsos, quibus ut tanto magis devinctos haberet, in pernitiem etiam Zamoscij promittere aliquid illum coactum fuisse, rumor erat celaret. Qui cum capitales inimici Zamoscij essent, ut nulla alia re Zamoscius impediretur, tamen ut illi, qui conjuratis in perniciem suam adversariis suis regnum quasi debiturus videretur, se crederet, vix ulla conditione adduci cum posse, vel Maximiliano ipsi ac legatis ejus satis patebat. Itaque & Maximilianus quemadmodum demonstratum est, ipse ad concordiam literis suis Zamoscium hortabatur, & legati universi Austriaci, nihil fere concordiæ inter illos concitandæ studio, prius ab initio habuerunt. Legationeque splendida ad utrosque missa, ut se interpretibus ac sequestris componi inter se paterentur, hortati eos fuerunt. Agebant tum adhuc de concordia inter ipsos, publico quasi omnium ordinum nomine, ij de quibus supra demonstratum est, Saffraniecius & Firleius. Zamoscius cum re deliberata responsurum se promisisset, respondit postea per Petrum Tilicium Præpositum Gnesnensem, primumq; tum Regni Secretarium, & Reinoldum Heidensteinium. Tanta concordiæ cura, grato animo accepta ab illo fuit.

Earundem vero dissensionum compositionem, & nomine ordinum à Senatoribus etiam aliquibus jam tentari, & maxime ad ipsorum etiam ordinum autoritatem pertinere: quam si ipsi etiam adhibuissent, maxime vero alterius etiam partis sententiam perspexissent, quod ad se pertineret, nulla æqua conditione recusanda, & æquitati plurimum, & illorum autoritati tantum libenter tributurum, quantum summorum Principum legatis, summis & ipsis viris tribuere deberet. Responso hoc accepto, nihil amplius postea tentatum fuit, sive quod vel sua sponte, vel novis à Principibus suis mandatis acceptis, dissensione hactenus eos distraxisset, sublata neutrius partis, potentes se futuros vererentur, sive etiam quod postea perspectum est, ad conditiones Maximiliani eligendi cum voluntate non possent, metu saltem Zboroviorum adjungi, tandem Zamoscium posse sperarent.

Eaque causa fortassis, dum spem aliquam de Zamoscio habebant, Christophori etiam Zborovij, qui & acerbissimus in Zamoscium ex Zboroviis erat: & Majestatis publicæ damnatus non sine maxima multorum offensione, præsertim autem Zamoscij in Regno versari posset, operâ nihil ad eum diem utebantur: aliquando ex industria etiam fortuito quodam casu Olomuniecij, illum periisse rumorem composuerant: Voluntate Zamoscij fere desperata, cum altercationes de illo restituendo maxime vigerent, non expectato exitu earum, Christophorus etiam majore animo quam viribus, tot per Regnum spatia emensus Varsaviam venit. Satis constat non ultra septingentos homines, partim equites, partim pedites, secum eum habere, verum in incerto tum adhuc omnium rerum eventu, certum ab ipsius partibus invidiam & periculum nemine recipere in se volente, sine cujusquam impedimento Varsaviam pervenit: Zamoscius cum de adventu ejus, nunciatum illi fuisset, omniaque satis explorata haberet, nocte priore, quam Varsaviam veniret, adoriri eum constituerat.

Ab instituto eo subita Spitkonis Jordanis secessio eum avertit. Hic cum in Zboroviorum clientela antea fuisset, quod in prælio Dirschaviense fortis ejus opera extiterat: & alio-

& alioqui non segnis manu haberetur, quorundam autem de Zboroviis consiliorum, in Zamoscium indicio amicitiæ, fidem Zamoscio fecisset, in interiorem etiam amicitiam ab illo receptus & cum præfectura Sanocense, tum nonnullis alliis beneficiis, Zamoscij potissimum opera, atque intercessu ornatus à Rege Stephano fuerat. Pro mutua ea fide Stephano mortuo, cum operam suam Zamoscio deferret, partis alicujus peditum, & equitum aliquot Zamoscij stipendiis scribendorum negotium à Zamoscio datum. Grandi deinde pecunia quemadmodum ferebatur, conditionibus vero, promissisque multo majoribus à legatis Austriacis traductus pridie fere quam Varsaviam Christophorus veniret, milites stipendiis Zamoscij quorum tempus nondum exierat, ne quicquam Zamoscio eum retinente secum abducto, cum consilium contra Christophorum susceptum, quasi ex composito turbavit, tum unam integram fere castrorum partem discessu suo nudavit. Ita Christophorus non tam suis, quam Gorkani & fratrum viribus, quæ haud impares Zamoscianis erant, non modo tutissime postea Warsaviæ versari: verum paucæ etiam noctes deinceps intercedebant, quibus non à Zboroviis ipsis impetus aliquis, aut insultus in castra partim nuntiabatur, partim expectabatur.

Inter tot circumstantias partim à desertoribus sociis, partim ab apertis adversariis pericula, vel gravissima tamen temporis jactura erat. Omnino apparebat, nihil aliud ab adversariis agi, quam ut querelis, & postulatis suis urgendis, cum tempus extraxissent, & nobilitas interim quæ sumptuum tædio, quam rerum domesticarum cura dilaberetur, & Zamoscius consensu nobilitatis destitutus, sumptu etiam tanto temporis tolerando exhauriretur. Quodcunque consecuti fuissent, non dubitabant, quin nullo oppugnante, vel invitis cæteris imponere Maximilianum possent. Cum explicari res aliter non posset, Zamoscius cum Opalenio Marschalco, Thencinio Palatino Cracoviense, aliis aliquot Senatoribus, qui communicata inter se consilia habebant, re deliberata, ut separato ab aliis loco convenirent, & cum de republ. pacate consultarent, tum de Rege etiam sententias jam dicerent statuit.

Quod enim omnia & violenter ab aliis tum agerentur, & ad nullum exitum pervenire rem vellent, neque sine mutua cæde in eodem concilio, cum armatis iis futuros constabat. Quorumvis etiam castris disjunctis, quotidie tamen fere denuntiabatur, & ubi ad sententias de Rege, quod caput consilij erat, perventum fuisset, intercessionem eamque vel ipsam, & causam & initium cædis, prætexitorum injectum, ab adversariis iri. Sententia igitur hac probata, locum sub dio inter Zamoscij & Opalenij castra medium, è quibus si vis ab altera parte pararetur subito subsidium fieri posset, capiunt. Verum consilium id & ab adversariis maxima invidia oneratum fuit; & præter eos qui autores consilij fuerant ita pauci ab initio convenerunt, ut paucitatis ipsos fere suppuderet.

Sanctione enim gravissima, non modo proximo in conventu Varsaviense, cui quemadmodum ostensum est, præter Zborovianos, nulli fere paruerunt, verum in superioribus etiam interregnis antelata, qua contra rempublicam facere judicantur, qui in Regum Electionibus, ab universis consilia sua sejungunt; & adversarij sanctionis ejus, unaque cum ea reipublicæ violatæ eos accusabant: & qui neutri parti addicti, aut etiam à conciliis Zborovianorum alieni essent: loci tamen autoritate omnium consensu primum capti, tum ab Archiepiscopo solennibus cærimoniis ad Regis Electionem inaugurati movebantur.

Demonstrabatur ab altera parte, ad consilium id, non tam voluntate, quam necessitate, à moreque reipublicæ quam per mutuam cædem, quæ ab adversariis quæreretur cruentari, vel omnino etiam tolli nollent, à se descensum: neque quod solum sanctionibus iis vetitum esset, ut privatim de republ. consilij quid caperent convenire, sed cum id consecuti essent, ut pacate sententias de republ. dicere possent, nihil prius ipsos statuturos, quam quod sententiæ suæ essent, ad universos etiam, ac vel ipsos adversarios suos, per interpretes retulissent, majorisque partis sententia perspecta ex ea ipsi sibi quoq; consilium caperent.

Quæ cum magis refutari ab adversariis non possent, quam probarentur; haud multo post eorundem etiam ferocia fuit; ut non modo à plærisque fere consilium id probaretur, verum Zborovianis etiam desertis, totus fere reliquus senatus, ac major pars nobilitatis ad alterum hoc concilium, Zamoscij autoritate constitutum, confluerent, nigrum concilium per contumeliam, ex cultu ob luctum Regium à Zamoscianis sumpto, Conventum suum generale vocantes, ab adversariis vulgo appellabatur. Maximam autem fere inclinationem Archiepiscopus Gnesnensis fecit. Hic cum ad eum fere diem, partim metu obnoxius illis fuisset, partim etiam conditionibus quibusdam, de quibus supra demonstratum est ab illis alligatus; ac forte non magna quadam de re in Senatu ab illis discrepasset, Gorkanus Palatinus Posnaniensis, ira alioquin impotentissimus, publice in Senatu invectus in eum fuerat; quibus ille exacerbatus, consilium de partibus tam violentis relinquendis, conjungendique se cum Zamoscio præter omnium opinionem mox cœpit. Cumque de priore tempore per interpretes Zamoscio satisfecisset, omnia deinde ex Zamoscij fere sententia agere instituit.

Imprimis omnium Epiſcoporum, pro autoritate ac loco eo quo Archiepiſcopus Gneſnenſis, Princeps non Cleri modo, verum Senatus etiam univerſi in Regno eſt, concilio apud ſe habito, ut in unam de Rege ſententiam convenirent, non autoritate magis quam ratione eos adduxit. Convenere omnes in Sigismundum Sueciæ Principem. Epiſcopis adjunctis quomodo publice etiam ab aliis ſe disjungerent querere. Hactenus enim aliis jam non paucis ad nigrum quod vocabant qui concilium aggregatis, ipſe nihilominus locum ſua ipſius autoritate conſecratum frequentabat. Placuit, ut invidiæ potiſſimum deteſtandæ cauſæ, ne ſententia prius in concilio publico ab illo ipſo inaugurato non dicta, privatim Regem prodidiſſe diceretur priusquam ab illis ſe ſegregaret, eo ipſo etiam in loco ſententiam de Rege ſuam publice teſtari.

Cauſa igitur ex tanto intervallo temporis lapſi ſumpta, cum tandem ad electionem ipſam accedendum diſputaſſet, orationi ei ſimul ſuam de Rege ſententiam ſubjicit. Moſcum rejecerat: de indigena in tantis diſſenſionibus deſperare: cum Germano nihil commune ſibi eſſe velle: unum Sueciæ Principem reliquum eſſe; cujus maxime Regno huic & utile, & ſalutare imperium futurum exiſtimet. Tumultu mox orto, interrogatus ab Andrea Zborovio Marſchalco minore, an ſententiis aliorum prius non exquiſitis, Regem ea ſententia jam nominaret, cum non nominationis, ſed ſententiæ loco dicta ea à ſe oſtendiſſet, ſedatus inde tumultus fuit. Ad aliud concilium tot ſe jam adjunxerant, ut neque numeri, neque autoritatis eos pœniteret. Itaque de ipſo regno deferendo ſententiæ dici ceptæ. Jamque ad Electionem res ſpectabat, neque tamen legati adhuc externi ulli publice à tanto jam tempore auditi erant: quibusdam non neceſſariam audientiam eorum cenſentibus, quod quæ mandata publice expoſituri eſſent, eadem cum ſingulis privatim appellandis jam expoſuiſſent, publice fere omnibus nota eſſent. Tandem legati maxime Auſtriaci ſententiis de Rege, in altero concilio dici cœptis, ſi ab alterutra parte Rex dictus fuiſſet, ne legationes ipſorum omnino excluderentur veriti, & ipſi ut legationes publice audirentur, pervicerunt; & qui illorum partium erant, ut in eo concilio cui Gorkanus & Zborovij præſidebant, audirentur. Neque ſane ulla magnopere ea de re controverſia erat; neque enim tam locus ipſe ab iis qui ſeceſſerant ſpernebatur; quam quod armis & vi ab aliis obtinebatur, neceſſario ab illis mutatus fuerat. Quo ordine legati audirentur, propter Moſcum maxime & Suecum quorum neutrum alteri conceſſurum ſatis conſtabat, controverſiæ aliquid erat. Commodiſſimum tandem viſum, ut primo die ſummi Pontificis & Cæſareanis, Hiſpanisque legatis auditis, quorum dignitati ultro Moſcus cederet, poſtridie princeps rurſum inter reliquos legatos Sueco locus daretur. Ita in biduum legationibus diſpertitis, primo die ij, de quibus oſtenſum eſt, ſecundum hoſce Moſci, tum ob Regis Stephani memoriam Zamoſcio etiam maxime annitente, Tranſilvanici legati Wolffgangus Kovaciocius Cancellarius, & Caſparus Lorus, ad extremum Pruſſici legati, quorum Princeps Landgravius Lichtenbergius Kitlicius Levinus Bulavius auditi. Poſtridie ante omnes Sueci legati Erricus Spare Procancellarius, Erricus Brahe Comes ſecundum hoſce Electorum imperij legati conjunctim, quorum Princeps, ab eccleſiaſticis Electoribus Colonienſi & Moguntinenſi, à Palatino quoque Rheni & Saxone Auguſtus Schonbergius à Brandeburgenſe Otto Hakius introducti, omnibus fere qui poſteriore loco auditi fuerant, perverſum ordinem querentibus Suecis etiam priusquam in Senatum venirent, proteſtatione ſibi Regisque ſui dignitati caventibus. Auditi omnes frequente Senatu fuerunt; cum alij etiam, qui ab eo Conventu ſe ſejunxerant, uno fere tantum Zamoſcio excepto, ad audiendos eos, tum conveniſſent. Pontificij ſtudium imprimis ac vota ſummi Pontificis nomine ordinibus deferrentque in Rege eligendo id potiſſimum ſpectarent, quo Catholicæ Romanæ religionis Regem eligerent, eos hortari, nominatim nullum commendarat. Cum Cæſaris legatis Hiſpanus ſimul, & reliquorum Principum Auſtriacorum legati, tanquam in communi cauſa, & à conjunctis Principibus miſſi, in Senatum venerunt. Verba omnium nomine Epiſcopus Olomucenſis fecit: à dignitate domus Auſtriacæ, inter familias Principum Chriſtianorum ſuorum orſus, indeque ad ipſorum petitorum, virtutis atq; ingenij commendationem profectus, tribus fratribus, Erneſto, Matthia, Maximiliano, unum eligerent, petiit.

Commoda etiam quæ ex Electione ea ad Regnum perventura eſſent, conditionesque breviter propoſitæ; renovati fœderis cum Turca, ad quod obſervandum & ipſi ſe offerrent: & quod Turca multis jam malis à Perſa victus, ſex ſummorum Principum amicitia Regno adjuncta, gravioris periculi metu, ipſe etiam non invitus obſervaturus eſſet. Sive vim autem pararet, ſive quieſceret, in alias regni neceſſitates ſubſidium octingentorum millium offerebant, è quibus ducenta ſtatim ſub ipſam electionem parata fore: alia ducenta poſt coronationem: reliqua certis penſionibus de quibus conveniſſent. Adjiciebantur ad hæc, fœdus in bellum Turcicum cum ſummi Pontificis, Hiſpani omniumque familiæ Auſtriacæ Principum: tum nonnulla de imperij etiam Principibus ſpes oſtendebatur. Sine dubitatione autem ulla, omnium eorum Principum, tam imperij Germa-

nici, & aliorum vicinorum amicitia proponebatur; inter cæteros maxime Moſci, cujus pater cum ita deceſſiſſet, ut ſi filio quid accidiſſet, aliquem ex Auſtriacis Principibus teſtamento in Regno illi ſubſtituiſſet, vel ipſius Moſcoviæ tam lati Imperij acceſſio per eam occaſionem oſtentabatur. Caſtella contra eruptiones Tartarorum, ex ordinum ſententia aliquot ex privata eorum pecunia promittebantur: Studium atque autoritas in controverſias, quæ de Pruſſia ac Livonia imperio Germanico cum Regno intercederent componendas: jus item quod in Barenſem Roſanenſemq; Ducatus, tum proventus, Ducanæ Foggiæ in Regno Neapolitano Poloniæ Regno competeret, ab Hiſpano obtinendum. Privatim quinquagenarios adoleſcentes nobiles extra Regnum, partim in literarum ſtudiis, partim exercitiis rei militaris alendos, ſumptum in ditionibus Imperatoris, tum Regis Hiſpaniarum, Polonicæ Lithuanicæque gentis hominibus, cum ad alios honores, tum maxime ordines militiæ aditus pateret, effecturos; ære alieno à Sigismundo Auguſto conflato ejusque invidia ſua pecunia Regnum liberaturos. Quæ per ſe ampliſſima ad extremum in libertatis publicæ privatæque cujusque juris ac pacis publicæ obſervationem ſanctiſſime data promiſſaque concludebantur. Haud minora hiſce à Suecis offerebantur. Princeps indole præclariſſima, viginti trium annorum, ætate à perfecta non multum diſtante: Linguam cum Suecicæ, Germanicæ, Italicæ, tum maxime Polonicæ, quam una cum lacte materno imbibiſſe dicebatur. Fœdus inde inter duo Regna perpetuum: commodaque fœderis, pax Livonica, Moſci perdomandi ſpes, commerciorum quæ ampliſſima utrique Regni intercederent opportunitates: claſſis deinde, & præcipuam omnium maximorum imperiorum inſtrumentum, & quod nonniſi maximo cum ſumptu, atque impenſa parari poſſet: Si quod in Novogardienſe, aut Pleſcovienſe agro bellum cum Moſco futurum eſſet, tormenta etiam majora, quibus Suecia abundaret, in vicinia ad oppugnationes promittebantur. Caſtella itidem aliqua ipſius Principis ſumptu, contra Tartarorum excurſiones, in Podoliæ finibus extruenda. Vetuſtæ petitiones, quæ cum dotis, tum legatorum Reginæ Bonæ aviæ maternæ Principis inque Barenſem Roſanenſemque Ducatus, & aliam cum ipſius, tum Sigismundi Auguſti avunculi hæreditatem ſucceſſionis Principi competerent, electione hac Regno condonabantur.

Non parum etiam ad rem facere videbatur, quod cum poſt mortem patris, utriusque Regni ſucceſſor futurus eſſet, ſi plures liberos habuiſſet, quo minus uni Regno omnes graves eſſent, in Sueciæ Regnum aliquot exonerari poſſe demonſtrabatur.

Jura, deinde libertates atque immunitates omnium pacemque publicam, maxime inter diſſentientes de religione publice; privatimque ſervaturum non minore religione, quam ab alteris receptum erat, confirmabatur. Moſcus ſuo more agere, atque ampliſſimi quidem imperij ſui conjunctionem offerre: ita tamen, ut caput nihilominus rerum penes ſe velle eſſe potius oſtenderet, quam ſuum imperium Poloniæ Regni acceſſionem futuram.

Tranſilvanici legati vetere amicitia, pauloque ante omnibus neceſſitudinibus conjuncta commemoranda, de nova invidia obtrectatoribus nominis Regij conflata queſti fuere. Clariſſimis inde Stephani Regis in Regnum meritis recenſendis, magis dignam memoriam ejus, ampliſſimis præmiis oſtendebant, quam Regnum pro aliquo ex Battoreis ipſi petebant: ex privatis rebus cum teſtamentum Regium ſibi communicari, tum quæ poſt mortem Regis, ad Succeſſores pervenire deberent, petebant. Reliquæ legationes magis in ſpeciem aſcitæ atque gratiæ Principum Auſtriacorum tributam, quam quicquam magnopere momenti habituræ, Auſtriacos Principum ſuorum nomine ordinibus ipſæ etiam commendabant. Cum Zamoſcium & iis viribus inſtructum, & ne autoritate apud majorem partem, cum Senatus tum equeſtris ordinis eſſe Auſtriaci animadvertiſſent, ut eo repugnante, neque in adipiſcendo, neque obtinendo poſtea Regno majoris partis conſenſum, ulla ratione obtinere ſe poſſe viderent, cum ab initio, quemadmodum oſtenſum eſt, nihil prætermiſerant, quo in ſuas partes traducere eum poſſent.

Zamoſcium ab omni eo tempore ex quo primum ad rempublicam acceſſerat, cum metus belli Turcici, quod in Ruſſiam, Germaniam, & naturalem patriam ejus maxime incubiturum eſſet: tum ſervitutis à familia & vicina, & potente: non parum etiam publicæ dignitatis cura, ne in alienam ditionem Polona res tradita videretur, ab Auſtriacis averterat: quæ cum ſemper maxime eum moviſſent, tum conſtantiæ etiam ſuæ cauſa, in eadem ſententia in qua perpetuo fuiſſet, permanendum ſibi ſtatuebat. Accedebat huc quod eosdem quorum imperium publice Regno inutile & grave futurum ſentiret, ab iis potiſſimum aſciri videret, qui privatim etiam in perniciem ſuam jurati quaſi eſſent.

Cum à Legatis etiam Georgij Friderici Marchionis Pruſſiæ, Landgravio Lichtenbergio, & Levino Bulavio privatim pertentatus fuerat. Lichtembergium Imperij Germanici Principem & ſanguine ſibi conjunctum Marchio miſerat, quod cum Reginam & viduam propinqua cognatione attingeret, eo gratiorem gravioremque Legatio-

nem eam futuram judicabat. Cum uterque autem tam Lichtembergius quam Bulavius enixius etiam Auſtriacis ſtuderent, quam commiſſum illis à ſe fuiſſe Marchio poſtea agnovit, à principio mox adventus Zamoſcij, cum privatim illum conveniſſent, Marchionis etiam autoritate adjungere eum Auſtriacis conati fuere. Zamoſcius quo minorem illis, ſpem relinqueret, ita ſtatim reſpondit, ut non modo de ſe, verum de maxima etiam parte nobilitatis negaret; Priusque vitam relicturus, quam jugum id ſubituros oſtenderet; quæ res etſi ſpem Auſtriacorum non parum fregerat, non tamen plane dejecti, poſtea quemadmodum ſupra demonſtratum eſt, ipſi etiam eum aggreſſi, multis promiſſis, cum publicis tum privatis tentari curarant.

Cum conditionibus etiam ampliſſimis propoſitis, nihilominus nihil ab eo ſpei, aut promiſſi referrent. Seu quod omnino de eo deſperaſſent ſeu quod tempore extracto, aliisque dilapſis, Zamoſcio fortaſſis etiam attenuato fatigatoque, Regnum ab aliis deſertum, per Zborovianos ſe occupaturos ſperarent, ab aliquo tempore appellare eum deſierant. Poſtquam Zborovianos à plærisque aliis deſeri, atque ad Zamoſcium conventus majorem jam partem confluere viderent, animum ejus iterum quacunq; conditione tentandum rati.

Levino Bulavio qui ex Principibus Legatis Pruſſicis erant ſequeſtro appellant. Concordiam cum Zboroviis, quam antea ultro conciliari à ſe ceptam, poſtea plane intermiſerant, iterum non à ſe modo, ſed ex ſententia Zboroviorum à Zboroviis ipſis, eoque certiorem denuo offerunt: in Maximilianum ſuffragium ejus, aut ſaltem ne alium ipſe nominando, electionem impediret ambiguamque faceret, conditionem ſimul paciſcentes, reliquas eorum conditiones, quas partim Maximilianus ipſe per literas, partim ejus nomine legati, antea ei tulerant, non modo confirmabant: verum etiam augebant. Apud Zamoſcium non tam promiſſa ulla, quam publica ſalus, ac dignitas valebant: Non parum ad hæc ingentis animi virum angebat, ne metu Zboroviorum, privatarumque inimicitiarum, non modo rempublicam deſeruiſſe, ſed ad Regem etiam, quem inutilem reipublicæ judicarat, minis ac terroribus accipiendum, adductus videretur: Controverſiis vero cum Zboroviis non compoſitis, ut maxime è republica Auſtriacum futurum ſtatueret, ſibi tamen illum, qui tantum beneficium Zboroviis debiturus videretur, accipere minime tutum futurum videbat.

Itaque à compoſitione quidem cum Zboroviis non abhorrebat, conditio quæ compoſitioni adjiciebatur, ut in Maximilianum ſimul conſentiret, indigniſſima ei videbatur. Ab altera parte multiplices metus ac terrores animum verſabant. Et ſi enim maximam partem, & Senatus & nobilitatis conjunctam habebat: tamen cum ab altera parte, & Maximiliani nominatio certo expectaretur, & eandem ejus quem elegiſſent, opibus atque armis illos tutaturos, pro certo denunciaretur, in ſuis collegis plus autoritatis quam præſidij, omniaque ad vim excipiendam in ſe ipſo ferè poſita ſibi intelligebat. Neque vero conjecturis ea præcipienda erant: tanquam oculis jam fere cernebantur. Non modo enim ex nobilitate privati, verum è Senatoribus quoque maxime autem Lithuanicis & Pruſſicis non pauci, nonnulli etiam Polonici, tædio rerum præſentium, ad ſuas quisque domos dilabebantur, & ex iis qui & familiaritate, & iisdem caſtris cum illo conjungebantur, quo diutius tempus extrahebatur, ſeu eodem moræ tædio, ſeu deſperatione indies fere, non pauci eum deſerebant. Interim ipſe juſto exercitu per tot jam ſeptimanas, in ſumma annonæ caritate alendo, ſumptu etiam vel maxime exhauriebatur. Eo enim in tanto hominum numero, & anni tempore alieniſſimo, annona jam excreverat, ut quod inauditum antea in Polonia fuerat modius pabuli aureo uno veniret.

Cumque de indigena inter tantas diſſenſiones, nulla amplius ſpes eſſe poſſet, ubi ab Auſtriaco diſceſſum eſſet, res ad ſolos Moſcum & Sigismundum Principem redacta videbatur, qui partim conſenſum aliquem nobilitatis habere poſſent, partim virium ac præſidij aliquid contra Auſtriacorum potentiam ad partes afferre. De Moſco prætérquam, quod alia multa obſtarent, ut maxime Regnum ad eum deferretur. Primum tamen tot regionum intervallis ſemotus, ad tutandum præſertim contra propinquam vim Regnum in tempore ut adeſſet; priusq; regnum ab adverſariis occuparetur, quam non modo auxilium ab illo ferri; verum vel nuncius cladis perferri poſſet, verendum videbatur; non minus deinde ne pro ea amicitia quæ cum domo Auſtriaca illi intercederet, conditionibus aliquibus interpoſitis, partibusque deſertis, vel ultro Regno eis cederet. Utrunque non minus quidem de Seciæ Principe timebatur. Quod enim non minoribus fere locorum intervallis ſejunctus eſſet, eo magis mora ejus, ſi quæ intercideret homines terrebat, quod maritimo itidem itinere, cujus venti ac tempeſtates, magna ex parte arbitri eſſent, transeundum illi eſſet, quod vero unicus filius eſſet, Regnique paterni certus jam ſucceſſor deſtinatus, & adverſarij facile partim minis, partim conditionibus retineri eum poſſe maxime fidebant, & Zamoſcius cæterisque qui ei favebant, non parum metuebant.

Jam ante enim, & ante electionem de matrimonio inter Maximilianum & filiam virginem Sueci Principis ſororem conciliando, perq; matrimonium id, non minus ab avertendo à Regno Principe, quam Maximiliano confirmando neque Sueco neque Regina Matertera ipſa abnuente, actum aliquid fuiſſe rumor increbuerat. Tum vero, ut & ſuſciperet Regnum, & in tempore veniret, præſidium tamen è Regno, neque viris, neque opibus, valde florente, quid magnopere expectari poſſe? quæ cum à Zamoſcio agitata, qui mos illius erat nunquam de graviore re reſpondendi niſi noctem interpoſuiſſet deliberarentur ſi conditionem eam reciperet, fecerunt. Itaque conditionem quamvis indignam, in ipſo tamen diſcrimine, conſiliorum capiendorum oblatam, plane reſpuendam ſtatuerat, interim de conditionibus concordiæ convenire prius oportere.

Multipliciter ea, quemadmodum ante oſtenſum eſt, primum è Conventu Varſavienſe proximo, tum Saffraniecio, & Fierleo tractata, inde vero à legatis Auſtriacis tentata, ab omnibus autem partim deſperata, partim deſerta, ad extremum à Nicolao Caſimirſcio ſuſcepta fuerat. Hic ſive à Zboroviis, quorum alias ſectam ſequi putabatur, ipſis etiam de exitu rerum dubitantibus ſubjectus, ſive ſtudio reipublicæ diſſenſionibus illis perturbatiſſimæ, actione de concordia reſuſcitata ad Joannem Thomam Drojevium Præfectum Przemislienſem neceſſarium Zamoſcij, & in iisdem cum eo caſtris verſantem ſe contulerat; utque pro ea autoritate, qua apud Zamoſcium eſſet, ad æquas conditiones concordiæ cum Zboroviis illo adducto, tantis turbis diſſenſionum rempublicam liberaret, petierat. Re à Drojevio ſuſcepta, poſtea per aliquot dies ultro citroque actum de ea fuerat: cumque utriusque partis animis à concordia tum, ut videbatur non alienis, de cæteris fere conditionibus conveniſſet, in illis quæ de ſupplicio Samuelis ferebantur, ad extremum hæſitatum fuit.

Volebant Zborovij, & iis ſaltem conditionibus, quibus cuicunque nobili fortuito non ex compoſito cedes oblata lui ſoleret, lueretur: neque vero omnibus: mulctam pecuniariam ſuæ ipſius dignitatis cauſa remittebant: deprecationem & carcerem, temporis alicujus exigebant: ad extremum carcerem etiam, modo verbis ſuſciperetur, deprecationi communium amicorum condonabant.

Zamoſcio utrunque indignum: omnium vero indigniſſimum in re quæ juris publici tuendi cauſa ſecundum leges publicas adminiſtrata à ſe eſſet, ullam ſuam culpam agnoſcere videri multo; vero magis juri publico tantum in ſe derogari pati. Itaque iis etiam conditionibus ſuſpenſis, cum aliquot diebus poſt, ad exitum jam ſumma rerum inclinante, à Legatis quemadmodum oſtenſum eſt, ipſis iterum res tentata fuiſſet, ita res ſuſcepta fuit, ut ſecundum Caſimirſcianas conditiones; quæ tanquam ultimæ maxime pertractatæ eſſent, remiſſis à domo Zborovia iis, quæ contra dignitatem Zamoiſcij poſtulata ab ea fuerant, res perficeretur.

Cum exemplum conditionum earum à Zboroviis acceptum Legati tradidiſſent, ſpemque ſi de Maximiliano conveniret, cætera quæ in conditionibus à Zamoſcio deſiderarentur, non difficulter à Zboroviis remiſſum iri facerent, iterum diem ad deliberandum ſumpſit. Ita res tractabatur, ut ſi & de Rege & conditionibus concordiæ inter eos conveniſſet, fide prius à Zamoſcio data electioni Maximiliani non contraventurum. Compoſitio Ordinibus univerſis propoſita, publica etiam autoritate firmaretur: qua re transacta Zamoſcius diſcederet: Zborovij cum iis qui eorundem partium & ſententiæ eſſent, Maximilianum ſolum Regem eligerent.

Dum deliberat, cum ad Reginam, tum Sueticos Legatos, tum maxime Tranſilvanicos pro ea neceſſitudine, quæ cum domo Battorea ei intercederet, omnibus de rebus denuo refert; quæ vis quæque ex ea pericula imminerent, Reginæ Suecisque oſtendit: quid ſibi cui totum onus ſuſtinendum eſſet, & ad Regnum, dum Rex electus veniret, & deinde ad ipſum Regem contra externam vim tutandum, præſidij ab illis expectandum eſſet inquirit. Tranſilvanis cum pericula eadem, tum quæ ab Auſtriacis ad Tranſilvaniam etiam atque ipſos Battoreos pertinentia proponerentur. Proponebantur autem ampliſſimæ nonnullæ conditiones, demonſtrat.

Regina jam ante centum millia præſentis pecuniæ in ſubſidium reipublicæ, ſi ſororis filius eligeretur, detulerat: in eadem ſumma perſtabat. A Suecis parum præſidij oſtendebatur: quadraginta nihilominus millia Gedani fide ſua conquiſita, quam primum ſubſidio miſſuros promiſerunt; quæ tamen ne ipſa quidem præſtita poſtea fuerunt.

Tranſilvani ita ab Auſtriaco abhorrebant, ut neque periculo neque conditionibus ullis moverentur: Seu majoris periculi Turcici metu; quod vel maxime terreri, & terrere videbantur: Sive æmulatione rerum Ungaricarum: Seu etiam ab Auſtri-

Auſtriacorum potentia Tranſilvanicis rebus metuentes.

Dum hæc per paucos aliquot dies ultro citroque aguntur, conventus Zamoſcianus frequentiſſimus jam eſſe: Præter enim Epiſcopos maxime quidem Przemiſlienſ. eundemq; regni Vicecancellarium, Albertum Baranovium, nominatum tum Kamenecenſ. Laurentiũ Goslicium Palatini quoq; Cracovienſis, atq; alij complures, tum maxime Maſovitici, etiam ipſius Maſoviæ Palatinus Stanislaus Kriſcius, partim contumeliis, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, verborum ac ferocia Zborovianorum alienati, partim à Regina conciliati, tum Caſtellanorum, qui proximum à Palatinis in Senatu locum obtinent, præfectorum vero ac reliquæ nobilitatis magnus numerus convenerat: Accedebant magiſtratus, uno Zborovio Marſchalco curiæ excepto, omnes majorum præterea Civitatum Pruſſiæ, & Livoniæ nobilitatis legati; quorum illæ, ſi Suecus eligeretur, cum per Pruſſiam veniendum ei eſſet ſeu ad impediendum ſive ad acceptandum non parum momenti habere videbantur. Sententiis ab iis per continuos dies de Rege dictis, ad Suecum omnino jam res inclinare videbatur; quæ cujusque ſententia nihilominus fuiſſet, quidque apud ſe actum eſſet, ne alij ſeparaſſe illos conſilia ſua ab illis queri poſſent, prout quoque die quidque actum eſſet, ad priorem etiam conventum, in quo ſoli Gorkanus, & Zborovij cum cognatis fere tantum ac familiaribus ſuis, paucis ex reliqua nobilitate ſubſtiterant, referebant. Iisdemq; de rebus illorum etiam ſententiam per interpretes requirebant. Verum partim extracti ab illis, partim nihil extra ſuum conventum, & locum ſemel publica autoritate ad electionem deſtinatum, agi poſſe dicentibus, aut contempti, aut nullo cum reſponſo dimittebantur. Quo magis res inclinari videbatur, eo majori ſtudio Ferdinandi & Maximiliani legati reſponſum ad conditiones à ſe propoſitas urgebant, nihilque vel temporis vel diligentiæ prætermittebant, quo dum in utramq; partem fluctuarent, dubium animum eo magis impellerent.

Cum Zamoſcius ſive Maximilianus Rex eligeretur, ſive Sueciæ Principe electo, non ſatis virium contra Maximilianum habiturus eſſet, ancipiti in periculo, rempubl. futuram judicaret, ideoq; omnia prius circumſpicienda, & tentanda ratus, ſubinde cauſa aliqua interpoſita, reſponſum extrahit. Jam in eam opinionem venerant, ut temporis tantum eximendi illis cauſa ſimulari, à Zamoſcio deliberationem exiſtimarent; at illum impendentia undique pericula, præſidiorum autem, quæ contra ea imponerentur, exiguitas, non tam ſimulare aliquid, quam vere dubitare cogebat. Pridie quam ad electionem Principis Sueciæ accederetur, reſponſumq; legati Auſtriaci maxime urgerent, cum ex comitio paululum ſeceſſiſſet, legatis Sueticis ad ſe accerſitis, Petrum Tilicium iterum ad Reginam mittit, de periculis quæ imminerent, de præſidiis defendendi Regni, maxime ſi electus Rex tardaret, eadem fere quæ ante inculcat. Regina cum minus etiam liberaliter, quam ante reſpondiſſet, ad ſummam centum millium, ante jam à ſe oblatam, nihil omnino addebat, ex qua tamen ipſa pecunia, cum Marſchalco Opalenio tanquam majoris Poloniæ præfecto, ad tutandam Poſnaniam majoremque Poloniam contra vim adverſariorum: Archiepiſcopi etiam Gnesnenſis præſidium, in militem aliquem ſcribendum, Chriſtophoro itidem Niſcio in Reginæ præſidio futuro, major fere pars deſtinata jam erat. Et ſi omnium fere ſententia in Sueciæ Principem jam conveniſſent, reſponſo tamen hoc Reginæ territus, cum ne legati quidem ipſi quicquam amplius præſidij oſtenderent, dubius ipſe, non minus dubios legatos à ſe dimittebat.

Cum enim maxime adhuc fluctuaret, ſub noctem Conventu ſoluto, cum legatis Tranſilvanicis, cum quibus per interpretem antea etiam ijs de rebus communicarat, in campo non procul à caſtris ipſe congreſſus, ab ijsque cum ſua ſponte ab Auſtriaco, quemadmodum oſtenſum eſt abhorreret, neque niſi ultima neceſſitate coactus, ad accipiendum eum adduci poſſet, tum eo magis etiam averſus fuit.

Maxime autem Archiepiſcopi Gnesnenſis feſtinatio rem impulit. Hic ſive à Gorkano & à Zborovianis ſibi metuens, qui contra datam fidem deſertos ſe ab eo illum accuſabant. Sive hominum conſenſu, priusquam re aliqua objecta mutaretur, utendum ratus, eadem nocte ante lucem, cum ad Zamoſcium, tum Marſchalcum Regni Opalenium ultro ipſe venit: quid in tanto omnium fere ordinum conſenſu cunctarentur, rogat: ſe ad nominandum Regem paratum oſtendit. Cum neque tempus, neq; hominem dimittendum exiſtimarent, jaci aleam placuit; remque ſemel ſtatutam, non majore animo ſuſcipit, quam per continua poſtea pericula executus fuit. Legatis Ferdinandi & Maximiliani ſummo mane per Reinoldum Heidenſteinium conditiones renuntiat: ipſe copias omnes ſuas armatas extra caſtra eductas, ut præſidio Regem eligentibus eſſent, ſub ipſis caſtris inſtruit: Idem Opalenius & Theſaurarius, qui quemadmodum oſtenſum eſt, in propinquo caſtra habebant, faciunt. Dies is erat decimus nonus Auguſti, quo hæc mane agebantur. Sub idem ſimul tempus, cum Senatus etiam, tum reliqua nobilitas, eo quo ante ſolebat in loco à Zborovianis ſegregato, frequentiſſima convenit. Præter eos enim, qui ante conventum eum frequentare ſolebant, tum Archiepiſcopus etiam ipſe,

in eundem conventum venit, ac reliquos etiam omnes Epiſcopos, qui tum ibi erant, uno Jacobo Voronecio nominato Kyovienſe excepto, ſecum duxit. Lithuani nihilominus omnes aberant; qui cum ultra Viſtulam per aliquot ſeptimanas peculiaribus caſtris concilium ſuum habuiſſent, neque priusquam diſſenſiones pacatæ eſſent, cum Polonico Senatu congredi voluiſſent, poſtquam ſpes aliqua de poſtulatis cuicunque cognoſcendi oblata fuit, ac de Rege ſententiæ dici cœptæ fuiſſent, ipſi quoq; quemadmodum oſtenſum eſt, concilium ſuum in hanc partem traduxerant. Separatim ab aliis congredientes, de futuro Rege ſententias ipſi quoq; inter ſe exquirere cœperant.

Multitudo fere in Moſcum propendebat; ita tamen ut ſi de Moſco confici non poſſet, Sueciæ Principem maxime probarent. Primores in partes diſtincti erant. Radivilo Vilnenſe Palatino excepto, reliqui maxime quidem Cardinalis, & frater ejus Caſtellanus Trocenſis Auſtriaco ſtudebant: tertius frater Marſalcus moræ impatientia, quemadmodum & alij nonnulli, incerta ſententia diſceſſerant; reliqui proceres cum à Regina, tum à Zamoſcio, dum in Polonico conventu ſententiæ de Rege dicerentur, partim occultis colloquiis, partim allegationibus ad Sigismundi Principis partes traducti erant, ſpeque injecta ad eas partes, reliquam etiam nobilitatem adduci poſſe, eligendo Principi Sueciæ, ſe quoque affuturos, ſpem fecerant. Igitur dum expectantur, cum mane conventum eſſet in meridiem res extracta fuit: expectatusque nihilominus adventus eorum fuiſſet; niſi ſimili Archiepiſcopi metu, quo celerius omnium opinione conventum fuerat, electio etiam præcipitata fuiſſet. Miſſi ex conventu ad Lithuanos fuerant, qui publico nomine ad electionem eos invitarent, renunciarunt in multitudine in eandem ſententiam concilianda, conditionibusque quibusdam tractandis adhuc occupatos, brevi tamen ad futuros ſpem facere. Cum Archiepiſcopus non multum remotis, Gorkani Zboroviorum armatis copiis demonſtratis, me inquit, neq; lorica, neque ullis armis munitum videtis, conſenſu veſtro adductus huc veni: neceſſariam operam meam reipubl. exiſtimatis, ut utamini ea, tempus eſt. Cum Archiepiſcopum trepidare viderent, cumque ſi tum omiſſa res eſſet, an poſtea tantam ejus facultatem habituri eſſent, dubitarent, ad electionem etiam abſentibus Lithuanis accedunt. Marſchalcum conventus is, ad exquirendas ſententias, more aliorum conventuum, ab initio jam Paulum Orzechovium pocillatorem tum Chelmenſem delegerat. Is an Sigismundum Principem Sueciæ, Regem Poloniæ, Magnumque Lithuaniæ Ducem eſſe juberent, cum interrogaſſet, toto conventu jubente Archiepiſcopus autor factus, quod felix fauſtumque eſſet, Regem Poloniæ, Magnum Ducem Lithuaniæ, ſub horam ejus diei primam promeridianam pronuntiat. Re in alterum Conventum Zboroviorum mox nuntiata, partim avi timentibus, ſi Rege jam creato, ſeparata nihilominus conſilia de alio Rege creando haberent, partim etiam vi nominationem, ſine ſe factam ſeu ulciſci, ſeu opprimere cupientibus, tumultus ortus, non ulterius tamen progreſſus, quam ut utrinque, hi ad vota, pro more facienda, laudesque Deo reddendas: Zboroviani ad alia privatim conſilia capienda dilaberentur. Varij inde animorum motus eſſe: Zamoſcius, atq; qui cum eo faciebant, ut re perfecta lætari: ita cura ac ſollicitudine ob pericula ſupra demonſtrata, quæ nihilominus impendere videbantur, non omnino vacui eſſe Lithuani, quibus abſentibus creatus Rex fuerat, etiam ij qui ejusdem ſententiæ erant, ſe tamen non expectatis, ad electionem acceſſam eſſe, indigniſſime ferebant. Horum dolore ij qui Auſtriaco ex illis ſtudebant, non modo in eorum odium, qui Sueciæ Principem crearunt, ſed ad ſuum etiam ſtudium eo magis partim tegendum, partim aliis probandum abutebantur. Gorkanus ac Zborovij, quique alij illis addicti erant, vulgo fremere, neq; inultum laturos, haud obſcure præ ſe ferre. Itaque re prius cum externis legatis communicata, altero mox die priore in loco rurſum concilium habere. Satis conſtat, cum poſt ſeceſſionem in alterum conventum factam inclinari jam in Sueciæ Principem rem appareret, ad legatos Auſtriacos re à Gorkano & Zboroviis delata, optionem illis datam fuiſſe, an ſi nunc Regnum pro Auſtriaco teneri non poſſet, differri potius in aliud tempus electionem an à majore parte Sigismundo Principe nominato, Maximilianum nihilominus à ſe nominari mallent: inde vero ſi non nominatus eſſet, an ancipitem nominationem, certo accepturus, adque ad eam armis tuendam ſatis paratus inſtructusque eſſet, interrogatos. De mora electioni injicienda, comitiisque prorogandis illorum ipſorum, à quibus conſulebantur, ut qui quid res poſceret, arbitrio permiſerunt. De ancipite electione accipienda, eademq; deinde armis aſſerenda, non levis inter ipſos legatos contentio fuiſſe dicitur: cæteris plerisque neque Electionem dubiam accipiendam, multo minus vi aliquid agendum cenſentibus.

Ferdinandi vero ac Maximiliani Legatis, & accipientibus eam pro Maximiliano, & ad eandem armis tuendam, ſatis paratum fore profitentibus. Horum igitur ut videtur autoritatem ſecuti, Sigismundo jam Rege creato, de alio nihilominus Rege creando, ſolenni quemadmodum oſtenſum eſt, in loco conſilia habent. Jam ante eodem in concilio, Chriſtophorum etiam Zborovium decretis in eum Stephani Regis

Regis rescissis restituerant; de Samuelis vero cæde, ut jus diceretur, iidem constituerant: utque inter alias conditiones, in quas futurus Rex juraret, hæ quoque ei ferrentur. Contra ea qui in alio Conventu, non modo numero, sed ordine etiam, non pauci ex iis Superiores erant, nihil eorum ratum se habere scripto protestati fuerant: Verum cum non pluris protestationem, quam aliis omnibus in rebus autoritatem eorum facerent, Christophorus concilijs illis non modo non intererat, verum quasi præerat. Plurimum tamen autoritatis cum ad alios, tum ad ipsos Austriacos, secundum Gorkanum Cardinalis Radivilus & frater ejus Castellanus Trocensis, ut & Principis in Lithuania familiæ, & summis ipsi honoribus præditi, magnaque apud omnes opinione afferebant. Cardinalem quemadmodum supra ostensum est, à nuntio Pontificio Archiepiscopo Neapolitano, domus Austriacæ studiosissimo ad novam Maximiliani Electionem instituendam, vel maxime adductum, secretis sermonibus ferebatur. Postquam & se & rempubl. iisdem dissensionibus, atque obstinatione præcipitare non desistere animadvertebantur, ad legatos ipsos Nicolaum Firleum Castellanum eo tempore Ravensem, tum alios quosdam ex Senatu, qui Sueciæ Principem elegerant mittunt: Si illos saltem periculo cum universæ Christianitatis, tum proprio eorum proposito, à posteriore nominatione, vel urgenda vel accipienda, deterrere possent. Responsum fuit, quid alij acturi de nominatione essent, neque in potestate sua, neque pro jure id à quoquam fieret, cognitionis suæ esse: venisse eo se legatos gentium jure: eodem inviolatos, quoad rationes, & negotia eorum ferrent mansuros se sperare: ad se quod attinet, ex præscriptis quæ à Principibus suis haberent, omnia gesturos. Satis apparebat, præsidio alterius partis fretos, non modo sperare secundam nominationem. Verum omni etiam studio procurare.

Dicebantur interim sententiæ de novo Rege in concilio Zborovianorum: Senatores in eo non plures, quinque erant. Jacobus Veronecius ex Episcopis Kyoviensis unus, neque is pleni juris, ut qui nominatus tantum, nondum sacram à summo Pontifice haberet: Secundum eum Palatinus Posnaniensis Gorkanus Zborovij fratres duo. Joannes Castellanus Gnesnensis & Andreas Regiæ Marschalcus: quintus sororis horum filius Martinus Ostrorogius Lwowius, Castellanus Camenensis. Ad hos Cardinalis Radivilus, & frater Castellanus Trocensis, accedebant, qui ultro citroquę inter eos, & Lithuanos commeabant.

Ex nobilitate cum Christophorus Zborovius, jam tum ab illis restitutus, tum Zboroviorum propinqui aliqui, quique vel Gorkani, vel Zboroviorum familiaritate devincti erant: tum princeps Stanislaus Czarnkovius, Caspar Dembinius, Nicolaus Jasloviecius præfectus Sniatinensis, Jordanes præfectus Sandecensis, de quo supra ostensum est. Præter hos aliquot alij hujusmodi erant, qui suis rebus per inertiam aut luxuriam amissis præsens pretium, tum ex conversione aliqua rerum, novas spes sequerentur. Verum vulgato jam per superiorum interregnorum dissensiones secreto publico, à quacunque parte, quæ armis superior esse posset, Regem dici posse, quod dum hæc ratio Electionis manebit, maximorum periculorum & materies & causa erit, cum in armis & vi omnia parerent, ne paucitatis quidem suæ conscientia, ab alio Rege dicendo absterreri se patiebātur. Neque tamen vel in ea ipsa infrequentia satis inter eos convenire. Cum enim ex nobilitate præsertim non essent nulli, qui etsi autoritatem ac partes Zborovianorum aliis in rebus sequerentur, ab Austriaco tamen abhorrerent, quidam etiam qui indigenam omnibus aliis præferrent, non defuerunt, qui ad Christophorum Zborovium modo proscriptum & exulem, tum Regium nomen deferre non dubitarent. Illi ipsi ludibrium visum. Jam tertius autem dies agebatur, neque tamen ullus adhuc exitus reperiri, tandem vicesima secunda Mensis Augusti post occasum jam Solis, tempore intra octavam & nonam horam medio, Cardinale ad Lithuanorum suffragia concilianda ne quicquam absente, cum vel mox finem tandem rei imponere illos cogeret, moram diutius non ferentes, post multas inter ipsos altercationes, per Woronecium nominatum Episcopum Kyoviensem, Maximilianum Archiducem Austriæ Regem renunciat, moxque altero die ad ædem Bernardinorum D. Francisci supplicatione electionis ejus causa facta à Cardinale, qui si expectaturus fuisset, ipse eum cum majoris autoritatis electioni tribuendæ, tam usurpandi juris ejus pro Lithuanis, eoq; ipso Lithuanos adjungendi causa pronunciaturus fuisse existimabatur, tum sacrum, celebratum: à Marschalco Regiæ Zborovio, ad aram denuo renunciatus fuit. Lithuani duobus fere solis Radivilis Cardinale & fratre ejus, Castellano Trocense exceptis, cæteri ita fere omnes discesserunt, ut neutram electionem ratam se habere ostenderent; ut quarum hanc omnino improbarent, alteri quod non adhibiti ad eam essent indignarentur. Similes nonnulli è Polonis etiam reperiebantur, qui neutrales tum vulgo appellabantur: ex iis fere, qui cum Maximilianum vi à Zboroviis introductum iri scirent, utramque electionem rejiciendo & invidiam apud reliquam nobilitatem studio partium dissimulato vitarent, & si modestiorem tamen partem vel morarentur, vel impedirent.

Cæterum rebus ita utrinq; administratis, quod proximum fuit, & diplomata electionis suarum, ab utraque parte parata, & de conditionibus cum legatis Principum designatorum

tum transactum, tum ad Principes ipsos accersendos legati designati fuerunt. Ab ea parte quæ Sueciæ Principem elegerat, paucis verbis decretum scriptum, quibus jus potius designato Principe deferretur, quam res ipsa, quomodo administrata esset narraretur; ne famæ quidem plus, & opinioni, quam veritati ipsi datum.

Cum enim propter eam, quæ supra demonstrata est, causam, Lithuani electioni non adfuissent, ne nomen quidem eorum præscriptum fuit. Quo inter alio argumenta electionis ejus infirmandæ, vel maximo postea adversarij usi fuerunt. Simul aliud scriptum paratum fuit, quo rationem electionis suæ, totiusque rei gestæ omnibus qui ab electione etiam abfuissent, reddita, cum Conventum universi Regni in diem V. mensis Octobr. ad Visliciam indicunt: tum de quarta ut ad defendendum regnum, & prohibendum finibus Maximilianum Zamoscio tradatur: tum in omnem eventum si qua Major vis pareretur, militiam universis, quam generalem expeditionem vulgo vocant, sub notis pœnis decernunt: aliaque nonnulla, quæ præsentis temporis ratio poscebat, constituunt. Studiose dum adversarij suum decretum edidissent, celatum fuit: ne tempore conventus futuri præcepto, vel intercipere eum, vel turbare aliqua ratione possent. Illi cum uno decreto electionis, omnia complexi fuissent, rem ipsam maxime, quomodo acta esset, ita narrarunt, ut ab omnibus fere qui Comitiis iis interfuissent, arguerentur. Conditiones utrinque cum legatis eæ constitutæ fuerunt, quæ à cujusque partis legatis ultro oblatas supra ostensum est, maxime de Livoniæ parte, quæ sub Sueco est, Estonia nimirum controversia erat; vel maxime quosdam hujus rei spes moverat, & reliquam etiam nobilitatem maxime eo adjunctam iri constabat.

Adducti tandem legati, ut & ipsi eam promitterent, Regesque suos promissum ratum habituros, juramento confirmarent: & Regina omnium bonorum suorum, quæ quocunque in loco haberet, pignore fidem suam, in conditionem eam interposuit. Cum morte patris Regnum Sueciæ ad eum deveniret, ut necessitatibus quidem ejus deposcentibus in Sueciam ad tempus aliquod trajicere posset, non tamen aliter nisi ordinum Regni Poloniæ consensu cautum: in eundemque casum, ne ad consilia de rebus & negotiis Polonicis, ullos alios quam Polonos adhiberet: externos in Polonia circa se nullos omnino cujuscunque ordinis haberet: si quos paucos cubicularios necessario in Regnum secum adduxisset, illos stipendio ex suo ijs persoluto, quamprimum dimitteret: maxime vero honores, magistratus, beneficiaque cujuscunq; generis, nulli unquam nisi indigenis ex præscripto legum publicarum conferret. Eadem conditio Maximiliano quoq; ab Austriacis præter alias conditiones, quæ supra demonstrata sunt, lata. In suas quisque conditiones, utriq; legati jurarunt. Sueci de quibus supra ostensum est, Erici uterque Sparre & Brahe. Maximiliani nomine illius solus legatus Tiffenbachius. In Sueciam ad accersendum Regem Martinus Lesnovolscius, Castellanus Podlassiensis, jam ante ex priore itinere utrique Regi familiaris missus. Cum illo non pauci, alij qui initio Regni ad juvenis Principis benevolentiam aditum quærerent, trajecerunt.

Separatim Petrus Cieklinius Secretarius Regius à Zamoscio quoq; missus, ad utrunque itidem Regem literas & mandata habebat. De sua opera quam in electione ei navasset paucis: ut quam ex aliis cognosci, quam à se prædicari mallet: memoriam grati animi in familiam Jagielloniam, maximeq; Sigismundum Augustum, cujus beneficiis adolescentia potissimum ipsius ornata fuisset, pluribus testari: idem grati animi studium, ut Stephani quoque Regis, tam bene non magis de se quam universo Regno meriti familiæ præstare sibi liceret petere: Magna id parte in ipsorum Regum potestate fere, si beneficio suo quam maxime conjunctam sibi familiam Battoream esse vellent.

Ad ipsum vero Regem cum excipiendum, tum in conditiones juramento obligandum, Juramentoq; accepto decretum electionis ei tradendum, utriusq; ordinis primarij aliquot Gedanum missi. E Senatu Hieronymus Rozdrazovius Cujaviensis, Lucas Koscielecius Posnaniens. Albertus Baranovius Przemisliensis, Episcopi. Petrus de Potulice, Palatinus Kalissiensis. Nicolaus Firleus tum Ravensis, Joannes Mnissek Radomiensis, Stanislaus Gostomscius Sochacoviensis, Castellani: ex equestri ordine, Paulus Orzechovius pocillator tum Chelmensis, qui idem Marschalcus à nobilitate creatus electioni Regis præfuerat, Paulus Uchanscius præfectus Drohicensis, alijq; complures, è singulis fere Palatinatibus, singuli delecti. Ab Austriacis partibus Episcopus Kyoviensis Woronecius, Castellanus Gnesnensis Zborovius Alexander Prunscius præfectus Lucensis affinis Zboroviorum, & alij haud multi sane legati fuerunt, non modo tamen Principes, sed maxima etiam fere pars eorum qui eum elegissent. Reliquum erat, ut quemadmodum per Archiepiscopum solennibus cærimoniis declaratus jam Rex Sigismundus erat, ita à militari etiam magistratu publice renuntiaretur. Ea res seu jure, seu consuetudine superioribus interregnis recepta, ad Marschalcum pertinere vulgo putaretur. Opalenius seu quod partibus jam tum diffidebat, seu domum properaret, post conditiones cum legatis transactas, cum statim discessisset, infectam quasi rem reliquerat. Ne in hac quoq;

quoq; parte aliquid deeſſet, Zamoſcius ipſe, jure jam olim recepto, quo abſentium Marſchalcorum vices & munera Cancellarij ſupplent, ſubſidiis primum ante oppidum in omnes caſus inſtructis, per infeſtos adverſariorum diverſoriis vicos, non magno comitatu repente in oppidum profectus, in primaria æde, Rogatus à Senatu ad majorem aram publice Regem renuntiat; perfectaque re propere in caſtra ſe recipit. Simili diligentia atq; ſtudio cætera quoq; curata. Legati ad Cæſarem Joannis Bogus, Caſtellanus tum Zaviehoſtenſis Guiazdovius Abbas Mogilnenſis miſſi, qui & de toto ſtatu electionis eum edocerent, & ne ſpe privatorum aliquarum opum adjungendarum, publicam pacem turbari à ſuis pateretur, ab eo peterent. Eadem de re & literæ cum ad ſummum Pontificem, tum ad Electores Imperij Germanici, per Joannem Slirzetuſcium Secretarium Regium datæ; quibus omnibus, cum cura perfectis, prior Zamoſcius die 27. Menſis Augusti, inſtructa acie Varſavia movit. Zborovij quiq; earum partium erant, liberius à plerisque agere, conviviisq; indulgere putabantur quam rei magnitudo, præſensq; cura poſtularent: itaq; aliquoties inter commesſationes opprimi à Zamoſcio potuiſſe: cumque Regia via per Tarcinum Varſavia Cracoviam iret, ſummo diluculo in incautos imparatosque incidit; cum terrore alij diffugerent, ne publicam cauſam corrumperet, quemadmodum aliis occaſionibus, ita tum quoque à vi ab illis abſtinuit. Habebant ibi ſtativa ſua, commeſſationibus autem pecunia omni abſumpta tam ſua quam ea, quam à legatis accepiſſent, ita eos jam defici dicebatur, ut moram neceſſario ibi facerent; donec pecunia alia, vel aliunde conquiſita, vel ut quidam ſpargebant, à quibusdam extorta, moverent. Ravæ pecunia quæ ex quarta ad octuaginta millium depoſita erat, à Goſtomſcio Caſtellano Sochacovienſe in cujus poteſtate & arx & pecunia erat, ut qui earundem partium eſſet, ex decreto de quo ſupra demonſtratum eſt, ſine controverſia, Zamoſcio ipſo accipere eam nolente tradita fuit, qua ipſa etiam aliquantum tum partes adjutæ, magna tamen ejus pars in limitaneum militem verſa, cum non magis à Turcis Tartarisque, quam ab Auſtriacis metuendum tum Zamoſcius exiſtimaret. Cum unius diei itinere Cracovia abeſſet, nuntium de occupata à Chriſtophoro Zborovio Vislicia. Poſtridie vero qui erat, octavus Septembr. Cracoviam jam ingreſſus, alterum etiam de abducto & capto ab altero fratre Andrea Zborovio Tarnovio Caſtellano Sendomirienſe accepit. Deſperata enim Cracovia, ut quæ & firmo præſidio, cum Palatini Cracovienſis Thencinij, tum Præfecti Zebrzidovij teneretur, & ad quam Zamoſcius ipſe, cum omnibus copiis ſuis recta iret, cum aliquem tamen locum tenendum ſibi Zboroviani viderent; in quo & ipſi interim dum Maximilianus veniret, ad tuendas colligendasque partes conſiſterent; & ex quo deinde profecti cum Maximiliano ſe conjungerent, nullus ad eam rem Vislicia opportunior illis viſus. Præterquam enim, quod flumine & paludibus undique fere cincta, cum loci natura, tum munimento etiam pro captu loci, non immunita eſſet, tum ipſorum etiam Marſchalci Zborovij poſſeſſionibus proxima Cracoviæ autem duorum tantum dierum itinere imminebat. Quod vero eundem in locum univerſi Regni conventus à Sigismundanis indictus eſſet, ſi eum tenuiſſent conventu, nobilitatis impedito, non leve & Sigismundanis præſidium conſenſum nobilitatis, & ſibi invidiam dempturos ſperabant. Conſtituto igitur inter ſe qui ad accerſendum Maximilianum legati erant, omnibus rebus poſthabitis, & ipſi quam primum proficiſcerentur, & Maximilianum ad accelerandum hortarentur. Gorkanus, in majorem Poloniam ad tuendas ibi partes, cæteri ut cuique commodum eſſet proficiſcerentur. Andreas & Chriſtophorus Zborovij Zamoſcio jam profecto diverſis iisq; occultis fere ac nocturnis itineribus, conſilio ſuo ſumma diligentia celato, conſecuti eum fuerunt. Chriſtophorus cum Visliciam, ut in ſumma publica ſecuritate incuſtodiam, cum equitatu ac peditatu aliquo ſub veſperam veniſſet, portis foroque, & aliis locis publicis repente occupatis, vocatis ad ſe magiſtratu claves portarum ad ſe deferri jubet. Injuſſu ſuo quenquam urbe egredi, gravi in non parentem pœna denuntiata vetat. Pertinet oppidum id ad Præfecturam novi oppidi Korczin, cui Nicolaus Firleius, Caſtellanus tum Biecenſis præerat. Ad eum uno atq; altero præter edictum Chriſtophori, per incuſtodita loca, noctu clam elapſis Firleius per literas ad Zamoſcium ſtatim rem detulit. Eodem die quo Visliciam Chriſtophorus occuparat, alter frater ejus Marſchalcus Andreas Stobniciam pervenerat. Erat hic Stanislaus Tarnovius Caſtellanus Sendomirienſis, lociq; ejus præfectus, Senator cum illuſtri imprimis familia natus, tum ſumma familiaritate Zamoſcio conjunctus. Veteres huic cum Andrea Zborovio inimicitiæ intercedebant. Collata Tarnovio à Stephano Rege præfectura Stobnicenſ. quam fratris Zboroviorum Palatini Cracovienſis filius proxime tenuerat, eo invidia & diverſarum partium ſtudia non modo manebant, verum aucta etiam fuerant. Tarnovius cum Gedanum ad excipiendum & deducendum inde Regem, ipſe etiam proficiſci conſtituiſſet, omnibus jam rebus, ad iter præparatis, cum uxore ac liberis ſine ullo metu Stobniciæ agebat. Zborovio in prætorium, nullo neq; loci, neq; operis munimento, tutum per vim mox irrumpente, converſus nihilominus ad arma, cum unus ex familiaribus ipſius interfectus, aliquot vulnerati fuiſſent, tandem ploratu, ac lachry-

mis uxoris filiarumque virginum victus, ſe dedidit, ſuppellex pecuniaque omnis direpta, ipſe cum uxore ac filiabus Virginibus Visliciam à Chriſtophoro jam occupatam, captivus abductus; quo deinde reliqui etiam fere, qui in minore Polonia earundem partium erant, maximam quidem partem propinqui Zboroviorum Stadnicius ac cæteri confluxere. Indignum omnibus facinus viſum, non modo miſericordia hominis, ſed ipſius etiam rei atrocitate, violatam non modo publicam ſecuritatem, quæ per interregna, duplicibus pœnis: verum etiam domeſticam, quæ vel ſæveriſſimis legibus ſancita eſſet: violatam in homine tam illuſtri ſexu denique eo, qui vel ſine ullis legibus, inter media arma, & hoſtes tutus eſſe ſoleat: fuiſſe diſſenſiones non minores ſuperioribus etiam interregnis, minus capitalibus tamen odiis, & civiliter ab omnibus exercitas fuiſſe: hujusmodi facinus nunquam auditum. Quæ omnibus frementibus, ex fœdere tamen de pace per interregnum obſervanda perſequendæ ejus ratio, quæ una reliqua erat, abdicato à Saffraniecio, aliquanto ante Palatinatu Sendomirienſe, ſublata fuerat. Cum enim ex eodem fœdere Palatinus hoſtem publicum eum declarare, nobilitateque ad arma convocata perſequi deberet, nullo Palatino exiſtente, qui in re, quæ periculo aliquo adminiſtranda eſſet, vicariam ejus operam ſubire vellet, multo minus aliquis exiſteret. Cum per aliquod tempus in cuſtodia habitus fuiſſet. Saffranecij tum aliorum nonnullorum interventu certis conditionibus dimiſſus fuit. Conditiones hæ erant: Stobnicia Zborovio cedebat, injuriam ſibi illatam ne jure nec vi, nec ulla ratione perſequeretur: rerum quæ ablatæ eſſent repetitionem omnem remitteret. Fidem in hæc, quam ipſi voluerant acceperat.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti

LIBER IX.

Zamoſcius quamprimum Cracoviam veniſſet, ante omnia Regem & Lesnovolſcium de omni rerum ſtatu certiores faciendos ratus, literas mox Cracovia ad utrumque dat; quo in ſtatu res ſint, oſtendit. Cracoviam ſedem & ſacrarium cum regni, tum inſigniorum Regni, jam ante præſidiis partium conſtrictam, nunc in poteſtate etiam eſſe: cum ipſorum vero Cracovienſium, tum maxime univerſæ nobilitatis, Zborovianis ſolis, quorum non multi ſint exceptis ad dignitatem ejus propugnandam, omniaque pro ea ſubeunda ſummum conſenſum eſſe, ſumma celeritate veniре maturet monere: ipſius Stephani Regis cui ſucceſſurus eſſet exemplo, neque ad Regnum dubium, & ad certam gloriam eum vocare.

Communi deinde cum Andrea Thencinio Palatino, Nicolao Zebrzidovio præfecto Cracovienſe, nonnullisque Senatoribus & primariis ex nobilitate, quorum tum copia Cracoviæ erat, conſilio ad urbis ipſius, contra omnem inſultum tuendæ curam converſi, primum initio à clero facto, omnes deinceps, qui in honore aut magiſtratu aliquo eſſent, ad urbem pro cujusquam virili contra quosvis & cujuscunque generis hoſtes, electo Poloniæ Regi Sigismundo, conſervandam defendendamque jurati prius, ipſi juramento adigunt; Scriptoq; fœderis loco inter ſe ſanciunt. Inde ex omnibus Ordinibus, qui urbis cuſtodiarum commeatuum importandorum, munitionum inſtaurandarum, tormentorum, apparatusque bellici, cæterorumq; rerum ad propugnationem neceſſariarum curam habeant, deligunt.

Præter eos commune concilium conſtitutum eorum, qui omnibus hiſce de rebus univerſi conſulerent, ſimul literæ ad Wratislavienſem Epiſcopum, tanquam ſupremum Sileſiæ Præfectum datæ, ne contra antiquiſſima fœdera & in Regnum vis aliqua fieret, & Ordinibus etiam eandem, vi & armis rurſum non propulſandam modo, verum ulciſcendam etiam neceſſitas aliqua afferretur provideret. Reliquum ferè tempus expectatione cum Maximiliani, de cujus apparatu quotidie nunciabatur, tum conventus Vislicienſis, qui in diem quintam menſis Octobr. indictus erat, tum maxime ipſius Regis Sigismundi, de quo nihil omnino adhuc audiebatur, inter varios rumores transactum. De Sigismundo multorum cum admiratione per aliquot ſeptimanas, altum ſilentium erat: neq; enim ab ipſo Rege, neque à legatis, neq; de illis quicquam afferebatur. De Maximiliano & in ea vicinia, novi nuncij quotidie fere audiebantur. Hic poſtquam legati, de quibus ſupra oſtenſum eſt ad eum veniſſent, juramento in conditiones à legato ſuo acceptas, publice Olomuciæ præſtito, cum eo milite quem partim raptim ſcribere, partim ab ordinibus Moraviæ ac Sileſiæ precario cogere, partim qua voluntarios contrahere potuerat, non multo poſt adventum legatorum, iter ingreſſus fuerat. Nihil certius apud eos fuiſſe conſtat, quam Sueciæ Regem tam charitate filij unici, quam metu potentiæ Auſtriacæ, ac longinquitate itineris, totq; aliorum caſuum expectatione, quidvis potius, quam ut filium mitteret, facturum. Ad eam opinionem alia à legatis tradita eis fuerat, neque Zamoſcium vel conſpectum ejus laturum, ſed fuga ſtatim Poloniam deſerturum: & quãprimum Poloniam ingreſſus eſſet, ad famam adventus ejus, nobilitatem omnem ad illum concurſurum.

Cum & Sigismundanarum partium vires depreſſiſſent, & ſuas inflatius prædicando, in immenſum auxiſſent: maxime quidem Gorkani & Radivilorum nomina animos illis faciebant. Præter eos vero, tota etiam Lithuania ſtare cum illis, jactabatur. Qua ſpe & ſi domo Maximilianus profectus eſſet, de Zamoſcij autem in ſe voluntate ex ſuperioribus actionibus ejus, parum ſpei relicturm ei videri poſſet: neque contemnendum tamen fortaſſis ratus, quem Cracoviam obtinere ſciret: & animos vinci poſſe, cum cætera vincantur, denuo illum aggreditur. Primo per Joannem Barſium Palatinidem Cracovienſem Zamoſcij neceſſarium literas ad eum dat: diſſimulatis omnibus, quæ utrinque ad eum diem interceſſiſſent, Cracoviam tantummodo ad inſignia Regni ſibi delati accipienda, ſe venire ſignificat, cumque de Zamoſcij etiam in ſe officio non dubitet, eam tamen voluntatem, quam de illo ſibi polliceatur, & literis etiam declarare, ſibi velit poſtulat. A Zamoſcio ad literas non inhumanas humanè reſponſum: Quid & quomodo quodq; actum eſſet, non ignorare eum arbitrari, pro eo ſtudio quod erga dignitatem ejus habeat, ne properanter quicquam agat, maxime autem Vislicienſis conventus, qui jam tum immineret, judiciaq; univerſæ nobilitatis in eo expectaret, vehementer eum hortari. Haud multo poſt inde, Felicianum Herberſteinium plenioribus cum mandatis ad Zamoſcium mittit: qui cum ſub initium Octob. in quod tempus Vislicienſis Conventus indictus erat, miſſus eſſet, Zamoſcio ad Conventum Vislicienſem jam profecto, non priusquam inde rediiſſet, convenire Zamoſcium potuit. Anceps ſane cura proficiſcentem Visliciam Zamoſcium verſabat. Vislicia enim armis Zboroviorum occupata, neque conventum, niſi abductis omnibus eo ſecum copiis tuto habitum ibi iri intelligebat, neq; copias Maximiliano, in finibus jam verſante, ſine periculo eſſe, abſente ſe Cracovia ne ab eo occuparetur, abducturum. Cuſtodia nihilominus urbis, cum Zebrzidovio præfecto, tum delectis ante ad eam tradita, ipſe cum omnibus copiis, die tertia menſis Octob. Visliciam verſus, eodemq; diverſo itinere & Palatinus Cracovienſis, cum ſuis copiis profectus. Cum quemadmodum oſtenſum eſt, de adventu Sigismundi, ne fama quidem quicquam cognitum eſſet. Poſtridie quam Cracovia moviſſet, Procopius Oborſcius Proſoviciam ad eum venit. Hic poſtquam Regnum accipiendum conſtitutum jam à Regibus, fuiſſet, ex Suecia præmiſſus, ſummo omnium gaudio exceptus, nihil aliud tamen, quam certo venturum Regem attulit; quo nuntio omnibus tamen maxime confirmatis, eo deliberatiore animo ad conventum itum eſt. Zamoſcius cum eo die Scarmiriam progreſſus fuiſſet, prima vigilia noctis profectus, per totamq; noctem continente itinere facto, ſub ipſum crepuſculum, cum omnibus copiis repente, atq; improviſus, quemadmodum voluerat, adverſariis advenit; moxq; locis omnibus opportunis, ad quæ portæ oppidi pertinerent, præſidio occupato, intra oppidum eos continuit. Quod quemadmodum ante oſtenſum eſt, paluſtri loco oppidum ſitum, ab ea parte qua Scarmiria aditus ad illam eſt, ſatis longo ponte cum continente conjungitur.

Ad cujus finem ne à Zamoſcianis occuparetur, cum aliquot pedites procurriſſent, immiſſus à Zamoſcio in eos Gatuna Gallus cum Germanis ac Scotis aliquot peditibus, uno atque altero ex adverſariis interfecto, reliquos ultra pontem compulit. Inſulam deinde quam medius quaſi pons amplectitur, tormento uno atq; altero minore cum occupaſſent, continentibus jaculationibus, cum pontem turari incipiunt: tum verſus caſtra etiam Zamoſcij nullo operæ pretio jaculabantur. Jam ante vero frumentum ex agris in oppidum importarunt, tecta pro more loci lignea, aut ſtraminea, aut dejecerunt, aut terra exæquarunt, maxime autem turrim templi altiſſimam tecto dejecto, terraque repletam, quod ex ea in omnes partes & proſpectus, & ictus paterent, majoribus tormentis aliquot in ea conſtitutis occuparunt: refectisque muris ſeu expletis terra, qui vetuſtate vitium fecerant, munitionibusq; novis adjectis, in omnes caſus obſidionis ſe compararant. Cum repente quemadmodum oſtenſum eſt Zamoſcius adveniſſet, adventu ejus aliquot eorum, qui extra oppidum tanquam in æſtiva per vicinas vigilias diſtributi, aut alia de cauſa morati fuerant, oppreſſi, magnam tamen partem, aut dilapſi poſtea, aut dimiſſi fuerunt. Cumq; contra omnes ab oppido exitus ſtationes, à Zamoſcio diſpoſitæ fuiſſent, & illi poſtea oppida ſe continere: & Zamoſcius qui Maximiliano Cracoviæ jam imminente tempore ab oppugnatione excludebatur, conventui agendo ſecuritatem præſtaret, ſatis habuit. Convenerant ex omnium fere Palatinatuum Conventibus, qui in ſuis quiq; Palatinatibus more recepto, ante univerſum conventum haberi volebant legati, præter eos vero & ex Senatorio ordine non pauci, & ex vicina nobilitate magna frequentia. Ipſo Conventus die, qui quemadmodum demonſtratum eſt, V. menſis Octob. præfinitus fuerat, nihil actum; Poſtridie de loco conſtitutum, Conventus ipſe ſequentem in diem dilatus, locus ſub ipſo fere oppido tumultus quidam lectus; flumine tamen & ſtagno ab oppido diſcretus. Præeſſe conventui juſſus, conſuetudine ſane accepta, loci præfectus Nicolaus Firleius Caſtellanus tum Biecenſis, & prudentia, & ingenio, & autoritate, facile tum inter ſummos. Poſtero die cum conventum fuiſſet, Tarnovij Caſtellani Sendomirienſis, qui quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, dimiſſus interim à Zboroviis fuerat, omnes miſericordia & gratulatione in ſe convertentes adventu. Jurgio deinde Zamoſcij cum Caſimirſcio, qui obtentu reipublicæ Zboroviorum cauſam agebat, extremum familiaris cujusdam Zboroviorum interventu, partim ſolutus, partim turbatus fuit. Cum enim iſtius potiſſimum ductu & conſilio Zborovio ſe proditum Tarnovius oſtendiſſet, multis in eum irruentibus, nonnullis tamen eum protegentibus exceptus fuit. Altero demum die

qui octavus erat Octobr. de republica constitutum.

Electio Principis Sueciæ Sigismundi, ab omnium conventuum Legatis, reliquaque omni nobilitate, quæ conventui intererat, unanimi omnium voce comprobata. Altera Maximiliani abrogata: qui ex indigenis regni secuti eum fuissent, hostes judicati, Legati qui consensum atque autoritatem ordinum ad eum deferrent, finibusq; excedere juberent, Joannes Tarlo Palatinus Lublinensis, Stanislaus Bikowsky Castellanus Konariensis, Adamus Goraiscius decreti: Simul contra vim parant, nobilitas universa sub legitima pœna publicationis bonorum ad arma vocata, Coronationi Sigismundi Regis dies 27. Mensis Novemb. præstitutus, utque jam ad inaugurationem eam obeundam, deque republica interim consultandum, qui ex conventibus legati essent, Cracoviam recta contenderent, constitutum. Multum ad ea constituenda Firlei, qui conventui ei Marschalcus præerat, dexteritas valuit, vel maxime tamen Zamoscij oratio omnes movit. Qui cum de artibus adversariorum, quibus ad opprimendam rempublicam hactenus usi fuissent, de sua in rempublicam fide ab initio commemorasset, non existimare eos debere ait, quod maxime ab adversariis simularetur, se potissimum ab illis peti: quamvis eæ ipsæ inimicitiæ, nullam privatam ob causam, sed ob rempubl. potissimum susceptæ inter eos fuissent: Sed tamen ne iis ipsis quidem se potissimum peti arbitrari quenquam debere: rempubl. peti: quod ad se pertineret, jam dudum inter nos convenire potuisse, si de Rege convenire potuisset: non semel eam conditionem sibi latam, ut si in Maximilianum consentire vellet, omni ab illis molestia liberaretur: & nunc ea conditione posse, si republica deserta in potentis domini jugum tradere eam vellet: Sed neque ita de se patriam meritam esse: neque sibi in patriam fide quicquam antiquius fuisse, posse se dicere, quibus allegationibus, quantis promissis, quibus terriculamentis, postquam promissa nihil valuerint, constantia sua oppugnata fuerit; Sed qui etiam sanguinem ac vitam patriæ se debere sciret, neque ullam rem publicæ libertati unquam prætulisse, neque à republica defendenda minis ullis deterreri se passum. Postquam apud se nihil profecissent, ad omnia alia se convertissent, per quæ & se, & rempub. universam externo domino in servitutem traderent: cum omnium consensu destituerentur, vim atq; arma publicæ patriæ inferre, tanta dementia; ut pro cujus libertate, mori quilibet bene natus deberet, eam ut in servitutem traderent, ipsi pericula omnia adire non dubitarent: ne sacris quidem abstinuisse: utque per fas ac nefas, eum cui ipsi prius se addixissent, dominium patriæ imponere possent, vel ad sanctissima sacramenta profananda, ipsius summi Pontificis legati opera abuti non dubitasse. Simulq; à nuntio Pontificio, quosdam ad Austriaci nominationem sanctissimo corporis sacramento obstrictos, non sine invidia aliqua Annibalis de Capua, nuntij tum Apostolici narrabat. In tantis & publicis & privatis difficultatibus, cum tam gravis hostis immineret, neq; ulla pecunia, qua non modo novus exercitus scribi, verum vetus etiam ali posset, parato esset, unicum præsidium tributum relictum videbatur; ne tamen mentio ejus à causa ipsa quosdam alienaret, aut cunctantiores saltem efficeret, apertè postulare id ausus non fuit: necessitatibus reipubl. commemorandus, quod postulare non audebat, ut sponte cuiq; in mentem veniret, efficere conabatur; quæ pericula igitur reipubl. imminerent, ad extremum ostendebat: contra quæ neq; exiguo milite respubl. defendi: neq; miles sine maxima pecunia ali posset; quanto cum sumptu, atque impensa, cum per omne tempus electiones, tum postea in eum usque diem adversarios sustinuisset, commemorabat: quantum à Regina, quantum ex quarta subsidio reipubl. accepisset, quo non modo omnis jam fere pecunia ea fluxisset, verum de suo etiam quantum insumpsisset, demonstrabat, quodcunq; reliquum etiam sibi esset, libenter reipublicæ impensurum: nullam enim in rem quam publicè præclarius impendi posse: an privatis opibus rempublicam defendere posset, dubitare. Itaque respubl. ipsa, ne sub tanto onere succumberet, viderent: ad se quot attineret, se omniaq; sua reipubl. fore neque facultates tantum suas omnes, sed vitam pro patria profundere paratum esse. Uxorem & filiolam unicam se habere, eas si quid sibi accidisset, quemadmodum obsides suæ in se fidei respub. haberet, ita in omnem eventum illi potissimum commendare: Satis eas opulentas fore, si nominis sui memoria civium suorum caritatem ac benevolentiam conciliatura illis esset. Movit omnes oratio: de tributo tamen tacita appellatio, non minus tacitis omnium fere vocibus dissimulata fuit, seu quod non diuturni temporis denuntiationem fore judicabant, seu quod à Rege ipso, qui electus esset, proq; cujus dignitate simul dimicaretur, auxilium etiam maxime reipubl. ferri æquum censerent. Missus fuerat ad eum conventum à Maximiliano Choinscius; neq; admissus, neq; auditus fuit.

Ab altera etiam parte, dum in omnium frequentissimo conventu, ea quæ supra demonstrata sunt, decernuntur, Casimirscius, ut quasi oppressa libertate exclusus invidiam Zamoscio faceret, paucis aliquot congregatis, non magis in Zamoscium quam omnes alio loco non multum tamen remoto concionabatur.

Invidiam apud reliquam nobilitatem detestandæ causæ, ne Maximilianum probare videretur, quod tantundem erat, utramque electionem abrogabat. Cum enim Maximilianus armatus, jam in regnum ingressus esset, neq; retineri se passurum satis constaret, non tam hic rejici, quam alter ab auxilio ferendo si fieri posset, removeri videbatur, hominis sine ulla autoritate ad paucissimos concionantis magis visa quam refutata concio fuit. Conventu jam soluto, iisque de quibus ostensum est, rebus decretis, certi jam nuntij de adventu in portum Gedanensem Sigismundi Principis allati, animos hominum expectatione ejus vel maxime hactenus suspensos, in meliorem rerum spem erigere cœperunt. Cracoviam Zamoscius Vislicia reversus, à Feliciano Herbersteinio Legato Maximiliani Conventus fuit. Hic spe aliqua conditionibus in partes Zamoscij traducendi, & quemadmodum ipse præ se ferebat, de industria Zboroviis celatis à Maximiliano missus Zamoscium quidem adijt; cum autem Principem Sueciæ Gedanum jam appulisse certo accepisset, conditiones ne exposuit quidem: sive frustra eum se tentaturum seu ne tentandam quidem fidem ejus, quam semel alteri addixisset, ratus.

Cum autem copiis Vislicia abductis, Zborovios qui Visliciæ aderant, cum Maximiliano fines jam ingresso, quamprimum se conjuncturos cognitum haberet, eodem die, quo Herbersteinium audierat, turmis aliquot equitum, & expeditissimo quoq; pedite assumpto, si excipere forte eos posset, in vias, quæ Vislicia Olkussiam ducebant, se objicit, exploratores vero in omnes etiam partes dimittit. Verum Zborovij quidem longo ambitu facto, vitabundi ad Maximilianum pervenerunt: Literæ autem pridie ab Andrea Zborovio ad fratrem Joannem Castellanum Gnesnensem, de conventu ad Visliciam habito interceptæ fuerunt. Quibus cum inter cætera, ut legatos à Conventu ad Maximilianum missos detinendos curaret, hortatus eum fuisset, Zamoscius summa celeritate Cracoviam, ut ibidem Herbersteinius, qui jam ante dimissus ab eo fuerat, in suum reditum retineretur, mandat. Maximilianus interim cum & Regnum, & conditiones Regni per legatos ad se delatas Olomuciæ accepisset, juramentumq; in easdem præstitisset, persuasus à Legatis, partim celeritate omnia se consecuturum, partim ne in ipso Regno ab iis quibus stipendia legati ejus decripserant, paratum exercitum se reperturum ratus, quas subito cogere potuerat copiis, fines quemadmodum ostensum est, ingressus fuerat. Equitum etiam Germanicorum, & eorum quidem magna ex parte voluntariorum, ut qui à Provinciis Austriæ, Moraviæ, & Silesiæ honoris ipsius causa, trimestribus plerique stipendiis ad deducendum eum collati ei fuerant duo circiter millia. Peditum ad quatuor millia adduxerat.

Ad eas copias Vislicianæ deinde Zboroviorum mille itidem ac quingenti: ac paulo post Jasloviecij præfecti Sniatinensis cum peditatus, tum equitatus aliquis accessit. Bithonia quod extremum in finibus Silesiæ, Georgij Friderici Marchionis Brandeburgensis ditionis oppidum est, Olkussiam versus progressus, Rabstinum arcem dimidio circiter milliari Olkussio imminentem, quæ Præsidio Gabrielis Holubkonis tenebatur, seu quod Cracoviam properaret, seu in primo Regni aditu à vi abstinendum ratus, intactam à tergo reliquit. Collocatus Holubek ad excubias in finibus Silesiæ agendas, adversariorumque conatus observandos ab initio fuerat.

Maximiliano postea cum exercitu ultra fines progresso, contra sententiam atque mandata Zamoscij, cum parva admodum manu, eorumque magna ex parte Velitum, minime adventantis exercitus impetum sustinere eum posse existimantis, ultro præsidio se incluserat: invitatusque ad deditionem à Maximiliano, cum ad ordines qui Cracoviæ conventi sunt omnem rem rejecisset, ut à quibus & præsidium fidei suæ commissum diceret, & qui si in potestate ejus futuri essent, una cum Regno præsidium quoque traditurì ei essent, nulla ei vis adhibita fuit. Cum ab excursione, quam contra Zborovios Visliciam proficiscentes, de qua supra ostensum est instituerat, Zamoscius rediisset, Maximilianusque vix bidui itinere Cracovia abesse jam nunciaretur, de ratione defendendæ urbis, constitutum primo fuit. Dispertita Cracovia in tria quasi oppida est: Cracoviam ipsam: Casimiriam, & Clepardiam, è quibus Cracovia fere media versus Silesiam, & per Olkussiam unde Maximilianus cum exercitu accedebat, Clepardia præcincta est, ab ea parte, qua ad Carpati montis radices spectat, à Casimiria Vistula flumine dirimitur: ab omnibus autem fere partibus frequentia suburbia circumjecta habet. Cum triplex in concilio sententia diceretur, una quæ præter Cracoviam ipsam reliqua omnia suburbia & oppida incendenda, Cracoviam autem solam conservandam suaderet, altera quæ oppida quidem reliqua incendenda non censeret, cum subjecta autem oppida, tū Cracoviam ipsam milite omni in eam contracto, ex ipsa Cracovia defendendam; Vicit tertia, qua Clepardiam quæ prima adversariis vim facturis objecta esset, quamprimum muniendam, pediteque omni in munitiones distribuendo: equite autem Clepardiam contracto, è munitionibus resistendum adversariis censebat.

Cum enim Casimiria Vistula flumine & à Cracovia quemadmodum ostensum est dirimeretur, & eadem Maximilianus ab ea parte arceret, partim non nisi partito exercitu, quod sine maximis copiis in tanto præ-

ſertim ambitu, fieri non poſſet, oppugnare eam poſſe videbatur, partem ſive omni, ſive parte aliqua exercitus tentare eam vellet, cum flumen tamen transeundum prius ei esſet, mœnibus etiam Caſimiriæ cincta eſſet, neque ſine magno molimento id tentare, neque ullo modo latere poſſe. Itaque ſi Clepardia quæ adventanti ei à Cracovia objecta eſſet, defenderetur, reliqua ſatis tutata fore videbantur.

Præter hæc nonnihil ad famam etiam pertinere viſum, ſi è munitionibus potius in campo excitatis, quæ quaſi intra mœnia compulſis, è muris defenſio adminiſtraretur: ad militum vero animos, remque ſubito præſertim gerendam, vel maxime & utilius, & expeditius, ut in munitionibus potius miles haberetur, quam per popinas in urbe oberraret. Sententia hac accepta urbis ipſius mœniorumque atque excubiarum per muros exponendarum agendarumque Palatinus Andreas Thencinius cujus propria hæc jurisdictio in urbem erat: arcis & quæ ad arcem pertinerent locorum nonnullorum curam, præfectus arcis, Nicolaus Zebrzidovius: Clepardiam muniendam propugnandamque Zamoſcius ſibi deſumit: Caſimiriæ cuſtodia Farensbecio ab eo commiſſa. Ita muniis diſpertitis, Zamoſcius imprimis vicinas villas, ne receptum adverſariis præberent, tum ſuburbana quædam, quæ cum propter loci intervallum, munitionibus comprehendi non poſſent, ne officerent munitionibus verebatur, incendit; plebe autem ſuburbana fere omni contracta, opereque in peditem etiam deſcripto ad Clepardiam foſſas munitionesque initio ab Alveariorum vico, qui à Clepardia ad arcem fere pertinet facto, verſus Viſtulam ac Caſimiriam, ita ut omnem Clepardiam, & vicina ſuburbia, intra munitiones comprehenderet, agere inſtituit.

Tertio die poſtquam munitiones inſtitui cœptæ fuiſſent, Legati interim quos ex conventu Viſlicienſe ad Maximilianum miſſos fuiſſe ſupra oſtendimus, & ab initio non tanquam publici ordinum, ſed Zamoſcij legati habiti acceptique: & poſtea ſub cuſtodibus in caſtra ad Cracoviam usque circumducti fuerant.

Itaque Herberſteinius quoque quintum jam diem, ex quo ſemel dimiſſus jam à Zamoſcio fuerat, retinebatur. Cum in conſpectum Cracoviæ cum exercitu Maximilianus veniſſet, ea denique opera & legati ab eo repeti, & conſenſus ordinum, ſi quid ea res moveri illum poſſet, denunciari ei poſſe videretur, actum cum Herberſteinio fuit, ut ſponſione interpoſita, niſi ut legati remitterentur, efficere apud Maximilianum poſſet, iterum ſe ſiſteret, ad Maximilianum ipſe proficiſceretur.

Conditione ab illo accepta, ad D. Mariæ cum Senatorum, qui tum Cracoviæ erant, tum Legatorum nobilitatis, qui ex ſingulis Palatinatibus legati à Conventu Viſlicienſe, ad inaugurandum pro more Sigismundum Cracoviam profecti fuerant, alia etiam multitudine circumfuſa frequens Senatus publice datus ei fuit. Ibi cum conſenſum ſuum in deferendo & conſervando Regno Sigismundo una voce publice teſtati eſſent; de vi autem quæ ſibi inferretur queſti, ſponſionemq; is de qua oſtenſum eſt, publice præſtitiſſet, honorifice dimiſſus fuit. Poſtridie Maximilianus inſtructo cum exercitu ſub ſignis ad ipſas fere munitiones acceſſit: cumque ab altera parte ex urbe omnes etiam copiæ productæ fuiſſent, tanta mox ad conſpectum adverſariorum trepidatio propter militem eorum orta fuit, ut non pauci converſis equis urbem repeterent: alij qui nondum fugerant, fugam tamen, atque urbem plærique circumſpectarent. Ita ut ſi tum vel confligendam, vel oppugnandam mox urbem Maximilianus ſtatuiſſet, munitionibus propter ambitus magnitudinem maxima ex parte vix cœptis, multitudinis autem animis primo aſpectu ejus perturbatis, præclaram occaſionem rei gerendæ habiturum fuiſſe omnes judicarent.

Verum ſive quod alias copias, quæ partim ex Sileſia eum ſubſequi debebant, partim Polonicæ conventuræ ad eum dicebantur, expectandas ſtatueret, ſeu quod poſtea apparuit, in legationibus ac conditionibus ſpem aliquam haberet, cum Exercitum ſub ſignis oſtendiſſet tantum, prælio non tentato eum reduxit, indeque Mogilam mox promovere caſtra cœpit. Monaſterium id uno à Cracovia milliari eſt, cum proventibus ſatis amplis, tum ædificiis non minus commodis inſtructum.

Quod enim vicinæ villæ in quibus conſtiterat, plæræque exuſtæ eſſent, ita ut maxima exercitus pars ſub dio habenda ei eſſet, urbe autem minus facile, quam perſuaſum ſibi fuisſet, potiturum ſe videret, Mogillam circa quam aliquot villæ vicinæ eſſent, per quas caſtra haberi poſſent, primo impedimenta, deinde cum reliquo exercitu ipſe ſe tranſtulit; indeque partim Legationibus mittendis, accipiendisque, Sigismundanos ſollicitare, partim conſilia belli agitare cœpit. Eodem fere tempore, quo Mogillam promovere caſtra Maximilianus cœpit, ducenti circiter equites, ab ordinibus Ducatuum Cancellario præfecto, quadraginta à Sigfrido Promnicio, filio Henrico Anſelmo, quinquaginta à Superiore Luſatiæ Gantero Gersdorffio, ab inferiore Luſatia quadraginta Joanne Schebio præfectis, tum pedites nonnulli ab Epiſcopo Olomucenſe & Wratislavienſibus, quemadmodum ſupra de aliis provinciis oſtenſum eſt, deducendi ad inaugurationem, cum aliquot dierum itinere Maximilianum cum exercitum antegreſſum ſubſequerentur, inter Rabſteinum & Olkuſſium ab Holubkone præſidioque Rabſtinenſe, & opera Olkuſſianorum profligantur.

Quod enim de adverſis ſtudiis Sigismundanorum, Maximiliani Suffragatoribus ſtudioſe plæraque celantibus, plerique nihil aut parum inaudiviſſent: alij qui aliquid forte cognoviſſent, cum præſertim Sigismundum Principem minime à Patre dimiſſum iri ſibi perſuaſiſſent, Sigismundanas partes, iisdem etiam Maximiliani Suffragatoribus elevantibus fere contemnerent, & per Germaniam, maxime autem vicinas provincias pro certo Rege Maximilianus ab omnibus habebatur: & qui eum deducebant, etſi armati veniebant, animo tamen ac ſpe magis tanquam ad feſtivitatem aliquam inaugurationis, quam ad bellum proficiſcebantur. Quomodo hi quoque ſine ullo periculi metu, veſtigia exercitus legerent, nihilque minus vererentur, quam ut exercitu ſocio, paulo ante progreſſo, & tum non multum à ſe remoto, in ejus quem Regem electum, & ſine ulla difficultate acceptum iri ſtatuebant ditione, hoſtile aliquid ſibi accideret. Holubek ut in locis montanis, & confragroſis anguſtiis quasdam, maxime ad eam rem opportunas nactus, in quibus & pauci pluribus facile reſiſtere, & ſi minus ſuccederet, ſine negotio recipere ſe poſſent, cum iis quos in præſidio ſecum habebat equitibus quorum non ultra centum erant. iis ſe objicit.

Cum tanquam in re inexpectata à quibusvis ſibi afferretur ignorantes magis ſtuperent, quam ad arma ſe converterent, mox primo impetu inclinati fuerunt: inde à turba quæ metalla ibi exercent, quamprimum prælium ex vicinis montibus intentarat, clamore à tergo ſublato, ſimulq; in eos irruente, in effuſam fugam præcipitantur, qua præfecti quidem plæriq; & equitum nonnulli Bithoniam evaſerunt: cæteri cæſi: nonnulli cum impedimentis, quæ omnia in poteſtatem venerunt capti.

Triduo poſtquam Herberſteinius, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, profectus fuiſſet, Tarlo Palatinus Lublinenſis, qui princeps legationis ex Conventu Viſlicienſe fuerat, ſolus remiſſus Cracoviam venit. Mandata eidem & literas cum ad ordines, qui ex Senatu & nobilitate Cracoviæ erant, tum collegium Sacerdotum, Academiam & Urbanum magiſtratum ſeparatim ad quosque Maximilianus dederat, quæ eo fere omnia pertinebant, ut benevolentia ſua in unumquemque ordinem commemoranda, incommodisque diſſenſionis ejus, maxime autem incendiis villarum & ædificiorum, quæ contra ſe excitata eſſent in invidiam vocandis, quo Regem legitime ſe electum, nolentes potius quamvis acciperent, perſuaderet. Reſponſum eodem modo à ſingulis ordinibus, in eandem tamen fere ſententiam, ſeparatim ei fuit.

Jure enim Principis Sigismundi, & fide, quam ſemel ei addixiſſent, demonſtratis, ne vel libertati vel fidei ſuæ, vim aliquam afferret, communiter ab omnibus poſtulatum. Reſponſa per præconem publicum miſſa fuerunt. Sub idem tamen fere tempus, cæteri etiam legati, qui ex conventu Viſlicienſe miſſi, in hunc usq; diem, retenti fuerant, & ſimul cum iisdem Herberſteinius legatus Maximiliani redijt.

Hic cum priusquam publice Legationem ſuam exponeret, ut privatim ſibi Zamoſcium convenire liceret poſtulaſſet, Zamoſcio ſuſpicionem vitante, re autem cum primoribus communicata, Reinoldo Heidenſteinio ad illum miſſo, per eum Herberſteinius illi inde ſecreto nunciat, quod ab ordinibus cum dimitteretur, poſtulatum à ſe fuiſſet, ut pro ſua parte operam daret, quo bono publico Chriſtiano diſſenſio hæc tolleretur, Maximilianusque exercitum abduceret, id cum iis, qui eodem ſecum animo paci ſtuderent, ſedulo ſe feciſſe; neque nullam ſpem ejus perficiendi habere: modo Principis dignitati omnia poſtponenti, honeſta aliqua cauſa exercitus abducendi proponeretur: Id ita fieri poſſe ſe exiſtimaret, ſi de recipiendo ſe per legatos nunc eos appellanti, ut exercitu prius extra fines abducto, ſi quid juris in Regnum habere exiſtimaret, metu omni armorum remoto, de Regno & jure ſuo deinceps cum ordinibus ageret, ultro illi proponerent: exercitu enim per hujusmodi cauſam ſemel finibus abducto, reliqua omnia feliciora futura. Publice inde admiſſus, Principem ſuum cum legitime ſe electum exiſtimaſſet, publicoque nomine ad accipiendum Regnum, per legatos invitatus eſſet, ita veniſſe oſtendit, ut de Regno ita ſibi delato, nullam omnino controverſiam ſe habiturum exiſtimaret, nunc cum præter opinionem ab iis, à quibus minime expectaſſet, non ſine utriusque partis incommodo, & dignitate non admitteretur, ut ipſi rationem aliquam reperirent, qua vel manere, vel cum dignitate ſua recipere ſe poſſet eos hortari.

Mandata hæc an ab ipſo Maximiliano habuerit, an, pacis ſtudio, aut futurorum periculorum cogitatione, ipſe in eam ſententiam inflexerit, illud dubium facit, quod cum & copiis & rebus omnibus integris, ſatis ſibi datum tum adhuc Maximilianus fideret,

nihil minus quam de regno relinquendo eum tum cogitaſſe ſatis conſtet. Sigismundanis quidem non parum animorum ea res addidit. Maxime autem Zamoſcius incumbere; ne ſi vellet quidem incolumi recederet, nunc permittendum. Caudinas Mogillam illi eſſe dicere, è qua ne quomodo reciperet ſe tuto, neque quomodo maneret, habere. Decernitur legatio, quæ ſpe de Regno quicquam amplius agendi omni ei præciſa, certam diem, intra quam cum exercitu finibus excederet, ei præſcriberet: cumq; ad ſingulos ordines ipſe antea ſeparatim literas dediſſet, conſenſus omnium teſtandi cauſa, ex ſingulis ordinibus ſimiliter ad ipſum legati lecti. Atq; de legatis quidem ex Senatorio ordine quam repente, Joannes Miskovius, Caſtellanus Zarnovienſis, à Sacerdotum collegio, Joannes Kraſſinſcius Cantor Cracovienſis ab Academia quoq; & Urbano magiſtratu aliqui miſſi fuerunt. Literæ vero delegatione hac Maximiliani paſſim per Regnum dimiſſæ, quibus deſperato jam quaſi Regno, magis de receptu quam Regno eum cogitare prædicabatur.

Ad legationem Maximilianus per ſuos legatos reſponſurum ſe oſtendit: quos literis fidei publicæ Sigismundanorum exemplo, per Fridericum Cirotinum, qui ſummus Germanicarum copiarum præfectus apud illum erat, prius acceptis, non multo poſt miſit. Atque interim ab eo mox tempore, quo Mogillam verſus Maximilianus progredi cœperat, quemadmodum & poſtea excurſiones quidem utrinque aliquæ fiebant, inter quas una ab Joanne Zamoſcio Cancellarij agnato, equitum præfecto, qua pedites Stadniciani & Rosmani, quos in caſtello quodam Karskewa excipiendorum tabellariorum cauſa habebant, ducenti circiter noctu in taberna, oppreſſi fuerunt. Velitationes item ſatis frequentes, quotidie fere committebantur, quibus utrinq; nonnunquam aliqui cadebant: aliaque quæ duobus exercitibus in propinquo caſtra facientibus fieri ſolent: oppugnatio autem juſta vel prælium nullum adhuc tentabatur. Nam & Sigismundani, cum & numero & genere militum, inferiores ſe eſſe viderent, ſi in adventum Sigismundi Cracoviam ei ſervarent, ſatis habebant, & Maximilianus præterquam quod indies plures conventuros exiſtimaret, nonnullam in ipſam etiam Cracoviam per conditiones tandem adjungendam ſpem habere videbatur. Itaque Legationibus & ſcriptis, quibus de jure Regni inter arma diſceptabatur, utrinq; mittendis maxima pars temporis terebatur, non tam ſui periculi cauſa, quam ne alea jacta, non tam ſe quam univerſum Regnum in periculum adduceret: Rege autem ſolium Regium obtinente, ſatis temporis & ad injurias vindicandas, & cum hoſte experiundi habiturum ſe ratus, quæ mora etſi neutri parti commoda erat, multo tamen plus Maximiliano incommodi afferebat. Cum enim non modo primus impetus ipſius rejectus fuiſſet, verum tamdiu fruſtra ad Cracoviam reſideret, & Sigismundanis majores animi accedebant, & qui Maximiliano ſtudebant, eo ipſo quod primo conatu non viciſſent, pro victis quaſi ſe habebant.

Præterquam vero quod ſub tectis Sigismundanus miles verſaretur, in ſumma etiam omnium rerum copia erat. Non modo enim multo ante commeatu undiquaque convecto, in eventum aliquem obſidionis ſe compararant. Verum quod ab una tantum parte Viſtulæ caſtra Maximilianus haberet, altera ripa omnisq; ager trans Viſtulam qui ad Caſimiriam ad montes pertinet, pacatus eſſet, cum liberrime ex eo pabulabantur, tum nuntij atq; auxilia, ex omnibus partibus tutiſſime ab ea parte commeabant. Maximiliani è contra exercitus urbem ex qua juvari poſſet, in poteſtate nullam habebat, ex Sileſia etiam propter Rabſteinenſe præſidium, à quo viæ eo pertinentes infeſtabantur, eo præſertim de quo ſupra oſtenſum eſt, ſubſidio cæſo, minus liberi commeatus erant: atque & ſi aliqua pars, per Vicinas Villas diſtributa fuerat, major tamen fere pars, maxime autem pedes, ſub dio fere habebatur: & quemadmodum ex literarum, quæ frequentes tales cœptæ fuerunt, querelis animadverti potuit, in maxima neceſſariarum rerum penuria verſabantur.

Quibus rebus per menſ. præſertim Octob. ac Novembr. continuis pluviis, ac frigore eo affligentibus non modo corpora, ac jumenta verum animi etiam maxime debilitabantur: Fiebat ita ut quæ duæ res maximæ inter ſe contrariæ ſunt, celeritas & mora, eæ plurimum utræque ei nocerent. Cum enim maxima pars Electioni ejus refragaretur, eadem autem & ſedem & inſignia regni, atque omnia fere oppida ac præſidia in poteſtate haberet, cum voluntate ordinum obtinere Regnum non poſſet, propter celeritatem tamen, non ita ab exercitu ac milite inſtructus venerat, ut quod conſenſu habere non poſſet, vi obtineret: & poſtea dum legationibus ac conditionibus adjuncturum ſe id ſperat, cum eum ipſum exercitum quem adduxerat, tum quas gerendæ rei occaſiones habere potuiſſet, deſidendo fere corrumpebat.

Tandem cum & Cracoviæ per conditiones potiundæ, ſpem nullam reliquam cerneret, & Sigismundum in cujus recuſatione alteram ſpem habebant, Gedano jam progreſſum non multum Piotrkovia abeſſe nunciatum fuiſſet, ſi illum ſaltem vel in poteſtate habere, vel deterrere poſſet, agendum aliquid ratus, Eraſmum Lichtenſteinium, qui parti equitatus Germanici præerat, Chriſtophorum

Zboro-

Zborovium, ac Stanislaum Stadnicium, cum Polonico exercitu aliquo obviam ei mittit. Nuntio de electione Sigismundi in Sueciam primum perlato, Sueciæ Rex: qui ab initio ne ambiendum quidem pro filio Regnum, niſi à Leſnovolſcio inductus fuiſſet, ſtatuerat, cum non modo Maximilianum etiam electum, inque duos principes diſtracta Comitia intellexiſſet, verum ab ipſo etiam Maximiliano, nuntij literæq; ad eum perveniſſent, quibus ab accipiendo Regno eum abſterrebat, nihil certius habere, quam nulla conditione in controverſum Regnum filium mittere. Idem Leſnovolſcius, qui ab initio ut peteret id illi perſuaſerat, terrore injecto, ne rejecti ab eo ordines Polonici, cum Moſcho, qui maxime gravis illi erat, in perniciem ejus ſe conjungerent, ſeu omnino potius in filij locum, ſi Regnum ipſe recuſaſſet ſufficerent, ut nihilominus eum mitteret, metu magis quam ratione eum adducit. Itaque viginti quidem & aliquot navium claſſe, conſiliarijsq; nonnullis Sueticis, inter quos imprimis Erico Sparrio ViceCancellario, Erico Brahe, Comite Thurone Bielka, & aliis nonnullis ei attributis, Gedanum verſus eum mittit; neque tamen eo, vel conſilio, vel animo, ut vel acciperet Regnum, vel in Poloniam ulterius progrederetur: Sed cum Legatos Polonicos, qui Gedani eum expectabant, conditione de Eſtonia, mandatisque ſuis nullo modo diſceſſuros ſibi perſuaderet, ea neganda, ita infici negotium poſſe ſibi perſuaderat, ut non tam ſtudium ordinum ab ipſo ſperni, quam duriores conditiones ſe ab illo exigere exiſtimaturi, nihilque quod ipſum accuſarent habituri eſſent. Quo tectius conſilium eſſet, filiam etiam Annam ſororem Regis electi, per ſpeciem materteræ Reginæ inviſendæ, cum illo mittit; ipſi mandat ne portum ingrederetur, ſed in navibus Legatos ſe ſalutaturos admitteret, in iisdemq; cum illis ageret, req; per conditionem eam, de qua ſupra oſtenſum eſt, infecta, ſe reciperet. Dimidio à Portu Gedanenſe milliari in ancoris ſubſiſtit. Leſnovolſcius cum aliis, qui in Sueciam præcurrerant Polonis, in urbem mox venit: Legatis in navibus Regem eos accepturum nuntiat.

Petunt rediret ad eum, utque in Monaſterio Olivenſe, quemadmodum ab ordinibus mandatum ſibi fuerat, conveniendi ſibi poteſtatem illis faceret, operam daret. Laborabat fruſtra: ut portum tamen ingrediatur, atq; id ipſum ſævientibus jam per eos menſes tempeſtatibus, ægre ei perſuadet. Idque accepto ante à Gedanenſibus commeatu, quo ſecuritas liberque receptus ei cavebatur, noſtris indigniſſimum quidem, à ſubjecta Civitate, potius quam à ſe, qui Ordines Regni præſentarent, peti id cenſentibus, ſed cum Sueci, maxime autem præfectus claſſis Flaminus, mandato Regis ſui, alia conditione portum ingredi integrum ſibi non eſſe oſtendiſſent, tempori id condonantibus.

Jam mox quidem tota res ſuſpecta noſtris eſſe, ne tamen parva rei cauſa, tanta res vel extraheretur, vel inficeretur, cum fruſtra omnia tentarentur, ut in navibus eum ſalutarent, aſſentiuntur. Itaque die II. Menſis Octobris Petro Tilicio, qui de adventu illorum cum Rege conſtituerat, præmiſſo ſub veſperam univerſi eum ſalutant. Verba faciebat Rozrazevius Epiſcopus Cujavienſis oratione Latina brevi Rex ipſe reſpondit: Salutatione utrinque perfecta, cum mandata ſua exponendi, tempus Rozdrazevius petiiſſet, in ſequentem diem dilati fuere. Per continuum inde triduum, de conditionibus, ſeu una potius Eſtonia præter legatos conſiliariosque Sueticos omnibus aliis arbitris remotis, fruſtra omnia legatis tentantibus, Regeque & Suecis nihil de re, quæ vivo patre in poteſtate ſua non eſſet, promittere eum poſſe oſtendentibus, præſente periculo reipublicæ permoti, conditionem ſaltem, quoad Pater viveret remittunt; qua remiſſa cum honeſte Rex Sueci ve recipere à negotio ſe non poſſent, tandem VII. menſis Octobr. die à legatis omnibus, aliisque nonnullis, cum Pruſſicis, tum Polonicis, etiam aliquot Senatoribus, atque ex nobilitate, qui ad Regij adventus famam confluxerant, in Olivenſe Monaſterium deducitur. Sacrum Rozrazevius faciebat, quo finito, Albertus Baranovius Epiſcopus Przemtslienſis, idemque ViceCancellarius, publice formulam juramenti Regi exhibet; qua accepta atteſtationem clara voce Latine Rex interponit. Conditione adjungendæ Eſtoniæ, ut quæ poteſtatis ſuæ non eſſet, nolle ſe obligare vel fidem, vel conſcientiam ſuam: neque quod præſtari à ſe poſſet, promittere. Baranovius econtra ipſum Regem teſtem invocabat, Legatos quod ad eam apud ipſum procurandam, aut urgendam pertineret, nihil prætermiſſum; utque ejus rei apud ordines ſuo tempore fidem ſibi faceret, petere.

Ad aram inde majorem acceſſum; ad quam cum ingenua Rex procubuiſſet, Rozrazevius, cum Ordinis eccleſiaſtici, tum Sæcularium etiam Catholicorum omnium nomine, contra caput, quod de pace religionis erat, atteſtationem ipſe etiam interponit. Et Stanislaus Przyemſcius nomine diverſum ſentientium, aliam paucis verbis opponit.

Inde Rex Rozrazevio in verba ei præeunte, in conditiones reliquas jurat. Mox hymni ſolennes decantati, à Joanne Dulſcio Regni Theſaurario, abſentiam Marſchalcorum, juramentum à Rege ex formula præſtitum, publice denuntiatum. Denuntiatio lætis circumjectæ concionis acclamationibus, votisque excepta.

Poſtri-

Postridie navibus urbem ingreditur, in qua sequente die Dominica, quæ undecima erat Octobr. ad aram maximam templi Dominicani, decretum electionis publice ei traditum, iterumq; publice renuntiatus fuit. Orationem, qua decretum ei tradebat ad eum habuit Latinam Albertus Baranovius, Episcopus Przemisliensis, idemq; regni ViceCancellarius. Respondit ei nomine Regis Ericus Sparrius ViceCancellarius Sueticus, Gedani decem dies Rex commoratus fuit: Decima octava inde Octobr. per Mariæburgum Stumam Thoruniam, Piotrkoviam, recta movit; biduo antequam Gedano discederet, literas à Patre accepit, quibus ut sine ulla exceptione, in Sueciam rediret, eum hortatur. Quod juramentum præstitum, jam tum ab eo esset, non integra res Suecis visa: itaque nihilominus progressus fuit. Cum Mariæburgi, Thorunij, aliisq; nonnullis in locis, vel singulos vel aliquot dies substitisset, Piotrkoviam mens. Novembr. pervenit. Habebat ipse Rex secum, Suecos pedites sclopetarios octingentos, equites octuaginta, qui cum Rege erant. Joannes Dulscius Regni tum Thesaurarius, ducentos equites, pedites centum, publicis stipendiis constructos habebat: Stanislaus Przyemscius equites quinquaginta, Paulus Uchanscius Præfectus Drohibicensis, pedites totidem. Præter quos Wejerus etiam Regiis stipendiis Germanicorum equitum aliquot turmas scripserat. Andreas Opalenius Marschalcus, ipse etiam aliquot centenos, cum præsidio majoris Poloniæ tum deducendo Rege, publico stipendio scripserat.

Cum Mariæburgum ad Regem excurrisset, in majorem Poloniam, quo in Palatini Posnaniens. conatus, intentus etiam, conventuiq; majoris Poloniæ, qui sub id tempus tenebatur interesset, statim recurrit; trecentos tamen circiter equites Thorunij, qui Regem inde deducerent, relinquit: & cum reliquis ipse etiam Piotrikoviam ad Regem venit. Nonnihil copiarum Regina miserat. Præter eos vero, imprimis Archiepiscopus, Stanislaus Karnkovius, cum aliquot itidem centenis, ad Lanciciam Regi se conjunxerat: cæteri etiam Episcopi, qui cum Rege erant, Rozrazevius Wladislaviensis, Albertus Baranovius, Przemisliens. suos singuli Comitatus habebant. Verum potissima spes in expeditione nobilitatis erat, ut quæ & in Visliciense conventu decreta: & pro jure Magistratu edictis à Zamoscio, per Regnum dimissis, indicta fuerat. Masovij vix non ultro operam suam ex conventibus per legatos Regi deferebant. Eo ipso tempore, quo Brzeznæ Rex erat, Cujavienses conventum Radzieioviæ habebant. Missus ad eos Paulus Uchanscius Præfectus Drohibicensis, qui ut ex decreto Conventus Vislicienss armati Regem deducerent peteret; non pauci inter eos erant, qui Palatini Posnaniensis partes adhuc sequerentur. Militem tamen aliquem decernunt, quem Balinio præfecto Piotrkoviam ad Regem mittunt. Prussi loco expeditionis accisam quam vocant, decreverant. Lancicienses, qui sub initium mensis Novembris, armati convenerant: Lustrationem enim sibi condixerant: cum Stanislao Biechovio Castellano Konariense itidem militem mittunt. Ravenses cum Stanislao Gostomscio, Castellano Sochacoviense, ipsi moverant. Piotrkoviam jam pervenerant. Masovij & Plocenses, in itinere erant. Posnanienses, Calisienses, Syradienses, majoresque Poloni fere omnes, autoritate Opalenij adducti, viritim ipsi etiam armatiq; Piotrikoviam ad Regem convenerunt. Verum sub idem tempus, quo Rex Piotrikoviæ, undique ad se convenientes colligit, quos supra à Maximiliano obviam illi missos ostendimus, Przedboriã repentino adventu occuparant, In villa autem quadam, sub ipsam Przevoboriam, octuaginta circiter equites Marschalcianos, quos Masinscio Prusso præfecto, in excubiis ibi collocarat, acerrime, neque sine detrimento adversariorum, partim conciderant, partim deditos postea, contra datam fidem, interfecerant. Hæc Piotrikoviam, majora etiam ut fieri solet, quam revera essent, fama nimirum, metuque ipso, plærumque aliquid addente, nuntiata, insuetis plerisque, & à bello abhorrentibus, magnum terrorem injecere. Tumultuatum per duas ibi noctes fuit: Priore tamen gravius; totam noctem copiæ omnes instructæ in armis constiterunt; Rex ipse magnam noctis partem insomnem duxit, armatusque hostem expectabat.

Nam præterquam quod hostes jam visos excubitores nuntiarent, incendiarius etiam quidam Dunini Spotij Præfecti Piotrikoviensis, qui cum Maximiliano erat, famulus captus fuerat, immissusque ab hero ferebatur, ut urbem ea nocte incenderet. Cumque casu incendium mox in suburbio ortum esset, nemo dubitare, quin ab adversariis procuratum fuisset. Cum tamen aurigis temere lumen in stabulum inferentibus, illorum negligentia excitatum id postea fuisse compertum fuerit. Itaque tumultus sedatus: ad quem tamen neque Rex, neque Regij quicquam trepidare: cum parati alacresque, tanquam statim pugnaturi hostem expectarent. Majores Poloni Syradiensesque & ipsi non parum turbati, rumoribus istis fuere, & discessu suo, alia consilia turbare, mox cœpere.

Quemadmodum ostensum est, armati Piotrikoviam convenerant. Cum certa in spe omnes essent, Cracoviam Regem deducturos, Rexque in Castra ad eos deductus, ipse coram etiam id ab illis petijsset, non negarunt. Mox casuum belli-

bellicorum insolentes, partim metu, partim fortassis etiam inertia, sumptumq; fugientes, subito consilium mutant. Primo tributum Regi offerebant, ad certum etiam tempus stipendiariorum aliquem numerum. Cum à Rege nihil horum acciperetur, quod præsente subsidio opus illi esset, re infecta discedunt: exemplumq; eorum secuti, alij etiam dilabuntur; ita præter paucos voluntarios, qui aliorum ignaviam detestati, apud Regem remanserant, cum solis stipendiariis, fere relictus. Eodem ex loco Petrikovia nimirum, sororem etiam Varsaviam, cum Regina matertera quæ visendi ejus causa eo ad illum venerat, Rex mittit. Cum ea per speciem honoris, deducendæq; ejus, non pauci Senatorij etiam ordinis, qui à bello abhorrerent profecti: Archiepiscopus tamen, Episcopique, qui supra nominati sunt, Albertus Lascius, Palatinus Siradiensis, Andreas Opalenius Marschalcus Joannes Dulscius Thesaurarius, alijq; nonnulli, cum milite quem habebant, apud Regem remanent. Interim qui à Maximiliano ad capiendum, profligandumve Regem, missi fuerant, eorum quos sub Przedboria oppresserant, periculo facto, non tam facilem rem, atque spe præceperant, cum universis copiis, sibi futuram animo prævidentes, maxime vero majoris Poloniæ, Masoviticam Syradiensemque nobilitatem armatam convenisse, ex captivis cognito, neve à Zamoscio interim contra Maximilianum Cracovia aliquid tentaretur, veriti, Przedboria mox ad Maximilianum se receperant. Quum ad Piotrikoviam Rex venisset, nullus certus Dux, nullum certum imperium, penes Regem fuerat. Petrikoviam cum Marschalcus Opalenius ad eum venisset, & excursio ista adversariorum, metusq; diligentiam auxisset, certa ratio itineri, & rei gerendæ constituta. Ac summa quidem rerum penes Opalenium erat, militaris tamen rei administrandæ cura, & imperium, Alberto Lascio Palatino Syradiensi demandata. Cum à nobilitate deserti ad Maximiliani stationes perrumpendas, aut prælio rem comittendam, non satis se virium habere viderent, summo silentio, quam secretissimoq; consilio suo habito, Piotrkovia retro Varsaviam versus, iter convertunt. Quando, & quo movendum, quove in loco pernoctandum, non priusque in ipso puncto itineris denuntiantes. Cum pleriq; quod adversarios avertendos ex instituto spargebatur, mare Prussiamque, & fugam quasi spectari existimarent, postquam Ravam ventum fuit, ab itinere Warsaviense Cracoviam versus iterum deflectunt, trajectoque ad novum oppidum Pilcza, ad Korcinum autem Vistula, ab altera ejus parte, ita ut Vistula adversariorum castris eos divideret, Cracoviam contendunt. Qui Cracoviæ interim erant, cum viis præsertim obsessis, omnium rerum incerti, neq; quid ageretur scirent, adventum autem Regium Petricovia, tam propinquo ex loco, vix viginti quatuor milliarium intervallo promissum, non frustra tam diu non apparere existimarent, maximo interim in metu versabantur; quæ quidem inter alias etiam Zamoscio causa erat, ut cum partem copiarum contra Regem Maximilianus misisset, & si ex instituto rei militaris, contra partem exercitus, quam apud se relinquerat, tentari aliquid posse videretur, nihil tamen movendum existimaret. Præterquam enim quod tali tempore, quo in iis copiis, quas circa se habebat, omnis spes salutis publicæ posita esset, nihil fortunæ committendum statueret, urbem etiam, quæ in cujus potestate esset, eidem Regni jus confirmatura quasi esset, hominum de adventu Regio, & causa adeo ipsa vix non jam desperantium arbitrio permittere non satis tutum arbitrabatur.

Interim miris artibus animos spesque hominum confirmare non intermittebat, nonnunquam nuncios de adventu Regio certos jam habere præ se ferre aliquando, quo magis desperare eos vetaret, tanquam propinquo jam Rege, alios ut ad excipiendum eum se pararent hortari: aliquando ipsum se cum exercitu, quo tutius pervenire posset obvium illi progressurum simulare. Interim Maximiliani etiam copiæ auctæ non nihil erant. Nam & Jasloviecius Præfectus Sniatinensis, cum aliquo numero equitatus peditatusque, sub id tempus ad eum venerat, & Stanislaus Gorkanus, Palatinus Posnaniensis, cum itidem non contemnendo numero militum: maxime autem cum majorum tum minorum tormentorum aliquot secum currus ducebat. E majore Polonia per Silesiam, ea via, qua Maximilianus iverat, ad illum venerat. Itaq; Olkussij cum esset, ob impetum in Maximiliani militem aliquem, de quo supra ostensum est, cum Holubkone, à metallariis factum aliquot eorum gladio feriri jubet. Conventum eorum quos circa se habebat, consilio universi Regni, Mogillam Maximilianus indixerat. Cum præter eos, qui apud ipsum erant, vel ex maxime vicinis, nemo plane venisset, illi ipsi nihilominus, quamvis paucissimi conventum obeunt. Edicta sub ejus nomine ex eo dimittunt, quibus nondum Regno inauguratus novo plane exemplo rem magis etiam novam, militem fossoremque ad opus militare faciendum nobilitati imperat; ni paruissent pro bello quæsitis habiturum. Ex eodem Conventu ad Cracovienses per tubicinem indictum mittit, quibus nisi ad se rediissent magistratus iis abrogat; quæ res apud homines jactata, imperium ejus jam ante etiã exosum, eo magis formidandum, atq; abominabile fere, apud omnes faciebat. Excursiones interim nonnullæ à Kosacis, incendiaq; in Silesia etiam fiebant.

Maxime vero Kaidas quidam Wolhinius, non tam imperio aliquo, quam spe prædæ addu-

adductus, prædonibusque in eandem ſpem compluribus pertractis, incendiis, direptionibusque, per vicinos fines Sileſiæ graſſans, ut Senatoribus qui Cracoviæ erant, maxime tamen Zamoſcio per literas eam rem Maximilianus exprobraret, fecit. Copiis quemadmodum ſupra oſtenſum eſt Maximiliani auctis receptisque rurſum in Caſtra iis, quos contra Regem Petrikoviam verſus miſerat, die XXIII. Menſis Novemb. cum omnibus copiis, quas circa ſe habebat, Mogila movens, per proximos quasdam urbi Villas conſedit.

In quibus & ſi quid incommodi eſſet, Zamoſcius intelligeret, hominum tamen lachrymis motus integras reliquerat. Cum ſuburbia ob vaſtitatem ſuam munitionibus complecti omnia non potuiſſet, atque ita per eam partem ſuburbiorum & alteram alveariorum, quæ Epiſcopi eſt, vel per ipſas etiam munitiones perrumpere ſe poſſe ſpem haberet, conſilio eo oppugnationem aggredi ſtatuit: Incommodo eo jam ante à Zamoſcio etiam animadverſo, conſilio autem adverſariorum de oppugnanda urbe per exploratores, tum ex literis, quæ frequentes intercipiebantur, cognito, pridie quidem ipſe jam incendi ea juſſerat; in tam repentino tamen eorum acceſſu, exuri ædificia omnia non potuerant. Cum pridie ut ante lucem oppugnationem ordirentur, conſtitutum à Maximiliano fuiſſet, à præfectis tamen, cum jam diluceſceret, miſſum ad oppugnationem fuit. Ad eam rem mille ex peditatu ſuo, partim Kaſtatos, partim Sclopetarios, ac robur fere peditatus ſui delegerat. Iis Palatinus Poſnanienſis, Jasloviecius, Zborovij Stadnicij, Polonos fere totidem adjunxerant, iis equitatus etiam pars aliqua, ad quem in omnes caſus ſe reciperent, addita erat; reliquus exercitus omnis, explicatis aciebus, in campo ſubſiſtit. Subeunt ut minus forte conſulte, ita audaciſſime promptiſſimeque, quæ audacia illorum & voluntarios, qui ad munitiones eas erat perterritos jam inclinabat, & illis tantum mox animi addit, ut tormenta ipſa mox ſubmitterent. Planeq; in periculo jam res eſſe videbatur, niſi Zamoſcius ipſe accurrens, abrepto à ſignifero vexillo rem reſtituiſſet: tamen Kiermanſcius, exque cohorte ejus complures cæſi. A Zamoſcio autem, qui recentem ſimul militem ſecum rapiebat, pugna reſtituta; primum illi qui circa tormenta erant cæſi; à quibus cum ij, qui longius procurrerant interclusi fuiſſent, in alios deinde transverſi noſtri incurrere, quare in aliquot acies adverſarij diſtracti, interque ſe diviſi, undique circumventi, cum quà cuique fuga patebat, per vicinos vicos diverſi dilapſi fuiſſent, qui ſuperant, vel cæſi vel capti fuerunt. Tormenta capta fuerant, majora octo, barbatorum quæ vocant, currus duo: ſigna militaria duo: pulveris præterea aliarumque rerum ad oppugnationem neceſſariarum, quas in eum uſum ſecum adduxerant, aliquot curri.

Cum autem ex tormentis iis plæraque Gorkani Palatini Poſnanienſis, ejusque cum inſignibus eſſent, homo adverſæ fortunæ inſolens, impatientiſſimusque in furorem fere præ ira actus fuit. Cæſorum numerus mille quingenti ſexaginta quatuor relatus eſt, inter quos nobilis Baro Auſtriacus Teifelius, alijque nonnulli primarij, magnum Maximiliano dolorem attulere. Capti non pauci fuerunt, in iisque etiam nobiliores aliquot. Non defuiſſe occaſio plærisque videbatur, cum equitatu etiam decernendi. Dum magna pars, dum peditatus per ſuburbium irrumpere conatur, ſub ipſas munitiones ſatis propè acceſſerat. Sed neque Penkoslavius, neque Farensbecius, qui rebus ex ea parte præerant & ſi occaſionem eam viderent, dum Zamoſcius in prælio abeſſet, inconſulto eo, aggrediendos putabant cum præſertim quomodo res in altera parte gereretur ignorabant. Irruptione ea feliciter rejecta, Zamoſcius adverſariis omnibus, intra mœnia compulſis, ſuburbia, cum ipſorum, tum quæ reliqua erant, incendi mox jubet, partim ne iterum irruptionem tentandi ſpem adverſariis præberent, partim quod ipſos Urbanos non alienos à conſiliis cum adverſariis fuiſſe ſuſpicatus.

Cum nuntio victoriæ hujus Oborſcius ad Regem mittitur. Per illum eo loco jam rem eſſe Zamoſcius Regi ſignificat, ut ſummæ rei confectio, atque laus ipſum Regem maneat; ad quam ut ſine mora accurreret, qua non modo Regem, ſed victorem etiam, ac liberatorem patriæ, omnes ſalutarent, eum hortatur. Regem Korcziniam, quo paulo poſt oppugnationem eam Cracovienſem venerat, offendit. Maximilianus ab oppugnatione rejectus, impedimentis omnibus mox præmiſſis, cumque univerſo exercitu ipſe ſubſecutus, in Severienſem Ducatum, Cracovienſis Epiſcopi ditionis, caſtra transfert, in quo aliquot diebus ſubſtitit. Rex cum ad Korcinum, quemadmodum ſupra mentio facta, Viſtulam trajiceret, in ipſo trajectu iterum à patre literæ illi redduntur, quibus ut ſine ulla mora, in Sueciam ad ſe rediret, non jam hortatur, ſed ſub obedientia ſeu fide à filio debita, ſeveriſſime illi mandat. Quod non modo impetus Maximiliani feliciter à Cracovia oppugnanda rejectus jam eſſet, verum ipſe etiam ab ea receſſiſſet, Regem autem ſine ulla juſta cauſa, honeſtum receptum nullum habere poſſe Sueci viderent, ut Cracoviam nihilominus progrederetur, ibique cauſam aliquam Regno ſe abdicandi, diſcedendique quæreret, autores illi erant. Ita die nona Decemb. Cracoviam venit. Per Kaſimiriam

miriam, quæ Korcino eunti, prima objiciebatur, ingreſſus ad Klepardiam, inde, quemadmodum inſtructum fuerat, deflectit: perque portam D. Floriani urbem ingreditur, ſalutatus nomine Senatus Ordinumq; fuit à Laurentio Goslicio, Epiſcopo tum Kamenecenſe; qui per omne id obſidionis tempus ipſe etiam Cracoviæ fuerat, cui cum quamvis brevi, Polonica tamen oratione reſpondiſſet: tanto hominum ſuæ lingvæ Regem ſibi gratulantium gaudio excepta fuit, ut laborum periculorumque, pro dignitate ejus ſusceptorum, neminem jam pœniteret.

Præter aras triumphales, aliaque, quibus ingreſſus Regum celebrantur, ad Divi Floriani machinæ bellicæ, de adverſariis captæ, trophęumq; item ex armis itidem vexillisq; duobus captivis excitatum objectumq; ei fuit, verum ſolennibus, quæ ingreſſum Regum excipiendisq; iis ſervari ſolent, peractis, ad publicas inde deliberationes, maxime autem de inauguratione parandoque Regno, acceſſum. Ante inaugurationem, ut in conditiones, de quibus convenerat, omnes prius Rex juraret, poſtulatum: neque alias conditiones magnopere Rex morabatur, de ſola Eſtonia agebatur: de qua eo liberius recuſabat, quo majore in periculo conſtitutum Regnum eſſe videbat, ſi ipſe id deſeruiſſet; & ut voluntati mandatisq; paternis ſatisfaceret, vel ultro cauſam captabant, per quam honeſte relinquere Regnum poſſet. Contentionem eam cum Rege, inter ipſos Principes Senatus, collegiiq; legatorum, diſſenſiones, ut magis accendebant, ita in eo, quod communi ſtudio omnes petere debebant, mutuo potius ſeſe impediebant. Maxima duorum fere apud omnes autoritas erat Zamoſcii & Opalenii: qui cum ad hoc tempus conjunctiſſimi in republica fuiſſent, & delata nonnulla ad Zamoſcium fuerant, & ab ipſo mox adventu Regio quædam interceſſerant, ex quibus avertiſſe ſe ab amicitia Zamoſcii Opalenium apparebat. Quemadmodum ſupra commemoratum eſt, Joannes Zborovius, Caſtellanus Gneſnenſis, ſororis ejus filiam in matrimonio habebat. Contra Zborovios nihilominus, cum Stephani Regis gratia & autoritas, tum ſimultas ejus cum Gorkano, Palatino Poſnanienſe, qui in majore Polonia, ejus quaſi æmulus, imprimis gravis ei erat, in amicitia Zamoſcii eum retinuerat. Zamoſcii tamen ſeu potentia, ſeu autoritas, cui tacite invidebat, eum pungebat. Suffragiis igitur comitiorum, in duos Reges diſtractis, apud quorum alterum Zamoſcii, alterum Gorkani & Zboroviorum, ex ſtudiis ſuffragiorum, primæ partes futuræ exiſtimabantur, cum Zborovio, Caſtellano Gneſnenſe, affine, mox poſt electionem, ſecretos congreſſus colloquiaq; habuiſſe, ad Zamoſcium deferebatur. Conſtituiſſe cum eo, ſi Maximilianus futurus ſuperior eſſet, ut eo ipſi reconciliato, Gorkanum, cujus intolerabilis quaſi potentia eſſet, conjunctum premerent: idem ipſum apud Sigismundum, ſi penes illum Regnum maneret, facturum: ut & Zboroviis eum reconciliaret, & Zamoſcium, quantum in ſe eſſet, altius emergere non pateretur. Itaq; Mariæburgi jam, quo ab initio ad Regem excurrerat, fundamenta ejus rei jeciſſe exiſtimabatur: partim non tam ipſius Regis cauſa Zamoſcium illi ſtuduiſſe, quam vel metu Zboroviorum, neceſſitateque ad eum adductum, partim vel nunc etiam Battoreo potius alicui, quam ipſi, Cracoviam tanto periculo defendere, Regis rerum hominumque adhuc ignari animo inſtillando: partim opes potentiamque Zamoſcii in invidiam ſuſpicionemque vocando: cum imbecillo contempto Principe nihil miſerius eſſe in ore ut plurimum habere: tum Ludovici Jagiellonis, Ungariæ Regis, exemplum, qui, ob nimias ſuorum opes, ipſe humilis, contemptusque, miſerrime vixiſſet, multo miſerius interiiſſet. Eadem multo magis, cum Petrikovia Cracoviam Regem deduceret, per omne id iter, cum ſolus quaſi Regem poſſideret, ſtruere. Jam vero cum pro jure Marſchalcatus aulæ, familiæque Regię conſtituendæ, autoritas penes ipſum maxime eſſet, omnibus, qui vel à Zamoſcio vel aliis ad privata cubiculi aut domeſtica miniſteria Regia commendarentur, excluſis, ut ſuos tantum circa Regem haberet, operam dare. Primo in cubiculo, & ſecretis conſiliis loco, Martinus Leſnovolſcius, Caſtellanus Podlaſſienſis, apud Regem erat; ob ingenii morumq; elegantiam, prudentięq; opinionem, magnę quidem apud omnes exiſtimationis: Regi autem jam à duabus Sveticis legationibus præ cæteris omnibus familiaris, & gratus, utque tum exiſtimabatur, vix non totus ab eo pendebat; cum ex ejus conſilio præſcriptoq; omnia vel minima à Rege dici fierique tum vulgo arbitrabatur: quem quamvis Opalenius ad partes ipſum etiam adjunxiſſe videretur, nimiamque Principum potentiam, quæ Regibus gravis eſſet, ne ipſe quidem probaret, Zamoſcii nihilominus amicitiam reſpiciens, partim medium inter eos ſe gerere videri volebat, non raro vero etiam, quæ ſecreto ab Opalenio in Zamoſcium apud Regem vel dicebantur, vel fiebant, per eum Zamoſcius cognoſcebat. Cracoviam poſtquam ventum eſſet, Zamoſciusque ab initio mox benevolentiam propenſionemq; Regiam non ſatis meritis ſuis reſpondere exiſtimaret: loca omnia ad interiorem familiaritatem Regiam vel ab aliis occupata, vel ſuis præcluſa: de animo autem in ſe Opalenii ante etiam ſecreto à quibusdam admonitus, eum quoque non eundem, quem ante perſpiceret; ut periculorum pro dignitate Regia ſusceptorum meritorumque in rempublicam ſuorum ſibi conſcius, non parum iis rebus angi: maxime tamen una res vix non ad apertam contentionem eos provexit. Petebat Opalenius pro Miskovio, cui filiam ſub id tempus deſponderat, præfecturam Chencinenſem, morte Dembinii, tum vacantem. Petebat ejusdem præfecturæ partem quandam Radoſiciã Zamoſcius pro Stanislao Przyemſcio, qui per omne id tempus interregni operã in partibus Regiis navaverat, magna

utrinq; contentione agebatur: pro homine tamen militari, Radoſicia à Zamoſcio obtenta, infenſiorem quodammodo Opalenium ei faciebat. Inter haſce igitur diſſenſiones, cum ab initio quidem univerſi conjunctim, conditionem de Eſtonia urſiſſent, poſtquam in negandaea conſtantiſſime Rex perſeverabat, Opalenius, quique cum eo ſentiebant, eo, quo jam ante à legatis in portu Gedanenſe conſtituta fuerat, modo re transacta, ad inaugurationem quamprimum accederetur, cenſebant. Cum Karnkovius autem, Archiepiſcopus ipſe, cæteriq; Epiſcopi, tum majoris Poloniæ Senatores, legatiq; plerique, autoritatem ejus ſequebantur. Pericula præſentiſſima reipublicæ commemorare: cum à noſtris, quorum imprimis Lithuani, nondum adjuncti eſſent, præterea vero per omnes Regni partes, qui ab electione Regia diſſentirent, non pauci reliqui adhuc eſſent: tum à Maximiliano, qui Regni æmulus, ne nunc quidem adhuc, quamvis armis à Cracovia rejectus, Sigismundum Cracoviæ eſſe ſciret, ex Regno tamen exceſſiſſet, non proculque à Cracovia caſtra adhuc haberet: periculis hiſce, nulla alia ratione, quam matura Regis inauguratione, occurri poſſe, Archiepiſcopus, maxime exemplo Stephani Regis, docere conabatur. Qui cum ipſe ultro ad inaugurationem accedere decertaſſet, quoad contra pericula ea, quæ tum imminere videbantur, juſta præſidia conſtituta fuiſſent, quamprimum ſe autore à Senatu perſvaſu Regni inſignia accepiſſet, motus omnes partim ſua ſponte conquieviſſe, partim facili negotio ſedatos fuiſſe. Zamoſcius econtra omnium, quæ conſilio juſſuve paterno circa Regem agerentur, cogitarenturque, ignarus inſtantiſſime conditionem urgebat: partim reipublicæ cauſa, quæ conditionem eam vel maxime in eligendo Sigismundo ſpectaſſet, partim ipſius Regis, ne conditione ea ab illo non confirmata, qui turbare imperium ejus vellet, paratam ſemper materiam habiturus, minus paratum poſtea regnum haberet. Cumq; Rex potius, quam conditionem eam confirmaret, æquo animo Regnum ſe relicturum non obſcure ſignificaret, ad ipſum Regem oratione converſa, quam in ipſum, quamquam illuſtria Ordinum Regni ſtudia fuiſſent, demonſtrat, ut qui non ſolum tot aliis ſummis Principibus eum præferre, ſed pro dignitate ejus vel vitæ fortunarumq; omnium periculum adire, conſtantiſſimeq; ad hoc tempus propugnare, pro ea non dubitarint. Quantum ad laudem atque gloriam viam Regnum hoc illi ſterneret, quantam virtutis exercendæ materiam præberet, pluribus præterea oſtendere. Ob ſtudia adverſę partis, diſſidia domeſtica, potentisque æmuli arma, nonnullo ſane in periculo Regnum eſſe, in majore etiam futurum, ſi ab ipſo relinquatur, non poſſe equidem ſe vel velle negare. Non tamen ideo exiſtimare eum debere, ab ipſo Regnum relictum, à Deo etiam deſertum iri, relictum etiam fuiſſe ab Henrico, & non minus dubiis ac difficilioribus fortaſſis reipublicæ temporibus, quam quæ nunc eſſent; non ſolum tamen ſuſtentatum divinitus, ſed multis magnis rebus etiam illuſtratum. Regem in locum Henrici à Deo ei datum, plurimis maximisq; virtutibus Regiis, tum autoritate etiam apud omnes inſignem: Regnum non longo tempore univerſum mox pacaſſe: victorias clariſſimas complures retuliſſe: provincias aliquot adjunxiſſe: atque ad ſummam nominis claritatem ſplendoremque apud omnes perveniſſe. Eandem nunc & in DEO ſpem habere; & ſi ab omnibus deſeratur, à DEO tamen, in cujus ſemper patrocinio eam eſſe, aliquoties pręter omnem expectationem divinitus quaſi conſervata oſtenderet, rempublicam hanc non deſerturum. Henricum interim & domi inglorium fere ab eo tempore vixiſſe, & triſtiſſimo poſtea exemplo interiiſſe. Cujus exitum cum ipſum, tum omnes Principes merito admoneret, ne ſtationem, in quam divinitus vocati collocatiq; eſſent, vel temere vel juſſu divino deſererent. Non ſolum autem de Eſtonia conditionem confirmari à Rege volebat; verum ſubſidia etiam certa decerni, quibus & externa vis propulſari, & domeſtica pacari poſſet. Quæ & ſi Rege diſceſſum maxime tum meditante, ob idque minime moleſte ferente, ab eo tum fiebant, dicebanturque, cum in Regis tamen animo, tum aliorum quorundam, non parum ſuſpicionem eam, jam ante Regis animo, inculcatam confirmarunt, quaſi Rege ejecto, è ſuis alicui, maxime autem Battoreo, viam ad Regnum ſterneret. Tandem firmiſſime in ſententia Rege perſiſtente, utriusque partis, præſente reipublicæ periculo adductæ voluntate, conditio ea, qua jam ante in portu Gedanenſe, ratione ſuſpenditur. Itaq; Rege etiam Svecisq; ab inauguratione receptum jam non habentibus, die XXVIII. menſis Decembris, ſub ipſum nimirum anni octuageſimi ſeptimi exitum, à Stanislao Karnkovio, Archiepiſcopo, ſenatorii equeſtrisque ordinis omnibus, qui aderant, præſentibus, ſolennibus cęrimoniis Regno inauguratur. Fama ejus rei per univerſum mox Regnum, atq; ad adverſarios etiam perlata, ut Sigismundanas partes vel maxime confirmavit, ita adverſæ partis animos mox dejecit. Ab ipſo Maximiliano cum alii nonnulli mox diſceſſere, tum imprimis Joannes Zborovius, Caſtellanus Gneſnenſis, qui militiæ apud eum pro Duce præerat, & Nicolaus Jasloviecius, Præfectus Sniatinenſis, quorum ille in Pruſſiam ad Grudentinenſem, præfecturam ſuam, hic in Ruſſiam ſe contulit: eo quidem conſilio, ut, ſi poſſent, ſtudiis hominum captandis, nihilominus partes juvarent: ſi ſuperiores tamen partes Sigismundanæ manerent, cum contra coronatum Regem arma non tuliſſent, extra periculum perduellionis eſſent.

Maximilianus cum in Severienſe Ducatu, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, aliquandiu ſubſtitiſſet, ne, ſi extra fines Regni exercitum

citum duxiſſet, jus ſpemque omnem Regni reliquiſſe, ſimul exiſtimaretur, cum in Poloniæ tamen finibus hyberna habere conſtituiſſet, Krzepiciam exercitum ducit: foſſisq; & opere oppido communito, eo loco auxilia expectare, conſtituit.

Verum ob peſtem, quæ oſtendere ſe ibi cœperat, conſilium mutare coactus: Wieluniam partim pro Præfecto, cum Præfectus ipſe Alexander Koniecpolſcius, cum turma equitum Cracoviæ tum eſſet, vicinaq; aliqua nobilitate in partes traducta, partim civibus incendendi ſuburbii minis adactis occupat.

Vicina nobilitas Wielunenſis, Syradienſis, reliquos continuis detrimentis, quæ indies à milite accipiebat, adacta, cum ipſa frequens Cracoviam confluebat, utq; quamprimum in libertatem vindicarentur, obſecrabant: tum alii quoque legati nobilitatis, maxime autem, qui ejus tractus aut vicini erant, rerum ſuarum ſoliciti, inſtantiſſime, ut contra adverſarios duceret Zamoſcius, urgebant. Ad eos Opalenii præſertim artibus accedebant, ii, qui ne potentiæ ipſorum obſtaret, ipſo Zamoſcio liberari quamprimum cupiebant.

Jam ante triduo adeo, poſt adventum Regium, Balthaſar Battoreus, cum Tranſilvanicis auxiliis, à Sigismundo Principe Tranſilvaniæ venerat. Creberrimis literis Zamoſcius ea efflagitarat: cum quantum ei ad fratrum ipſius fortunas, in Polonia conſtituendas, tum privatas publicasque Tranſilvaniæ rationes pertineret, ut, quam conjunctiſſimum Regem Regnumque Poloniæ haberet, ei oſtendiſſet. Venere ſtipendiis Tranſilvanicis Cracoviam, deinceps Polonicis, ipſo Balthaſare Battoreo Præfecto, legatis, ut Joanne Bornemiſſa, equites octingenti, & Alberto Kiralio, pedites mille ducenti. Præter eos partim ex iis, qui ab initio Cracoviæ cum eo fuerant, partim, qui ab Archiepiſcopo, Marſchalco, Theſaurario, adducti fuerant, equitum & peditum aliquot millia habebat. Zamoſcius duabus de cauſis ex inſtituto profectionem differebat: Una, quod, cum ob continuas pluvias ineptiſſimum iter tum eſſet, ita, ut nulla ratione pede, jumentaque maxime, cum impedimentis eluctari potuiſſent, ſub acceſſum plenilunii, tempeſtatis mutationem, ex eaq; commodiorem viam expectaret: altera, ut cunctatione ſua ſecuriores adverſarios factos, opportuniores eos ſibi haberet. Itaq; nuntios de adventu ſuo ex inſtituto quaſi quotidie ſpargebat, & vix non in dies ſingulos, aliis paratis ad iter eſſe juſſit, ipſe etiam quaſi jam profecturus ſe parabat. Quæ cum ad adverſarios toties fruſtra deferrentur, ſine ulla quaſi cura jam agebant. Jam vero ſub id ipſum tempus in Scepuſio etiam arx Luboulienſis munita, caputq; tractus ejus, quæ à Caſpare Maciejovio, Præfecto ſtabuli Regii, tenebatur, Præfecto ipſo Cracoviæ apud Regem abſente, præſidianorum, qui Ungari magnam partem erant, oppidanorumq; Germanorum, ut ferebatur, præſidia in poteſtatem Maximiliani pervenerat. Quæ res cum ipſa etiam non parum homines accenderet, Zamoſcium ſua ſponte, nihil magis, quam ut quamprimum prælio decerneretur, cupientem tanto magis etiam urgere, in eo ſtatu res eſſe videbat, ut niſi cæſis profligatisq; adverſariis ſalva Respublica nullo modo eſſe poſſet. Etenim cum & Lithuani, quamvis ſub id tempus legati eorum Cracoviæ jam erant, nondum tamen cum Rege compoſuiſſent: & per omnes partes Regni non pauci adhuc eſſent, qui vel Maximilianum adhuc ſpectarent, vel novarum rerum expectatione ſuſpenſi eſſent, non ſolum, quoad arma aliqua Maximiliani in Regno eſſent; non poſſe pacatum Regnum eſſe, facile intelligebat; verum deploratam plane rem futuram. Nam neq; militis ſine ſtipendio habendi, neq; in tanta diſtractione ſtipendii in eum expediendi facilis ratio eſſe poterat; quod cum Maximiliano vel domo vel à Cæſare facilius ſuppeteret, trahendo tantum ducendoq; bello, vires partium exhauſturus conſumpturusq; omnino videbatur.

Itaque cum una cum plenilunio, quemadmodum expectarat, frigora ſimul incidiſſent, cœnoq; iis congelato, commode iri poſſet, ſine mora mox proficiſcitur. Ne adventus ejus præſentiretur, quam maximis poteſt, diariis iter incitat. Etſi autem in tanta exploratorum multitudine ad adverſarios etiam nuntium ejus allatum fuerat, ob crebras tamen ſuperioris temporis fruſtrationes creditus non fuit.

Præfectum Vielunenſem, Alexandrum Koniecpolſcium, qui, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, in exercitu erat, ſolum adventare, pleriq; exiſtimabant. Quod non procul à Wieluno, ad Latalſciorum poſſeſſionem quandam, exercitus veniſſet. Eo Samuel Stadnicius, cum numero aliquo equitum, explorandi cauſa, Przedborenſis excurſionis ſucceſſum ſibi pollicens, excurrit. Albertus Kiralius, quem in excubiis Zamoſcius ibi collocarat, id, quod accidit, futurum ratus, circa ignes, quos excitarant, negligentius aliquot agere juſſis, ipſe ab utraque parte viæ, in ſylva, quæ ibi eſt, cum aliquo numero equitum & peditum ſe abſcondit. Stadniciani ignes ſecuti, in eos, qui circa illos excubabant, impetum faciunt; cum ſubito duabus ex partibus Ungari ex inſidiis coorti, ne opinantes quidem adoriuntur. Nonnulli cæſi, reliqui fuga elapſi. Zamoſcium ipſum cum univerſo exercitu adeſſe nuntiant.

Non ita à copiis paratum ſe Maximilianus exiſtimabat, ut cum univerſo exercitu

noſtro confligere poſſet, indies autem cum Moravica, duorum millium circiter, partim equitum, partim peditum, tum Ungarica, mille itidem quingentorum circiter peditum, cum Valentiano Propoſtuarii auxilia expectabat.

Cum Zamoſcium ſi Bycinum in fines Sileſicos ſe conferret, ibique auxilia expectaret, propter pacta, quæ inter ditiones Auſtriacas & Regnum eſſent, fines transgredi non auſurum, Maximiliano perſvaſiſſent. Wieluno relicto, prima vigilia itinere, fugæ vix non ſimili, raptim Bycinam proficiſcuntur.

Verum Zamoſcius futurum id jam ante providens, ut in eum eventum publica comitiorum autoritate ei caveretur, ut pro arbitratu, quemadmodum maxime è Republica viſum ei fuiſſet, rem gereret, finesq; etiam transire poſſet, priusquam Cracovia proficiſceretur, proſpexerat, ut quos jam ante Maximilianus nequaquam admonitus transiiſſet, non leviaq; in Regno detrimenta dediſſet.

Maximilianum igitur mox cum exercitu inſecutus, die Sabbati, qui viceſimus tertius erat menſis Januarii, Dziekanovii, uno ultra Vielunum milliari, pernoctat, præmittit inde mox Koniecpolſcium, Præfectum Wielunenſem, Jacobum Potocium, Joannem Zamoſcium, agnatum ſuum, Gabrielem Holubkonem, cum ſuis ſingulos turmis: non multo poſt nocte ipſe etiam, quatuor circiter ante lucem horis, cum reliquo exercitu movet. Ratione itineris, locisque omnibus ante exploratis, cum adverſarios ſine dubio à via Regia ſeſe objecturos ſciret, de via militari ex inſtituto ad dextram, ſi à latere forte in eos invehendi facultas ſibi dari poſſit, deflectit. Itaque die ſequente, Dominico nimirum, una atque altera hora ante meridiem, mutuo in conſpectum exercitus ſe dant. Etenim commodum eodem die mane Moravica etiam Ungaricaque auxilia, quæ expectata ab eo ſupra oſtenſum, ad Maximilianum convenerant. Itaq; cum ſatis jam viribus fiderent, copiis omnibus ex oppido eductis, omnibusq; rebus ad prælium paratis, aciem inſtruunt. Toti rei Andreas Zborovius, curiæ Marſchalcus, præerat. Frontem, quod futurum Zamoſcius præviderat, verſus publicam viam explicant, ſecundum ſimul ventum ea re captantes. Quam cum maxime ſubſidiis firmaſſent, ex eadem parte Præpoſtuarii etiam cum Ungaris commodo ſe loco tenebat. A qua parte noſtris iter erat. Qua ne impediri transitu poſſet, qui munitionibus aggerem mox occuparent, præmittit, tormenta ſimul aliqua ſummittit, peditatu aliquo in molendino præſidii cauſa collocato. Inde mutata veſte, cum ſub ordines adverſariorum adequitaſſet, ab ea parte latera nonnihil nudata, nec ſatis bene ſubſidiis firmatam aciem perſpicit. Tum ſi recta ad eos tenderetur, per montem eundemque ſulcis inæqualem, rem ad dirigendas haſtas incommodiſſimam, eundum; decliviorem partem montis verſus exercitum Polonicum, vallem modicam habere, per quam non incommode mons circumiri poſſet. Conſilio habito, cum Farensbecius & Pekoslavius, quod in veſperam quaſi inclinare jam dies videretur, in craſtinum potius differendum prælium cenſuiſſent, Zamoſcius, horologio ſibi demonſtrari juſſo, quinq; horas ad noctem adhuc ſupereſſe dicere. Milites noſtros, quod hoſtes ultro fugiſſent, pro victis eos habere: auxilia illis veniſſe ignorare: per noctem celari non poſſe: nihil magis expedire, quam ut iis animis, quibus nunc eſſet, miles pugnaret. Præterea, ſi agger jam transiretur, neceſſario pugnandum: ſi in craſtinum differretur, illos aciem mutare poſſe, jamq; compertum de victoria quam transitu prælium futurum, utendum impetu atque animis militum, ipſiusque adeo victoriæ curſum continuandum. Itaq; diem Dominicum ante etiam maxime fauſtum ſibi expertus, jaciendamq; aleam ratus, ita aciem inſtruit: In dextro cornu Gabrielem Holubkonem, Joannem Zamoſcium, de quo ſupra mentio facta, cum Koſacis, ſeu levis armaturæ equitibus, ſecundum hosce Theſaurarianos equites, Germanos Pyxidarios, quibus Henricus Ramelius tum præerat. Farensbecium, qui voluntarius cum ſuo tantum comitatu aderat, Andream Zebrzidovium, Pocillatorem Regni, Nicolaum Sobocium, Jaskolecium Chanſcium, qui Archiepiſcopi equites ducebat, tum Przinkam cum ſuis quemque turmis, Albertumq; Vibranovium cum peditatu collocat.

In ſiniſtro cornu primus Carncovius cum delectis aliquot equitum erat, inde Jacobus Potocius, Balthaſar Battoreus, Stanislaus Zolkievius filius, Stanislaus Przyemſcius, Petrus Laſcius filius, Bornomiſſa, Albertus Kiralius, Alexander Koniecpolſcius, Præfectus Vielunenſis, Stephanus Caſimirſcius, qui Sebaſtiani Lubomierſcii turmam ducebat, Stanislavius culinæ Regiæ Præfectus, Joachimus Oſiecius Holſtinenſis, Caſpar Maciejovius Scepuſienſis, Præfecti. Stanislaus Penkoslavius Sendomirienſis, Petrus Miskovvius Oſuiecimenſis, Præfecti, cum ſuis itidem quisq; turmis erat. Penes ſe, quod robur exercitus erat, ſuam alam, cui Nicolaus Vroviecius præerat, Stephanum Grudzenſcium Naklenſem, Stanislaum Bikovium Konarienſem, Caſtellanos, Ligezam Præfectum Opoczinenſem, cum ſuis quisq; turmis. Peditum præterea ſigna quinq; cum ſuis ductoribus habebat. Extrema Abrahamovicius cum Tartaris aliquot claudebat.

In ſiniſtro adverſariorum cornu, quod contra dextrum noſtrum erat, aulici delecti

equites, ut inter quos plerique vel Barones vel primarii ex nobilitate eſſent, ſexcentorum circiter equitum agmen erat; aliud ſecundum hos itidem equitum Germanorum Pixidiariorum. In media acie, cui Penkoslavii aliorumque, qui circa illum erant, acies reſpondebant, equitatus Ungaricus ac Polonicus, tum Moravicus, & equitatus & peditatus, dextrum cornu ipſorum, contra alam ſiniſtri noſtri, in qua Battoreani & Bornomiſſani Ungari erant, Valentinus Propoſtuari cum ſuis Ungaris claudebat. In medio fere montis verſus, aulicum quem diximus comitatum Germanicum, collis nonnihil elevatior erat, in quo, quod in omnes fere partes proſpectus tum eſſet, Maximilianus cum Gorkano Palatino Poſnanienſe, Andrea Zborovio, Marſchalco, Alexandro Prunſcio, Stanislao Czarnkovio, aliisq; primariis nonnullis, conſtiterat, circa eos tormenta etiam pleraq; diſpoſita erant. Zamoſcius, præſidio aliquo caſtris relicto, iisque Stanislao Laſcio prius præpoſito, à dextro cornu Gabrielem Holubkonem & Joannem Zamoſcium primum in hoſtes, non tam invehi, quam quaſi ab oppido eos excluſuros circumire jubet, eos alii à dextro cornu inſecuti. Qui in ſiniſtro cornu erant, per ſúlcos, de quibus oſtenſum, ſed ob inæqualitatem agri arati, quam lentiſſimo gradu ad hoſtem accedere jubet. Ipſe cum ſua turma, & reliquis copiis, quas circa ſe habebat, per vallem, de qua ſupra oſtenſum, montem circumire inſtituit: partim ut monte evitato faciliorem ad hoſtem acceſſum haberet, partim ventum, qui adverſariis ſecundus, noſtris adverſus erat, vel inclinatione ex latere ſaltem captaret. Vulgo tum exiſtimabatur, cum per aggerem, de quo oſtenſum, transeundum noſtris eſſet, ab adverſariis, ſi non transitu prohiberi, non parum tamen illis impedimenti adferri potuiſſe: ſed viribus ſuis fretos, ſeu quod ſuis locis, commovere ſe nollent, quamvis animadverſa ab illis occaſio fuiſſet, eam prætermiſiſſe. Holubkani & Zamoſciani, cum in aulicum, quem diximus, equitatum incidiſſent, mox disjecti fuere: Holubek ipſe, cum aliquot turmalibus globis trajectus concidit, cum aliquot turmæ, ut Theſaurarii, Sobocii, Germanorum Pyxidiariorum, ſubſidio miſſæ illis fuiſſent, mox ceſſere. Itaq; Zamoſcius ſuam turmam, aliasque, quæ circa ſe erant, promovet. Interim vero à ſiniſtro etiam cornu noſtro prælium cœptum. Qui ab adverſariis delecti equitum, Duce maxime Stanislao, Stadnicio, in Karnkovianos invecti erant, fortiter pugnantes repulſi, tamen ex prælio mox diſceſſere. In noſtro Polonico & Ungarico equitatu, cui Balthaſar Battoreus & Stanislaus Zolkievius præerant, impulſi delectu tyrones plerique; illos reliquus Polonicus equitatus, tum Ungaricus adverſariorum, Moraviticusq; & equitatus & peditatus ſubſecutus; Præpoſtuari, qui contra Tranſilvanos incommodiore aliquantum loco conſtitiſſe ſe exiſtimabat, cum ut retro paululum, loci capiendi cauſa ſe reciperent, ſuos inclamaſſet, illi in fugam mox reverſi.

Ita dextra acie adverſariorum profligata, quemadmodum Zamoſcius à dextra, ita Zolkieviani, Penkoslaviani, aliique, qui in illo cornu fuerant, à leva Germanicum equitatum adoriuntur, qua re conſpecta, Engelhardus Curtius, peditatus Germanici Præfectus, cum Holubkone cæſo, aciebusq; aliquot dextri cornu noſtri profligatis, victoriam jam Maximiliano gratulatus fuiſſet, tanquam re deplorata, ut fuga ſe ex prælio eriperet, eum hortatur. Diu cunctantem, tandem Eraſmo Lichtenſteinio, manu freno equi injecta, è prælio educitur. Ita cum aliis, qui circa illum erant, in oppidum ſe recipit.

Zolkievius interim, qui, quemadmodum oſtenſum eſt, ad equitatum Germanicum, ipſe etiam cum Penkoslavio aliisque pervenerat, globo bombardæ venenato per femur graviſſime vulneratur. Ex quo vulnere, cum deſperatum quaſi de vita ipſius fuiſſet, tandem vix convaluit. Cum diu utrosq; ſuſtinuiſſent, tandem utrinque circumventi, loco equitatus etiam Germanicus cedit. Inde cædes tantum & fuga eſſe. Peditatus adverſariorum omnis cæſus, equitatus, maxime Germanicus, vix non integer evaſit. Cum numerus cæſorum ex parte adverſariorum initus eſſet, in Polonicum Ungaricumque morem raſorum mille octingenti, in Germanicum morem tonſorum bis mille ducenti reperti: Nulli in quenquam ſæviores, quam Tranſilvani in populares ſuos Ungaros, quibus caſu oppoſiti fuerant, dictis quibusdam eorum irritati eſſe. Prælio ita, quemadmodum oſtenſum eſt confecto, cũ Zamoſcius maxime hoſtes ipſe perſequeretur, in Maximilianum unum intentus, in quoscunq; inciderat, de illo quærebat, poſtquam in oppido eſſe, eum cognoviſſet, omnibus aliis rebus poſthabitis, oppidum cingi jubet, utq; exitus omnes intercluderentur, operam dabat. Maxime vero miles & victoria ſera & ſpe tantæ prædæ accenſus, interq; eos pedes ultro mox muros ac portas ſubire. Quas cum ſecuribus excindere jam inciperet, ſigno ex oppido colloquiis dato, à noſtrisque reddito, prodierunt inde, Alexander Pronſcius, Præfectus Lucenſis, Stanislaus Ciolek, Poloni, Joannes Logius, Germanus. Expoſtularunt nomine Archiducis, quod in ditionem alienam & pacatum eum perſecutus oppugnaret. Reſponſum, quo loco eſſent, vel ipſos ignorare, vel de alieniſſimis à tempore hoc rebus fruſtra agere. Quamvis jam ante Cracoviæ etiam ſatis, ultro citroq; diſputatum hac de re eſſet: alia potius, quæ magis præſentis temporis eſſent, proponerent.

Haud multo poſt reverſi oſtendunt, ſi quod in Poloniam tranſiiſſet, eam oppugnaret, primo non tanquam hoſtem veniſſe, ſed tanquam Regem, & electum quidem Regem, vocatumque ab iis, qui partim circa ſe eſſent, partim abſentibus, qui jure id ſe facere exiſtimaſſent: ſi de eo nunc ageretur Regno, tituloq; Regio abdicare ſe paratum. Oſtenſum ad hæc fuit, de eo quidem potiſſimum agi, non ſatis tamen eſſe, ut eo ſe abdicaret, niſi controverſia ea in perpetuum ita ſublata, ne referri unquam poſſet, idonee ſimul caveretur, neque in præſens tantum, ſed firma ſtabilisque pax conſtitueretur, id ita futurum, ſi Archidux ipſe in poteſtate Regis ac Reipublicæ ſit. Actum inde de conditionibus deditionis fuit. Cum in ſumma properatione, nocte jã ingruente, chartę atramentiq; tam ſubito copiam habere Zamoſcius non poſſet, in pugillaribus ſua manu eas perſcriptas, hisce, quæ ſequuntur, verbis ad Maximilianum miſit: Imprimis rogo, caſum hunc humano ac forti animo ferat. Judicia divina cum inſcrutabilia ſint, alio loco atque imperio compenſare id Deus poteſt. Homini eo loco nato fortunam adverſam conſtanter ferre convenit. Non animi aliqua elatione, ſed tranquillandæ patriæ meæ, ſtudio adducto, requirendum mihi à Serenitate veſtra eſt, ut conferre ſe ad me velit, in cuſtodiam hujusmodi, quę dignitati Archiducali & tam claræ domus homini convenit. Subſannatio nulla erit, neq; cõtumelia aliqua, inſiſtenda ea Regi. Erit in arce aliqua privatim, tali loco atq; honore, qui tanto Principi convenit, ad concluſionem usq; & expletionem conditionum, quibus Rex Regnumq; tranquilletur, cum Cæſare ditionibusque ejus, quemadmodum & cum ipſa Serenitate veſtra, familiaque ejus, maxime autem ad integritatem Regni hujus, & tam inſignium damnorum, atq; ſumptuum, tam publicorum, quam privatorum, compenſationem pertinerent. Qui externi circa eum ſunt, ſalutis periculum nullum adibunt: tenuioribus etiam ex iis, armis traditis, ſine ullo pretio diſcedendi facultas erit: inſigniores pretio, de quo convenerit, ſe rediment. Polonicæ gentis gregarii milites, Regi Sigismundo & Regno juramento præſtito, libere dimittentur. Inſigniores tam diu cum Archiduce erunt, quoad & conſilio Regis & Senatus aliquid de iis ſtatuetur. Vita tamen famaq; integra illis manebit: ita re proviſa, ne poſthac motus aliquos contra Regem, quiq; ejus partes ſecuti ſunt, & Rempublicam excitare poſſint. De bonis ſoli eorum bona fide apud Regem deprecaturum me recipio. In aliis rebus, quę circa eos nunc ſunt, jus militum belliq; infringere non poſſum. De Lubovvla Archidux ſpondeat, literisque miſſis ſtatim mandet, ut reſtituatur, quæ conditiones, cum, quemadmodum oſtenſum eſt, ipſi à Zamoſcii manu in pugillaribus ſcriptæ ſubſcriptæq; miſſæ ad eum fuiſſent, deditionem fecit, equoque extra oppidum ad Zamoſcium eum prẹſtolantem profectus, honorifice ab eo exceptus, inq; ſuum ab eo diverſorium deductus fuit. De nullis magis, quam de Polonis, qui circa illum erant, ſolicitus, quam diligentiſſime ad Zamoſcium pro iis laborare. Quod Stanislaus etiam Ciolek, ad partem Zamoſcio abducto, ſeparatim ab aliis, qui à Maximiliano miſſi cum illo fuerant, locutus cum eo fuiſſet, & tum in non levi ſuſpicione apud Maximilianum hominesque ejus fuit, & poſtea publice quaſi non ſatis bona fide egiſſet, accuſatus ab iis fuit, eoq; magis, quod ex omnibus ſolus, non modo liber dimiſſus, verum à Suchorzovio etiam, Cardinalis Battorei domus Præfecto, quem ſub tempus tumultus ejus Cracovienſis, in vicina poſſeſſione, ſine ulla cura agentem, per vim domi captum abduxerat, multisque inſignibus injuriis & contumeliis affecerat, indemnitas promiſſa ei fuerat. Contra tamen accuſabatur, amicitiæ enim priſtinæ, quæ ei ſecum interceſſerat, datum id à Zamoſcio fuerat. Capti cum Maximiliano fuerunt, Stanislaus Gorkanus, Palatinus Poſnanienſis, Andreas Zborovius, curiæ Marſchalcus, Decanus Spiſnenſis, Stanislaus Carnkovius, Alexander Prunſcius, Erneſtus Fricacius: Germanis nobiliores, Eraſmus Lichtenſteinius, Joannes Fridericus Homanus, Franciſcus Kelenkelerus, Engelchartus Curtius, aliique nonnulli, Jacobus Woroniecius, nominatus Kyovienſis, nominator ipſe Maximiliani. Stanislaus Stadnicius, Petrus Duninus, Spotus, Præfectus Piotrkovienſis, Chriſtophorus Warſavicius, aliiq; nonnulli, recta Wratislaviam, fuga evaſerant. Auri argentique, tum præſtantiſſimorum equorum, omniq; generis ſuppellectilis pretioſę, tormentorum bellicorum, magna præda fuit. Ex ea abacus aliaq; nonnulla, quæ ad neceſſarium ejus uſum pertinerent, præcipua Maximiliano donata. Reliqua cum in unum locum extra oppidum comportata, ex æquo partiri Zamoſcius inſtituiſſet, miles ſorte non expectata irruens, magnam partem diripuit; ut quisque vel prior vel majore manu eam adortus invaſerat, ita plurimum ex ea auferens, oppidum etiam, fruſtra Zamoſcio prohibente, incenſum à milite fuit. Prẹterea vero, exercitu Maximiliani vel deleto, vel profligato, cũ præſidiũ vicinũ nullũ eſſet, Cæſarei fere, iisque, quicquid colonum & lixarum in exercitu erat, ſe adjungens, ad octo fere milliaria progreſſi, incendiis direptionibusque, circumcirca graſſabantur; ut caſu eo plerisq; inexpectato, ſecureq; omnibus agentibus, cum incendiis detrimenta magna data, tum præda omnis generis, maxime autem pecoris, maxima in Poloniam abacta. Pugnatum prælium id fuit die viceſimo quarto menſis Januarii, ineuntis anni octuageſimi octavi. Cracoviæ interim comitia adhuc agebantur. Leges in illis complures neceſſariæ pleræq; & ſalutares latę. Imprimis vero judicium Majeſtatis, quod & à Zboroviis & poſtea ab aliis varie jactatum fuerat, certis legibus circumſcriptum, certaque ejus ratio conſtituta. Similiter conſtitutiones de homicidiis diligentius conſtitutæ. In eum etiam,

etiam, qui nobilem privata autoritate in vinculis habuiſſet, ad hunc diem, nullum certum judicium, nulla pœna fuerat, carcer anni unius loco pœnæ publicæ, privatæ, ut ejus temporis, per quod in vinculis eum habuiſſet, triplex; præterea vero, centum viginti marcarum mulcta refuſioque damnorum injuriam paſſo ſtatuta. Provocationes itidem, ſeu duella, niſi ex permiſſu Regio, ſub gravibus pœnis, prohibita. Bonorum Eccleſiaſticorum, maxime autem monaſteriorum, alienatio circumſcripta, neve ſine autoritate & conſenſu Epiſcopi rata eſſet, cautum. Veteres ſummæ, quæ in infinitimum plerorumque opinione producebantur, quatuor poſſeſſorum uſufructu definitæ; utq; quintus quartam jam inferret, conſtitutum. Succamerariorum electio ad exemplum judicum terreſtrium, ad nobilitatis ſuffragia revocatum. Juramentum vero, à quo immunes hactenus fuerant, eisdem injunctum. Maxime autem in perduelles, ut vocabant, qui Maximiliani partes ſequebantur, conſtitutio decreta conſtitutaque. Tria eorum genera facta, qui adhuc in armis eſſent, etiam ſine judicio ullo, hoſtes publici judicati; cumq; contra eos, decreto publico, Dux Regni ſub id tempus proficiſceretur, qui vel in ea expeditione, vel poſtea ex iis capti interfective eſſent, tanquam in manifeſto crimine perduellionis deprehenſorum caput, bonaque omnia publicata eſſent. Qui quamvis diverſas partes ſecuti antea fuiſſent, ab armis tamen & novarum rerum conſiliis jam abſtinerent, domiq; ſuæ pacate ſe continerent, iis non modo judicium, ſed metus etiam judicii omnis remiſſus. In alios judicium conſtitutum, dies quatuor ſeptimanarum, ab editione libelli, in eo, ad quod quisq; pertineret caſtrum, cura inſtigatoris publicandi prẹfinita. Judices octo ex Senatu, totidem ex equeſtri ordinis delegatis Regi ad judicium id exercendum adjuncti, tempus ejus ad proximorum comitiorum exitum prorogatum. Ex damnatorum bonis refuſio, damna per tumultus ejus tempus, vel ab hoſtibus, vel noſtro milite, autoritate vel juſſu ſalutis, defenſionis publicę cauſa, Ducis militiæ paſſis, decreta. Si quem etiam Rex extra judicium in gratiam reciperet, privatis tamen, ſi quæ, ab illo tumultus ejus tempore, damna accepiſſent, jus vel in comitiis, vel tribunali de iis, contra eum agendi conſervatum. Eidem judicio quartarum non ſolutarum, vel retentarum, ad comitia usq; cognitio permiſſa. Neve minus neceſſarios metus aliquis animos hominum diſtraheret, pœnis expeditionis publicæ, quæ in conventu Vislicienſe decreta fuerat, eadem lege, in univerſum omnes ſoluti fuere. Ut Senatores, Magiſtratus, Præfecti, Poſſeſſoresq; bonorum Regiorum, omnes, qui nondum jurati eſſent, vel coronationi ipſi non interfuiſſent: nam de horum fide dubitari non poterat: intra quatuor ſeptimanas, à publicato edicto, in Polonia quidem, in ſuo quisq; caſtro, in Pruſſia apud ſuum quemque Palatinum, fidei ſacramentum Regi diceret, ſancitum. Epiſcopi Palatiniq; excepti, ad quos Secretarios juramenti exigendi cauſa Rex mitteret. Nuncium prælii Bycinenſis, Maximilianique, decimo fere die, à quo profectus contra eum fuerat, capti, ante finem adhuc comitiorum Cracoviam perlatum, varie animos hominum affecerat. Plerisq; quidem publice gratulantibus, non paucis tamen ex iis ipſis tacite quaſi fortunam famamque hanc Zamoſcio invidentibus. Cum publica tamen lætitia, gratulatioque, tum tanta res geſta, cum invidiam omnem oppreſſiſſet, Opalenio ipſo etiam, quamvis, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, à Zamoſcio fere averſo, non modo tamen tum non repugnante, ſed etiam annitente præfecturæ Zamechenſis, & Krzeſſovienſis, quas ad vitalitio jure Zamoſcius poſſidebat, hęreditario jure, eorundem comitiorum autoritate ei poſteritatiq; ipſius confirmatæ. Similiter Andreæ Cardinali, & Balthaſari, fratri ejus, Battoreis, cum ob Stephani clariſſimi Regis, tum ob auxilium nuper latum, recentium meritorum memoriam, abq; ipſo etiam Balthaſare, fortiter in eo prælio rem geſtam, jus civitatis, ſeu indigenatus, quod vocant, tributum. Quo aliquis quidem in Regno nobilis optimo eſſet: Archiepiſcopatu ſolo tamen excepto, vetebatur. Farensbecio Karkuſium in ſuperioribus comitiis jam publica autoritate à Stephano Rege hæreditario jure donatum, quod in comitiis iis nullæ leges ſcriptæ eſſent, in hisce lege etiam confirmatum. Itidem Procopio Pienonſcio poſſeſſiones aliquæ Livoniæ, præter hæc vero, alia etiam non pauca ſtatuta. Neque dubium eſt, cum unius tantum partis comitia eſſent, altera, quæ Maximilianum ſequebatur, ut abſente, ita nihil etiam turbare tum, vel moliri contra valente, cum alia pleraque è Republica tum maxime, de quibus Zamoſcius referebat, imprimi omnes excluderentur rationes: quemadmodum & conſiliorum, ſeu ſententiarum, in collegio imprimis nobilitatis, certo numero finiendarum, non difficulter conſtitui potuiſſe, niſi Opalenii à Zamoſcio diſſenſio, ut alia nonnulla, ita illa quoq; impediviſſet. Fluctuabant nihilominus, cum Lithuani adhuc, tum non pauci in nonnullis aliis partibus Regni. Sub ipſum coronationis tempus, Leopoli conventus Ruſſiæ erat. Ad eum cum Præfectus etiam Sniatinenſis, Nicolaus Jasloviecius, qui à Maximiliano in Ruſſiam ſe contulerat, cum non parva manu, tormentis etiam aliquot, veniſſet, cum civibus Leopolienſibus, non parvum terrorem incuſſit, tum ex nobilitate non paucos, partim metu, partim gratia, & autoritate, in partes traxit. Verum cum & ſtationibus portas cives firmaſſent, diligenterque excubias agerent: in conventu autem nobilitatis, Joannes Demetrius Solikovius, Archiepiſcopus Leopolienſis, Nicolaus Herburtus, Præfectus loci, aliiq; non pauci, diligenter pro partibus Sigismundanis contendiſſent, & tum infecta re diſceſſit, ut paulo poſt nuntio de capto Maximiliano alla-

allato, ſi quæ reliquę Maximiliani partes erant, animis plane conciderunt. Lithuani cum ſua ſponte, ita ex comitiis electionis diſceſſiſſent, ut neutrum ſe Regem agnoſcere profiterentur, tum Rege ex Pruſſia Petrikoviam verſus tendente, ad Senatores qui Regem deducebant. Sub id ipſum tempus, quo Brzeſciam Cujaviæ Rex pervenerat, literas dederant, quibus in eadem tergiverſatione ſe perſiſtere ſignificabant. Verum cum communem univerſæ gentis Vilnam conventum ſibi indixiſſent, miſſi eo à Rege Nicolaus Oleſnicius, à Regina Joannes Rakovius fuit, qui in partes eos perducerent. Verum à Maximiliano quoq; Alexander Prunſcius, qui ſuo loco pro illo contenderat, ad conventum eum excurrerat, tum Andreas Samborkecius etiam legatus miſſus ab eo fuerat. A quibus cum in duas partes distracti utrinque fuiſſent, tandem tamen communem legationem ad comitia coronationis decernunt. Princeps ejus Joannes Lebovicius, Palatinus tum Trocenſis, erat. In ſpeciem quidem ad Sigismundum Regem, ut de conditionibus cum illo ſtatuerent, revera, ut, cum Maximilianus cum exercitu adhuc in Regno eſſet, utrius partes ſuperiores extitiſſent, ad eas ſe applicarent. Jam ab initio quidem comitiorum Epiſcopus Samogitiæ, & Joannes Kiska Euſtachius Wolovicius, qui ſine ſimulatione partes Sigismundanas ſequebantur, ad Regem venerant, ab initioq; comitiis intererant. Maxime de duabus rebus Lithuanis agebatur, de Livonia, quam ex ęquo cum Regnǫ partiri volebant; & juris ſui confirmatione, quod ita ſibi conſtituerant, ut inter alia, quæ conditionibus Regni gravia viderentur, maxime Polonos omnes è Lithuania excluderent. Cum & inviti ordines Regni ad conditiones eas, imprimis vero potiundæ Livoniæ, accederent. Lithuani in eventum expeditionis contra Maximilianum cum incerti eſſent, diutius aliquanto, cum per delegationes, tum aliis difficultatibus, ducta res fuit. Ex inſtituto autem in exercitu habebant, qui, quamprimum prælium factum eſſet, de exitu ejus, per diſpoſitos equos, illis ſignificaret. Itaq; cum de victoria exercitus noſtri omnium primi ipſi cognoviſſent; partim diſceſſu, quem intentabant, partim aliis rebus terrendo, antequam nuntius victoriæ vulgaretur, conſenſum in poſtulata ſua Ordinum Polonicorum exprimunt: ipſiq; etiam mox, totius Lithuaniæ nomine, juramentum Regi præſtitere. Legati ſeu Commiſſarii, quos vocant, ad partiendam ex æquo Livoniam, mox deſignati. Reliquarum rerum perfectio, quemadmodum aliarum omnium, quæ vel ex Varſavienſe vel Vislicienſe conventuum autoritate in hisce comitiis perfici debuerant, ad futura comitia, quæ intra annum indicturum ſe Rex promittit, rejecta. Inter quæ Pruſſiæ Ordinum poſtulata, cum ob vias ab adverſariis infeſtas, præter Dulſcium Regni Theſaurarium, ex Senatoribus nullus, ex nuntiis nobilitatis vix unus atque alter, pervenire Cracoviam potuiſſent. Nominatim vero juris Culmenſis emendatio, jam ante à Stephano Rege eis permiſſa, autoritate etiam conventus ejus illis conſervata. Maxime vero de modo Electionis Regiæ, & interregni, tum executionis pacis, inter diſſidentes de religione, qui utriq; parti ſerviret, compoſitioneq; inter Status, eccleſiaſticum, & ſęcularem cautum, ut ſine ulla exceptione, in futuris ſaltem comitiis, definiretur. Itaq; ex comitiis iis diſceſſum, ut cum non pauca conſtituta in illis eſſent, majora tamen fere ad proxima comitia differrentur, & meliore omnium cum ſpe, quod non modo de adverſariis plane jam debellatum videretur, verum æmulus ipſe etiam Regni in poteſtate eſſet. Maximilianus enim Kraſnoſtavium deductus ibidem eousq; detentus fuit, quousq; pactis conventis non ſatisfeciſſet. Toto hoc tempore regaliter excipiebatur, & ſæpius à Zamoiſcio ad convivia feſtiva Zamoſcium (quod paternum ejus oppidum eſt) invitabatur. Eodem fere anno Palatinus Cracovienſis Tęnczynius mortuus eſt, in cujus locum Nicolaus Firlejus ſuffectus. In id quoque inciderat tempus ſepultura Stephani Regis Poloniæ laudatiſſimi, quam ſeptimana proxima ante feſta Pentecoſten anni 1588. Cracoviæ Anna Regina, demortui conjunx, Rex coronatus Sigismundus, ejusq; Soror, Infans Sveciæ, tum Legati è Tranſilvania, in magna Senatorum & Civium aſſiſtentia & frequentia, cohoneſtarunt. In Pontificali templo Arcis Cracovienſis, ultra Altare majus, ſepultus, & illatus in monumentum, quod affabre confectum etiam nunc ſpectantium oculis exhibetur, impenſa publica conſtructum, quod ejus merita erga Rempublicam æquo jure requirebant. Interim Auſtriaci de liberatione Maximiliani ſolliciti, ad Sixtum V. ſplendidam miſerunt legationem, qua perfecerunt, ut in Poloniam Hippolitum Aldobrandinum Cardinalem (qui poſtea in Pontificem Romanum electus Clementis VIII. nomen aſſumpſit) pro eliberando illo mitteret. In cujus occurſum Sigismundus Rex cum ſplendido equitatu ultra Cazimiriam eques ipſe proceſſit, quem ſalutatum Cracoviam deduxit, ac toto tempore liberaliter tractavit. Mira tunc res accidit, Sole lumen ſuum diffundente, ſtellæ ſplendidiſſimæ circa illum duæ apparuerant, quæ futuræ concordiæ cum domo Auſtriaca ominabantur ſtabilitatem. Itaq; cœpta de Maximiliani liberatione tractatio, in anno 1589. tandem in comitiis perfecte adimpleta fuit. Per Commiſſarios res acta, adnitente maxime Pontificio Legato. Ex parte Regis & Reipublicæ Brdzinum convenerant, Hieronymus Rozrazevius, Epiſcopus Cujavienſis, Joannes Dux Oſtrogiæ, Palatinus Volhiniæ, Joannes Gortemsky, Palatinus Ravenſis, Chriſtophorus Zrenovicz, Palatinus Breſtenſis, Andreas Opalinsky, Marſchalcus Palatii major, Joannes Zamoisky de Zamoiſcie, Cancellarius & Exercituum Regni Generalis: ex parte vero Imperatoris & domus Au-

ſtri-

ſtriacæ hi erant, Bitomiæ congregati: Guilhelmus Rozembergius, Chriſtophorus Popel de Lubovicz, Olomucenſis & Jaurinenſis Epiſcopi, Riccardus Strom, Zephridus Promnicz, Nicolaus Jitſanſi, Joannes Kobens. Omnes hi in comitatu ſeptingentorum (ut erat conventum) equitum, in unum poſtquam convenerunt, ſedulo de pace inter domum Auſtriacam & Regem ac Rempublicam ſtabili agebant. Poſt multas tandem deliberationes, & ad Cæſarem Commiſſariorum ejus miſſitationes, quæ ſummam noſtris Commiſſariis adferebant moleſtiam, has conditiones 8. Martii eliberandi Maximiliani conſcripſerunt: Ut Maximilianus abdicaret ſe Regno Poloniæ, nec unquam titulo ejus uteretur, ſuper quam conditionem ipſe Imperator ſe ſubſcriberet, & juramento confirmaret. Ut Lubovsla arx cum omnibus tormentis & apparatu bellico reddatur, Ordines Ungariæ, Boemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, ſuper pacem hanc ſcriptum ſuum darent, & juramentum præſtarent. Viciſſim Rex Poloniæ juramento ſe obligaret in futuris comitiis, (quæ jam incœpta erant, & tempore commiſſionis ejus peragebantur) pacem firmam ſe ſervaturum; Amneſtia perpetua, ut omnes controverſiæ ſopirentur. Minutiora quoq; addita aliqua, quæ Sigismundus in Polonia, Imperator & Domus Auſtriacæ Legati Pragæ jurarent, & omnes obligationes adimplerent in menſe Julio, quibus perfectis, tum primum Maximilianus dimitteretur. Præcipuus tunc fuit tractatuum illorum moderator Laurentius Goslicki, Epiſcopus Camenecenſis, ſummus & ingenio & arte res politicas tractandi. Unde ſine difficultate in comitiis omnia ab Ordinibus approbata. Ad excipiendum itaq; juramentum aliqui Senatores deſignati ſunt in iisdem comitiis. Ad Imperatorem veto Radivilus Cardinalis, Nicolaus Firlejus, Palatinus Cracovienſis. Ad deducendum Maximilianum Epiſcopus Chelmenſis, Palatinus Sendomirienſis, Caſtellani Wognicienſis & Sedecenſis, Nicolaus Zebrſidovius, Capitaneus Cracovienſis ad fines Sileſiacos, nec non Ungaricos diſſimilandos, plerique Senatores & Judices. Non minor cura domeſticarum injuriarum inter diſcordes Proceres componendarum fuit. Cum enim ex iſta Bycinenſi captivitate multi vererentur, ne animi aliorum in vindictam exardeſcerent, & occulte alter alteri inſidias ſtrueret. Quamvis gentis Polonæ proprium & genuinum quaſi ſit publice injurias ſuas velle ulciſci, nec privatim odio aliquem habere, ſed quod in corde, hoc in ore gerere: tamen verebantur aliqui, ne ex intentata actione aliquod & vitæ & famæ ſubirent diſcrimen. Itaq; ſolers effecit communium amicorum ſolicitudo, ut compoſitis mutuis illis offenſis, etiam legum rigor mitigaretur, nec niſi Andreæ Zborovio Marſchalci minoris Regni officium abrogatum, Stanislao Przypemsky fuerat conceſſum. In iisdem quoq; comitiis modum futuræ electionis conficere volebant, & varia conſilia proponebant. Præcipui, qui id curarent, erant: Archiepiſcopus Gneſnenſis, Cracovienſis & Vilnenſis Palatini, Joannes Zamoiſcius, Cancellarius Regni; Archiepiſcopus maxime incumbebat in id, ut Catholicum Regem ſemper Polonia haberet, idem voluit addere, ut, quicunque is eſſet, Catholicæ Romanæ fidei eſſet. Zamoiſcius vero replicuit, ſatis eſſe hoc ponere, ut Catholicus ſit, & eo ipſo non alium intelligi, niſi Romanæ fidei debere eum eſſe. Cumque apud Archiepiſcopum ea de cauſa in ſuſpicionem deveniſſet, prȩſertim, quod omnino etiam vellet, ut Auſtriaci ab ambitu excluderentur, mutuis ſuſpicionibus laborantes, res tam ſalutaris, noſtro ſummo malo, eſt diſſoluta, & ad ſequentia rejecta comitia. Tunc enim propter ingruentia pericula à Turcis & Tartaris, qui in ultionem propter arces, Kesloviam, Tehinam, Boſakoviam & Bialdgrodum, à Koſacis devaſtatas, dicebantur conſurgere, ſummo in periculo Reſpublica erat. Pruteni eodem etiam tempore ad Tribunal Regni acceſſerunt, cum antea ſeparata judicia habuiſſent: & Duces Pruſſiæ & Pomeraniæ, per Legatos ſuos, Homagium Regi præſtiterunt. Frequentibus etiam tam Sigismundus quam Ordines Regni literis à Rege Sveciæ, parente Sigismundi, compellati, ut cum filio Revaliæ certis de cauſis convenire poſſet, in iter id conſenſerunt. Paulo poſt Legatus Cæſaris venerat, ut juramentum à Rege ſuper conditiones Bendzinenſes exciperet. Quo profecto verſus Lublinium Rex movit, indeq; Kraſnoſtavum ad ſalutandum Maximilianum & conviviis ſplendidis excipiendum divertit, ut nimirum conſvetudine iſta omnium injuriarum oblivio obliteraretur. Obtinuit ille tum ſpem liberationis ſuæ propinquam, quæ in effectum brevi deducta fuiſſet, ſi conditionibus initis ſatisfeciſſet. Imperator quidem Rudolphus ſtetit pactis conventis, quæ ipſe poſtea ſubſcripſerat, & juramento firmaverat, nec non Legati Boemiæ & Archiducum Auſtriæ in præſentia Legatorum Cardinalis Radivili & Firlei Palatini Cracovienſis, quos ad hunc actum, uti ſupra oſtendimus, Rex deſtinaverat, qui viciſſim nomine Regis, quæ eſſent ſervanda à Regno Poloniæ Maximiliano, & Regnis Boemiæ ac Ungariæ, domuique Auſtriacæ, jurarunt. Cum vero Legati Ungariæ Regni tardaſſent, ſeu potius non veniſſent, Maximilianus ab iis, quibus erat demandatum negotium deducendi eum ad fines Sileſiæ, revocatus ex itinere fuit. Non multo tamen poſt, vadimonio accepto, quod in comitiis futuris Ungari pacta illa confirmarent, & jurarent, dimiſſus, & à Laurentio Goslicki, Epiſcopo Camenecenſe, tum etiam Nicolao Zebrzidovio, Prȩfecto Cracovienſi, nomine Regis & Ordinum Sileſiam usque deductus. Non caruerant tunc Legati aliqua modeſtia, ut in converſione fortunæ plerumq; accidere ſolet. Nam Maximilianus, ubi vidit

vali-

validum exercitum Germanorum Duce Melchiore Rhedero ſibi occurrentem, reddere jusjurandum ex pactis recuſabat, injuſta ea in detentione ſua extorſa à ſe aſſerens. Inermes noſtri Legati ſecuti eum Bithoniam graviter ipſi exprobrabant, hanc Principe Viro minime dignam eluſionem eſſe, violatamq; fidem ſummi Pontificis, Imperatoris, totque Principum ſponſione firmatam, ideoq; firmiter tenendam, quamvis nunc aliquorum levi conſilio eo levitatis ſit perductus. Zebrzidovius vel vita propria iſtam eluſionem ulciſci paratus erat, & perfeciſſet, niſi Goslicii prudentia à ſuſcepta cogitatione revocatus fuiſſet. Nihil damni inde Reipublicæ eventurum judicant, cum juratam jam ab Imperatore pacem haberet. Imperator enim hanc Maximiliani cunctationem improbavit, & ipſe poſtea Maximilianus jurare à Sponſoribus coactus fuit. Interea Rex Lublino in Lithuaniam iter ſuum convertit, Revaliæ patrem ſuum ſalutaturus. Quo tempore Tartarorum colluvies in Podoliam ſe exoneravit. Summa tum omnium conſternatio erat, & quia in comitiis præteritis (etiamſi admoniti Ordines eſſent, propter evitanda tamen tributa, vanum eum eſſe metum judicantes) nihil ſubſidii conſtitutum erat, ideoq; nullum militem habebant. Die 18. Auguſti 1589. in ſummo numero hoſtes prope Leopolim conſederunt, cum alii ad Tarnopolim expectarent. Bonis multorum vaſtatis, & in cinerem redactis, præda maxima onuſti Bavoroviæ Wodliovvam, ſororem Zamoiſcii obſederant, de cujus præſentia admoniti, eo acrius inſtabant, cum periculo etiam vitę ſuę, jamque oppidum in ſua poteſtate habebant, & ſepta arcis obtinebant, cum advenerunt Jacobi Struſſii, Potociorum, Podlodoviorum, copiæ, nobilium etiam undique numerus non contemnendus, & ſumma clade jamjam in arcem irruentes affecerunt. Quo in prælio magni animi Vir Struſſius, Præfectus unius cohortis, animoſe occubuit, nimium ſe in periculum id ingerendo, Warszauski, Koricinski, aliique multi, in captivitatē ab illis adducti erant. Sed Koricinski poſt breve tempus à Bielecki fuit propter notitiam & amicitiam cum illo conſtanter cultam libertati reſtitutus. Bielecki iſte erat natione Nobilis Polonus è Lublinenſi terra, cum in juventute captus à Tartaris fuiſſet, tandem ad Turcam delatus, ab illis in ſecta Machometica eruditus, reverſus fuit in Poloniam. Stephanus Rex ipſum alacri ſuſcepit animo, & pro interprete eo (quod Turcicam & Tartaricam lingvam optime calleret) uſus erat: aſſignata ei non mediocri poſſeſſione. Sed quod Rex liberaliter illi conceſſerat, hoc Domini alii turpiter eripuerant. Quo iratus ad Tartareos iterum ſe contulit, illosque in patriam ulciſcendarum injuriarum cauſa incitavit. Receſſerunt itaque poſt pugnam hanc (quam etiam Koſaci Niſovii accelerarunt) Tartari verſus ſuam regionem: multis & præcipuis amiſſis, quos in domos aliquas contractos, incenderunt. Palatini Kiovienſis & Braclavienſis numeroſum ſatis contraxerunt exercitum, ſed, quia ſimultates aliquæ inter eos intercedebant, conjungere militem ſuum & unita virtute hoſtem propellere detrectarunt. De incurſione hac Tartarorum Vilnæ Regi commemoranti ſignificatum fuit, quia tamen properabat Revaliam, ad Zamoſcium & alios Proceres literas dat, præmonendo eos, ut ita providerent, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Hoc metu vix ſublato, alter ſubſecutus eſt non levior, imo tantus, ut totum Regnum ad ſui defenſionem jure merito commoveret. Turca, ulciſci damna, quæ ſibi illata à Koſacis, toties per legatos ſignificabat cupiens, bellum Poloniæ indixerat: miſeratque Hader Baſſam Beglerbegum Siliſtriæ cum exercitu, qui Danubio transgreſſo Typiæ ripas inſederat. Hoc improviſo bello totum Regnum commovebatur, variosque modos ſalvandi ſe quærebat, cum alius non eſſet. Zamoiſcius una cum nobilitate Leopolim convenerat, ut conſulerent rebus, ſed remedium aliquod vix inveniebant, tantum precibus eo adduxerunt Skilikovium Archiepiſcopum Leopolienſem, ut in Poloniam ad diverſos Proceres & Conventus diſcederet, ipſorumq; opem imploraret. Nihil tamen aliud, præter bona verba, lucratus, & ad ſequentia comitia dilatus. Concurrebant tamen multi ad commune incendium extingvendum. Præter frequentem Nobilitatem Georgius Maiſch, Palatinus Sendomirienſis, Stadnicii cum numeroſo milite aderant. Kamenecia Nicolao Jasloviecio, Præfecto Sniatinenſi, commendata. Leopolis quoq; munita, valloq; firmata. Ad cæteros Palatinatus literæ perſcriptę, ut ſubſidio venirent, & communi conſilio & viribus Rempublicam juvarent. Juſtus exercitus cum deeſſet, quem tam potenti hoſti ad defendenda campeſtria Zamoiſcius opponeret, tutius viſum eſt, Leopoli ſe continere, & civitatem firmiſſimis propugnaculis communire. Poſtquam tamen Nobilitas frequens & cohortes, tam Quartanæ quam propria Zamoiſcii pecunia conductæ, conveniſſent, aſſumpto animo de defendenda patria, imo hoſte acriter propulſando, cogitare omnes cœperunt. Proceſſit proinde Zamoiſcius ultra Leopolim, ſparſaq; fama majoris adventantis exercitus, quam nominis ejus magnitudo auxerat, nonnihil detinuit hoſtem, qui ulterius progredi non eſt auſus, ſed nuntium de pace ineunda expectavit. Ultro citroq; miſſis Legationibus eandem taliter conveniunt: Ut Rex & Reſpublica curarent, ne Koſaci mare Euxinum & provincias ei adjacentes Turcicas aliquo modo aut cauſa deinceps infeſtarent, ut Legatus ad firmiorem pacem conſtituendam ad portam Othomannicam mitteretur. Ita Beglerbegus nihil hoſtilitatis tentans, infructuoſo conatu rem ſuam agens, rediit, & Ruſſiam metu tanto liberavit. Rex interim Sigismundus inſtitutum iter continuavit, & Revaliam ſeptima Auguſti, in aliquot

quot millium comitatu, multis Aulicis & Senatoribus, utpote Alberto Baranovio, Epiſcopo Przemislienſe, minore Cancellario, Stanislao Przilemsky, minore Marſchalco Regni, Martino Leſniovvolsky, Caſtellano Podlachiæ, Joanne Tarnovvsky, Referendario Regni, Chriſtophoro Radzivillio, Præfecto militiæ Lithuanicæ, Palatino Vilnenſi, qui auxit ſplendore aulæ ſuæ Regis aulam, (ad duo enim millia habuit militum) comitantibus pervenit. Rex Sveciæ Joannes obviam filio ad quartam partem milliaris proceſſerat, & amantiſſime ſalutato dextram manum detulerat, quam acceptare, motus reverentia Patris noluerat, atq; ſic dextra parte conceſſa Parenti, ipſe levæ adequitans, uterq; in Arcem cum ſumma utriusq; gentis gratulatione venerat. Ductus in interiora arcis cubicula Reginam Sigismundus, Infans vero Sveciæ Regem, Parentem ſuum, poſtea Senatores Regni Poloniæ utrosq; ſalutarunt. Nomine omnium Vicecancellarius, redditis literis ab aliquibus Senatoribus, quæ poſtea in conſilio ſecreto perlectæ fuerunt, nomine vero Aulicorum Regiorum & Nobilitatis Oſtrorogius, Orationem ſatis elegantem habuerunt. Quibus ipſe Rex Sveciæ reſpondit. Hac etiam die Oſtrorogius, una cum Secretario majore, dona à Zamoiſcio Exercituum Duce, Frameam ex auro affabre factam, Clavam, Pharetram, & tres Tartaros captivos, obtulerunt. Grato ſuſcepit animo Rex Sveciæ, & ſuam in futurum promptitudinem declaravit. Inſequenti die Regem Poloniæ cum Senatoribus ſplendido excepit convivio, quod tamen literæ Zamoiſcii, Tartarorum incurſionem & vaſtitatem Ruſſiæ ſignificantes, aliquomodo turbarunt. Nam diutius protrahi illud Rex non eſt paſſus, ſed ſtatim ſurrexit, à menſa, & una cum præſentibus in palatio ſuo Senatoribus conſilium de diſceſſu ſuo, quem in 26. Auguſti aſſignavit, inivit. Quod cum intellexiſſet Rex Sveciæ, de retinendo Revaliæ Sigismundo, ſerio cogitare cœpit. Præter id, quia paternus amor ad hoc eum ſtimulabat, aliæ cauſæ plurimæ aderant, quæ omnino eum retinendum ſvadebant. Itaq; Senatores, ſcripto ad Regem Sveciæ, diſceſſum Sigismundi vehementer urgent, in memoriam etiam conditiones nondum adimpletas in Electione Filii ejus, ratione Eſtoniæ, revocant, ſubmiſſe rogant, ut velit Reipublicæ Polonæ, non tantum præſentia Filii ſui, verum etiam ope & conſilio, calamitoſo hoc tempore ſuccurrere. Sed irrito conatu videbantur omnia agere. Itaq; cum Pater Skarga, Societatis Jeſu, Regius Concionator, in præſentia & Regis & totius Aulæ ardenter pericula & deſolationem Ruſſiæ propoſuiſſet, & monuiſſet, ut ad patriam juvandam quantocius accurrerent, ſi nollent, ut Deus, innocentis ſangvinis ultor, de manibus eorum afflictionem populi ſui repeteret, ita cunctos commovit, ut paſſim ad valedicendum Regi Svecię convenirent. Imprimis vero Palatinus Vilnenſis, Caſtellanus Podlaſſienſis, multiq; alii, adeunt Sigismundum, obteſtantur, ut jam, ſicut convenerat, in concilio, itineri ſe accingeret. Sed, mutata voluntate, in patris ſe eſſe poteſtate, nec poſſe diſcedere, donec Commiſſio Moſcovitica finiretur, & aliquid è Narva adferret certi legatus, aſſeruit. Accepto hoc reſponſo in unum conveniunt, deliberant, quid deinceps agendum eſſet; concludunt tandem, ut Sigismundum adeant, & rogent, velit illos præmittere, & literas paſſus à Parente ſuo impetrare. Interea Senatores aliqui Svetici adveniunt, cum quibus ſerio de diſceſſu Regis ſui agunt, & oſtendunt pericula ingruentia Poloniæ, diuturnam non pati moram, jam ſatis vaſtata Ruſſia, ipſa viſcera patriæ hoſtes tentare velle, imo etiam & Regno Sveciæ aliquod inde imminere periculum, ut Regi ſuo ſint Authores, neve Filium cum ſummo Poloniæ periculo ulterius detineat, urgent. Hi operam ſuam obtulerunt, & ſi quid autoritate ſua apud Regem Sveciæ efficere potuerint, non recuſarunt laborem. Adeunt tamen Sigismundum iteratis cum precibus, quos ille ad Patrem ſuum remiſit: ad quem cum veniſſent, Albertus Baranouski, Vicecancellarius, verba ad eum fecit, renovando petitionem ſuam de itinere Regis ſui, & oſtendendo imminentia undique pericula. Tum etiam de Eſtonia & fœdere contra Moſcum nonnulla adjecit. Verum ſurdus ad ea Rex Sveciæ eſſe videbatur, illiq; nihil ſe efficere videntes, eo quod putarent, conſtituiſſe omnino apud ſe Regem Sveciæ, ſecum in Sveciam filium accipere, & ſe vivente in Regnum Sveciæ coronare velle, tum etiam præſente ipſo fœdus Moſcoviticum perficere: Imprimis Vicecancellarius & Stanislaus Przyjemski, minor Marſchalcus Regni, cœperunt valedicere Regi Sveciæ; poſtea Sigismundum accedunt, de voluntate Patris ejus ſignificant, quidve effecerint, enarrant, ut tandem ipſe quid certi de itinere ſuo ſtatuat, petunt. Sed rejecit illos ad inſequentem diem, quousque ipſe cum Parente ſuo non colloqueretur. Iterum ad Vicecancellarium omnes Senatores & Aulici conveniunt, reſolutionem expectantes itineris Regii: circa quam materiam aliquoties Guſtavus, Comes à Regibus, ad Senatores, viciſſim à Senatoribus ad Reges veniebat, tandem ea ratione in diſceſſum Filii Joannes Rex conſenſit, ſi ſcripto Senatores ſe obligarent, conceſſuros, ſe Sigismundum denuo ad parentem, quo tempore vellet, & quando neceſſitas poſtularet, diſcedere. Cum aliter fieri non poſſet, conſenſerunt in conditionem, & nomina ſua ſubſcripſerunt. Rogarunt etiam, ut in caſtris Regem expectarent, maxime propter difficultatem victus. Cum enim ibi moris non ſit victualia in foro vendere, Poloni per vim ſumebant, per vim quoq; ipſis denegabatur, & vim vi repellebant. Protracto in multam noctem ſermone, inſequenti die currus expediebant, ipſi vero Senatores ad Regem Sveciæ venerunt, quos per Cancellarium ſuum taliter eſt allocutus: Quamvis urgentes & juſtiſſimas cauſas habe-

habeat detinendi Filium Sereniſſimus Rex Veciæ, imprimis, ut diuturniori ipſius frui conſpectu, ſuæq; ſenectutis inde aliquod levamen percipere valeat : tum ut ratione Regni ipſius hæreditarii aliquid certi conſtitueret, demum, ut Commiſſionem Moſcoviticam illo præſente perficeret. Nihilominus, cum videat periculis & hoſtibus undiq; circumſeptam Poloniam eſſe, ſubditosque Principem ſuum præſentem habere velle , diutius ipſum detinere noluit. Rogat, velitis ignoſcere, eousq; à Majeſtate ſua detentum eſſe, quodq; cum à complexu ſuo citius non dimiſerit , paterno affectui condonare : & quo amore antehac eum complexi fuiſtis, eodem inpoſterum complecti, & ſangvinem ſuum, ſicut ſemper expertus eſt, profundere pro Majeſtate & incolumitate ejus velitis, tum etiam, ut Sveticæ nationis majorem habeatis rationem, eosq; tenerius diligatis, petit. Reſpondit Vicecancellarius omnium nomine: Gratam omnibus accidiſſe hanc Regiæ Majeſtatis declarationem, ſummasque agere gratias, quod majorem curam periculorum & neceſſitatum Polonæ Reipublicæ, nec non amoris Civium , quam naturalis affectus ſui & Regni Svetici rationem habuerit. Eundem, quem ſemper declaraſſent, affectum Regi ſuo ſubditi usq; ad extrema vitæ ſuæ tempora declaraturos promittunt. Addit preces, ut quantocius tempus diſcedendi inſinuet , horam enim unam ſuæ hic manſionis anno uno omnes æſtimare. Sigismundus deinde ipſe ſurrexit, & omnes eſt allocutus: Sicut antea amorem veſtrum expertus ſum, & inpoſterum me eundem experturum non dubito. Non hic volo commemorare rationes , quibus commotus juſtiſſime hic manendum diutius mihi eſſet. Audiviſtis enim illas. Verum, poſtpoſitis illis, ut citiſſime occurram periculis Regni mei, omnem impendam operam. Poſtquam finivit ſermonem, feriam tertiam aſſignavit ob iter inchoandum. Sparſerunt malevoli Regem tunc Revaliæ agentem cum Parente conſilia deſerendi Regni iniviſſe , & de cedendo illo Erneſto Archiduci ſerio cogitaſſe, imo & conditiones ceſſionis in vulgus ſpargebant , mihi vero minus credibile id videtur, tum ob innatam Regis prudentiam, tum etiam pietatem, qua imbutus, Regnum Catholicum deſerere eum in animum potuiſſe inducere non exiſtimo. Aliquas tamen ſuſpiciones fuiſſe (ut plerumque hoc in Regno cives multum & ſupra modum aliquando iis laborare ſolent) non ignoro, ut inferius poſtea adnotabo. Hoc tempore Commiſſio Rigenſis Severino Bonaro, Caſtellano Cracovienſi , & Leone Sapieka, Cancellario Lithuaniæ, Commiſſariis, taliter perfecta fuit, ut fortalitium quoddam ipſis valde nocivum Islo æquarent , & ſummam non mediocrem ratione exceſſuum ſuorum Regi conferrent. Tum etiam aliqui ſeditioſi in foro publice, præſertim Tribunus & Advocatus Civitatis, puniti ſunt. Conſulem vero Eckium priſtino honori reſtituerunt. Hoc anno Martinus Cromerus, Epiſcopus Varmienſis, mortuus eſt, inſigni eruditione Senator. Hic enim hiſtoriam Gentis Polonæ eleganti ſtylo perſcripſit, exterisq; oſtendit, Sarmatarum ingenia, ſi cultura adſit, non infructuoſa eſſe poſſe. In locum ejus Andreas Battoreus Cardinalis ſuffectus, fato quodam in Tranſilvaniam delatus, ut ſuo loco dicetur, poſtmodum fuit. Sigismundus Revalia movens Parenti privatim valedicit, qui propter mœrorem, ex diſceſſu ejus, in palatio remanſit, ultimisq; diebus Septembris, per Pruſſiam, Varſaviam pervenit, quo mirum in modum properavit, propter ingruentia pericula, tam ratione Maximiliani, qui ſuper pacta conventa nondum juramentum præſtiterat, quam ratione Turcæ & Tartarorum, qui bellum indixerant. Erat jam antea expeditus Legatus, Paulus Uchanski, Palatinus Plocenſis, ad Turcam, qui, cum eſſet in itinere pede fracto, Leopoli commorari debuit, quousque ad perfectam valetudinem non perveniſſet. Potuiſſet quidem ille aliquid boni præſtitiſſe, & iſtis periculis obviaſſe, ſi citius expeditus fuiſſet: verum culpa hæc omnis in Theſaurarium redundavit , qui ſero ipſi pecunias in expeditionem hanc ſubminiſtravit. Perſecutus eſt tamen iter ſuum, & transeundo Siliſtriam divertit ad Beglerbegum die 22. Decembris Anni 1589. ſatis honeſte ab illo exceptus fuit, nam & famulitium ſuum ad deducendum eum miſit, & neceſſaria victualia abunde ſuppeditavit. Conabatur ille efficere, ut Uchanski Legatus legationem coram ipſo exponeret, innuendo illi, pertinere ad ſe, ſicut ad Ducem exercitus, habereq; ſe id in mandatis à Cęſare & ſupremo Baſſa. Quod cum Legatus renueret, tandem ad colloquia privata deſcenderunt, quæ ad duas fere horas durarunt; & præcipue Koſacos, deſolationem Tehinæ, Benkovii, Kosloviæ, proponebat, ad extremum quæſivit, cur Rex Poloniæ aſſiduum Legatum in Aula Cæſaris non haberet, & annuatim dona non mitteret? Ad omnia apte reſpondebat Uchanski , & male contenti ex reſponſionibus ſuis uterq; remanſit. Interim, profecto eo, miſit quendam Turcam, ut excuſaret auſteritatem dictionis ejus, feciſſe hoc ſe in gratiam Turcarum, qui tunc colloquio frequentes aderant , & attente omnia notabant , faſſus præterea fuit Carum Præcopienſem ex mandato ſuo Ruſſiam vaſtaſſe. Inſequenti die quatuor præcipuos miſerat famulos, qui quatuor fere horis permanſerunt apud Legatum, de Koſacis tantum ſermonem miſcendo, & oſtendendo, fœdera vetera jam per illos rupta eſſe, & nova fieri debere, in quibus novę conditiones ac munera annua inſerenda eſſent. Ad quæ omnia objecta appoſite Legatus reſponſa dabat. Tandem ſecreto miſit die tertia Cauſium ſuum, ut inveſtigaret, an aliqua à Rege ſibi munera miſſa eſſent, illo vero inſperatum diſceſſum & ignorantiam, quod non putaret ſe eo divertere debere, obtendente, verecundia tamē motus zebellinas pelles & Brit. canes, nomine ſuo, ꝑ dono miſit.

Quo ita delinitus fuit , ut Marſalcum ſuum, cum ipſo Conſtantinopolim qui omnibus in rebus apud ſupremum Baſſam eum juvaret miſerit, & ad Carium Præcopienſem ſcripſerit, ne militiam ſuam ultra promoveret , imò & ipſe nullum intulit damnum præterquam quod Sniatinum ubi tunc nundinæ celebrabantur milites ejus incenderint , multosque mercatores Valachicos, in captivitatem abduxerint. Miſit poſtea Cauſium ad Zamoiſcium, qui cum habuiſſet juſtum exercitum, tam ex Quartianis, quam nobilitate, tum etiam Magnatum ſtipendiariis militibus illum cum optime inſtructo exercitu expectavit, & excepit. Cœpit jam etiam ipſe Beglerbegus timere potentiam noſtri exercitus , nam milites ejus feſſi erant ex itinere Perſico, neque illi in magno numero , nec Canis Precopinenſis uti erat in condicto ad hoc usq; tempus cum ipſo ſe conjunxerat, propter quod ſummum apud Imperatorem Turcicum adiit periculum. Non tamen omni vacabat periculo Respubl. Proinde Rex poſtquam Revalia redijt comitia pro 8. Martij anni 1590. indixerat, & literis ad particulares conventus omnes cives & ſubditos ad ferendam opem & conſilio juvandam patriam invitabat. Sub initium comitiorum Nicolaus Czyſousky (pro Conſiliario ille Legato adjunctus erat) è Conſtantinopoli rediit, qui omnia ordine recenſuit; Quomodo Uchanſcius Legatus, vi morbi è vivis ereptus, ne legationem quidem expoſuerit, qualiter à Baſſis tractati omnes comites fuerint. Præſertim Laſcius & Miskowski, illos enim miſerat Legatus, ut viſitarent ſuo nomine Baſſas, qui ut Legationem exponeret Legatus omnino urgebant, & an tributum Cæſari adferrent , perquirebant; Minas illi addebant, & tantum 60. dierum ſpatium dabant, ad reſolvendum ſe Polonis, ut aut tributum (quod 300000. Talerorum determinabant numero) penderent, aut ſectam Machometicam ſuſciperent , ſi nihil horum præſtare vellent, ungulis equorum univerſam Poloniam in nihilum ſe redacturos aſſeverabant. Res Legati omnes obſignârunt, miſſo Theſauriano Cæſaris & centum Janiceris, fruſtra violari fœdera & jus gentium clamantibus. Itaque cum nihil proficerent, Czyſovski cum literis remiſſus in Poloniam, alij cum corpore defuncti Legati itineri ſe accingere juſſit. Omnia & ſingula in comitiis referebat Czyſovski, imminentiaq; pericula proponebat. Sub id tempus ad Zamoiſcium in eundem ſenſum allatæ literæ à Beglerbego erant, quibus aut tributum , aut Machometanam ſuperſtitionem perſuadebat, ſi nollet potentiam Imperatoris ſui experiri. In haſce difficultates conjectam Rempublicam cernens Zamoiſcius, per Deum & quidquid chari haberemus obteſtabatur, ut periculis quantocius omnes obviarent, & hoſtem in procinctu eſſe non ignorarent. Vitam & fortunas ſuas patriæ (præſertim cum nullos liberos haberet mortuaq; ſub id tempus in puerperio ei uxor Griſildis Bathorea fuiſſet) offerebat. Itaq; contributiones agrariæ, publica expeditio, & cenſus in ſingula Civium tam Eccleſiaſtici, quam Sæcularis Ordinis capita conſtituta, quæ in Volumine legum ejus anni quisq; plenius cognoſcet. Injunctum etiam proviſoribus & ærarij præfectis ut in fidem publicam apud exteros aut Polonos decies centena, in Lithuania vero quinquies centena millia florenorum conquirerent. Regi deſtinata Leopolis ut ibi eventum belli expectaret, ſeu potius ad ulteriorem aleam ſe compararet , Duces tam Polonici quam Lithuanici exercitus contra Hoſtem procederent. Exercitus antea omnis haſtatis triginta quinque millibus levioris armaturæ quindecim millibus, peditibus Ungaricæ nationis decem, Polonicæ & Germanicæ triginta millibus , Koſacis, viginti millibus conſtare debuit. Qui jam parati erant, præcedere juſſi, & Turcam tranſitu Danubij prohibere , molemq; ejus tantiſper ſuſtinere , quousq; omnes non convenirent, Modus etiam publicæ expeditionis perſcriptus , qui Palatinatus , quo itinere & contra quem hoſtem progredi deberent; Et quoniam à Maximiliano non ſatis tuta pax videbatur, quod juramentum ſuper conditiones compoſitionis Bedzinenſis non præſtitiſſet, & titulum Regis Poloniæ adhuc uſurparet, ut ſecuritas Regis & Reipubl. conſtare poſſet, omnisq; ad affectandum regnum via præcluderetur, lata lege declararunt Ordines eum neque præteriti Interregni tempore, quo electus erat, titulo, neque inpoſterum aliqua electione ſi vacaret Regnum, ad id obtinendum promoveri poſſe: inſuper ſi qui Fautores ejus eſſent, omnes tales pro infamibus & perduellibus haberi, pœnisq; criminis læſæ Majeſtatis ſubjacere debere. Sub finem comitiorum Legatus Cæſaris Rudolphi auditus fuit; Excuſabat is Maximilianum Archiducem, quod nondum juramentum præſtitiſſet, præterea offerebat in hiſce Reipubl. noſtræ periculis opem & auxilium, ſi qua in re fuerit requiſitus: hanc tamen Maximiliani à Regno excluſionem moleſte ferebat , & quædam ſcripta repetebat, excuſabat & Cæſareos Legatos Conſtantinopoli commorantes, quod nulla ratione impediverint quominus pax cum Turca coaleſceret, quod tamen factum fuiſſe à Legatis noſtris relatum fuit. Pro tempore humanum à Cancellario nomine Regis reſponſum retulit. Finitis autem Comitiis res videbatur, omnino utilis & neceſſaria, ut aliquis expediretur ad aulam Turcicam , qui Tyrannum aliqua ratione ab inſtituto curſu revocaret & placaret. Ideò miſit Rex Joannem Zamoiſcium Secretarium ſuum, cui in mandatis dat, ut ſi videret , eum cum Perſa nondum bellum finiviſſe, aut cum aliquo alio horte occupatum eſſe , ſalvum conductum pro Legato Majore impetraret, quod ſi vero adverteret , ab omnibus eum eſſe hoſtibus

vacuum, omnemque potentiam contra Poloniam velle convertere, quavis ratione dummodo honeſta pacem tranſigeret, proponendo veterem inter Reges amicitiam & mutua inter hæc Regna fœdera à tot ſæculis inviolabiliter culta & obſervata. Sed dum continuat iter, incidit circa ſcalam in Laſcum, qui cum corpore demortui Legati revertebatur è Conſtantinopoli, reſumpto itaque animo (anxius enim erat, quem Legatio hæc finem ſortiretur) progreſſus eſt ulterius, & Beglerbegum Græciæ in Siliſtria ſalutavit. Is cum aliqua manu militum, majores vires præſtolabatur, Podorociumque & Jaciminium, cum veniſſet Zamoiſcius, famulos Uchanſcij, ad hoc usque tempus in captivitate detentos, liberos dimiſit. Dum Conſtantinopolim adveniſſet, reperit Nepotem ex fratre Regis Perſarum pro obſide datum, tum tormenta, aliaq; apparamenta belli ex Aſia in Græciam trajicere, Turcas, verſusq; Adrianopolim ea mittere cognovit. Pacem cum Perſa compoſuiſſe, bellum autem in Europam præſertim in Poloniam velle transferre omnium ferebatur ſermonibus. Acceſſit ad hæc Sinan Baſſæ contra Chriſtianitatem omnem, crudelis animus, præſertim in Polonos implacabili ferebatur animo, eam præſertim ob cauſam, quod Coſaci ditiones Imperatoris infeſtarent, teneretq; omnino id voluntate Regis & Reipublicæ fieri. Tam obſtinatum ejus animum nullis rationibus flectere Zamoiſcius, neq; ad conditiones æquas ullo modo adducere potuit. Quid in tam ancipiti conſilio & imminenti periculo patriæ agendum eſſet, diu volvebat animo. Tandem adit Legatum Reginæ Angliæ, cum quo contraxerat ibi notitiam & familiariter vixerat, rogat velit hoc in negotio illum juvare & conſilio adeſſe. Communicatis itaq; conſiliis Anglus rem ſuſcipit, accedit Sinan Baſſam, eum alloquitur & perſuadet ut pacem cum Polonis transigat, niſi vellet Regem Hiſpaniæ iterum hoſtem experiri, contra quem Belgis Regina Angliæ vires ſuppeditaret, Reginæ vero ſuæ Poloni eſſent coadjutores, & ſi Polonis inferret bellum Imperator, Angliæ Regnum opponere ſe, ſicut penes ſuos confœderatos, omnino teneretur. Si enim inquit vobiſcum bellum Poloni gerent, omnia nobis adiment, quibus nos modo juvant, ut pote annonam, materiam, & alia ad claſſem præparandam & inſtruendam neceſſaria.

Proinde curaret apud Imperatorem ſedulo ut pacem cum Rege Poloniæ renovaret. Infractus ad hæc Sinan Baſſa fuit, nec ſe tot rationibus moveri oſtendit. Itaq; cum aliis inito conſilio Legatus Angliæ ad ipſum Imperatorem ſupplicem porrexit libellum; Quo diſerte demonſtravit fore contra pacta, quæ intercedunt inter eum & Reginam Angliæ, ſi bellum inferret Polonis. Interea etiam non intermiſerunt ſollicitare Baſſas illos quos advertebant Sinan Baſſæ contrarios eſſe, ut Cæſarem diſponerent ad pacem, ipſique autores ſalutis publicæ eſſent. Res feliciter proceſſit, nam dum Imperatori proponerent adverſarij Sinan Baſſæ, & dicerent, ipſum omnia ex rancore quodam contra Polonos, & furore quodam animi agere, tandem in pacem conſenſit. Ille è converſo per ſuos intimos Imperatorem eo magis accendebat, proponendo tot incommoda & deſolationes Turcarum à Coſacis factas. Sed ad ea ſurdus, conſilio Legati Angliæ magis innitebatur. Interea Sinan Baſſa, ex officio veteratus detruſus, ſuæ contumaciæ pœnas dedit. In cujus locum ſucceſſit Ferat Baſſa qui erga Chriſtianos propenſiore fuit animo. Quo mediante Zamoiſcius pacem cum Imperatore concluſit, centum quadragenis Zebellinorum in recompenſam damnorum in Koslowo aliisq; ditionibus Turcicis à Coſacis illatorum conceſſis ac dono datis. Perfecto hoc negotio, ſine aliqua mora Legatus Polonus Exercituum Duci, hic vero Regi ad notitiam, quæ perfecta in Turcia eſſent perduxit. Ipſe vero ſupremus militiæ Dux, ubi reſcivit de aliqua manu militum, ſeu conventu aliquo nobilitatis, ſtatim miſit eo famulos ſuos, cum literis, quibus eventum Legationis ſignificaret, & contributiones, in capita ſingula civium ſancitas ſiſteret, nec eſſe neceſſarias demonſtraret. Jam enim ob novum hoc tributum, aliqui tumultuari cœperunt, præſertim æmuli Zamoiſcij, qui potentiam ejus ſuſpectam habuerunt. Itaque malo ſanè exemplo Archiepiſcopus Gneſnenſis Primas tunc Regni, Stanislaus Karnkowski, in gratiam ea de cauſa cum Stanislao Comite de Gorka Palatino Poſnanienſi Hæreticorum & Maximilianiſtarum Anteſignano rediit & conventum in Oppido Kolo majoris Poloniæ Palatinatibus ad decreta comitiorum tollendas indixit. Concurrerunt multi tam Senatorij, quam Equeſtris Ordinis viri, nec gravatim tributa in bellum Turcicum ſancita ſuſtulerunt. Præter id legem continendi in officio, Zamoiſcium ſanxerunt. Ut nimirum Præfectus militis obligaretur in confiniis regni cum exercitu excubare. Electioni Regis præſens, nec per ſubſtitutas perſonas adeſſe, aut in ea intercedere, vocatus ut privatus nobilis, inermis non plus triginta familiaribus ſtipatus in locum Comitiorum venire: militem niſi juſſu Regis aut Senatus conſcribere, & auctionarium nullum habere: interregni tempore obſequium Senatui jurare. Legatos externorum Principum non audire, ſed ad Regem vel Senatum integras Legationes remittere, nec quicquam cum hoſte ſine Regis aut Senatus autoritate. Repetundarum quoque eum reum arguentes, Regi & Reipublicæ ut ſatisfaceret poſtulabant. Modum demum ferendorum ſuffragiorum pro futuro eligendo Rege præſcribebant, poteſtate quadam ſibi convolvendi ſtatus univerſi Reipublicæ uſurpata. Ex hoc conventu mittunt Legatos

ſuos ad Regem per quos inſinuant imprimis Deo ſe perſolvere laudes, quod in concordia ſumma conventum obiverint, deinde Regi agere gratias, quod ſuum ad eos Legatum expediverit, cui Oratione luculenter demonſtrârunt, ſe quicquid agerent bono publico agere, nihil contra dignitatem Regis moliri, ſed exemplo anteceſſorum ſuorum inniti, cum viderent legibus ſuis vim inferri, factiones inſtitui, conveniſſe in unum & periculis omnibus obviam ire velle, quibus obviando quidquid concluſum in Superioribus comitiis eſſet, ſe tollere, & annihilare, ſalva tamen Regia perſona ejusq; majeſtate. Addunt articulos certos conſcriptos à quibus nolle ſe ullo modo recedere, ſolenniter proteſtantur, ingeminant preces ut comitia alia quantocius aſſignare dignetur. Reſpondet Rex Viasdoviæ, quod quam primum ad notitiam ſuam deveniſſet, hæc Civium & Subditorum contumacia, & ejusmodi audacia ut privato conventu, publica comitia & ſanctiones tollere attentarent, nihil ita ſollicite curaſſe, quam ut iſtas diſſenſiones & motus componeret; noluiſſe aliquid præcipitanter agere, ſed ex innata bonitate ſua, dilucidaſſe, quidquid in præteritis Comitiis concluſum eſſet, omnia ad utilitatem, honeſtatem, commodum patriæ directa fuiſſe, cum ut ab immanitate Turcica ſubditos liberaret, tum ut ſaluti reipubl. eo commodius conſuleret: in quibus ſancitis nullam vim, nullam libertatis violationem fuiſſe, luculenter quemlibet perſpicere poſſe: Quam ipſe à cervicibus civium ſuorum avertere paratus eſſet. Nulla itaque ratione adactos, ejusmodi conventicula inſtituiſſe, & ita quaſi interregnum aliquod eſſet egiſſe. Quod ſane peccatis eorum & iræ Divinæ adſcribendum eſt. Deum obteſtari, ut ipſe corda hominum dirigat, & ad idem ſentiendum & mutuam concordiam convertat, omniaq; potentia ſua divina in melius commutet. Majeſtatem ſuam verbis tantum coli, ut re ipſa præſtent provideant, ſe gratum futurum ſemper declarat, ſi ſubmiſſionem eorum & obſervantiam debitam Principibus expertus fuerit. Comitia ſe indicturum brevi, in quibus articuli miſſi ab illis in facie totius reipubl. exhibebuntur: vehementer præterea ingemiſcere, iſtis diſſenſionibus publicam quietem turbatam & militis auctorati pro bello Turcico ſolutionem, ob tributa non exſoluta retardatam eſſe.

Rex itaq; Comitia pro 3. die Decemb. Anni 1590. indixit, quæ ſecundum conſuetudinem veterem, particulares conventus præceſſerant. In quibus ſatis turbarum & rixarum erat, aliis conventum Kolenſem approbantibus, aliis tollentibus, neq; articulos ſuſcipientibus: Si enim in eum conſenſiſſent, & præterita comitia nullum valorem habuiſſent & excluſio Maximiliani in regno non ſtetiſſet firma, quæ fortaſſis (ut putabatur) majori ex parte Origo harum diſſenſionum fuerat. Aliqui etiam bellum Turcicum confictum aliquorum conſilio fuiſſe exiſtimabant, & per conſequens illas contributiones tam agrarias, quam capitales, potius privatis commodis, quam publicis deſtinatas eſſe. Sicut Conventus iſti diſtrictuum, ita etiam ipſa comitia turbulenta fuere, præſertim propter conventum Kolenſem, quem aliqui reſpuebant, aliqui omnino admittebant, aliqui ſe Regi excuſare volentes, quidquid ibi actum eſſet, commodum reipubl. ſpectaſſe, non ut Regiam perſonam aliqua in re offenderent, aſſeverabant. Aliqui aliter & interpretabantur & ominabantur. Per duas ſeptimanas articulos Kolenſes cum ſummis contentionibus nuntij terreſtres trutinabant. Cœpit contentio in ipſo Comitiorum introitu, cum Marſchalcus nobilitatis Joannes Ruſecius (qui etiam in Conventu Kolenſi eodem fungebatur munere) ad Regem verba faciebat. Dum non ſatis contenti aliqui remanerent, rixæ ſtatim ortæ, nec finita Oratione, ad ſolitam ſeſſionem omnes ſunt reverſi. Rex viſa hac perturbatione, æquè omnes audiebat tam eos qui Conventum Kolenſem probabant, quam illos qui eundem improbabant. Maxime Zamoſcium ratione conficti belli Turcici notabant, quaſi ille ſtudio ejusmodi rumores propter contributiones ſparſiſſet, atq; in vulgus diſſeminaſſet.

Tandem poſt multas altercationes quieverunt. Sed Militum inſolentia magis afficiebat rempubl. Illis enim ſtipendia non ſoluta erant, ideoq; bona regalia invadunt, Eccleſiaſtica diripiunt, equeſter ipſe Ordo in ſuis poſſeſſionibus ſecurus eſſe non poterat. Alij vero Sambori quiete ſedebant, & fructus inde percipiebant. Neceſſario itaq; ut contentarentur providendum erat. Sed alij ſeriò cum illis procedendum eſſe, & armis continendos in officio ſuadebant, alij è contra diſſerebant, non imitandos magis, ſed benevole tractandos. Poſt multas ad extremum contentiones die 15. Januar. Anni 1591. feliciter comitia in multam noctem protracta finita. Donativa tam Turcarum, quam Tartarorum Imperatori quæ Legatus noſter promiſerat Rex miſſurum ſe recepit, collectâ primum ex cenſu Capitali Judæorum, & telonio quod ex Nogati defluctatione percipitur. In caſum belli Turcici publica expeditio decreta, nova judicia ratione ſtipendiorum perſolvendorum & judiciorum exercendorum militibus inſtituta. Contributiones decretæ 15. gro. de Manſo uno. Conſtitutiones præteritorum comitiorum ad bellum Turcicum pertinentes, tam etiam Proviſores, aſſecurationes, cenſus capitales abrogatæ. Reliqua in volumine legum quilibet acuratius legere poterit. In ijsdem comitiis minus Sigillum regni Joanni Tarnovio collatum eſt, & reſtitutio honoris Chriſtophoro Zborovio indulta, ea tamen conditione ne in patriam niſi elapſis viginti annis reverteretur. Cauſius quoque Turcicus

tunc temporis advenit cum literis Beglerbegi & Veſeri, quibus mirabãtur quod hoc usq; nihil à Rege haberent reſponſi, ſimul quærentes an ſcitu Regio pelles Zebellinas promiſerit Zamoiſcius, qui legationem expediverat. Proinde Rex nihil morando expedivit Dzerſkum in Turciam cum donis iſtis qui non in vim tributi, ſed compenſationis damnorum, quæ Coſaci intulerunt in ditionibus ejus Imperatori offerret neve impoſterum aliquid ſibi propterea Imperator prætenderet, caveret. Ad Carium quoq; Tartarorum cum ſolitis ſtipendiis Martinum Bronevium miſit, conſuetudinum & morum gentis gnarum. Expeditis omnibus Reipub. pro tempore negotiis Rex Cracoviam verſus iter adornavit, nõ aliam ob cauſam, niſi ut ibi conſilia ratione matrimonij ſui eo melius tractaret & expediret: jam enim Auſtriacorum benevolentiâ cognitâ quam non obſcure præſeferebant & Regi teſtatam fecerant, ad quod etiam multos regni Senatores ſtimulatores habuit, antea Radivilum Cardinalem præmiſit, ut voluntatem illorum exploraret, viamq; ad futurum matrimonium ſterneret. Qui eodem anno in Petri Miskowski Epiſcopi Cracovienſis locum (octogenarius enim ille mortuus eſt, non tam ætatis decurſu, quam mœrore conſumptus, propter mortem nepotis ſibi ex fratre Caſtellani Zarnov.) ſucceſſit; Annus iſte initium multarum turbarũ præbuit, ex occaſione Hæreticorum quorum delubra tam Cracoviæ, quam Vilnæ funditus erant everſa: inde ſerpebat indies majus malum & Regem ſummopere turbabat. Quamvis minime eſſet in culpa quin potius Marſchalcum ſuum Lithuanicum ad ſedandum tumultum miſerat, atq; in authores tumultus ſeveram mandavit inquiſitionem. Ipſi hæreticos occaſionem præbuiſſe non falſo jactabatur. Etenim Scoti (qui frequentes ad nundinas Cracovienſes advenerãt) in foro aliquot homines, de religione controvertentes miſerabiliter occiderunt: quam eorum audaciam inſequenti die ulciſcendo tam Studioſi, quam promiſcua plebs, cujus ibi maxima reperitur multitudo, eorum delubra ſolo æquarunt. Inde multi nobiles ejusdem ſectæ poſtquam Cracoviam veniſſent Regem adeunt, & ſuam injuriam proponunt. Ex cujus reſponſo cum non adeo contenti remanſiſſent, cum neque in authores inquirere, neq; ſatisfactionem pro damnis habere ſufficientem potuiſſent, exacerbatis animis diſceſſerunt. Sub hoc tempus fictum aliquem Palatinum Valachiæ, qui ſe Ivoniæ poſteritatem eſſe prædicabat ſub patrociniũ Coſaci receperant, eundemq; in Palatinatum reducere volebant. Rex emergens inde periculum patriæ prævidens, dat negotium Jasloviecio Præfecto Sniatinenſis ut propere obviam malo imminenti eat: qui intellecto Regis mandato cœpit cum Coſacis tractare, ut cum potius Regi adducant, quam in evidens periculum Rempub. conjiciant.

Permoti perſvaſionibus illius adducunt Ivoniam quem Mariemburgum carceri perpetuo adjudicat Rex, Coſacos vero pro fidelitate ſibi præſtita liberaliter remunerat. Inter hæc Evangelici conventum Chmielnici pro feſto S. Jacobi indixerunt, alium vero ex eodem conventu ſub Radomia pro 23. Septemb. aſſignarunt. Tunc vero ex priori legatos 26. ad Regem expediunt, quibus Rex Cracoviæ 20. Aug. audientiam dedit. Omnium nomine Plaza Præfectus Lubacovienſis excuſationem attulit, & literas reddidit, in quibus ducenti præcipui nobiles ſe ſubſcripſerunt, poſtea exſcripta charta legationem expedivit, quod illi verendo ne quis ſiniſtre ipſorum congreſſum interpretaretur, ex medio ſui miſerint illos, qui Regi oſtenderent, eum conventum non ad turbandam pacem publicam, aut convellendum patriæ ſtatum, eſſe inſtitutum ſed ut tranquillitas Reipub. ſecuritas Majeſt. Regiæ, ejusq; perſonæ conſtitueretur. Semper Polonam gentem aliis nationibus excelluiſſe fide, integritate, amore erga ſuos Principes, & tuendo libertates ſuas, Majeſtatem Regiam omni tempore defendiſſe. Hoc idem Regem à ſubditis ſuis jure merito ſperare poſſe & debere, dummodo eas prærogativas quas ſacroſancte ſervaturum ſe promiſerat, inviolatas ſervaret. Ideo rationes Chmielnicenſis conventus majori ex parte has fuiſſe. Violationem publicæ ſecuritatis & libertatis quæ tam in hac præcipua civitate Cracovienſi in præſentia ipſius Regis, quam Vilnæ perpetrata eſſet. Inſuper alia quædam magis nociva notare ſe, quæ ne patriam ſuam turbarent exemplo aliorum Regnorum Senatores tam Catholicos, quam Evangelicos ſe convocaſſe, ut malũ ingruens à cervicibus patriæ averterent. Terrere eos mala Regni Galliæ florentiſſimi, in quo utriusque ſectæ homines libenter poſt tot clades unionem & concordiam acceptarent, ſi modum aliquem invenirent, & incendium hoc in immenſum ſerpens, extinguere poſſent. Ideo non eſſe eis vertendum vitio, quod flammam hanc in ipſo exordio opprimere voluerint, cum præſertim de ipſius Regis integritate agatur. Rogare omnium nomine congregatorum, ut ipſis propter nonnullorum in hoc conventu abſentiam ſub Radomia pro 23. Septemb. aſſignatum jam obire liceat conventum. In quo ſicut in Chmielnicenſi, Regiam velle ſe omni ex parte dignitatem & Majeſtatem tueri, inſuper deſiderare ut finito eo, comitiorum generalium aſſignare tempus non gravetur, ad ſopiendas controverſias, ad conſervandam religionis ſuæ in pleno robore confœderationẽ, ut ſecuri in ea vivere poſſint, ſimulque loca aliqua ad devotiones ſuas exequendas aſſignata habeant, & autores deſolationis iſtius puniantur. Per Vicecancellarium Rex reſpondet, ſe grato animo conteſtationẽ eorum fidei & ſubmiſſionis ſuſcipere, promittendo viciſſim illis, ſicut & aliis omnibus ſubditis gratiam ſuam Regiam & benevolentiam, attamen maluiſſe ex alia potius ratione hanc ſignificationem ſuorum officiorum, non ex privato conventu, qui novo modo, novis legibus coaluit factam fuiſſe. Nullam juſtam rationem ad eum habuiſſe illos, ſi enim agebatur de tumultu facto in Civitate, ſicut non probabat illum, ita mandaſſe ut inſolentia iſta ſtatim coerceretur, nuntiisq; nobilitatis Cracovienſis & Sendomirienſis ſtatim demonſtraſſe & injunxiſſe ut inquiſitio fieret, ſi quis reus criminis argueretur, ſtatim puniretur. Ideo Regem ſatis præſtitiſſe, nec officio ſuo defuiſſe, illos tamen non penſantes voluntatem ejus & actiones conventus privatos habuiſſe, quod ſane ſummopere Principem afficeret, nullum enim indicendi conventus poteſtatem præter Regem habere, ipſos malo conſilio & exemplo jam feciſſe. Quemlibet jam nulla motum ratione particulares obire congreſſus poſſe, quis inde fructus, & quæ confuſio futura ſit, unumquemq; perſpicere, multa inde pericula, imo & interitum ſequi, ſi Evangeliſtas imitati Catholici ſua privata conventicula celebrarent. Hucusque prudentia ſua & clementia Reipubl. commoda Regem ſpectaſſe & concordiam internam inviolate conſervaſſe, ideo quidquid erratum eſſet pro ſua benignitate omnia condonare, interim tamen monere, ne Radomenſem aliquo prætextu obeant conventum imo autoritate ſua omnino prohibere, certus eos quod juris, antiquæ conſuetudinis & dignitatis Regiæ eſt, non attentaturos, alias contra rempubl. facturos interpretaturũ. Curaturum inſuper ut regnante ſe, pacem & ſecuritatem omnimodam experiãtur, contra ſecus facientes jure, & majeſtate ſua proceſſurum. Quod attinet ipſorum devotiones, omnibus civibus jura ſua inviolata ſervare, non tamen ſui eſſe officij & autoritatis loca aliqua aſſignare. Comitia poſtquam compoſuerit, negotia ratione matrimonij ſui jam cœpta, ex conſilio Senatorum ſuorum ſe indicturum. Juſtitiam præſtiturum & inquiſitionem injuncturum, imò optare ut aliquem ex medio ſui hunc ad actum deputare velint. Finito reſponſo rogarunt Legati ut ſeorſim cum Senatoribus aliquibus congredi poſſent, poſtquam eſſet conceſſum illis poſt multos ſermones, urgebant per Senatores ut Rex pro die electionis deputatorum ad inquiſitionem iſtam, ſuos Legatos mitteret, cum ea inſtructione, ut ex diſtrictibus omnibus unum eligerent deputatum, verum denegatum hoc illis, illud tantum conceſſum, ut quem vellent ipſi eligerẽt. Circa ultimam Julij Convocatio Senatorum ad finiendam conſultationem circa matrimonium Regium aſſignata fuit, ſed illam peſtis, quæ civitatem invaſerat impedivit, proinde Niepolomicium Rex ſeceſſit, quo pauci admodum Senatores confluxerant. Inde Viſliciam verſus progreſſus, quo Cauſius ab Imperatore advenit, una cum Legato Zamoiſcio gratus adventus eorum fuit. Nam cum perpetua pace advenerunt, ſi quid illi fidendũ eſt.

Auditi uterq; in Janowicz, inſimul & Legati Moſcovitici expediti, cum quibus induciæ ad annos undecim prolongatæ, ea cum conditione ſi Moſcus inferret bellum Regi Sueciæ, ut filio liceret Patrem juvare, per quod tamen induciæ cum regno Poloniæ ſuo in robore perſiſterent. Bronievius quoq; à Precopienſe Cario redijt, cum pace, & conditione adjecta, ut Coſacos Niſovios Rex tolleret, ipſisq; ſolita ſtipendia perſolverentur. Cui etiam ſuum adjunxit Legatum, uno itaq; quaſi tempore cum finitimis pax coaluit. Interna tamen mala magis afflixerunt patriam, veluti diſcordia Evangeliſtarum, & Nizoviorum deprædationes, tum etiam militum inſolentia qui ſibi debita ſtipendia per vim repetebant, & in bona regalia involabant. Quos ut averteret Rex à malo propoſito dedit aſſecurationem ſolutionis in diem 18. Decemb. Conſtituitq; Commiſſarios Georgium Maiſzkonem, Palatinũ Sendomir. Andream Mſczinium Caſtellanum Wielunenſem, Andream Zborovium Biecenſem cum Theſaurario regni, qui die ſtatuta, omnia debita perſolverunt & Regis aſſecurationem receperunt. Commiſſio etiam alia injuncta certis perſonis, inter quos eminebat Nicolaus Jaslovviecki Præfectus Sniatinenſis, quibus mandatum, ut inter Coſacos componerent, & circa Krzemiencukum caſtrum aliquod conderent ad Tartaros tranſitu prohibendos. Nihil horum perfectum, quamvis bene proviſum & mandatum fuiſſet. Circa exitum anni hujus in Nativitate Domini montes Tatri ſummum fragorem & ſtrepitum edebant, quo tempore etiam Viennæ, aliisq; in locis adjacẽtibus Danubio multa ædificia & lapideæ terræ hiatu ſunt abſumpta, quæ omnia bellum Turcicum prædicebant. Anno vero 1592. poſt feſta Trium Regum peſtis ſedata eſt, nec vim adeo ſuam exeruit, ideoq; cives Cracoviã rurſum inhabitare cœperunt. Rex in fine Januarij advenit, eum ſecuta eſt Regina & Infans Sueciæ, quæ poſtquam è Suecia veniſſet Gedani & Marienburgi non modico tempore remanſit, tandem Cracoviam venit. Evangelici iterato Radomiam admonitione Regis non deterriti, conveniunt, quia tum exiguus eorũ numerus aderat, Lublinum eum conventum tempore Judiciorum Tribunalitiorum transferunt. Hoc etiam tempore Legati Hieron. Rozrazevius Epiſc. Cujavienſis, & Albertus Radivilus, Marſ. Lith. apud Cæſarem matrimonium Regi procurabant, poſt multas tractationes tandem feliciter finiverunt. Nuntium tunc ad Regem attulerant, de morte Ducis Slucenſis ultimi ex progenie deſcendente Jagellonis. Hic moriens nullum reliquit filium, præter unicam filiam, ad quam deducendam in tutelamq; dandam Kiſcis tanquam avunculis ejus, Rex miſerat Bojanovium. Multi exiſtimabant pertinere jure Fiduciario ad Regem Ducatum hunc, quia tamen jure ſucceſſionis nõ fiduciæ anteceſſores Ducis poſſidebant illum, ideo filiam unicam in pacifica

reliquit poſſeſſione. Die 5. April. Severinus Bonar Caſtellanus Cracovienſis nulla relicta prole mortuus, amplam Firleis ſucceſſionem reliquit. Eodem menſe Lublinum multi Senatorij & equeſtris Ordinis viri convenerũt, tum quia conventum antea indixerant eum in locum, tum quod Tribunalitia judicia tunc erant; Diverſæ ſententiæ in diverſa animos omnium trahebant. Pars Regis ſequebatur autoritatem, ejusq; defendebat majeſtatem, pars contraria & male contenta de Rege eſſe videbatur. Aliqui è Palatinatu Cracovienſi errores nonnullos in medium proponebant, veluti matrimonium Regium non ſecundum leges præſcriptas, ſine conſenſu ordinum, per exteros homines procuratum eſſe, quos ex pactis Rex ſtatim, dimittere tenebatur, deinde, quod comitia toties expetiverint, nec tamen impetraverint. Tum quod juxta Bendzinenſes tractatus, nondum Maximilianus juramentum præſtiterit, quartam etiam ad privatos uſus fuiſſe converſam, quæ ſolutioni militum ſervire debebat, quod cives ratione tributorum quæ in reſtis erant, in aulam per citationes evocentur. Theſaurum adhæc reipub. non adhibito Theſaurario apertum, Epiſcopatum Cracovienſem contra leges patrias delatum fuiſſe. Ad extremum aliquas perſonas incuſabant, quæ ſtimulabant Regem ut Revaliâ in Sueciam trajiceret: in memoriam etiam revocabant cautionem ut ſuperius demonſtravimus datam Regi Sueciæ, nec Eſtoniæ obliviſcebantur. Et multa alia ſeu vera, ſeu ficta illa erant, præſertim literas Cæſaris, & aliorũ Principum producebant. Aliquot dies controvertendo abſumpſerunt, diverſos tandem Legatos cum diverſis Legationibus ad Regem expediunt. Ex una parte erant electi viginti duo inter quos Joañes Solikovius Archiepiſc. Leopolienſis, Bernardus Macieiovius Epiſc. Luceorienſis, Stanislaus Gomolinius Epiſc. Chelmenſis, Dux Oſtrogiæ, Palatinus Volinẽſis, Tenczynius Caſtellanus Voinicenſis, Belzcius, Konarſcius, Adamus Stadnicius, Joachimus Ocieſcius, Joannes Psztrokonſcius. Ex alia factione fuerunt miſſi Nicolaus Firleius, Palatinus Cracovienſis, Nicolaus Zebrzydovius, Palatinus Lublin. Andreas Firleius Caſtellanus Radomenſis, Lanckoronius, Herbortus, Przerembſcius, Oſtrovius, Olesnici⁹, Goraiſcius, Ponetovius, Sarnicius, Riskovius, Gedezinſcius, Mielnicius, Snopkovius. Rex etiam in diem 13. ejusdem Menſis convocationem indixerat, ſed vix aliqui advenerũt, plures Lublinium convenerant. Unde cum eorum legati Varſaviam adveniſſent in Regis conſpectum admiſſi, hujus partis nuntij Regi demonſtrarunt; non eſſe novum, aut in hac Republ. inauditum, cives ſi quid libertati ſuæ contrarium, aut Regiæ Majeſt. nocivum, adverterent, id Regi proponerent. Factitaſſe hoc majores ſuos qui libera voce Principes ſuos officij ſui admonebãt, ſi aliquam prærogativis ſuis vim adferri viderent. Eſſe certos de Clementia Regia, quod inſiſtendo veſtigiis prædeceſſorum ſuorum, benigna aure, & patiente id, quod ſibi à nobilitate commiſſum eſt, ſit excepturus, & cor ſuum quod in manu Dei eſt poſtulata eorum applicaturus. Cœperũt proferre, quantus ſit metus inter homines ratione externorũ negotiorum, & diſceſſus ejus, eam dubitationem non aliunde promanaſſe, niſi ex aliorum relatione, quibus concredidit, ſecretum hoc proficiſcendi è Revalia in Sueciã. Non minorem etiam parere ſuſpicionem in omnium animis, Bendzinenſem transactionẽ nondum in effectum deductam; frequentes exterorum Principum legationes, prolongationem Comitiorum in quibus vulnera hæc aliquando ſanari poſſent. Matrimonium deinde Regium variè interpretabantur, id eo fine cõtrahi debere ut Reſpub. ſecundum vetera fœdera cum domo Auſtriaca in pace & concordia permaneret, & iſtæ injuriæ, quæ propter Majeſt. Regiam ejusq; perſonam domui iſti ſunt illatæ, ſopirentur & obliterarentur: interim vereri eos, ne aliquod periculum tam reipubl. quã ipſi Regi ex eo proveniat, præſertim quod transactioni Bendzinenſi nondum ſit ſatisfactum, ſiquidem nec Maximilianus, nec ſtatus Ungarici juramentum præſtiterunt, nec confirmatio Regis Hiſpaniæ allata. Satis ſuperq; exemplorum eſſe, contentionem de Regno nullis nec amoris fraterni, nec conjugalis affectus limitibus terminari, aut tolli, Cæſaris & Regis Galliæ, Jagiellonis & Vitoldi, Vladislai & Alberti regimina & æmulationes, ſatis eos docere, quodlibet regnum duos non poſſe tolerare. Proinde rogare Regem, curaret ut prius concordia Bendzinenſis effectum ſuum ſortiatur, tum primum ad matrimonium accedat, quod ut eo decentius perficiat hortari Reg. Majeſt. velit comitia indicere, in quibus de reformatione Reginæ conſultarent, & aliquid certi ſtatuerent. Quæ ſi ante nuptias ſuas indixerit, facile omnium civium deſideria, & fidem eorum ſemper inviolabilem poterit cognoſcere. Inſuper petere, ne contributionũ exactores in regiam evocentur. Addunt ad Senatores nomine totius nobilitatis preces, ut autoritate ſua Senatoria Regem ad comitia indicenda propter ſedandos tumultus & conſtituendam in tranquillo ſtatu rempub. moveant, non dubitare id ex debito ſuo & amore erga patriam, cui omnia debemus, eos præſtituros.

Poſtquam finiverunt, alterius factionis nuntij, declararunt ſicut Lublini fortuito multi ex Senatoribus & Equeſtri ordine in cõventum eum inciderunt eorumq; diſcurſibus faciles aures præbuerunt, ita ſe ſtatim ab illis ad Regem expeditos eſſe Legatos, ut quid primi adferrent, & in medium producerent, ſcire poſſent. Interim ibi hærendo de nullis omnino factionibus ſibi innotuiſſe; neq; gravamina tanta notaſſe, quæ remp. afficere aliqua ratione deberent. Si quæ tamen eſſent, non ibi fuiſſe locum eorum exaggerandorum, ſed in Comitiis quæ cum nuptiarum regiarum cauſa nunc non poſſint celebrari, obteſtari Regem ut autoritate Regia ejusmodi privata cõventicula prohibeat, idem & præſentes ad latus regium Senatores rogare ut autores regiæ ſint compeſcendæ tantæ inſolentiæ. Ad diverſas has legationes nomine Regis Joannes Tarnovius Vicecancellarius regni reſpondit. Regem exinde graviter affligi quod ad ejusmodi inſolita convẽticula ſubditi ſe conferant, hoc ſemper fuiſſe in votis, idq; unum ardentibus à Deo expetiviſſe precibus, ut rempub. hanc quam regendam Dei permiſſu ſuſcepit, quiete adminiſtraret. Annuiſſe ſuperos votis ſuis cum ſibi victoriã de hoſtibus conceſſiſſet & omnes inimicos patriæ partim fœderibus, partim timore ſui in officio jam contineret. Sed felicitatem hanc domeſticas diſcordias & neſcio quas diffidentias interturbare. Hoc ſemper in animo habuiſſe, ut libertatem quam civibus ſuis ſacroſancte ſervaturum ſe promiſit, non tantum conſervaret inviolatam, verum etiam augeret; aliter tamen omnia ab ipſis interpretari; Qua ratione an publico juri, conſuetudini Regni hujus, decreto Electionis, ſecuritati reipub. Majeſtati Regiæ ſatis proſpiciant; non multum diſſerẽdo, committere Regem futuro comitiorum judicio. Grato ſuſcipere animo, eorum declarationem, qui cum eo perveniſſent, quod alium locum, ad ejusmodi negotia pertractanda, & finienda habiliorem eo privato eſſe judicarint & elegerint. Laudare ipſorum dexteritatem & optare ut ipſorum conſiliis & fraternis admonitionibus innixi cæteri ad ſaniorem mentem reducerentur. Et quoniam ſuſpicionibus maximis eos laborare Rex videt, tam ratione matrimonij ſui, quam ratione factionum aliquarum cum domo Auſtriaca, quo ſub prætextu conjugij aliquam reipub. moleſtiam parere deberent, expetiviſſe ſerio Regem, ut comitia ante tempus nuptiarum indiceret, non tam propter ſuſpiciones, à quibus procul ipſe abeſſet, quam ut deſideria ſubditorum ſuorum tam urgentia expleret; Quia tamen eo res devenerunt, ut nõ ſine gravi offenſa domus Auſtriacæ, cum qua propter pacificandum regnum, contrahit affinitatem deſerendæ illi eſſent, ideo pro tunc generalem conventum habere nulla ratione potuiſſe. Et quamvis longo ante tempore libentiſſime illũ indixiſſet, peſtem tamen quæ regnum univerſum pervaſerat, & unanimem Senatorum conſenſum, inſtitutum hoc retardaſſe. Optimè notum habere Regiam Majeſt. omnes ſuſpiciones & diffidentias perículoſas & nocivas in omnibus rebuspubl. eſſe, proinde ne noſtræ quoq; patriæ aliquod creẽt periculum, declarare & verbo regio omnes aſſecurare, nullos unquam iniviſſe tractatus cum domo Auſtriaca ratione regni; neq; in mentem quidem id veniſſe, & harum ſuſpicionum non ſe ſed malevolentiam nonnullorum, cauſam præbuiſſe. Nec tantum regnum Poloniæ verum & Sueciæ hæreditarium, poſtquam paterna morte ad ſe devolutum fuerit, manu tenere velle, hoc tamen in regno ſemper reſidere. Hanc habere in fidelibus ſubditis fiduciam, ubi tempus advenerit, quod eum hoc in caſu nulla ratione deſerent. Viciſſim ſpondere, ſine conſenſu ordinum nolle itineri ſe accingere Suetico, quod non tantum Regio ſuo verbo, verum etiam in ſcriptis datâ aſſecuratione promittere. Præterea advertere ſe ſuſpiciones has, & timorem ex factionibus, tam domeſticorum, quam extraneorum hominum promanere, ſedulo ſe procurare inſtituiſſe, ut in futuris comitiis contra ejusmodi practicantes proceſſus & expedite & acriter inſtituatur. Poſt factam declarationem & aſſecurationem monere omnes ut ex pectoribus ſuis pavorem hunc minus neceſſarium & ſuſpiciones evellant, conventicula intermittant, Cives in quiete vivere ſinant, charitatem, fidelitatem debitam, Suæ Majeſtati exemplo Anteceſſorum ſuorum præſtent. Hujus opinionis eos debere eſſe, nihil carius, aut pretioſius, ipſorum libertatibus, & utilitatibus habere. In evocationibus vero ad aulam ſubditorum, jura regni ſicut in aliis rebus omnibus velle reſpicere. Finito reſponſo data fuit aſſecuratio Regis cum ſigillo & ſubſcriptione nuntiis. Gratias egit nomine omnium Legatorum Petrus Oſtrowski diverſionemq; ad Senatum in Oratione fecit, admonendo eum ut provideret ex officio ſuo ne quod reſpub. damnum capiat, comminando, velle ſe ex manibus ejus repoſcere, ſi quid patria detrimenti perceperit. Similiter & nomine alterius factionis Zbigneus Oſſolinius ſatis fuſam & elaboratã ad Senatores orationem habuit, in qua recenſenda immorari nolo, cum eandem fere materiam tractaſſet. Utrisq; à Senatu per Epiſcop. Plocenſ. Legatis ſatisfactum eſt. Tandem Regi valedixerunt. Interim adverſæ factionis Legati non contenti reſponſo, neq; aſſecuratione Regia literas Cracovia ſtatim expediverunt, quibus invitabant cæteros, ad conventum Androviẽſem, quibus pro 1. die menſ. Junij Lublinij dum fuiſſent, fuit aſſignatus. In iſtis literis nullam Regiæ aſſecurationis mentionẽ fecerant, vita tantum aliquorum Senatorum qui media Regi proponebant recenſuerunt eorum vero replicam ſubticuerunt. Media ejusmodi erant. Inprimis ut iſti, qui in occurſum Reginę diſceſſuri ſunt, oſtendant. Archiduciſſam tam à Rege quam à Senatu humaniſſime ſuſcipi, interim quia rumor iſte pervaſerat totum regnum, ſub prætextu matrimonij, aliquid aliud tractari, circa regnum Pol. cum Rex nihil omnino ſibi conſcius ſit, neq; alicui id tractãdum permiſerit, proteſtari eum nihil ſe ſcire, nec velle ſcire, nec regnum, ad mortem ipſam velle deſerere, Senatores idem etiã approbare, nec ſe in ullas unquam factiones conſenſiſſe, atteſtari. Ejusmodi etiam juſtificatio in thalamo interponi debuit, cum Regina redderetur Regi, tam ex parte Regis, quã Senatus. Ne ulla reformatio niſi in comitiis fieret. Ut cautionẽ Senatores, darent, ſicut antea in nullas factiones ſe ingerebant, cum domo Auſtriaca in cauſa reipub. Polonæ], ita circa actum hunc matrimonij nec in poſterum ſe nolle ingerere: & ſi quid in

publicum prodiret, id non promoverent, ſed tantis malis omni conatu obviarent. Contra hæc media alij Senatores, alia proponebant; Iſtam nimirum non eſſe ex dignitate Regis proteſtationem, nec non in limitibus Regni, nec in thalamo, ubi locus ejus non eſſet. Sed in Senatu præſentibus Legatis Cæſareis interponi debere, reformationem ad comitia differri cum cæteris conſenſerunt cautionem minus neceſſariam eſſe aſſerebant, cum extra omnem culpam ſint, quin immò in comitiis omnibus teſtatū velle facere, nihil ſibi conſcios eſſe & permittere imò procurare velle, ut rigoroſa ſuper ejusmodi practicantes lex ſanciatur. Itaque ut ſatisfaceret Rex importunis male ſentientium precibus Comitia in 6. Sept. Varſaviam indixit & ſtatim literas expedivit ad obeundos diſtrictuum conventus. Cum tamen in feſtum incidiſſent ſolemne, in inſequentem diem ſunt dilata. Hoc etiam tempore Roma à ſummo Pontifice Zamoiſcius è Legatione redijt. Legatus quoq; Tartaricus aliquot equos generoſos Regi ſecum ducens & Valachicus venerunt. Brutus etiam Epirota ab Aarone Palatino Valachiæ ſubmerſus in profluente Tyra, qui jam Indigena factus fuit Poloniæ, non aliam ob cauſam tantum ob non exſolutionem debitorum, quę contraxit, dum Palatinatum illum occuparet. Sicut ſuperius demonſtravimus ad finiendas conditiones matrimonij Regij, fuiſſe Legatos Pragam ad Cæſarem miſſos: qui cum feliciter eas ad exitum deduxiſſent, Viennam profecti ſunt, quo etiam Archiduciſſa Conjunx futura Regis cum Anna matre ſua advenit. Ibi Albertus Radzivilius Marſchalcus Lithuaniæ nomine Regis die 3. Maij cum Archiduciſſa ſponſalia contraxit. Adfuerunt præſentes Erneſtus Archidux, multiq; alij Duces & inſigniores Viri, qui feſtivitatem hanc adornarunt. Finita hac ceremonia mater cum Regina jam noſtra itineri ſe dederunt, quas Legati noſtri concomitati ſunt. Circa Friſtatum in Sileſia Epiſcopus Plocenſis & Sebaſtianus Lubomirſcius Caſtellanus Malogoſtenſis in comitatu numeroſo & ſplendido eos exceperunt. Deinde Oſwiecimum in limitibus Poloniæ ſitum aliquot magni nominis matronæ inter quas erant Palatini & Caſtellani Cracovienſis Tenczinij & Zerdani, uxores ut ſponſam nomine Regis ſalutarent advenerunt. Die 26. Maij Archiduciſſa è Balice Cracoviam verſus movit, Rex ipſe in ſummo omnium applauſu & ſplendore, nec non concurſu hominum ad ſalutandum novum hoſpitem ultra urbem profectus eſt. Apparentia maxima equorum, veſtium, & ornamentorum erat, ut omniū fere oculos percelleret, mirarenturq; externi tam cito potuiſſe Regem ſex vel ſeptem millium exercitum contrahere. Peditatus Urbanus habitu Italico, panno cæruleo, veſtitus, in una porta Civitatis aderat. Cum Sponſa non adeo multi advenerant, quod Cæſarem ſtudio feciſſe dicerent, ad evitandas illas ſuſpiciones, quibus domum Auſtriacam & Regem inſimulabant. Vix quingenti eorum in comitatu erāt. Inter præcipuos numerabātur Epiſcopus Vratislavienſ. & Comes de Lichtenberg. In ſplendido curru adveniens mater cum filia Regina quam ſibi à dextro latere aſſidere juſſit ad Papilionē (quorum tres in campo diſtenti erant) divertit & deſcendit. In ſecundo Rex ipſe cum Senatu ſuo conſtiterat. Medium inter hos uterq; ingreſſi Rex, Reginā ſalutavit, verba ad eam Joannes Tarnovius Vicecancell. regni habuit, Deo agebat gratias, quod Archiduciſſam una cum Regina incolumes in Poloniā perduxerit votum addidit, ut cœpta negotia, & matrimoniū hoc dirigat Deus ad totius Chriſtianitatis emolumentū, & regnorū dominiorumq; utilitatē. Reſpondit Epiſcopus Vratislav. pro tempore appoſitè. Nomine vero Reginæ Annæ Goslicius Epiſc. Przemisl. facunda novam Reginam oratione ſalutavit. Tandem luſtratus exercitus, Regem in civitatem deduxit. Regina cum matre ſua rhedam à Rege donatam, pulchreq; ornatā conſcendit, quam octo præſtantiſſimi trahebant equi. Hanc Regina Anna cum infante Sueciæ ſequebatur, tandem Gynæceum ſubſecutum: Civitatem circa veſperam per S. Floriani portam ſplendidiſſimè omnes intrarunt. Ante Clepardiam porta cum variis inſcriptionibus pulchre elaborata conſpiciebatur, ſimilis circa templū B. Mariæ Vir. ad Lapideam Miskovij Caſtell. Woinicenſis, tertia in Grodenſi platea. Omnes erant muſica varia repletæ, in tertia decem mulieres variis ludebant inſtrumentis, quas ad tantam ſolennitatē Reginæ ſuæ Padnievij Caſtell. Oſwiecimenſis uxor deduxerat. Arcus triumphales ſub ipſa arce conſpiciebantur, & duæ Pyramides: in ipſa civitate qua iter faciebāt Reg. Maj. lapideæ variis periſtromatibus adornatæ; Moneta quoq; jactata, quæ duas palmas quas fluvius dividebat, ſe tamen conjungentes extremitatibus repręſentabat, in altera parte inſcriptio talis erat. Amor diſtantia jungit. Pedites & Equites à porta usq; ad ipſam arcē ab utraq; parte extendebantur, ſimiliter in radice montis tam pedites quam tormenta diſpoſita erāt. Poſtquam Regina ad templū divertiſſet, bombardæ & tormenta ſunt exploſa, tantoq; cum fragore & boatu, ut tota fere civitate cōmoveretur. Die 29. ejusdē menſis legationē expoſuerunt ſuam à Cæſare, Legati ad hunc actum deſtinati Andreas Gerimus Epiſc. Vratislav. & Comes de Lichtemberg quo tempore Archiduciſſæ aulici omnes Regem ſalutarent. Die ult. Maji coronatio Reginæ circa hor. 15. per Hieronymum Rozrazeviū Epiſc. Cujavienſ. abſoluta fuit, Cardinalis vero Radivilus ad hūc actum ſummi Pontif. Legatus regem copulavit. Fuit quidem officij Archiep. Gneſn. reginam coronare, ſed tunc morbo implicatus expedire negotium tantum non potuit. Archiepiſc. Leopolienſis graviter conqueſtus fuit, ſe hac in parte poſtpoſitum fuiſſe, in abſentia præſertim Gneſn. Primatis. Verū lege, vel potius

tius

tius conſuetudine cautum eſt ut Coronam ſemper Regi ſive Reginæ imponat majoris Poloniæ Senator Eccleſiaſticus, cum in minorem Poloniam ipſa corona ſit translata. Theſaurarius quoq; regni non adfuit, interim clavem miſit pro ſumenda è theſauro regni corona; multi quoque Senatores ad actum hunc pertinentes deſiderabantur. Qui omnes tunc una cum Theſaurario exequiis Bonari Caſtellani Cracovienſis intenti erant. Proinde abſentium Senatorum vicem alij ſupplebant. Ante Regem ſceptrum Georgius Mniſzek Palatinus Sendomirienſis, Pomum Potulicki Palatinus Caliſſienſis, Gladium Nicolaus Volski Enſifer Regni; Ante Reginam deſponſatam Pomum Andreas Leſczynski Palatinus Breſtenſis, Sceptrum Stanislaus Minski Palatinus Lancicienſis præferebant. Abſolutis ceremoniis Rex cum Regina coronati & regaliter veſtiti, in palatium proceſſerunt. Convivium deinde ſplendidum inſtructum. Menſæ uni Rex cum Regina, matre Archiduciſſa, infans Sueciæ, Landgrafij uxor, Epiſcopus Vratislavienſis Comes Landgravius aſſidebant, Anna Regina propter adverſam valetudinem devitavit convivium. Alteri menſæ Senatores plusquam triginta, tum Capitanei, Officiales, Legati variorum Principum externi hoſpites, accumbebant. Sequentibus diebus variæ oblectationes, tripudia, comœdiæ, exhibebantur: Præterea munera à Cæſare, Venetis, Principibus, Senatoribus, Civitatibus præſentata. Dum hæc feſtivitas in ſummo concurſu & gratulatione Civium peragitur, alij Conventum ſuum Andreioviæ quem pro die 1. Junij indixerunt proſequuntur. Venerunt eo Nicolaus Firleius Palatinus Cracovienſis, Nicolaus Zebrzydowski Palatinus Lublinenſis, Stanislaus Comes de Tarnow Sendomirienſis, Martinus Lesniowolski Podlaſienſis, Stanislaus Zotkiewski, Leopolienſes Caſtellani, Cancellarius quoq; Regni. Non procul à monaſterio ſeſſionem ſuam habere conſueverant. Pro Marſalco Martinum Sukraiowski elegerunt. Ibi Legati Lublinio expediti relationem ſuæ Legationis favebant. Poſtea Senatores ſententias ſuas expoſuerunt. Illos equeſter ordo ſubſequutus, multa in medium proferebat, quod Rex non requiſita comitiorū autoritate nuptias celebraret, exteros penes ſe aleret, & his ſimilia plurima taxabant. Erant qui ſuaderent ut ſtatim inde Cracoviam progrederentur, & conſilia cum illis, quos ibi reperirent, ſociarent. Interim in id omnes conſenſerunt, ut in futuris comitiis exorbitantias iſtas proponerent, quæ ſi ex aliqua ratione differrentur, Conventum ſub Varſavia pro die 7. Septemb. aſſignarent, tunc vero Legatos ad Regem deſtinarent. Itaq; Succamerarium Leopolienſem, Subjudicem Betzenſem, Comitem de Tarnow, Joannem Pieniaszko, Petrum Zloſtovium, Mazoviecium, duos Minocios, Staskovium eligunt. In Lithuaniam Georgium Ciecisowski qui etiam conventus ſuos Slonimi & in aliis locis obibant expediunt miſerat. Rex ad conventum Androvienſem Legatum ſuum Zamoiſcium Secretarium, qui literas Regis & Senatorum eis reddiderat. Mirabatur Rex in literis ſuis, quod Conventum iſtum non intermiſerint, cum ſatis luculentam aſſecurationem Legatis eorum dederit nec habuerit voluntatem permanendi Cracoviæ, neq; factiones aliquas ſtruxerit, aut notitiam de illis aliquam habuent, quæ ipſos ſuſpenſos redderet, monebat ne Conventus iſtos frequentent, ſiquidem brevi Comitia futura ſunt, quæ medelam rebus omnibus adferrent. Senatorum literæ, plenæ hortationum erant, rogantes ne ejusmodi Conventus celebrent, neq; ſine illis, qui æquali cum aliis libertate gaudent aliquid ſtatuere, velint, ut ſint contenti aſſecuratione Regia, & Comitiorum futurorum certitudine. Die 5. ejusdem menſis Legati Cæſarei expediti, quibus proponebant factiones aliquas Rempub. & Regem turbantes, & rogabant ut ijsdem ulterius Regnum turbare deſinant: Epiſcopus luculentam attulit excuſationem. Addidit inſuper ex noſtris nonnullos eſſe in culpa qui Maximilianum in ſuo propoſito conſtantem eſſe debere hortarentur, omninoq; ei promittere regnum, quod diſceſſu Sigismundi vacuum fore pro certo pollicerentur. Qua in materia plurimos (dum Legatione in Comitiis præteritis fungeretur) ad eum ventitaſſe multaq; inaudiviſſe. Die 6. Junij ſub noctem die Sabbati vi varię comœdiæ exhibitis in ſcala arcis, ſumma arte & ſumptu elaboratæ. Imprimis vero cum is Regius ſplendide cōfectus viſendum ſe præbuit, cui quatuor virtutes Prudentia, Temperantia, Juſtitia, Fortitudo inſidebant. Subſecutæ eum nebulæ Nicolai Volſcij Enſiferi Regni, tum Sigismundi Miskovij Capitanei Piotrovienſis teſtudo; poſtea Acteonem quem canes proprij diſcerpſerunt, Stanislaus Stadnicki, Danielowicz, Kraſicki, Theodorus Lacki repræſentarunt, Chriſtophorus Dowſtaiſcius, Monvidovicius Dapifer Lithuaniæ, Opalineus Inciſor Regni Neptunum, quem Delphini trahebant, in medium protulerunt. Stanislaus Minski Palatinus Lencicienſis Orpheum qui ex mœrore uxoris ſuæ ad inferos deſcendit, ut inde à morte eam muſica ſuâ eliberaret exhibuit. Et appoſitè ſanè, nam ſub hoc fere tempus ipſe quoq; uxoris ſuæ mortem deplorabat. Eum Viſtula cum Nymphis Petri Miskovij Capitanei Chencinenſis ſubſecuta eſt. Ad extemum Labyrintho Niemozevij comœdia finita. Inſequēte die Dominico in foro ludi hoſtiles exhibiti, quos ſpectabāt Reginales Majeſt. utręq; Archiduciſsa Infans Sueciæ, ibi quoq; aliquot artificiales luſ⁹ erāt. Piotrovij & Bekeſij bombardarum exploſiones hydra Inciſoris regni, Triumphus Perſei Dapiferi, Lithuaniæ, Incola Stanisl. Stadnicij, mons ardens quē Crocodili trahebant, Petri Miskovij Capitan. Chencin.

Deinde

Deinde veſtitu Perſico advenerunt Jaslowicki Capitaneus Sniatinenſis cum Sieniavio Dapifero regni, quos Aethiopes ſequebantur ſplendide induti. Tandem octo haſtati concurrerunt ad invicem. Nieviadowski cum Zawiſa, Koricenski cum Wirowski, Gorski cum Zaboklicky, Karkowski cum Tuzowski. Mulii alij ad luſum præparati erant. Rex vero prohibuit, propter brevitatem temporis quod ad veſperam declinabat. Inſequente die Rex una cum Regina juvene, & cum matre Archiduciſſa Niepolomicium eſt profectus, ubi non diu commorando, rediit nuntiosq; Andrzeiovienſes 13. menſis ejusdem audivit, qui inſtructionem ſuam prælegerunt; hæc recenſita jam toties continebat puncta. Tum etiam aliquas exorbitantias proponebant. Addiderant novum articulum circa prærogativam Archiepiſcopi Gneſnenſ. in Coronatione Reginæ, & autoritatis Theſaurarij regni minuendæ modos addebant. Monebant quoq; Marſalcum regni ne extraneos in aula Regis pateretur, utq; eos qui in ſuſpicione aliquarum factionum eſſent, ad comitia detineret. Ne Cancellaria aliquid ultra jus proderet, præſertim ea quæ Regium matrimonium concernerent. Et ſi quid ejusmodi eſſet factum proteſtari ſe non ſcire, nec velle ut ad notitiam ſuam perveniat. Quod Bendzinenſem concordiam inviolatam eſſe velint: proteſtari quoque contra Reginæ Coronationem. Ad extremum Cardinalem Radzivilium incuſarunt, quaſi ille privata autoritate ſine conſenſu ordinum matrimonium illud Regi conciliaſſet, legationemq; à ſummo Pontifice expediviſſet, nec non contra jura Regni Epiſcopatum Cracovienſem poſſideret. Hoc tempore dum ex Conventu Andreiovienſi reverteretur Joannes Zamoiſcius Cancellarius Regni, divertit ad Joannem Comitem de Tarnero Caſtellanum Sendomirienſem, Stobnicium, ubi Barbaram minorem natu filiam ſuam ei in matrimonium 14. Sept. collocavit. Die autem 16. ejusdem menſis Nuntiis Androvienſibus per ViceCancellarium Rex reſpondit. Fuiſſe hujus Regem opinionis & ſpei, primam declarationem & reſponſionem ſatis claram & ſinceram, has ſuſpiciones inter ſubditos iniquè diſſeminatas in officio continere, & Andreiovienſem conventum ſiſtere potuiſſe, ſiquidem ea aſſecuratione à ſe accepta, & certa, & fundamentali ad tam breve tempus comitiis deſtinatum poterant eſſe cõtenti. Quia tamen ultra ſpem ſuam in privato congreſſu res ejusmodi ſint prolatæ quæ non tantum Regiam ſuam perſonam, ſed etiam Senatum, & univerſam rempub. concernunt, nolle ſe ulterius ſermone progredi, ſed potius ad cognoſcendum Ordinibus in Comitiis futuris generalibus ea reſervare. Hortari vero eos ut particulares Conventus omni cum reverentia & debito honore ſuæ Majeſtatis obeant. Adjecit Cardinalis (ſiquidem tunc præſens erat.) Quamvis non eſſet obligatus rationem factorum ſuorum alieni reddere niſi cum tempus & locus illius eſſet præſertim in Comitiis: tamen & hoc in loco ſilentium rumpere coactum ſe eſſe. Inprimis vero titulum Legati ſummi Pontificis non ſe appetiviſſe, & oblatum receptumque ad majorem matrimonij Regij dignitatem Majeſtatemq; tam diu uſurpaſſe quousq; actus iſte duraſſet, finito eo, & officium ſuum expiraſſe. Conjugium Regium non procuraſſe, ſed mandato Regio Domus Auſtriacæ benevolentiam & animum exploraſſe: alios Legatos fuiſſe deſtinatos, qui voluntatem divinam & Regis adimplerent. Epiſcopatum Cracovienſem non ſe deſideraſſe, neque tantopere appetiviſſe, ſed benignitate Regis, collatum ſuſcepiſſe, nec ſe ſalva dignitate ſua & jure illum deſerere ullo modo poſſe. Neque videre eum contra jura patriæ ſe tenere, cum Indigena hujus reipub. & quidem præcipuus in familia ex majoribus ſuis, tam meritis quam prærogativâ ſit. Ad extremum paucis verbis Legatos monuit, ne cum ejusmodi Legationibus veniant, quæ honeſtatem, & bonam nominis ejus exiſtimationẽ læderent, ſiquidem qui honeſtus eſt honeſtum quemq; venerari debere. Expeditis Legatis eadem die Rex una cum Regina, Archiduciſſam matrem ad limites usq; Poloniæ deduxit. Tum etiam Legatum Venetum, Petrum Dusdum remiſit, torque aureo donatũ. Hoc tempore Aaroni Palatinatus Valachiæ eſt ademptus, quod promiſſis muneribus non ſatisfeciſſet, multosq; præcipuos regionis illius trucidaſſet. Petrus vero qui ſe fratrem Germanum Bogdani falſo jactitabat, cum tamen ille Carogrodi ut Dzersko referebat mortuus fuiſſet, Palatinatum noſtris adjuvantibus occupavit. Sed renuente Imperatore Turcarum non diu eam poſſeſſionem retinuit. Quo miſſo exercitu Conſtantinopolim eum abducere mandavit. Aaronem vero priſtinæ reſtituit dignitati. Koſaci etiam multa in Podolia præſertim Palatino Kyovienſi damna intulerunt. Civitates ipſi per oppugnationem vaſtarunt, tandem cum contra eos cũ militibus ſuis proceſſiſſet, ab ipſis victus remãſit. Die 13. Julij Albertus Radivilus Marſchalcus Lithuaniæ febri calida correptus, Cracoviæ diem extremum clauſit. Corpus ejus poſt aliquot dies Cracovia Rege cum Regina comitante eduxerunt. Inſequenti die Reginæ Senior una cum Infante Sueciæ propter peſtis ſuſpicionem verſus Varſaviam movit. Die 26. menſis ejusdem auditus fuit Legatus ſummi Pontificis, qui ante dies tres Cracoviam venerat. Subſecuti ſunt illum alij duo unus ex illis Camerarius fuit, qui Reginæ roſam auream nomine ſummi Pontificis obtulit, atque illi eunti ad templum prætulit. Inſequente die Rex cum Regina ad Comitia celebranda Varſaviam profectus eſt, quæ pro 7. die Menſis Septemb. anni 1592. aſſignaverat. Multi Senatores & nuntij Terreſtres convenerant.

Abſo-

Abſoluto ſacro Miſſæ officio de Spiritu Sancto, nuntij in unum congregati Marſchalcum elegerunt, è Lithuania Pacium. Secunda die dum vellent Regem more ſolito ſalutare nuntij Cracovienſes proteſtati ſunt, nolle ſe ſalutare Regem nec propoſitionem audire, nec ad aliquid agendum accedere, priusquam inquiſitio in Practicantes Auſtriacos fieret. Majores Poloni etiam inſtructionem ſuam monſtrarunt, in qua modus inquiſitionis proponebatur. Diu trutinando ſcriptum illud ad Regem tandem & Senatum expediunt, nuntios cum mandatis hic eſſe nimirum aliquos, qui Regem ſalutate & propoſitionem audire vellent; aliquos vero velle quidem ſalutare non vero adeſſe propoſitioni, quousq; de Inquiſitione Senatus aliquid non ſtatueret. Verum & hoc in puncto Senatores ipſi erant diſſentientes. Major tamen pars prævaluit, ut poſt ſalutationem propoſitio inſtitueretur, & ita ſolutus Senatus. Poſtera die nuntij omnes in hoc conſenſerunt, ut Senatores ab Inquiſitione vota ſua inciperent, circa quod punctum, Senatus in abſentia Regis clauſo oſtio integram diem conſumpſit ubi Cancellarius Regni cum Epiſcopo Cracovienſi diu verbis concertavit. Tandem cum conveniſſent, in id ut ab inquiſitione vota ſua inciperent, nuntiisque intimaſſent, die 12. ejusdem menſis gregatim ad Regem convenerunt & ſalutarunt. Die 14. Cancellarius Regni dum veniſſet ad Regem cum ViceCancellario ratione propoſitionis nonnihil contentionis habuit, Vicecancellarius tamen ingreſſum fecit & tractanda propoſuit. Uterq; Archiepiſcopus ſententias ſuas eadem die expoſuerunt, Gnesnenſis paulo acrius in Regem eſt invectus, ſed à Principe admonitus, mitius loqui cœpit. Inſequente die Epiſcopus Cracovienſis una cum Hieronymo Rozrazevio Epiſcopo Vladislavienſi vota ſua expediverunt. Hic quoniam in conciliando Regi Conjugio laboraverat, ſuſpicionibus non vacabat. Ideo urgebat ut ſibi, ſi quis aliquid contra ſe ſciret objiceretur, paratum ſe eſſe purgare. Poſtea alij Senatores ad eum collimabant terminum, ut inquiſitionis iſtius modus aliquis præſcriberetur, per Deputatos utriusq; Ordinis; Alij conabantur extorquere ſtatim ex illis, qui aliquam notitiam de factionibus iſtis haberent, ita tamen ut nulli ſubjacerent pœnæ, ſi nihil probarent. Die 16. Nuntij Cracovienſis diſtrictus proteſtati ſunt in conſeſſu Senatorum contra Epiſcopum Cracovienſis quod eum pro Epiſcopo nolint habere nec agnoſcere. Contra quos è converſo alij nuntij una cum Capitulo inſurrexerunt, proferentes ſi unum loco movere vellent, aliis idem efficere deberent, innuentes Præpoſitum Miechovienſem, & Abbatem Andrzeiovienſem. Hoc tantum in uno Palatinatu Cracovienſi eſſe, quid in aliis? Reſponſum à Rege velle ſe alio tempore, id committere judicio omnium Ordinum, dummodo id perficerent quod cœpiſſent. Inſequente die Nuntij cum Senatoribus inquiſitionem urgere cœperunt. Rex vero judicia poſt vota Senatorum adminiſtrare cœpit, quæ cum nuntios turbaſſent, quod prius inquiſitio perfici debuiſſet, volebant ad Regem mittere, rogando ut celebrandis judiciis tantiſper ſuperſederet: alij verò contradicebant, innuentes fore hoc contra Regiam Majeſtatem & dignitatem ſi Rex cœpta judicia non perſequeretur. Diſſentiebant inter ſe votis Nuntij, concluſerunt tamen, ut Regem rogarent velit autoritate Regia Senatores ad id perducere, ut unanimi voce unum omnes ſentirent, quod præſtare omnino difficile erat.

Poſt multas altercationes, Articulos varios in duabus fere chartis ſcriptos à Senatoribus ad nuntiorum conſeſſum Tilicki Secretarius Regni major attulit, ſuper quos per Palatinatus vota ederent; Interim Rex Judicia ſecundum conſuetudinem exercuit, quamvis multi ex nuntiis eſſent, qui ea improbarent, ab aliis tamen reprehenſi, ſuperſederunt. Seſſione ſoluta Caſimirſcius incidit in curſorem Vratislavienſem, cum exiſtimaret eum à Practicantibus aliquid novi adferre: literas accepit & nuntiis cæteris legendas propoſuit. Unas ad Varſevicium ſcriptas aperuerunt, cum nihil inveniſſent factionibus ſimile cæteras Marſchalco concrediderunt.

Expediverunt nuntios etiam illi qui ſeceſſionem fecerant, & in patenti campo ſub Varſavia circa volam, conſederant. Aderant autem ibi præcipui omnes, qui conventum Andreiovienſem celebrabant. Nomine omnium in circulo illo congregatorum, nuntiis ſuis Cracovienſibus exprobrabant, quod nondum inquiſitionem finiviſſent, cum terminus tantum duarum ſeptimanarum ab illis fuerit aſſignatus. Excuſationem adferebant illi ſe non eſſe in culpa & promittebant, nolle jam ad aliam conſultationem non finita prima accedere. Fremitus ſtatim nuntiorum ex aliis diſtrictibus eſt ortus; rem eſſe & novam & inſolitam, ut unus Palatinatus, in Comitiis proponere tractanda, & concludere, isq; invalidare comitia, vel ultra tempus definitum prolongare deberet: talibus & ſimilibus acclamationibus eos ad campum remiſerunt. Interim illi vota ſua continuabant, quæ diverſa erant, ideoq; loco concluſionis, modus nullus rixarum & controverſiarum circa Inquiſitionem reperiebatur. Interim nuntij Cracovienſes, illos qui in campo exitum expectabant, rogarunt, ut in unum convenirent, neve ſine illis concluderent, quod ipſi concordiæ cauſa præſtiterunt. Itaq; diebus tribus in conſultatione conſumptis declararunt nomine equeſtris Ordinis in campo reſidentis nolle diutius ultra diem Lunæ eos inquiſitionem expectare.

Inſuper

Inſuper ſcriptum ab illis quoddam attulerunt, à quo nulla ratione recedere poſſe aſſeverabant, quod tamen ſcriptum alij Palatinatus rejecerunt; quod etiam Jus ipſum de non præſtanda Obedientia Regi refutabat. In hoc tamen omnes conſenſere ut ad conclave ſuum venirent, & diverſas ſuas opiniones ſubjicerent judicio Senatus cum quo libenter Rege abſente conſilia vellent communicare. Quod cum ipſis eſſet permiſſum, poſt longas diſceptationes, declarationem Regis quæ die 28. Sept. oblata fuit admiſerunt. Cujus hæc erant Capita. Quod his conventibus qui ad hoc usq; tempus celebrati erant in bonam partem eos interpretando, Rex non commoveretur, neq; illis, qui præſentes illos aderant, perſequeretur, ſed omnibus ſe liberalem & æquabilem ſicut merita cujusq; poſtularent, præſtaret. Etſi cogitaret in Sueciam hinc proficiſci urgentibus ejus Regni negotijs, ut eam cogitationem penitus deponeret, & hic præſens in Regno ſemper maneret, cum inde ſuſpiciones & vani timores promanaſſent, maxime; occaſioque turbandi Rempublicam tam ſuis quam externis præbita fuiſſet, in tantum ut nec ipſe Rex ſuſpicione vacuus fuerit. Quamvis ipſe nunquam habuerit voluntatem deſerendi Poloniam, vel tollendi libertatem. Ejusmodi ergo factiones cum inde vel maxime permanent, nolle jam ſe illis occaſionem præbere, & licet advertat negotia Sueciæ Regni poſtulare ſuam præſentiam, verum ex alia parte perpendendo pericula Regni Poloniæ ex ſuo diſceſſu pullulantia, malle ſe illa relinquere & intermittere quantumvis cum maximo ſuo damno, aliaque potius media quærere, ut nimirum Ordines ex Comitiis iſtis Legatos ſuos ad Regem & Ordines Sueciæ mittant, qui tractent cum illis quibus mediis ſine turbatione poſt mortem Patris ſui in Regno ſui hæreditarij poſſeſſionem pervenire poſſit, ſimul perſpiciant, an ipſius Regis præſentia ibi requiratur, idq; in ſequentibus comitiis referant. Si Reſpubl. diſceſſum permitteret, cautionem ſe velle reditus ſui ex tempore præſtare, ſi interim mors Parentis ſui, interveniret, ſtatim ſe comitia indicturum, ut cum conſenſu Ordinum ſicut pacta conventa ſonant, proficiſceretur. Optare ſe ut tandem iſtis turbationibus finem imponant, & conſulere ut ad Regem Parentem ſuum expediant, rogando, velit apud vicinos Principes iſtis factionibus occurrere; contra autem Subditos ſuos proceſſum juridicum velle ſe inſtituere, ne poſthac aliquis idem facere præſumat. Facta ejusmodi declaratione Senatus per Archiepiſcopum Regi gratias egit & ſimul rogavit, ut cum nuntiis, ſicut in re gravi, poſſint conſilia communicare. Poſtquam Rex ſeceſſit ad conclave ſuum, diſcordia maxima inter nuntios orta: quorum alij erant declaratione Principis contenti, alij nullatenus in eam conſentire voluerunt.

Itaque unus poſt alium ad conclave ſolitum cum ſumma altercatione abivit. Deinde ratione Marcarum, quæ ipſis non erant ſolutæ, contentio cæpta: quas propterea ſubtraxit Theſaurarius, quod Deputatos non aſſignaverint ad faciendum calculum cum exactoribus Tributorum, quousq; Inquiſitio non perficeretur, præſertim Nuntij Cracovienſes Jordan & Morſtin, quos poſtea Rex ratione tributorum ad Judicium Caſtrenſe citari curavit. In ſenatu quoque Concordia non ſatis firma, in duas ſciſſi factiones: aliqui declarationem illam probabant, aliqui planiorem deſiderabant. Idem factum eſt in ſeſſione nuntiorum, ſecundam itaque Rex declarationem facere quodammodo coactus fuit. Sed nec illam aliqui Senatorum nuntiorumq; admiſerunt. Volebat itaque pars una turmatim ſine ullo ordine Regem accedere, urgendo Inquiſitionem; alij vero obſtiterũt, & ſanum ſuggeſſerunt conſilium ut nimirum mitterent ad Senatum, ſeq; declararent, nolle diutius unanimem conſenſum eorum expectare, ſed craſtina die mane eo venire, velle, & inquiſitionem incipere. Die itaq; 8. Octobr. poſtquam in Senatum venerunt. Archiepiſcopus Gnesnenſis longa Oratione in memoriam ipſis revocavit, omnia quæ ab initio Comitiorum ad hoc usque tempus inter eos ſint acta, hoc puncto finiens ſermonem ſuum, nolle jam ſe ulterius Inquiſitione factionum & profectionis in Sueciam Clementiam Regiam exacerbare ſatius id inciperent tractare, quod Rempublicam in tranquillo ſtatu collocaret; Et ſtatim prælecti erant aliqui articuli. Non contenta pars una, reſpondit, non conducere res iſtas mederi, donec prius factiones funditus tollantur, quod aliter fieri non poſſet, niſi aulici externi Regij in medium producantur. Aliis non videbatur modus tam rigidus cum Rege procedendi, ſed potius media quæ Senatus propoſuit apprehendenda eſſe omnino cenſuere. Eadem die Martinus Lesniovolski Caſtellanus Podlaſienſis, quoniam Rex eum habuiſſe notitiam harum practicarum aſſeruit, relationem & excuſationẽ in præſentia attulit omniũ. Die 9. ejusdẽ menſis Stanislaus Paulowski Epiſcopus Olomucenſis Legatus Cæſaris in Senatu auditus fuit, Comitia itaque ſine ullo fructu & effectu ſoluta ſunt. Illi enim, qui non in omnibus declarationem Regiam approbabant, Legatos ad ſummum Pontificem & Regem Sueciæ hac in materia expediendos non cenſebant. Quantum vero cautionem à factionibus attineret, conſtitutionem illam de non ſufficiendo Succeſſore meliorari volebant, præterea aſſecurationem ab aliquo progreſſu periculoſo & violento Maximiliani urgebant. Proceſſum in Practicantes admittebant, præterea ad congreſſum Equeſtris Ordinis modum certum electionis & excluſionis domus Auſtriacæ à Regno Poloniæ rejiciebant.

Regi diſceſſum non niſi ſecundum pacta poſt mortem Patris permittebant. Tum etiam Conſtitutiones Cancellariam conſtringentes formare, magiſtratus reformare, de Clenodiis inquirere, concordiam Bendzinenſem magis roborare, externos expellere, reformationem Reginæ ſuper Capitaneatus limitaneos, aut Juridicas Civitates, præſertim ſi Rex diſceſſiſſet è Regno tollere conabantur.

Quibus omnibus alia pars contradicebat. E Comitiis diſcedendo Stanislaus Gorkanus Palatinus Posnanienſis ultimus familiæ iſtius in Bloniæ è vivis exceſſit. Hæreditas ampla illius Czarnkoviis ceſſit.

Hoc quoque tempore Tartari Moſcoviam devaſtarunt, quibus redeuntibus cum maximis ſpoliis Koſaci ſe objecerunt. Itaque præda diviſa ſine ullo armorum ſtrepitu eos dimiſerunt. Turcæ etiam in Croatia & Hungaria multas Civitates Cæſari ademerant, qui induciis violatis propterea quod multa damna à maritimis hominibus Cæſari ſubjectis perpeſſi fuiſſent hoſtiliter ditiones ejus depopulati ſunt.

Tunc quoq; Sueciæ Rex fatis conceſſit, occaſionemque diſceſſus Regij in Sueciam, ut infra dicetur, præbuit.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti

LIBER X.

NUntio mortis Paternæ Joannis III. Sueciæ Regis accepto, in diem quartā Maij, Varſaviam Comitia Rex indixit. Mortuus jam fuerat, Vigilia Divæ Catharinæ, nuntium tamen ejus: non priusquam ſub initium anni hujus nonageſimi tertij Rex acceperat. Ac cogitarat quidem Thoruniam Comitia indicere: ex majoris tamen partis Senatorum ſententia, Varſaviam deinde ea indixit. Annus hic duos inſignes Senatores abſtulit, Martinum Leſnovolſcium Caſtellanum Podlaſienſem cum Literis, tum elegantia, rerumque externarum peritia cultiſſimi ingenij. Marſalcum tum Petricoviæ Tribunalis regni, & Andream Opalinſcium Marſalcum regni, qui & conſilio & prudentia, & gravitate Senatoria imprimis clarus erat, ideoq; & apud Stephanum, & præſentem Regem Sigismundum plurimum gratia autoritateq; valuerat; Mortuus fuit Poſnaniæ, ſub initium quadrageſimæ. Coſinſcius interim Podlaſienſis, Dux Coſacorum manu non parvâ collectâ ad quinque millium circiter in Podolia graſſabatur. Maxime in poſſeſſiones Ducis Oſtrogiæ Palatini Kiovienſis. Univerſo regno periculum imminere videbatur. In Podolia filius ejus Januſius: In Polonia circa Tarnopolim & Ungaria ipſe militem conſcribit, Coſinſcius Tarnopoli, ubi habitabat diffidens, Piatkum ſeceſſit, eoq; communito aciei rem committere volens ad prælium egreſſus fuit: ab initioque ſecundâ fortunâ pugnans, ad extremum virtute, maxime Januſij filij militisque ejus, gravis armaturæ pugna reſtituta: ipſeque fuſus fugatusq; fuit. Ad tria millia Coſacorum cæſa Coſinſcius rebus deſperatis Duci Oſtrogienſi ſupplex fit. Ex oppido progreſſus fideique ejus ſe credens certis conditionibus in gratiam ab eo recipitur. Inter quas prima, ut imperio Coſacorum in perpetuum ſe abdicaret: Verum Juramento, quod præſtiterat, violato, maximèq; Alexandrum Viſnioviecium Capitaneum Circaſienſem, qui cum aliis compluribus Palatino Kiovienſi auxilio fuerat, ulciſci cogitans, manu iterum collecta Circaſium ſe confert; Ubi in hoſpitio ebrius à familiaribus Viſnioviecij interficitur: quadringenti etiam Coſacorum cadunt. In priore prælio cum Palatino Kyovienſe ad 26. Tormenta bellica ei ablata campeſtria, & ſigna ferre omnia. Die 15. Martij ſe dedit. Sub finem Martij quemadmodum in aliis Palatinatibus, ita Broſoviciis etiam ante comitia Conventus habitus. Contentiones in eo non parvæ de Januſio Duce Oſtrogiæ Palatino Volinienſe, tum Caſtellano Cracovienſe deſignato fuere: aliis pro Indigena Cracovienſe eum agnoſcentibus, aliis ad Voliniam eum revocantibus. Quibus facilè rejectis cum ornatiſſimo comitatu poſt conventum mox Cracoviam ingreſſus, ſigna de Coſinio capta, Skalcæ ad Divum Stanislaum ſuſpendit. Ante Comitia Joannes Zamoiſcius Grzimalius Secretarius, qui Archiepiſcopus Leopolienſis poſtea fuit, ad Cæſarem miſſus, quæ ex transactione Bendzinenſe adhuc requirerentur, ut Juramentum Maximiliani Ungarorum, & alia nonnulla poſtulaverat. Ad comitia deinde Senatores non admodum frequentes, nuntij etiam diſſentientes venerant. Ex Palatinatu Cracovienſe duodecem, ex Volinia totidem de Marſalco maximè nuntiorum controvertentes. Die 14. Maij Nicolaum Danieloviciū elegerunt. Propoſitio à Zamoiſcio pro loco magiſtratuq; ejus tanquam regni Cancellario facta, inprimis mors Regis Sueciæ & propoſita & deplorata: neceſſitatesque quæ ob eam in Sueciam excurrendi Regi incumberent, demonſtratæ. Sententiæ inde à Senatoribus pro more dictæ. In quibus imprimis Ducibus Oſtrogiæ pro republica contra Coſinſcium geſta gratiæ actæ. Non parvū

enim periculum univerſæ reipubl. niſi oppreſſum mox fuiſſet, imminere videbatur, tumultusq; ejus, qui opera ſtudioque Zolkievij cum Loboda Nalevaiconeq; Ducibus Coſacorum non multo poſt extinctus fuit, initium quaſi quoddam Coſinſcianus is erat. Ut Rex ſi fieri poſſet maneret, perq; legatos potius quæ agēda eſſent ageret; omnes imprimisq; Zamoiſci⁹ petiere, multisq; rationibus perſuadere ei conati fuêre. Verum literæ è Suecia oſtenſæ, quæ præſentiam Regis requirebant, fruſtra omnia tentari demonſtrabant. Die 23. Maji die Dominico filia Reginæ nata Anna Maria. Miſſus cum nuntio eo ad Archiduciſſam matrem Nicolaus Volſcius Gladifer tum regni, nunc ſupremus Marſalcus: ad Cæſarem Bojanovius Cubiculi regij miniſter: ex conventibus qui comitia antecedebant, diſſenſiones nonnullas partim veteres de Radivilo, Epiſcopo Cracov. partim recenſiores de Duce Januſio Caſtellano Cracov. ad comitia nuntij ſecum attulerāt. Quemadmodum ante oſtenſum eſt, Zamoiſcius Grzimalius ante comitia adhuc de nonnullis rebus, ex communibus pactis poſtulatū, miſſus ad Cæſarem fuerat. Legati igitur ad comitia hæc à Cæſare miſſi, imprimis mortem Regis Sueciæ recepto, inter Principes officio lugent: tanquam propinquo officia omnia deferunt: Maximilianum & Ungaros in tranſactionem Bendzinenſem nondum juraſſe excuſant; ut quos Cæſar in poteſtate ſua non habeat, itidem quod ſigillum imperij, Transactioni non adjunctum; ut quod ſine conventu Imperij adminiſtrari non poſſet, oſtendunt, ſatis ſigillo regni Bohemiæ eſſe: itidem quod Rex Hiſpaniarum eam nō confirmaſſet: nihil autem ex omnibus iis rebus periculi eſſe; ut quod prohibendo non permittendo, avertere omne Cæſar poſſet. Quemadmodum aliis in rebus ut plurimum à Principibus reliqui etiam ferè pendent: ita tum etiam controverſiis, quæ inter Cardinales Radivilum & Batorium potiſſimæ erant, compoſitis reliqua facilia fuere: Comitiaq; præter omnium opinionem biduo fere ante exitum, inclinata re ex ſententia ceſſere. Compoſitæ autem fuerant, potiſſimum opera Nicolai Firlei Palatini Cracovienſis, cumq; ſuperioribus comitiis mentio nulla diſceſſus Regis niſi poſt mortem patris admiſſa fuiſſet. Tum ex pactis Rege eum poſtulante, difficile negari ei potuit: tributum etiam decretum, ex quo ducenta millia Regi in iter: tertium etiam à Lituanicis ordinibus promiſſum ei fuit. Cum autem Rex intra annum, ſe iterum ſtiturum promiſiſſet, mutuò à republ. cautum ei fuit, integrum per id tempus ſervatum ei regnum fore. Reformatio etiam Reginæ quæ ſuperiorum Comitiorum contentionibus infecta fuerat, ſummo omnium conſenſu conſtituta in hiſce fuit. Confœderationi, quæ ut plurimum Comitia moratur: nonnunquam etiam inficere ſolet, & illa quoq; non parum morata fuerat: Conſilio tandem Zamoiſcij Generali clauſula qua nimirum publicæ paci cavebatur, cautum. Novarum rerum rei, ſeu practicantes ut vulgo vocabantur, ad Tribunal remiſſi, Legati etiam externi omnes per abſentiam Regiam regno excluſi, Valedictio tandem mutuis fauſtis acclamationibus tam nuntiorum, quam ex parte Regia celebrata. Sub finem comitiorum nuntij de excurſione Tartarorum, in Voliniam allati fuerunt, à Coſacis victoria Ducis Oſtrogienſis læſi exciti putabantur: excurſione in Moſcoviam ſimulata, excubias vel fefellerant, vel oppreſſerant, captivos multos abduxere: maxime mulieres, viris, vel in comitiis vel tribunali, quod Volinicas cauſas tum judicabat, abſentibus. Miſſus ad eos Nicodemus Coſacovius, quod literas fidei publicæ obtinere non potuiſſet, ex itinere redijt: ad aulam etiam Turcicam, Vaclavus Drozinſcius, aulicus regius miſſus, ut ſub tempus hoc diſceſſus regij animum Principis Turcarum exploraret, confirmaretq;. In itinere in exercitus Turcicos, qui in Ungariam tum ibant, non ſine periculo incidit, Conſtantinopoli ſatis humane exceptus; quod tamen munera nulla ſecum attuliſſent, diū ad ipſum Principem Turcarum non admiſſus fuit. Sed cum neq; literas regias, extorqueri à ſe paſſus fuiſſet, neque apud Feratam Baſſam primarium Legationem exponere ſe cogi, ad ipſum Principem poſtea admiſſus rebusq; ex ſententia confectis dimiſſus fuit, 4. Julij Baptiſmus Infantis Annæ Mariæ celebratus fuit. Initiata fuit à Georgio Radivilo, Cardinali, ſuſcipiunt: Legatus Cæſareus Vladislaus Berca, Marſalcus regni Bohemiæ, legatus Archiduciſſæ Comes de Ture, Regina Senior, quæ Infantem etiam ad templum tulit, Infans Sueciæ, alij ex delegatione ſummi Pontificis, ut Albertus Baranovius Epiſc. tum Plocenſis, Chriſtophorus Radivilus, Palatinus Vilnenſ. Georgius Mniſſek, Palat. Sendomir. Caſtellani aliquot. Sub idem tempus diluviū Cracoviæ fuit, maximis cum detrimentis plurimorum ædificiorum. In æde Bernardinorum, ad tres ulnas aqua excreverat, eadem menſura Stradomi, in æde Divæ Catharinæ Caſimiriæ cellaria omnia plena: multæ villæ cum hominibus incolisq; abreptæ die 3. Aug. Rex Varſavia Sueciam verſus profectus, filia relicta, Petroque Tilicio regni majori Secretario, Radivilæque viduæ filiæ Ducis Curlandiæ commiſſa. Die 2. menſ. Sept. Tumultum plebis Gedanenſis expertus fuit, ex jurgio duorum Haidonum, cum naviculario in quo & cœnaculum ipſum regium quod in forum ſpectabat, globis appetitum. Ex utraq; parte aliquod deni homines cecidere. Comitati Regem in Sueciam fuere, Germanicus Malaſpina, Epiſc. S. Severi, Nuntius Apoſtolicus: Joannes Tarnovius Vicecancellarius, Petrus Tilicius major Secretarius Stanislaus Craſici⁹ Caſtellanus Przemislienſis, Gedanum etiam Hieronymus Rozrazevius, Epiſcopus Vladislav. Andreas Batorius Cardinalis Epiſcopus Varmienſis, & alij nonnulli Senatores, Deci-

ma ſexta Sept. à Laterna mare ingreſſus, cum Navium quinquaginta circiter claſſe 23. Sept. ab Hela tempeſtas. Sub novilunium Regem Calmariam petentem, Stokolmiam cum Regina & Infante rejecit: reliquas naves disjecit, omnes per eam tempeſtatem in maximo periculo fuére, qui in Gotlandiam Danicæ ditionis, peninſulam rejecti fuerant. Humaniter ibi excepti, adjutiq;. Rex etiam cum Regina à Carolo ordinibusq; Stokolmiæ exceptus, Upſaliæ deinde coronatus fuit. Sub finem menſis Decemb. Loboda cum tribus millibus circiter Coſacornm, Jurgovam non procul à Bialogrodo Turcicæ ditionis ſub ipſum tempus nundinarum diripit, cum prædaq; nō parva diſcedit. Quos Turcæ Tartari Valachiq; Boryſthenem verſus inſecuti. Coſaci à Chlopicio, qui Stephani Regis tempore cubicularius fuerat, authoritate Cæſaris inducti putabantur, à quo ſigna, literas, pecuniam, ad ditiones Turcicas infeſtādas tradidiſſe eis dicebatur: cumq; Moſco conſilia communicaſſe, quas ob cauſas Cracoviæ in vinculis fuerat, ſed ex iis in Sileſiam evaſerat. Per abſentiam Regiam ad Carncovium Archiepiſcopum Gneſnenſem, tanquam Regni Primatem, menſe Februario legationem Cæſar mittit. Duo ejus potiſſimum capita erant, unum de Tartaris, per regnum in Ungariam tranſitu prohibendis: alterum quod de fœdere contra Turcas, primarios aliquot legatos mittere Cæſar conſtituiſſet, quem in locum & ad quem diem mittere eos deberet, quærebat: Literæ ad Regem in Sueciam miſſæ mox fuere, convocatio autem ad reſponſum Cæſari dandum, in decimam nonam menſis Aprilis Varſaviam indicta fuit. Legatis Cæſaris in ea reſponſum ſine rege nihil ordines ſtatuere poſſe, de Tartaris tranſitu illis prohibitum, iri promiſſum. Simul autem de Chlopicio aliisq; Coſacis in alieno imperio militari, ſignisq; contra hoſtem tributis, & quaſi arbitrio cum vicinis pacis rumpendæ, fœderumq; tollendorum permiſſo, queſtum. In eadem convocatione Czauſius cum literis Principis Turcarum ad Regem, Feratis Baſſæ ad Senatum, ad priſtinam amicitiam, in eaq; conſtantiam eos hortabatur: bellum in Ungaria Sinane Baſſa, cum exercitu miſſo ſuſceptum: Chanum Tartarorum ſecum ducturum ne à Coſacis aliisve impediretur, poſtulatum. De amicitia large reſponſum: de Coſacis, ut hominum genere, vago nihil certi promiſſum niſi vicinis Præfectis ut quantum poſſent, in officio eos continerent mandatum iri. Querelæ in Tartarum de damnis, proximè illatis adjunctæ. Literæ ad Regem miſſæ, ſimulq; ut negotiis ejus regni confectis, quamprimum ad nos ſe reciperet, petitum. Anno nonageſimo quarto die 7. menſis Julij Stanislaus Minſcius Palatinus Lancicienſis Canonizationem D. Hyacenti, vexillumq; ejus Goslicio Epiſcopo Przemisl. & Nicolao Zebrzidovio Palatino Lublinenſe obviam ei progreſſis, magnis ceremoniis Cracoviam intulit. In Ungaria interim Mansfeldio Duce egregij Chriſtianorum contra Sinanem Turcasque progreſſus erant. Villacum Sabbathi, ad extremum Chatfan capta, ad quadraginta millia Turcarum primariorum militum cæſa. Tartari interim per Poloniam contra omnium opinionem in Ungariam transeunt, plærosq; quidem vicinos Senatores & præfectos, ut intenti in eos eſſent, Zamoiſcius præmoverat ſed exercitu non parato, difficilis ſanè tranſitu eos prohibendi ratio erat. Incipiendo enim à Stryo usque ad Scepuſium, fines cum Hungariæ ſunt, inter quos, quo loco perrupturi Tartari eſſent, incertum ita ut univerſi obſervandi eſſent. Menſe igitur Julio Valachia in Pocutiam Tartari progreſſi, ſine negotio transeunt, non paucis damnis in Pocutia datis, Samborumq; ſe convertunt; quo in itinere aliquot oppidula incendunt, ut Sniatinum, Zakow, Tlumac, Ciecebiſſi, cui Jacobus Potocius, cum Jacobo Koricinsky, & Scucio, centumq; circiter equitibus ſe incluſerat, cum quibus aliquandiu velitationibus Tartaros morati, poſtquam univerſi conveniſſent, obſidione, jaculationibusq; tam ſagittarum, quàm tormentorum Janiczaros enim ſecum habebant, urgere eos cœperunt. Interim tormento è Caſtello exploſo pulveris tormentarij, vas ipſumq; caſtellum incenſum, quo facto equis etiam dimiſſis, maximè Tartari oppugnare cepere, jamq; in ingreſſum caſtri irruperant, Potocius igitur cum Scucio aliisq; quos circa ſe habebat, pugna illis data, per aciem eorum, maximè cum iis qui in equis erant, pervaſit. Incenderant ſimul Tartari Tismieniciam & Chaliciam, in qua Stanislaum Vlodkonem Palatinum Belzenſem obſederant, oppugnabantq;. Re tamen infecta non exigua cum ſtrage ſuorum recipere ſe coacti fuerant; Indeq; Kaluza etiam & Volinia incenſis, contra morem ſuum plures, ubiq; cedebant, homines quam captos abducebant. Zamoiſcius tranſitu illorum cognito; cum iis quos è tempore cogere poterat, in montibus occurrere illis cogitabat, non exiguamq; jam copiam, circa ſe habebat, undique enim homines ad eum confluebant; Inter quos Januſius Zbaraſius Palatinus Braclavienſis non exiguo numero ad eum venerat: Georgius Mniſſek etiam Palatinus Sendomirienſis, non contemnendas copias contraxerat, omnes hi circa Samborium per viam Piotrovienſem, quam vulgo vocant, venturos eos exiſtimabant: inter quos ipſe Zamoiſcius qui eo die Samboriū venit, quo Voliniam Tartari incenderant, adque Samborium caſtris poſitis, eo animo ut Zolkievium cum exercitu quartano ibi exſpectaret, caſtra munire ſeq; defendere conſtituerat. Tartari ad ſilvam quæ objecta erat, caſtra munierant, ſed poſtea debilibus, plerisque jumentis in caſtris relictis, vexillisq; nonnullis in ſpeciem diſpoſitis tacite per noctem, è caſtris ſe ſubduxerant, ita ut poſtridie demū de diſceſſu eorum à noſtris cognoſceretur. Itaq;

Itaque Drohobiciam Zamoiſcius inſecutus eos fuit. Quo in loco cum præter Samborienſem binas vias hoſtis in Ungariam haberet, unam recte in Ungariam Munkacium, alteram anguſtiorem Chuſtam, ad hanc ſe convertit, quamvis impeditiſſima è tribus hæc eſt: Samborienſis omnium latiſſima tritiſſimaq;: ſatis diligenter noſtri eos inſecuti, curribus etiam plerisque & impedimentis abjectis: vel viæ impedimentis, vel à Corniſſio Ungaro in ſylvis eis objectis, alicubi retardatos, aſſecuturos ſe eos ſperantes. Verum Tartari & opinione citius per montes evaſerant, & impedimenta in montibus ſylvisque inciſione arborum à Corniſſio eis objecta facile removerant. Vinitores enim non paucos è noſtris coegerant præmittebantque, qui ſecuribus inſtructi vias illis expeditas reddebant. quos poſtea vel cædebant, vel integros etiam dimittebant. Ciganis autem ducibus uti dicebantur. Noſtri per Bieskiedi eos inſecuti, cum in agrum Tranſilvanicum perveniſſent, re tota rectius cognita alij tanquam hoſtes hoſtibusque in Regno damnis editis perſequendos ſtatuentibus, in aliena tamen ditione abſtinere ab iis viſum. Cum in Suecia Rex eſſet, Paulo ante reditum in Poloniam filia Catharina ei nata fuit, quæ primum ibi diem vidit, & ſummum: ſacro tamen Baptiſmo initiata in Poloniam deportata Cracoviæque monumentis Regiis illata fuit. Rebus autem Sueticis pro tempore conſtitutis, 20. Auguſti Gedanum Rex rediit, ſecunda Octobr. Cracoviam. Irruptio autem hæc Chani Tartarorum per fines Pocutiæ & Tranſilvaniæ in Ungariam cujus ſupra mentio facta eſt, ut in Ungaria res Chriſtianorum non mediocriter afflixit ita in Polonia varie animos hominum affecerat, alij ardere dolore injuriaque: alij de vindicta in Scythas & ipſi cogitare & alios accendere. Non deeſſe, qui dolore & invidia publica in unum Zamoiſcium converſa, non tam quod acciderat, moleſte ferrent, quam illis in ordinem cogendi tempus ſe nactos arbitrati potius gauderent. Maximè autem ipſum Zamoiſcium reipubl. cura ſollicitum habebat. Ad dolorem enim ex tranſitu Tartarorum publice omnibus inuſtum, non minor cura accedebat, expectatio ex Ungaria reditus ipſorum. Nam etiam ipſe Chanus in reditu ſuo ex Ungaria in Polonia ſe hyematurum, denuntiarat, & captivi, quorum aliquot à Michaele Viſnioviecio excepti, miſſi ad eum fuerant, ita cum fratre, quem Vicarium Imperij in expeditionem eam proficiſcens, domi reliquerat, comparaſſe eum indicabant; ut ex Ungaria per fines Poloniæ redeunti, cum iis, quas domi penes illum reliquerat, copiis ſibi occurreret, atque ita duplici exercitu occupatos ancipitesque nos deſtineret: quod etiam ſine indicio: perpetuum prædæ ex qua ſola fere ſe tolerant, undecunque cogendæ coactæque per Turcicos Mercatores diſtrahendæ, inſtitutum, illorum facilè omnibus perſuadebat. Cum tamen apparatum belli Tartarus nullum facere neceſſe habeat, ſed ſemper paratus, ſuas ferè occaſiones exſpectaret, tum maxime & contra eos potiſſimum tentare aliquid & poſſit, & ſoleat, quos à juſto apparatu nudos & deſtitutos ſciat, pro certo eum venturum confirmare quis poterat? In incertitudine autem, iſta voluntatis hoſtilis ſi exercitus nihilominus pararetur, apparatumque eum evadendo hoſtis eluſiſſet, ex ijs quæ antea expertus fuerat, multorum invidiæ atq; vocibus obnoxium, futurum facile intelligebat, qui & fruſtra hornines eum territore, novas res tentare: & cum potentiæ ſuæ, tum aliorum opprimendorum cauſa ſemper armis ſuccinctum velle incendere, vel ſub proximum tranſitum Tartarorum ſparſerant: eaq; maxime re ſtudium curamque hominum de arcendo hoſte minuerant: æquis auribus eorum quibus vel tributa in militem, vel ipſius militis ſtativa non poſſunt gravia non eſſe. Inter hæc cum verſaretur, ſubque idem tempus ex Suecia Rex rediiſſet, quam primum Gedanum appuliſſe, eum cognoverat, Joannem Felicem Herburtum in Pruſſiam mox obvium illi miſit, per quem iis de rebus ſine mora ad illum referret. Poſtquam etiam Cracoviam jam Rex veniſſet. Reinoldo Heidenſteinio in aulam miſſo, ſimul cum legato etiam Pontificio Epiſcopo S. Severi Germanico Malaſpina, Senatoribus quibusdam communicat. Qui ſummum Pontificem etiam certiorem de iis faceret: Demonſtatis autem iis quæ ſupra commemorata ſunt, ut gravè fortaſſis, fruſtra. Apparatum facere eſſet: ita multo gravius eſſe oſtendebat imparatum prædæ hoſtis patere: & cum ſe ipſos tumque chariſſima hominibus eſſe ſoleant, crudeliſſimi hoſtis libidini, ac teterrimæ ſervituti exponere, quorū aliquid vel videre morte ipſa intolerabilius omnibus eſſe debeat. Maximè in id incumbebat, ut jam non de propulſando hoſte, verum de injuriis ejus ulciſcendis, belloq; ultro ei inferendo, cogitationem Rex ſuſciperet.

Quandiu enim vel omnino malum id non exſcinderetur, vel ſibi ſuisque etiam rebus timere aliquando inciperent: non modò pacem certam nunquam eos habituros. Verum etiam, vel in perpetuo apparatu maximo cum ſumptu: vel in periculo ſine apparatu futuros; quorum utrumvis, aut populationes aſſiduæ, vel ſine ullo operæ pretio magni ſumptus, quantopere quodvis Regnum exhaurire poſſent, quem non intelligere, ut maxime autem à populationibus abſtinerent, & graviſſimum tamen fere eſſe, quantum in nobis eſſet, prædæ ſemper patere: & eo graviorem etiam ferè adhuc ejusdem rei metum atque periculum.

Superioribus quidem annis nonnihil populationes iſtas illorum aliquandiu conquieviſſe, nunc & ducem illis promptiſſimum acceſ-

accessisse: & ex proximæ excursionis hujus successu animi non parum. Jam vero rationem hanc, non modò cum regni hujus salute, verum præsentis etiam temporis, consiliis juvandæ contra Barbaros Christianitatis maxime conjunctam esse; quæ vel juvari omnino à nobis non posset, nisi hostem eum, qui & præsentibus nobis insidietur, & in militiam profectis, domibus liberisque nostris multo magis etiam metuendus immineret, prius submoveretur; vel satis à nobis juvaretur. Si Tartarus solus destineretur, hæcque quasi dextra ala ab exercitu Turcico abscinderetur. Quantum enim & celeritate, & animo, & numero valeat, quantisq; incomodis afficere res Christianorum posset, vel præsentes Ungariæ clades satis testari: reveraque ad omnia, quæ in hoste spectanda sint, nihil ferè ei deesse nisi quod prædonum potiusquam hostium animos gerant, magisque ad vastanda quam occupanda regna militia illorum comparata sit; ac licet non æque fortassis omnes armati sint: plærisque tamen & arma non deesse, & qui eo animo sint, quo illi, ut omne periculum, atque vitam adeò ipsam, pro nihilo ducant, satis armatos habendos esse. Quod si in Ungaria illis res successisset, incolumemq; exercitum inde reduxissent, nisi expeditione hac, & bello præveniantur, gravius etiam fortassis, quid verendum esse; ne partim fama virtutis eorum exciti, partim spe prædæ illecti, ex remotioribus etiam Hordis plerique se illis adjungant: omnisque illa ulterior, ab ipsisque Scythiæ montibus barbaries in Christianitatem paulatim se effundat; Attilanorumque & Battianorum temporum pericula nobis referant. Subintellexisse se delatam fuisse, partem quandam hostis ejus distinendi, ad Moschum: Sed & ipsum ferè præsidio, potius contra Tartaros, quorum incursionibus, magis ferè, quam quisquam alius infestari soleret, egere. Gratum Regi consilium fuit, cum enim sua sponte & hostis injuriæ eum moverent, & tam necessario pioque bello, maxime ipse etiam operam navare christianitati cuperet, animum veræ laudis & gloriæ avidissimum rationes hæ eò magis etiam incenderunt.

Præter hæc verò, quod in plerisque magnis bellis accidere solet, idem in hoc ferè contra christianitatem in Ungaria à Turcis cœpto evenerat, ut vicinas quoque ditiones, omnes partim traheret secum, partim commoveret. Principio Transilvaniæ res turbatæ, jam ab initio belli, de excutiendo imperio Turcico, societateque contra illum ineunda & à summo Pontifice Clemente VIII. per Alexandrum Comuleum & à Cæsare Domino Rudolpho per certos homines cum Sigismundo Principe Transilvaniæ communicatum fuerat. Principem & Tirannis Turcica stimulabat, etiam iis, quibus maxime comem se præstat, intolerabilis: & conditiones movebant, ex quibus præcipue spes matrimonij cum Maria filia Archiducis Caroli sorore Reginæ Poloniæ, tum jus Principis Imperij. Ex nobilitate, & consiliariis ipsius, ita ut maxime autoritate, & opibus quisque præstaret, quæ tutiora putabant, malle; A quibus vel inductus, vel etiam difficultate negotij suscepti ei mole ipsa rerum territus postquam cum Balthasare Battoreo, fratre Patruele certis conditionibus de imperio illi tradendo, pensionibus annuis ex eo præstandis transegisset, ipse in civitatem aliquam Italiæ secedere constituerat, jamque sub idem fere tempus, quo Chanus per Ustensem præfecturam ejus in Hungariam penetrarat, eo consilio iter ingressus fuerat, eodemq; tempore Conventus provincialium habebatur. Discessu ejus reque tota à Stephano Boczikaio avunculo ejus, ceterisque qui ignari consilij ejus fuerant, cognita, atque ad ordines delata, & avunculi autoritate & publico provinciæ decreto, ex itinere revocatus redijt, jamque satis ad imperium retinendum animatus, offensione omni primum dissimulata, comiterque omnibus habitis, cum interim siculos, genus hominum Montanum & in armis natum, evocasset, præsidiaque alia necessaria disposuisset, die festo primarij, quique ad deducendum Principem præsto adesse jussi, ex quibus in atrio, in quo dum Princeps progrederetur, præstolabantur.

Imprimis Balthasar Battoreus, & Alexander Kendi, Wolffgangus Kovaciocius Cancellarius, Joannes Bornemissa, qui in Stephani regis omnibus fere bellis, ordines inter Ungaros duxerat, primæq; virtutis præfectus habitus fuerat, & nonnulli alij, omnes affinitatibus inter se devincti, opibusque & autoritate Provinciæ ejus facile primi comprehensi; primumque in diversas custodias distributi fuêre. Postridie Alexander Kendius publicè supplicio affectus, bona etiam mox in publicum redacta; reliqui in præsidia singula distributi, in quibus haud multo post ipsi etiam vivere desierunt: bona eorum similiter publicata. Stephanus Battoreus Germanus frater Balthasaris, cum ab aula tum abesset, sub primum nuntium aliorum comprehensorum, in Cæsaris ditione in Ungariam ad propinquos, inde ad fratrem Andream Cardinalem in Poloniam evaserat. Nuntius rei in Transilvania gestæ mortisque aliorum adventum ipsius præverterat, qui cum omnium animos commovisset, tum maximè ipsum Cardinalē eo dolor provexit, ut publicè gravissimis verbis, ad Regem & Senatores, qui tum ad Regem Cracov. convenerant, rem deferret, literas de cedendo fratri suo Balthasari Principatu manu Principis subscriptas publice recitaret. Principem gravissimè accusaret. Aliquoties deinde cum summi Pontificis nomine tum ab aliis frustra reconciliatione tentata, tandem ipse quoq; una cum fratre Stephano, à Principe proscriptus, possessionesq; eorum, quas in Tran-

Transilvania habebant, occupatæ. Idem Comuleius cujus opera ad Transilvaniæ Principē summus Pontifex utebatur, utriusq; Valachiæ etiam Palatinum solicitabat, quarum ulteriori, quæ ad Constantinopolim propius spectat Michael Bauscius Rani filius alteri huic Poloniæ, conjunctæ Aaro quidam præerat. Utrunque non tam voluntas conjungendi periculi, quod maximum se subire intelligebant quam necessitas stimulabat. Quod enim versuris maximis apud mercatores factis, imperium ab aula Turcica emissent: majus verò etiam tributum ex Provinciis iis promisissent, quam præstare ullo modo possent, cum quacunque ratione, pereundum sibi intelligerent, quanam potissimum perirent, non multum quidem interesse, ut tamen rebus novatis honeste potius perirent, optandum illis videbatur. Quod tamen gravior propioris periculi, metus ancipites haberet neutri parti adhuc se aperiebant. Itaq; cùm Chanus Tartarorum sub idem ferè tempus Danubium navibus transmisisset, perq; ditiones Turcicas in Ungariam se iturum ostentasset; & lautia iis in locis, per quæ iturus erat, illi parata, & cùm subitò postea in Pocutiam iter convertisset, triginta millibus talerorum ut sine maleficio transiret, placatus ab Aarone fuerat; Inductus à quibusdam & spe auxiliorum à Principibus Transilvaniæ & Valachiæ, pecuniaq; aliqua à Comuleo etiam accepta. Nicolaus Jaslovięcius Præfectus Sniatinensis, quòd juventutem omnem Tartaricam in Ungaria esse existimaret, si Cosacos sibi adjunxisset, privatoque sumptu equestres copias aliquas contraxisset, desertas sedes ab illis occuparet, & cum eorum injurias ulcisci, tum perpetuam sibi nominis famam comparare posse ratus, ut ad alios Senatores plerosque, ita maxime ad Zamoiscium etiam, ut qui imperio militari præesset, eade re retulerat. Zamoiscius etsi non modò magnam minimeque privatarum opum rem esse videret; & hujusmodi, quæ ne regij quidem arbitrij, sed tota in ordinum potestate esset, ut tamen ex aliorum Senatorum arbitrio, quod è Republica maxime fore arbitraretur, statueret, ei permittebat. Ita cùm ille magnam partem fortunarum suarum in eam rem profudisset, tandem à Cosacis qui non hostem sed prædam quererent, tempus idoneum in Tartariam tendendi effluxisse causantibus desertus fuit. Ancipitem verò Aaronem non multò post Cosaci etiam perterruerunt, quibus ut supra ostensum est, Chlopicius pecuniam à Cæsare attulerat, & vexillum Cæsareum cujus auspiciis ditiones Turcicas ex hac parte adorirentur. Absente omnia hæc, in Suecia Rege fiebant, quo pejoris exempli res videri, inconsultis regni ordinibus privatâ autoritate militem in alieno regno autorari: belli pacisque cum vicinis turbandi arbitrium quenquam sibi sumere; externa deniq; signa, externum imperium, intra fines regni volitare.

Itaque cum quemadmodum ostensum est, aliquanto ante transitum Tartarorum conventus Senatorum habitus Varsaviæ fuisset, publicæ scriptæ ea de re ad Cæsarem literæ fuerant. Cura earum mittendarum ab Archiepiscopo suscepta. Causa omnis in Chlopicium à Cæsare translata: qui Cosacos liberos homines esse ostendisset, neq; quicquam cum regno commune habere. Cosaci nihilominus ductu Lobodæ Valachiam sub signis Cæsareis ingrediuntur. Niestrum infra Sorocum transmittunt, Aaro adventu illorum cognito. Tasso sede Principum Valachiæ recta obviam illis progreditur. Cosaci oppido Cocora in citeriore ripa exusto cum ex superiore loco tormentis petere eum cepissent, Aaro ad fines Moldaviæ profugit. Cosaci transmisso Pruto Tassium subito invadunt. Regiam ipsam incendunt, oppidum diripiunt, mox universo itinere villas oppidaq; opprimentes, & obvia quæque rapientes, & igni & ferro sævientes se recipiunt, ab eoque tempore jam intra fines regni prædas agere instituunt, cumque non modò, qui ex nobilitate vel fortunis lapsi, vel proscripti, vel rei capitalis damnati, vel etiam inimicitias quas ulcisci vellent haberent, sed promiscue servitia etiam rusticana ad illos confugerent, hisce maxime ducentibus & ædes possessionesque privatas nobilium diripere, & ut quisque maxime gravē sibi omnium fuisse diceret, ita crudelissime in eum sævire, ut & equis in partes diversas quosdam discerperent, & nonnulla alia inauditæ crudelitatis exempla in plærasque ederent. Non multo autem postquam Cracoviam Rex venisset, Nuntium Jaurini amissi die 17. mensis Novemb. allatum gravissime etiam animos omnium perculit. Senatum sub id tempus Rex habebat, cum literæ cladis ejus nuntiæ in ipsum Senatum allatæ lectæque, tantum in omnium animis dolorem tantas in vulgo lachrymas concitarunt, ut non præsidium aliquod Ungariæ sed suburbium Cracoviæ amissum videretur, publicæq; supplicationes seu deprecationes ad Deum eo nomine habitæ. De Herdecoque tanquam qui contra fidem datam præsidium dedidisset, supplicium postea sumptum, Turcæ per Danubium pontem jecerant, cui rei tanquam improvisæ cum Archidux Matthias cessisset, castra christianorum impetu eo capta fuerant. Jam autem autumno vertente Tartarorum etiam ex Ungaria reditus fere expectabatur. Itaque cum jussu Regio, quantuscunque ex quartana ejus anni pecunia exercitus confici poterat, Zamoiscius scripsisset, & jam domo movisset, Jaurini amissi allatum, nuntium tanto magis etiam curam finium tuendorum, acuere. Qua perrupturus hostis esset, ut rem quæ ipsius consilij, ac potestatis tota in tanta præsertim longitudine finium esset, difficile non modò scire, verum conjicere etiam erat. Ad Lastowkam tamen pagum exercitum constituit.

Locus his eſt in confinio montium Ungariæ Ruſſiæque eo autem ſitu ut media quaſi inter vias quæ maximè hoſti commoda viderentur. Ultra exercitum quem non magnum Zamoiſcius habebat. Rex comitatum etiam aulicum aliquem ſuum & peditatum miſerat. Nicolao Zebrzidovio Palatino Lublin. Cracovienſe Capitaneo, Alexandroq; Koniecpolſcio Vielunenſe præfectis. Zebrzidovius cum peditatu media inter Cracoviam & Laſtowkam via ſubſtiterat, ut in quam partem hoſtis irrupiſſet, ad eam conjungere cum exercitu ſe poſſet, ad eos præfecti regij non pauci exque primariis familiis ut ad incendium publicum extinguendum, literis Regiis evocati, amore etiam patriæ incenſi, non contemnenda cum manu confluxerant, ita ut juſtus exercitus cõficeretur; inter quos inſignis maxime comitatus Ducis Oſtrogiæ Palatini Kiovienſis erat, qui cum filio juniore Palatino Voliniæ ultra duo millia equitum habebat, Palatin⁹ Braclav. Zbaraſcius ad quingentos, Palat. Podlaſienſis Zaslavius ad quadringentos, Georgius Mniſſek. Hieronymus Mielecius, Præfectus Sendomir. cum neceſſarijs vicinisq; ſuis, ad mille, Belzenſium ſub uno ſigno quadringentorum circiter equitũ, quibus Nicolaus Oſtrorogius & Joannes Lipſius, Goralcenſis præerant, Lublin. ad centum, Adamo Goraiſcio præfecto: Podolienſium, Leopolienſium, ex aliis Palatinatibus, Ruſſiæ non pauci. Laſtowka indies ferè, ad progreſſus conſiliaq; hoſtis cognoſcenda, exploratores per Ungariam dimittere acciperéq;. Exitus hic fuit, ut Tartarus cum diu in vicinis locis hæſiſſet, omnesq; aditus exploraſſet, fama exercitus cognita, quamvis longiſſimo ambitu capto, per Turcicas ditiones domum ſe reciperet. Zamoiſcius autem cum in montibus ſuapte natura aſperrimis iniquiſſimo anni tempore in menſem usq; Januarium fruſtra hoſtem expectaſſet, tandem ad comitia ſe conferret. Idem enim Nuntium Jaurini amiſſi, comitia etiam quæ ſua ſponte & tempus legitimum & Reipubl. difficultates viciniq; periculi cura efflagitabant, tanto magis etiam accelerarunt. Sigismundus ſub idem tempus Electoris Brandeburgenſis Principis filius filiam ægri in Pruſſia Ducis, familiæ itidẽ Brandeburg. in matrimonium ducit: nuptiæ Regiomonti celebratæ fuere. Rex Stanislaum Cikovium Succamerarium Cracov. pro legato ad eas miſerat. Non magna res eſt, ſed tamen inter Principes æmulatio hæc frequens. Erat & Daniæ Regis legatus cum Cikovius die Dominico una cum legato Cæſareo, ſponſam ad ritus ſolennes deduxiſſet, primumq; locum poſt legatum Cæſareum tenuiſſet, Danicus legatus poſtridie primum ſe obtenturum ratus, poſtquam opinio ea illum fefelliſſet, ſolenni etiam menſa abfuit: peculiariq; menſæ quæ præbita ei fuit accubuit. Die 29. menſis Januarij Anno nonageſimo quinto, jam ineunte incendium, in arce Cracov. ortum: tectumq; pedis Pulin, quem vulgo vocant, aciesq; iſta arcis exuſta: Verùm brevi in meliorem formam à Rege omnia reſtituta æneoq; tecto cooperta fuêre. Indicta comitia fuerant, ante diem VII. menſis Feb. Cracoviam, poſtulante quidem id, ut videbatur vicino; periculo minoris Poloniæ: non ſine offenſione tamen & majoris Poloniæ & Lituaniæ, qui Varſaviam ſolennem alioquin locum malebant. Non multo poſt reditum Regis, Danielem Princiũ, ad Regem Cæſar miſerat; qui & reditum ex paterno Regno Sueciæ ei gratularetur, & ad ſocietatem belli contra Turcam eum invitaret, magis ut deliberaret, interim hac de re, ad comitia, quàm nunc de ea ſtatueret, de qua niſi in Comitiis ſtatui non poſſe conſtaret, ad quæ majorem legationem miſſurus eſſet. Per eandem legationem querelæ Aaronis de injuriis Coſacorum delatæ: demonſtratum non minores in ipſa regni viſcera ab illis profectas, utrarumq; autem ſeu cauſam, ſeu fontem autoramentum ipſum Cæſareum. Jam Comitia haberi cepta, & quamvis non pauca erant, partim vetera, partim nova, quæ in deliberationem veniebant: Præcipuum tamen earum quaſi caput, omnes ſibi proponere, cum pericula, quæ à vicinis hoſtibus regno imminere viderentur, tum ſocietatem cum aliis Principibus Chriſtianis, cujus conſtituendi cauſa legationem ſe ad comitia miſſurum jam ante Cæſar oſtenderat, quæ cum in magna omnium expectatione eſſet, tandem medio fere. Comitiorum tempore exacto Stanislaus Pawlovius Epiſcopus Olomucenſis cum altero Legato ſibi adjuncto à Cæſare venerunt.

Interim Nuntius tamen ſummi Pontificis Germanicus Malaſpina Regem Senatoresq; appellando, partim admonendo, quibus de rebus agendum eſſet, ut etiam ante adventum eorum, conſilia de fœdere illo haberentur, ſtudio ac diligentia perfecerat. Tam Senatus quam nuntij nobilitatis diverſas ſententias diſtracti erant, alij omnino fœdus recuſare, cum periculi magnitudine demonſtranda, tum exemplo non modo Sigismundi Primi, qui vel in filiæ periculo & cauſa, publicam tamen regni ſalutem ac tranquillitatẽ privato dolori poſthabuiſſet, ſed vel ipſius Maximiliani II. Cæſaris, qui in victoria ad Echinadas Principum Confœderatorum, pacem tamen, quam cum Turca tum habebat, ſanctiſſime diligentiſſimeq; tutatus fuiſſet. Qui ſocietatem ſuadebãt, inconſtantiam amicitiæ Turcicæ: omnia regna chriſtiana occupandi libidinem commune totius chriſtianitatis periculum recentiſſimus deniq; injurias: tranſitus Tartarici demõſtrabant. Alij ſine mentione fœderis præſidia quibus in omnem eventum reſpubl. ipſa ſe tutaretur, quibus & ratio certa ejus definiretur, & cum ipſius certitudini fœderis, tum regni ſecuritati, quantum fieri ejus poſſet, proſpiceretur.

In eam ſententiam Zamoiſcius etiam inter alios maxime incumbebat: Simul in omnem

even-

eventum, juſta præſidia decernenda cenſebat, quibus vel in ſocietatem illam deſcenderetur, ſi conditiones coirent, vel ſi minus de illa conveniret, armata reſpub. alibi tamen & Chriſtianitati operam aliquam navare poſſet: & ſimul ſuas injurias ulciſci: ſive etiam pax cum Turca retinenda eſſet, eo æquiorem teneret, quo magis pacis & belli arbitrium in ſua poteſtate haberet. Dum hæc conſiliis Senatus & nuntiorum nobilitatis agitantur, legati Cæſarei quemadmodum oſtenſum eſt, advenerunt. Perfidiam, crudelitatem, ſerpentemq; per omnia regna potentiam hoſtis, aliaq; imperio Turcico ab omnibus objectari ſolita, demonſtrando, ad ſocianda arma Regem ordinesq; invitabant: ſine ullius fere alterius conditionis mentione, quam quod ſine rege regnoque pacem cum hoſte nullam ſe facturos promitterent. Re in Senatu primum agitata, delegati primores ex Senatu, qui hiſce de rebus cum Legatis agerent, ex Epiſcopis Georgius Radivilus Cardinalis Cracovienſis, Hieronymus Rozrazevius Cujavienſis, Laurentius Goslicius, Przemisl. Macieiovius Luceorienſis Epiſcopi Januſius Dux Oſtrogiæ Caſtellanus Cracovienſis, Nicolaus Firleius Palatinus Cracov. Nicolaus Zebrzidovius Lublinen. Nicolaus Chriſtophorus Radivilus Trocenſis Palatini, ex magiſtratibus Joannes Zamoiſcius Poloniæ Leo Saphia Lituania Cancellarij, Joannes Tarnovius regni, Gabriel Voina Lituaniæ Vicecancellarij. Interrogati ab his Legati, quæ mandata quasq; conditiones ſocietatis afferrent, Societatem petitum, miſſos ſe oſtendere, quidquid autem promiſſum receptumq; à ſe eſſet, Cæſarem ratum habiturum inſtrumento mandati ſui comprobare ſe paratos eſſe. Demonſtratum fuit, primo diverſam rationem hujus regni atque aliorum Principum & regnorum chriſtianitatis eſſe. Alios enim fortaſſis, vel quod bellum jam cum Turca habeant, neceſſitate ad ſocietatem eam adduci, vel quod remotiores à finibus Turcicis ſint, ſine periculo ſuo juvare Cæſarem poſſe. Huic regno neq; neceſſitatem ullam belli adhuc incumbere, cum à tot ſeculis pacem ad ſe tranſmiſſam, etſi proximo tranſitu Tartarorum, aliisq; injuriis nonnullis aliquantum violatam, tamen facile retinere poſſit: Semel autem pace ſublata majus, fere periculum ſuſcipere, quam ullum aliud regnum Chriſtianitatis. Nam non modo Turcam potentia ſua omnibus regnis chriſtianis gravem vicinũ habere. Verum etiam Tartaros, qui & ſua ſponte & Turcarum juſſu perpetuis incurſionibus vevare regnum poſſint. Quemadmodum autem præ cæteris regnis Chriſtianitatis in diſcrimen res ſuas adduceret, ita utiliorem etiam fortaſſis operam Chriſtianitati præſtare poſſe, quam aliquam aliam partem Chriſtianitatis; non modò quòd & maxime vicinum ditionibus Turcicis ſit, & ab hac parte ut Danubij quidẽ tranſitus non facilis ſit, reliqua tamen, vel ad ipſam Conſtantinopolim nuda, atq; aperta ferè pleraq; ſint, ita ut nullibi facilior ad ipſa imperij Turcici penetralia aditus ſit, quam hinc: Verum etiam quod equitatum, quo maximè inferior hoſte eo eſſe Chriſtianitas videretur, & talem præſertim, qui ſimili fere, quo hoſtis armorum genere utatur, & talem præſertim, qui ſimili fere, quo hoſtis armorum genere utatur, majorem etiam quam aliud ferè, aliquod regnum conferre, in bellum poſſit, quarum rerum ut ratio habenda non eſſet, in omnibus tamen ſocietatibus, quæ æquo jure conſtituerentur, æquiſſimum illud eſſe, ut & utriusq; partis ſecuritati, tum ipſius fœderis firmitati proſpiceretur; & ita in commune vires conferrentur, ut qua re alterutri ex ſociis inferiores eſſent, ea ab iis, qui illa abundarent, ſublevarentur. Minus fortaſſis hoc Regnum pecunioſum eſſe, virorum & equorum, quibus maxime bellum hoc opus habeat, non contemnendas vires in ſocietatem conferre poſſe; quibus ſi adjuvare, rem chriſtianam deberet, quicquid ultra eum numerum, qui conditionibus ſocietatis, in regnum hoc deſcriberetur, auxiliorũ præſtaret, ut totius ſocietatis ſtipendiis mereret, æquũ eſſe. Poſtulatũ ut de ſingulis nominatim ageretur. Relata re ad Regem capita certa conditionum cõſcripta, priusq; remotis arbitris cum nuntiis etiam nobilitatis communicata forẽt. Permiſſum ab illis fuit, ut cum legatis Cæſareis ita communicaretur, ut omnia nihilominus integra eſſent. Capita hæc fere fuerunt. Qui ſocij belli, quæ cujusq; vires, quæ genera militum, quod nimirum equites, & quo genere armorum, quot pedites, qui duces, qui apparatus bellici futuri eſſent, quis belli gerendi modus, quæ ſedes, tempus, locus conveniendi, quæ partes autoritasq; regia. Si Rex ipſe in expeditionem veniat, abſente Rege quæ ſummi Præfecti Cæſarei poteſtas, quæ Polonici, quæ aliorum, ac ſi fortè in conſiliis aliquando inter ſe diſſentirẽt, quæ definiendi ratio, qui modus juris reddendi in controverſiis, inter homines diverſarum nationum futurus eſſet: commeatus & pretium ejus. Polonicus miles & Ungaricus, cum expeditiores ſint, & eadem fere cum hoſte armatura, ut prima agmina ducerent: de ſtipendiis in tã numeroſum exercitum noſtrum, partim ſupplendis, partim prorogandis, de præmiis belli, maxime autem utraq; Valachia vicinisq; locis, ad Pontum Euxinum; ut quæ non modo conjuncta cum regno hoc eſſent, verùm juris ejus antiquitus etiam fuiſſent: tempore ſocietatis, ut perpetua eſſet, pacemq; tam ipſi Principes cõſociati quam regna ditionesq; eorum inter ſe colerent: tum alios etiam Principes chriſtian. ac reſpub. ad ſocietatẽ invitarent: ut priſtina pacta, fœdera ac transactiones ratę eſſent, neq; ſocietate hac quicquã illis derogaretur. Si præter Turcã aliquis alius, ac vel ex ipſa ſocietate aliquẽ ex ſociis ſive ipſum aut regna Provinciave conſociatus, quocunq; etiã juris vel alio prætext⁹ bello laceſſeret, aut turbaret, aut ſubditi ipſi ab aliquo deficerent, reliqua ſocietas

cietas

cietas omnibus viribus bona fide hujusmodi Principi, Regno, Provinciæ opem ferret, ac non modo conſociata regna, provincias, Principatus turbari non pateretur, ſed neq; hoſtile, aliquid tentantes turbatoresve aut perduelles receptaret, tranſitumve illis præberet, conſilio, ope, favoreque ullo eos juvaret, ſed omnibus viribus prohiberet, obſiſteretque. Ultimum quod requirebatur, modus certitudinis rerum omnium harum fuit. Quibus de rebus cum ſigillatim cum ſingulis ageretur, tandem legati nuntio maximè Pontificis diligenter & monente eos omnibus de rebus & ſe interponente, ſcripto ipſi, etiam ſententiam ſuam oſtenderunt. Ducem à Cæſare delectũ, Comitem Mansfeldium operam præterea dare: ut quicunq; Germani Duces, egregij reliqui eſſent, exciret: itidem Summi Pontificis cæterorumq; Principum Italorum copiis ſtrenuos, & peritos duces præfuturos. De modo belli gerendi in re præſente ex communi conſilio ut aliorum, ita Polonorum etiam ducum, maxime autem Zamoiſcij ſtatutum iri, ſedem belli Ungariam: tempus conveniendi: quod eſſe poſſet, delectum cætera conſilia, ex hoſtis deliberatione & temporibus captum iri: ad vires quod pertineret, ultra Tranſilvanicas & Valachicas, Cæſarem ipſum ad octoaginta millia tam equitum, quam peditum in armis habiturum, quis nominatim autem equitum, quis peditum numerus futurus eſſet, compertum ſe non habere. De autoritate Regia nihil ſe certi mandati habere: Sed cùm benevolentia Cæſaris in Regem perſpecta illis eſſet, vix non exploratum ſibi eſſe, ſi uterque in expeditionem eant, æquale imperium permiſſum illi iri, quale Imperator ipſe habeat; quod ſi Cæſar abeſſet etiam ſummum totius exercitus. De aliis Ducibus videndum eſſe, qua autoritate antea in hujusmodi expeditionibus uti ſoliti fuerint: Sperare ſe non modò eandem ſed fortaſſis vel majorem nunc etiam tributum illis iri. Ad diſſenſiones tollendas, ſi quæ exiſterent, ſummi Pontificis miniſtros, qui in exercitu futuri eſſent, & autoritatem proponebant: neque alias etiam rationes defuturas: de commeatu ſatisfactum iri, noſtris promittebant, primum etiam agmen quemadmodum poſtularetur, permittebant. De ſtipendiis ſumptus Cæſaris, quos immenſos faceret, oſtendebant, non tamen recuſaturum quin aliquid conferret, de quantitate nihil certi mandati ſe habere cum Cæſar ipſe ſtatuere ea de re non poſſet, ut quæ partim à viribus Cæſaris, partim regni hujus neceſſitatibus penderet. In præmiis belli non dubium eſſe ſatisfactum Polonis iri, quorum tantam virtutem & fortitudinem fore ſperarent, ut quovis honeſto, & magno præmio digna futura eſſent; modum certitudinis rerum harum Regem ipſum Ordinesq; proponere debere. Ad ſe quod pertineret, ad omnem cautionem præſtandam paratos eſſe: Præterea ſummum Pontificem Imperium, & omnes Confœderatos, fidem ſuam pro Cæſare interpoſituros, itidem regnum hoc operam dare debere, ut ijdem Principes pro ſe quoq; ſpondeant. Interim ſecuritatis conditiones haſce ſe proponere, ut non modo pax, ſed ne Tractatio quidem pacis ſine conſenſu Regni hujus unquam ſuſcipiatur: ut fœdus hoc vel perpetuum ſit, vel ad id tempus, quod Regno huic viſum fuerit, ut fœdere hoc manente bellum Regi, aut quibuscunq; ditionibus ejus vel à Turca vel à quocunque alio nemine excepto illatum, communibus viribus tam Cæſaris, quam aliorum confœderatorum propulſetur. Maxime duabus de rebus agebatur. De forma fœderis: Confœderatis, viribusq; eorum, quo uno & ſecuritas belli ejus ſuſcipiendi, quantum ratione provideri poſſet, & certitudo ejusdem ſocietatis; maximè contineri videbatur. Altera de ſtipendiis in exercitum Polonicum: ſine quibus ex ſolis tributis, tam numeroſum exercitum, qualem bellum id requireret, difficilè educere eſſet: de ſtipendiis vel nulla, vel parva admodum ſpes fiebat, cum ipſius Cæſaris difficultates non paucas neq; parvas oſtenderent. Fœdus ex parte regni, tale maximè poſtulabatur, in quo imprimis imperium Romanum eſſet, ut cujus Principes non modò vicinitate & nonnullis etiam beneficiis communicatis, antiquam cum regno neceſſitudinem cõſtitutam haberent: ſed cum regibus etiam noſtris multis affinitatibus devincti eſſent: ſecundum Imperij Principes maxime ſummus Pontifex, Hiſpaniarũ Rex & Italiæ Principes ſpectabãtur. De Venetis etiam ac Moſco ad idem fœdus adjungendis non ita quidem flagitabatur, ut ſine iis fœdus recuſaretur: Sed tamen & de iis quoq; omnis opera daretur, proponebatur. Quod enim cum eo hoſte res eſſet, qui non ex unius ſed multorum regnorum ruinis ſummam potentiam aggregaſſet, neq; temere aliquid juſtis viribus non antea comparatis contra eum tentandum, neque unius alteriusve populi virium id eſſe videri, nihil ferè certi, de tali fœdere à Legatis proponi. Oſtendere quod ad imperij, aliosq; ſocios Imperij Principes pertineret, nullo cum illis fœdere opus eſſe. Cum autoritatem Imperatoris, cujus Majeſtatem colerent, etiam ſine fœdere ſequi tenerentur; De ſummo autem Pontifice Rege Hiſpaniar. aliisq; qui ſubjecti Imperatori non eſſent, dubium nulli eſſe debere, quin ad auxilia ferenda paratiſſimi eſſent, interim diſputare, ſatius fortaſſis eſſe, ut ſine certo fœdere auxilia, quod facturi eſſent, præſtarent, quam confœderati in partem victoriæ ac prædæ ipſi quoq; venirẽt, ſimul ſpes de Moſco, Perſis aliisque remotioribus Imperijs, tum Tranſilvaniæ Valachiæ & Moltaviæ defectionem oſtentare. Ad extremum ſatis regno huic eſſe debere, Si cautio detur, nullam pacem, neq; pacis Tractationem à confœderatis ſuſceptam iri, auxiliaq; quæ Cæſari dentur, certa eſſe, & ad finem usque belli non denegatum iri. Si quæ res Poloniæ

viciſſim aliquando id poſtulent, ſemper iisdem præſto, futura; Tandem omnia, quæ ſupra commemorata eſſent, tam Principes Imperij quam ditiones Cæſari ſubjectæ unà cum aliis confœderatis confirmarent, quod ita fore pollicituros ſe oſtendebant? Non ſatis hæc vel certa, vel firma ordinibus videri. Itaq; cum & ſerius legati veniſſent, & hiſce aliisq; de rebus, de quibus mandata certa non haberent, ad Cæſarem referendum illis eſſet. Interim legitima Comitiorum dies exiit. Sub ipſum autem exitum comitiorum reſponſum etiam à Cæſare allatum, ſecreto quidem habitum, cum Rege tamen communicatum fuit; quo de hujusmodi fœdere niſi re prius ad Ordines Imperij relata nihil ſtatui poſſe. Cæſar ipſe oſtendebat. Interim in collegio etiam Legatorum nobilitatis variæ difficultates intervenêre. Inprimis de religione diſſentientes confœderationem ſeu modum exequendæ ejus urgere, nihilq; omnino perferri ſe paſſuros oſtendere, niſi prius idoneè, ſecuritati illorum proviſum eſſet. Non minus difficultatis Lithuani objiciebant, qui & ſuperioris anni tributum retinuerant: & nunc tributum recuſabant, niſi ſui corporis Epiſcopus Vilnenſis illis daretur: Regni ordines contra tendebant, non modò quòd dignitates Eccleſiaſticas, promiſcue utrobique, ſive Polonicæ, ſive Lituanicæ gentis hominibus dummodo nobiles alterutrius nationis eſſent, conferri poſſe demonſtrarent, verùm etiam cum Epiſcopatus Cracov. totius regni ampliſſimus Lituanicæ nationis Senatori collatus eſſet, eoq; exemplo tot aliorum Epiſcopat. regni jus cum Lituaniæ quæ duos ſolos Epiſcopatus habeat, communicaretur, iniquiſſime id recuſari cenſebant. Non deerant præter hos qui ex priſtino ſtudio, partim Archiducis Maximiliani privatim magis ejus dignitati ac potentię, quã fœderi cum univerſa domo Auſtriaca & chriſtianitate ſtudere putarentur. Quod enim increbuerat, Maximilianum apud Cæſarem laborare, ut ipſe exercitui cum Imperio in Ungaria præeſſet, à Cæſare autẽ maxime expectatione ſocietatis Polonicæ ei negari: cujus ſpes ſi ſublata eſſet, nullam cauſam fore quo minus Imperio militari ille potiretur, ex inſtituto etiam contradicere aliqui ſocietati iſti putabantur: Ob quas difficultates, cum in iſtis Comitiis, maximè propter temporis etiam brevitatem vix quicquam ſtatui poſſe appareret, relatum ad collegium legatorum, ut voluntate eorum certis delegatis poteſtas daretur, qui etiã extra comitia, de bello Turcico fœdereq; cum Principibus chriſtianis agere, publicaq; autoritate conſtituere de eo poſſent. Reſponſum per Marſalcum collegij, Carſnicium judicem Siradienſ. in abſolutam poteſtatem, conſentire ſe poſſe negarunt, ut vel Senatui univerſo, vel certis ex Senatu negotium Rex daret petierunt; qui una cum delegatis ex collegio nuntiorum re diſceptata, ſcripto comprehenderent, quæ & ex uſu ipſius Regis regniq; eſſent, quæq; mutuo in ſocietate ea præſtari deberent, habita ratione & regni virium, & nè gravioris oneris aliquid ijs, à quibus miſſi eſſent, imponeretur. Quod cum factum eſſet, ex tempore conſilium capturos, conjuncta cum reſponſo, hoc à nuntiis poſtulatio Eſtoniæ fuit, rerumq; quas in Sueciam ſuperiore anno Rex profecturus uſus ſui cauſa ex Theſauro ſumpſerat; ut ex inventario in Theſaurũ referrentur, maxime cautio pacis inter diſſidentes de religione ex totius collegij ſentẽtia propoſita. Poſtulatum ut dividi poſtulata permitterẽt, ſeparatimq; prius de Eſtonia reſponderi, quo conceſſo obtentum, ut certis de cauſis hiſce comitiis Eſtonię mentio omitteretur. De Theſauro ſatisfactum. Diſſentientibus, de religione talis legis ſpes facta, quaſi ſub diſceſſum Regis proximum in Sueciam nulla expreſſa mentione religionis, omnis vis, & injuria in univerſum, ad ſequentia comitia prohibita, certaq; ſanctione tranquillitas publica munita fuerat, cui rogationi cum poſtea Epiſcopi nomine Cleri interceſſiſſent, alia negotia publica vel impedita fere, eam ob cauſam à diverſæ religionis hominibus, vel non ſatis promptè curata fuerunt. Ad Lituanos pacandos conventus proponebatur, ex cujus autoritate & aſſenſu Epiſcopum illis Rex ederet, controverſiæq; illi finem imponeret. Sed cum ad conventum res deferretur, majoribus potius, aut novis turbis materiam præbitum iri pleriq; exiſtimarent, illa quoq; res in ſuſpenſo relicta. Mandata interim quibus de ſocietate cum Principibus Chriſtianis tractaretur, à legatis ex utroq; ordine cõſcripta Capita illorũ illa fere erant, quæ ſupra legatis Cæſareis propoſita, quorũ partim ad ſecuritatem pertinebant, ut nõ modo communibus, ſed juſtis etiã viribus ſi non univerſa, tamen maxima ſaltem pars Principum chriſtian. rem aggrederetur, partim ad rationẽ belli gerendi, partim ipſius ſocietatis, ex qua quid ab uno quoq; in ſocietatem eam conferri deberet, deſcriberetur. De prẹmijs in univerſum quidẽ cautum, ne deteriore conditione regnum hoc eſſet, quam alij confœderati: nominatim autẽ de iis, quæ regnum hoc alias jure ad ſe pertinere exiſtimaret, ut imprimis Valachia, utraq; provinciisq; ac civitatibus, circa Pontum Euxinum ad Valachiam pertinentib⁹. Præterea cum tempore Divæ memoriæ Sigism. Auguſti nomine reip. Venetæ navigatio etiam propoſita fuiſſet, qua frumentũ alięq; merces, quę ex regno hoc exportantur, per Pontum Euxinum fretumque Conſtantinopolitanum, Venetias atq; in Italiã importarentur, à Turcis autẽ impedita, ea hactenus fuiſſet, nominatim adjectũ, ut ſi ſucceſſum chriſtianis Deus tribueret in omnes partes libera & tuta, absq; omni vectigali immunis navigatio illac eſſet. Certusq; ac firmus ejus modus definiretur. Juramentum etiam, in transactionẽ Bendzinenſ. ab Archiduce Maximiliano & ordinibus Ungariæ ad hoc tempus nondum præſtitum vel imprimis poſtulatum.

Quod

Quod etiam poſt tempora Vladiſlaviana, odio nominis Polonici contumelioſæ nonnullæ leges in gentem Polonicam latæ in Ungaria dicerentur, ſi ad ſocietatẽ eam deſcendendum eſſet, ut eæ quoq; abrogarentur, flagitatum. Ratio firmitatis fœderis hujus ea propoſita, ut de quibus conveniſſet, ea imprimis quidem à ſummo Pontifice ſcripto, & cæteris omnibus confœderatis; Juramento autem etiam à ſacro Cardinalium collegio, Cæſare, Electoribus, cæterisq; ordinibus imperij, tum Rege Hiſpaniarum, ac Principibus Italiæ; ex parte autem regni à Rege delegatisve, ex Senatu & equeſtri ordine ſancirentur. In hæc fere mandata cum ex Senatu complures ex equeſtri ordine etiam non pauciores delegati, cumq; de aliis rebus convenire non poſſet, de ſocietate hæc ſola lex perlata, qua & delegatis facultas cum Cæſareis aliorumq; Principum, maxime autem imperij legatis de communi conſilio ſi ita viſum illis eſſet, tempore & loco certo conſtituto, congrediendi, deq; ſocietate ea ſecundum conditiones iis præſcriptas agendi data fuit, & Regi poſtquam illi, quæ egiſſent renuntiaſſent, de hac ſola re, Comitia extra ordinẽ edictis & conventibus ſolemnibus prætermiſſis, in duas ſolas ſeptimanas indicendi. Mandatorum delegationis ejus certa exempla cõfecta, quorum unum apud Principem delegationis eſſet. Eadem lege tributum in omnes caſus reipub. decretum: Sed & non parva ſententiarum varietate, privatis cauſis diſſenſionum, quæ ſupra commemoratæ ſunt, in varias partes conſilia publica, & animos diſtrahentibus: neq; ad extremum etiam ab omnibus Palatinatibus majoris Polon. Pruſſicis & nonnullis aliis totam rem integram ad ſuos referentibus. Maximè majores Poloni, quibus diſerte ne ullum aliud ſubſidium Reip. quam publicam expeditionem acciperent, mandatum fuerat. De exercitu tamen qui futurus eſſet, per Joannem Suoſſovium Scribam Leopolienſem qui ex Palatinatu Ruſſiæ, Legatus tum erat, publico nomine poſtulatum, ut non modo non intra fines regni, tanto cum incommodo nobilitatis, verùm nominatim in Valachia haberetur. In iisdem comitiis in Gedanenſes, etiam partim facta judicia quædam, partim decreta: quemadmodum ſupra cõmemoratum eſt: Cum in Sueciam Rex iret, aliquotq; ſeptimanas Gedani claſſis apparatus & venti expectationẽ occupatus moraretur, paulò ante diſceſſum ipſius cum ab Heidone ſeu famulo quodam aulico, homo de plebe pulſatus, vulneratusq; eſſet, ad clamoremq; ab utraq; parte concurſum eſſet, primum rixa orta, deinde ſuos quibusq; tuentibus, ab utraque parte, tam ab oppidanis, quam à regiis concurſum ad arma fuit. In turba utrinque & non pauci interfecti & plures vulnerati fuerunt: & in ipſas ædes Regias in quibus Rex verſabatur, globi aliquot emiſſi ægre tandem tumultus ſedatus, utrunq; ſatis conſtabat, & fortuito magis, quàm data opera rixam conтractam, & magiſtratum non modò autorem ejus non fuiſſe.

Verum cum periculo fere ſuo furenti plebi ſe objeciſſe: quod tamen non modo in conſpectu Regis ſeditio & cædes facta, ſed ipſius etiam Regis vita, ac ſalus appetita videretur, & atrox imprimis res, ut erat, & minime negligenda viſa. Quam ob cauſam cum in ſolennibus Conventibus quæ comitia antecedunt, proponendam eam rem nobilitati Rex judicaſſet, nullus omnino conventus fuit, qui non autores ejus inquirendos, graviſſimeq; puniendos cenſeret. Quorum mitiſſima ſententia erat, ut exemplo Divi Sigismundi Auguſti, deprecatione publica, & mulcta aliqua Maj. Imperij ſatisfieret, cenſere, ita ad comitia res delata, cum in Senatu etiam jactata fuiſſet, primum non ſatis illam quidam probare, quod res, quæ jure expedienda eſſet, & in poteſtate Regis eſſe debeat, ad privatos conventus delata inque civitatem ſubjectam, in quam jure agendum eſſet, quaſi in externum hoſtem concitata nobilitas videretur. Ut autem in judicium Civitatem Rex vocaret, jureq; contra illam ageret, omnes cenſuere, ita ad judicium res remiſſa. Alia illarum cauſa erat de templo primario, ſeu parochiali, cujus jus patronatus, cum Rex Caſimirus privilegio ſuo, quo uno poſt imperium cruciferorum excuſſum maximè ſtatus Civitatis, atq; omnes fortunæ ejus fundatæ ſunt, diſertè ſibi ſucceſſoribusque ſuis excepiſſet; illi ab inſtitutis chriſtianis, majorumq; tempeſtate illa impietatis hæreticæ ipſi quoq; abrepti, temporibus Sigismundi Auguſti per negligentiam Epiſcoporum quorundam primum poſſeſſiones redituſq; templi, tum ipſum templum paulatim uſurpare cœperant. Poſt mortem verò Auguſti, uſum etiam totius templi, majusq; altare quod tanquam juris regij integrum ad mortem ejus ſervatum fuerat, ipſum quoq; profanarant, ut totius jam templi poſſeſſionem occuparent, ſubjectionis Mariẽburgenſis tempore cum libertatem religionis obtinuiſſent, eaq; literis Stephani regis confirmata eis fuiſſet, in eandem confirmationem templorum etiam omnium, redituumq; ad templa pertinentium, rerum, quæ non modò in poteſtate Regis non eſſent: Verùm quarum commercium planè nullum eſſe poſſet, mentio irrepſerat, cum clauſula tamen, qua ea ſola jura, quæ legitime obtinuiſſent, poſſiderentq; eis confirmarentur, eodemq; exemplo, intercedente quidem, atteſtationesq; interponente, Epiſcopo Vladiſlavienſe, ſub initia imperij Sigismundi III. Regis confirmatio jurium edita etiam illis fuerat, Epiſcopus Vladiſlavienſis: nõ modò quemadmodum oſtenſum eſt, ſemper jus Eccleſiæ proteſtãdo integrum conſervarat, ſed jam ab initio Epiſcopatus ſui id repetierat. Re diu ducta, cum Gedani Rex eſſet, tandem Regio judicio, reſtitutio decreta illi fuerat, à quo cum Gedanenſes ad Comitia appellationem interpoſuiſſent, ea negata illi nihilominꝰ, executionẽ õ admittere, ꝑq; libellos & appellationẽ ꝓſequi, & Epiſc. ipsũ ad comitia omniũq; Ord. judiciũ evocare: õ paucis, cũ ex Senatu, tũ eq. ordine, qui ejꝰd. cũ illis relig. eſſent, causã illor. foventibꝰ, decretũ, ut in cauſa & juris regii & civitatũ, quar. cognitio ad ſolũ Regẽ ꝑtineret, male ad com. ꝓvocatũ. Simul pœna à judiciis Regis ꝓvocãtiũ in eos ſtatuta. Ead. tamẽ ipſo Epiſc. intercedẽte remiſſa, reſtitutio tẽpli, ſub gravi mulcta, denuo mãdata. Dimiſſi inde legati, imprim. Cęſarei, demõſtratũ, cur de ſociet. iſta certi nih. ſtatui potuerit: partĩ, ꝙ plena hisc. de reb. mãdata õ habuiſſent: partĩ, quod aliorum Principum Chriſtianorum, quibꝰ cum communis cauſa hæc eſſet, vel nulli omnino, vel ne ii quidem certis cum mandatis veniſſent: deſcendiſſe nihilominꝰ eo Regẽ & Ordines, ut primo aliquot, cum Senatores, tum ex equeſtri ordine, delegarint: qui ſi quid Cęſar, Ord. Imperii, aliive Principes Chriſtiani, agendum amplius, hac de re, putarent, communicata inter ſe re congrederentur, cõſiliaq; cum illis conferrent: ex quibus poſtquã & conditiones & apparatus, conſiliaq; eorum, qui ad ſocietat. hanc adjuncturi ſe eſſent, Rex cognoviſſet, quamprim. alia comitia ſolius hujus negotii cauſa extra ord. indicturum: omnibusq; rebus diligenter expenſis, quantum in ſe futurum eſſet, libent. operam daturum, ut neq; recentes injurias, quæ privatim ab hoſte eo ſibi regnoq; ſuo illatæ eſſent, neglexiſſe: neq; communi Chriſtianitatis cauſæ defuiſſe videretur: Cum valedicturi propius ad ſellam Regiam acceſſiſſent, privatĩ à Rege petierunt, ut, cum ſocietas iſta coire hisce comitiis nõ potuiſſet, ſaltem, ut Tartarus tamen tranſitu prohiberetur, operam Rex dare vellet. Reſpondit Rex õ una via uti illos ſolere; cum per Turc. etiam ditiones Solimanni tempore in Ungariã aliquando iverint: oſtendere illis, ſatis Cæſari Ungariæq; futurũ, ſi ab hac parte montibusq;, per quos ſuperiore æſtate in Ungariã irruperant, arcerentur. Nomine Electorum Imperii à duobus Electoribus, Sax. ac Brandeburgenſe, quaſi ex totius collegii autoritate, legati miſſi in ipſo fere exitu comitiorum venerant: præter hos ab Archiduce Matthia, Ordinibusq; Regni Ungarię, Princ. Tranſilvaniæ, duobus, Aarone, citerioris, & Michaele, ulterioris Valach. Palatinis, diverſæ legationes, auxilia omnes petebant: maxime Ungariæ Ordinũ & legatio & oratio miſerabilis viſa; quorum majores cum non modo per ſe hoſtis ejꝰ injurias ſæpe propulſaſſent, verum terrori etiã illis fuiſſent, hi autem in aliena ope ac miſeric. omnem ſpem repoſitam haberent, florentemq; quond. regni ſui ſtatũ & præſentes miſerias flebili oratione exponerent, vix non lachrymas omnib. excuſſere: ex tam opulenti quond. Regni funere, miſerrimeq; lacerato cadavere, omnium rerum humanar. viciſſitudinem metientibus: cum ead. omnium legationis ſumma fuiſſet, quæ Cæſareæ, idem etiam fere omnib. reſponſum. Valachicis hoc amplius, futurum exercitum Ducemq; Regiũ in finibus: illi Regem, quod è Rep. eſſe judicaret, mãdaturum: itaq; ad illum omnibus de reb. referrent. Extra cauſam hanc ſocietatis & auxiliorũ in iisd. comitiis à Regina Angl. etiam legatus erat: in hoſtilitate, quæ cum Hiſpaniar. Rege ei intercedit, omnib. civitatib. maritimis, interq; eas Pruſſicis etiã, edictis ad ſingulas miſſis, navigatione Hiſpan. interdixerat, mercatores & queſtui ſuo modum imponi, & in eo jure, quod omnib. commune eſſe deberet, quo liberrime etiam, ſub ſuperior. ęſtatis principium, uſi fuiſſent, ſibi pręſcribi ęgerr. ferebant; Itaq; nihilominus, cum navigarent, à Piratis Angl. qui juſſu Reginæ infeſtum mare habebant, aliq. naves, cum aliar. Civ. Anſeaticarum, tum ex Pruſſicis Gedanenſis & Regiom. nonnullæ interceptæ. Quod vero navigat. hac, in ordinem redacta, ſimul annonę pretium vel diminueretur, jã nõ modo ad mercatores, verum univ. fere Nobilitatem, cujꝰ proventꝰ in frument. atq; hujusm. fere mercib. omnis eſſet, res pertinere videbatur. Aliquoties hac de re Reginã Rex appellarat, cum publica univ. Regni cauſa, tum max. Gedanenſibus, ſupplicantibus, ut & res, quibꝰ ablatæ eſſent, reſtituerentur, damnaq; ſarcirẽtur, tum ne inpoſt. ulla in ſubjectos regios vis hujusm. fieret; cum diu fruſtra id ageretur, reſcriptum editum, quo ex mercat. Anglorum, qui Elbingæ ſedem commerc. ſuor. haberent, rebꝰ damna ſubjectis regiis ſarciri jubebantur. Hac igit. de re cum Legatus Angl. quæſtum veniſſet, reſponſum, quod ſubjector. ſuor. magna damna perpeſſorum, majora etiã expectantium, curã patrociniumq; Rex ſuſciperet, facere id nõ modo pro munere eo, quod cuiq; Principi, pop. ſuos tuendi, incumberet, ſed omnium alior. etiam Princ. ac vel ipſius Reg. exemplo, neq; vero prępropere eo deſcenſum, ſed poſtq̃ & aliq. literis Reg. fruſtra appellaſſet: & aliq. annor. cunctatione ſua nihil tamẽ proficere animadvertiſſet: cauſam autem hujusm. eſſe, ut õ, quemadm. ipſa ſignificaret, unius atq; alt. Gedanenſis, ac vel univ. civitatis: cujꝰ tamen ipſiꝰ quoq;, tanq. ſubjectæ, injurias & rat. negligere õ poſſet, ſed univ. fere regni, ac præſ. nobilitatis, res ac fortuna in ea verſarentur; uti civit. eas eo jure, quo õ modo ante ullum bellũ Hiſp. ſed à tot ſęc. uſi fuiſſent, & ꝗdẽ in mari, ꝙ omnium gẽt. jure nulliꝰ dominio ſubjectũ, ſed omnib. liberũ ac comm. eſſe debeat; Inimicit. alienis ſeſe õ immiſcere, iisd. offic. & Hiſp. & Angl. amicitiã colere, tueriq;: Jã õ, ꝗ jure ſuo utatur, injuriã alteri facere, ſed ꝗ uti eo aliũ ꝓhibeat. Executio nihilom. mãdati ejꝰ ad aliq. tempꝰ dilata, ſpatiũq; corrigendi ea datũ. Interĩ, ut & damna paſſis ea reſarcirẽtur, poſtulatũ, & navigatio inpoſt. õ impediretur. Quod ſi in iis mercib. quibꝰ hoſtis armaretur, duriꝰ illi videretur, in frumẽtis certe, ſimilibusq; mercim. quibꝰ domus potiꝰ, quã bellũ, inſtrueretur, quor. exportatione nullo modo carere noſtri polsẽt, æquiſſimũ certo judicare eã debere. Comitiis ad eum, qui oſtenſus eſt, modũ ſolutis, cũ de ſocietate nihil perfici potuiſſet, ad conſiliũ, jam ab initio, reditus, ex Svecia Regi à Zamoiſcio propoſitum, belli in ipſam Scythiam inferendi reditum.

Qua de re cũ in cõſilio delegator. diligenter actũ eſſet, incumbente max. in eã rẽ impr. Rege ipſo, ut ex cõtrib. q̃ decreta eſſet, quantꝰ maximꝰ confici poſſet, miles ſcriberetur, aliusq; aparatꝰ, ad exped. eã neceſſariꝰ, appararetur, & primo quoq; tẽpore expedit. ipſa ſuſciperetur, decretũ. Omnis ejꝰ rei ſpes in tributis erat; q̃ ꝙ tardiꝰ cõferri neceſſe eſſet, eaq; ipſa mora õ parũ exped. ei impedimẽti allatura videretur, de ea max. ratione omni ſtudio Rex cogitare, ut, dũ tributa cõferrentur, interĩ fide publ. petentem pecuniam tantam cogeret, qua & autoramentũ militi præſtari, & initia belli inſtrui poſſent. Primo autẽ Volinii ita ex comitiis diſceſſerãt, ut õ modo tributum, ſed nihil eor. quæ in comit. acta eſſent, ratũ ſe habere cõteſtarẽtur. Petebant, ut port. quæ in Volinia Rex haberet, tollerentur, quod eo rectiꝰ petere ſe exiſtimabãt, ꝙ port. iis, q̃ beneficio reg. in privatos fere diſtributa hact. fuiſſent, reſp. ipſa parũ adjuvaretur. Iniquũ econtra alior. municipior. legati judicare, cũ anteq. in formulã juris regni Volinia redacta fuiſſet, omnia fere vectig. poſſeſſionesq; publ. liberalitate Regũ, in privatos diviſa eſsẽt, ita, ut, præter iſta port. nullus fere ꝓvẽtus publ. in ꝓvĩcia, q̃ hoſti expoſita auxiliis prę cęteris egeret, reliquus eſſet, ab illis quoq; immunẽ eã fieri. Qua in re cũ perſiſteretur, cõſtãterq; à cęt. omnibꝰ negaretur, atteſtatione, quemadm. oſtenſum eſt, ſolenni interpoſita inficere, quantũ in ipſis erat, comitia conati fuerant. Idem Lithuan. legati, in itinere jam Sendomiriæ cũ eſſent, fecerant: atteſtationeq; ſimiliter ad tabularia publ. facta tributum, tanq. nullo conſenſu ſuo ſcitũ, recuſarant. Ex conventibꝰ, qui in Pol. poſt comitia habiti fuerunt, primus Proſſovicienſis, Cracovienſis nobilitatis fuit. Summa cum dignitate publ. omnia in eo acta, comitiorum autoritas rata habita, tributum õ modo mox promiſſum, ſed ipſi Regi ꝑmiſſum, ut ſuo arbitratu remp. ex eo gereret. Inſecuti majoris Pol. conventus perſiſtere in ſententia ſua, quam ante comitia habuerant, ut õ tributo reip. ſubveniretur, ſed viritĩ expeditio decerneretur. Nonnihil in plerisq; Archiep. Gneſn. etiã autoritas valuiſſe putabatur. Abfuerat ille à comitiis, ſeu morbo retentꝰ, ſeu ex inſtituto. Cum apud nobilit. autem tam per literas, etiam ad comitia miſſis, bellum cũ Turca vehementiſſ. diſſvadebat, cumq; ſub eos ipſos dies libellus quidam ſub indice, feſtina lente, prodiiſſet; inq; eo ſententię autoritatesq; eorum, qui temporibus Sigism. I. aliisq; bellum Turc. diſſvaſiſſent, collectę fuerant, à plerisq; illius juſſu editꝰ exiſtimabatur. Conventuũ eorum, in recuſando tributo, exemplũ nonnulli alii deinde etiam conventus ſecuti, max. vero imperium militare Archid. Max. in ipſis regni finib. commiſſum õ paucos etiam movebat. Quod n. juramentum in Transactionem Bendzinenſ. ex ipſiꝰ Transact. formula, neq; ab illo neq; ab Ordinibus Ung. præſtitum adhuc eſſet, nõ modo contra pacta & transact. eam fieri id videbatur, ut cui omnis tranſitus & acceſſus ad fines regni hujus transact. jurata interdictus eſſet, is Caſſoviæ, in ipſis Pol. quaſi cervicibus, cum imperio conſtitueretur, ſed plena etiã ſuſpicionis: plena periculi, res plerisq; videri: neq; ſatis tutum exiſtimare, æmulo armato tã prope imminente, extra regni fines longiꝰ exercitum ducere. Ita rebus omnibus, expeditione illa impedita, Rex tamẽ neq; ſpẽ neq; ſtudium adhuc remittebat. Ex quartana pecunia omni, ut quantum poſſet, exercitũ ſcriberet. Zam. mandabat, ipſe partim ex comitatu ſuo aulico, partĩ ex voluntaria nobilitate, ex qua nõ pauci, cum gratiam Regis ſecuti, tum operã patriæ navandi ſtudio ducti, nomina dederant, mille ſelectos equites habere inſtituerat. Poſtea, cum ſtipendiarium exercit. Zam. promoviſſet, neq; tutum ſatis ſine pręſidio Regẽ relinqui videretur, ex tributo Cracov. mille circiter equites, Nic. Zebrzidovio, Palat. Lubl. eodemq; Crac. Capitaneo, eis pręfecto, adjecit, quos medio inter exercitum & Cracov. loco collocatos, ut in omnes partes, qua opus eſſet, ſubſidio quaſi eſſe poſſent: Ex quartana pec. 5. millia circiter equitum, mille peditum ſcripta; ad eos viceſimariꝰ miles adjectus: Hic omnis exercitus erat. Zam. cum & ab aliis nominatim expeditionem in Scythiã, qua pacẽ cum Turca plane tolli exiſtimabant, vetari videret: neq; tributis impeditis tantas vires habere ſe poſſe, ut in tã remotas oras hoſtis & ſoli hoſtilis difficultatibꝰ committere exercitum poſſet; quanta maxima tamẽ cura poſſet, exercitũ contrahendum, inq; omnes occaſiones intentum ſe eſſe oportere ſtatuebat. Eo omnia conſilia referre, ut, ſi nullam aliam operã Chriſtianitati & Reip. præſtare poſſet, ſaltẽ, ut Tartaros tranſitu ꝑ fines regni prohiberet; & ipſos fines à maleficio & injuria exerc. hoſtilium tutaretur. Hoc conſilio, etiam anteq̃ ſtipendiariꝰ miles omnis conveniſſet, jam menſe Junio, mille circit. equites, qui primi convenerant, Mogilnicam, ſupra Trebouliam, Boryſth. verſus, promovit, aliquantoq; poſt reliq. etiam copias ad Link. oppid. õ procul à Neſtro flum. cõtraxit. Dũ hæc in Pol. gerũtur, ſimul in utraq; Valachia res novatæ. Aaro, cũ diu in utrãq; partẽ anceps hæſitaſſet, tandẽ, & ſummi Pont. autoritate adductꝰ, & cũ à Principe Tranſ. tum Mich. ulterioris Val. Pal. ſollicitatꝰ, aperte jã ab imperio Turc. deficere cœpit. Max. quidẽ Michael cũctãtẽ impuliſſe dicebatur, quod, cũ literas quaſdã ejꝰ incautiꝰ defectionẽ pollicẽtes haberet, niſi conſpiraret, miſſurũ ſe eas in aulã Turc. eum terruiſſet. Fœdꝰ 3. vicini Principes, Tranſ. tũ utriusq; Val. inter ſe ſanciũt. Ita re cõſtituta, Aaro, cujus omne robur cohors prætoria, mille nõgenti circ. pedites, Ungari erãt, cũ ad molẽ belli Turc. ſuſtinẽdã parũ ſibi viriũ eſſe videret, cũ Coſacis, q ꝑ nuꝑ ſedẽ Principat. ejꝰ, Taſſiũ, exuſſerãt, in gratiã redit; Coſaci cõmuni legatione à Trãſ. & Moldavo appellati. Donativo accepto, ſocietateq; ꝑ Joañ. Oritzoviũ, quẽ ad Valachũ miſerãt, ultro citroq; jurata, una cũ copiis Valachic. per Val. ad Techinã, pręſidiũ Turc. accedũt. Præerat ꝓ Sendz. pręſidio Achmet, ſororis Chani Tartarorum filius, qui frequentibus ſupplicibusque Nuntiis opem à Tartaro petebat: ꝙ tamẽ ab expeditione Ungaric. nuper admodũ domũ reꝟſus nõdũ ſe recollegiſſet, repẽte etiã hoſtes adveniſsẽt, neq; neceſſitudo privata, neq; jus ſocietat. Turcicę, ad opẽ territo, & ſupplici ferendã excire eũ poterãt. Oppidũ ſatis quidẽ magnũ, ſed totum ex materia, primo impetu incẽdũt. Caſtrũ & ipsũ ſatis munitum eſt, & pręſidiarios Turcas õ paucos habebat. Ita Coſaci cum Valachis & Ung. partiti fuerãt, ut, cũ ab una parte ipſi irrupiſsẽt, ab altera illi caſtrũ oppugnarent. Verũ, Ung. omnino ab oppugnatione ceſſantibus, Coſaci, qui neq; ipſi in oppugnationib. multũ ꝟſati eſſent, primũ, nõ paucis interfectis, vulneratisq;, rejecti fuerũt, deĩde, Sendz. cũ præſidiariis etiã erũpẽte, ꝓfligati, ſe receperũt. Præfecerat cohorti ſuæ, quã ex Hungaris habebat, Baro Roz. quẽdã, qui matre Valacha, patre ex eo genere hominũ, quos Ciganos vulgo vocant, natꝰ, pro gregario primũ milite inter pedites meruerat, poſtea à Steph. Rege virtutis cauſa ad ordinem ꝑductꝰ fuerat. Hic, ab oppugnatione Techinẽſe rejectꝰ, cũ militẽ omnẽ, ut qui Hũgaricę nationis fere eſſet, in poteſtate haberet, Aaronẽ, à quo ad pręfecturã cohortis ꝓvectꝰ fuerat, cuiq; ſacramẽtũ dixerat, nihil tale ſuſpicãtẽ, in vĩcula cõjicit, cũq; uxore & liberis ſub cuſtodia in Tranſ. mittit: ipſe, gaza ſuppellectiliq; omni direpta, à provincialibusq; ac mercat. nõnullis Pol. quanta poterat, maxima pecunia, ꝑ prædã coacta, provĩciales recuſantes quidẽ, ſed tamẽ metu muſſitãtes, in verba Principis Trãſ. ac ſua adigit. Apud Turcas interĩ, ꝙ novus Princeps hoc anno ſucceſſiſſet, õ viſũ Baſſis, ut Imp. ipſe in expeditionẽ iret, illi totũ negotiũ ſuſcipere, max. autẽ in 3. provĩcias, q̃ ab imperio illor. defecerãt, Trãſ. & utramq; Valachiã, impetꝰ ſuos dirigebãt. Gravis inter primar. 2 Baſſas, Sinanũ & Feratẽ, æmulatio erat: Sinano plꝰ invidiæ ex incommodis exercitꝰ, diuturnitate expeditionis, & hyemis injuriis õ parũ attriti, acceſſerat, quã gloriæ, ex Taurino capto, ſimul ætate etiã ejꝰ, q̃ deſtituere jã eum videretur, adverſarii ejꝰ ad opprimendum eum abuſi, ut Ferati imperium traderetur, ipſe, ab aula relegatus, deportaretur, effecere. A Ferate manus aliqua Turcarum, cum Tancula, ejus, qui Valachiæ quondam præfuerat, filio, ad occupandam Moltaniam miſſa, cum magis priſtina Imperii reverentia, quam numero & viribus, provinciam obtenturos ſe exiſtimarent, à Moltanis cæſa profligataq; fuit. Pontem deinde ſupra Danubium ad Riſcicum cum magno opere moliretur, is quoq; à Moltanis interciſus, aliquot milites in opere interfecti fuere. Incommoda ea Sinanæ factioni & Feratem criminandi, & Sinanum in priſtinam autoritatem apud Principem reſtituendi locũ fecere. Ferate igitur dejecto, atq;, ut fama tum erat, in fuga interfecto, Sinanus rurſus Imperio præfectus. Hic, omnibus copiis Danubium traductis, Moltania, quæ prima furori ejꝰ occurrit, ferro igniq; tota pervaſtata, Tranſilvaniã jam ſpectabat. Erat cum Michaele Albertus Kiral, veteranus Præfectus. Is, imparibus plane viribus fruſtra cum hoſte congreſſurum ſe intelligens, & ipſe cũ iis, quos circa ſe habebat, ſe recepit, & Michaeli, ut in penitiores montes furori hoſtis ſe ſubduceret, autor erat. Valachus quidam provectus dolore fortunarum ſuarum amiſſarum, ad omniũ rerum deſperationem adactus, manum ruſticorum, quantam maximã cogere poterat, intra ſylvas, per quas venturus Sinanus erat, abdidit. Illos cũ totos Turcæ cinxiſſent, ad unũ omnes ceciderunt. Jã ante haud multo poſt Aaronem captum, & Tranſilvaniæ Princeps iterato literas ad Zamoiſcium dederat, quibus titulos Valachiæ præſcribebat, ſuiq; juris Provincias eas factas ſignificabat, quodq; vicinum exercitum illi eſſe cognoviſſet, ne quid damni à noſtris ei daretur, pro neceſſitudine mutua petebat, & quem in provinciam eam miſerat, Caſp. Corniſſium, hominem ſuum iis de rebꝰ ad Zamoiſcium allegarat. Reſponderat illi Zamoiſcius, non ſui, ſed regii arbitrii atq; Ordinum id eſſe. Se miniſtrum eſſe: ad Regem igitur iis de rebꝰ referret: commode tamen facturum fuiſſe, ſi õ ſolum aliis de rebus, ſed etiam de hoc ſuo conſilio, obtinendarum & tuendar. iſtar. Provinciarum, in proximis comitiis cum Rege communicaſſet. Rozuanus autem ipſe frequentiſſimas cum literas tum nuntios mittere õ deſinebat; quibus & de adventu Sinani nuntiabat, & opem petebat. Quibus de rebus, maxime autẽ de periculo finium Regni, cum diligenter Zamoiſcius ad Regem retuliſſet, in eam ſententiã à Rege mandatum ei fuerat, ex tempore conſilium caperet: cum Rozuano, qui per proditionẽ herũ ſuũ cepiſſet, nihil commune haberet; plane in magna cura omnes eſſe. Nõ modo n. Sinanum cũ exercitu in Moltania jã eſſe, & primaria oppida magno opere munire cõſtabat: verũ Tartari etiã maximo numero venire nũtiabantur. In Valachia nihil omnino viriũ erat. Quod roboris penes Rozuanũ erat, õ amplius nõgẽti pedites Ungari erãt: Valachi & per ſe infirmi erant, ut ex quibꝰ partĩ bellis ſuperioribꝰ Turcicis, partĩ Principũ ſuorũ crudelitate, hoc tẽpore vix 15. millia patrũfamilias relicta eſsẽt: inter quos ipſos tamẽ equeſtris ordinis ſeu Bojari, ut ipſi vocant, pauci omnino, ruſtic. plebis maxima pars eſt, tũ cõſciẽtia & ſuar. & hoſtiliũ viriũ militiã ultro detrectabãt, in q̃ cũ exqſitis aliquot exẽplis in nõnullis editis, quibꝰ vel nares vel manꝰ præſciderat, cogere Rozuanꝰ eos vellet, reliq ſęvitia ejꝰ abſterriti eo magis remanebant. Itaq; & Nadibaiko, Valachus primarię inter illos autoritatis, qui ꝟſus Techinã contra Turcas excubabat, nullam in virib. Valachicis ampliꝰ ſe ſpẽ habere ſignificabat: fama tãtũ exercitus Polonici ſe niti. Similiter, q ad Danubiũ circa Galatiã itidẽ ex Valachis obſervabant, jã receſſerant. Roz. autẽ ipſe trepidare: auxilia opẽq; petitũ miſſitare: currꝰ rebꝰ pretioſiorib. onuſtos omniaq; alia ad fugã parata habere: ita ꝓvincia õ modo ſine milite ac exercitu juſto, verũ ſine munimẽto ullo, in prædã hoſti relinq jã videbatur. Quod ſolũ autẽ ꝓvinciæ ejus reliquum caſtrum erat, Chocimium, & ducentorum tantum peditum præſidio tenebatur, & à Ca-

àCamenecia duobus ſolis milliaribus diſtabat,
ita, ut, ſi ſemel pedem in provincia ea Turcæ
poſuiſſent, non modo de Valachia Provincia
nominis Chriſt. actũ videretur, ſed de Podolia
etiã Ruſſiaq;. Pręterq̃ n. ꝗ moris Turcici eſt, ut
in pace etiã exercẽdi ditãdiq; militis cauſa ex-
curſiones liberas, ita in fœderibꝰ cũ vicinis ple-
riſq; excipiãt, ut modo loca nõ oppugnẽtur, õ
violatũ iis fœdꝰ interpretẽtur, ut maxime à ma-
leficio in finibꝰ regni abſtinere vellent, vel ne-
ceſſitas ipſa, tamẽ ad infeſtãdũ regnũ adductu-
ra eos videbatur. Quod n. in ꝓvincia plane ex-
hauſta & vaſtata nullus omnino cõmeatus reli-
quꝰ erat, nullis aliis ex locis, quã ex finibꝰ regni,
& tã ꝓpinquis & fere intactis, petere eũ poterãt:
ſemel autẽ ꝑ injurias & excurſiones animis irri-
tatis, belloq; cõtracto, nemini dubiũ eſſe pote-
rat, quin perpetuũ futurũ id eſſet, quo cõtra tã
potẽtẽ hoſtẽ adminiſtrãdo, neq; sũptu ſuffice-
re regnũ poſſet, neq; ſine sũmo periculo ab hac
pręſertĩ parte, q̃ omnis ad ipsã fere usq; Craco-
viã, ſedẽ regni, aperta, ſineq; ullis juſtis muni-
tionibꝰ eſſet, id adminiſtrare. Qua cura cũ alii
etiã pleriq; vicini Senatores, tũ imprimis Joann.
Demetr. Solikoviꝰ, Archiep. Leopol. præter
Zamoiſciũ ad Regẽ ipſe etiã diligentiſſ. refere-
bat. De Tart. Koſaci nũtiarũt, illos Boryſthenẽ
jã trãsire, viaq;, quã nigrã vulgo vocãt, qua alias
etiã uti fere ſolẽt, venire, captivũq; quendã à ſe
inſtructũ ſubornatũq; ad Zam. miſerãt. De quo
cũ quæſtio habita fuiſſet, apparuit, & ſuperiore
jã anno captũ fuiſſe: & niſi quę à Coſacis mãda-
ta ei fuiſsẽt, nihil certi habere, ꝗ tamẽ certo in
Valach. expectari dicebãtur, quo majores cõ-
tra eos vires haberet, Coſacos etiã Zam. in ex-
peditionẽ eã invitabat; utq; opera hac eo faci-
liorẽ ad veniã ſibi viã apud Regẽ & Ord. ſterne-
rent, hortatꝰ eos fuerat. Illi partĩ credere ſe ei õ
audebãt, partĩ ſtipẽdia flagitabãt. Reſpõsũ ma-
gis de venia, quã pręmio illis laborãdũ, ita & ipſi
remãſerunt, & Zam. quoq; poſtea eos neglexit.
Rex, quẽadm. oſtẽsũ eſt, ita fere Zam. & aliis Se-
natoribꝰ, qui ad eũ referebãt, reſpõdebat, ut tẽ-
porib. rẽ totã permitteret. Zam. anceps delibe-
ratio tenebat. Si intra fines regni cũ nõ magno
exercitu hoſtẽ expectaſſet, præterquam, quod
Valachiã Turc. juris futurã videbat, perpetu-
umq; Regno metum impoſitum iri. Si quid eti-
am intra fines ſibi exercituiq; gravius accidiſ-
ſet, ne non modo de exercitu illo actum eſſet,
verebatur, ſed nullo etiam alio exercitu para-
to, qui victori hoſti opponi poſſet, ne Regis ac
regni ipſiꝰ aut ſaltem Ruſſiæ ſalus in diſcrimen
adduceretur: ſi Valachiã cum exercitu ingreſ-
ſus fuiſſet, quod & fama majora omnia faceret,
& exercitus noſtri, quod equis armiſq; nõ mo-
do bene inſtructi, ſed ornati fere eſſent, majo-
rẽ etiam re ipſa numerum præ ſe ferre ſoleant,
vel fama ſpecieq; ipſa exercitꝰ, aut retineri, aut
retardari hoſtẽ poſſe, ſpem aliquam habebat:
vel ſi in diſcrimẽ aliquod res adducenda eſſet,
minore cum periculo Regni remotiore à finibꝰ
loco, quam in ipſis regni viſceribꝰ, tentari for-
tunam poſſe ſtatuebat; utq; nihil aliud perfice-
retur, objectu tamen corporum ſuorũ vel pro-
hibituros à finibꝰ hoſtem, vel retardaturos. In-
terim in omnes partes conſilium tutius hoc fu-
turum: metu aut ſaltẽ ſuſpicione exercitus no-
ſtri progreſſus & Turcici & Tartarici exercitus
inhiberi poſſe; utilemq; operam non modo re-
gno huic, verũ univerſæ Chriſtianitati, quæ ab
hac parte tuta, alio loco vires ſuas conjungere
poſſet, navari. Arma non contra Turcam, cum
quo aliqui pacem turbari nollent, ſed contra
Tartaros ſumpta viſum iri. Quod primum au-
tẽ eſſet, cum de Valachia, tum ipſo bello Tur-
cico, Regi Regnoq; huic, tũ Chriſtianitati uni-
verſæ integra nihilominus omnia futura, cũ in-
terim, niſi ipſe Valachiã ingrederetur, Rozua-
num & Valachos impetum Tartarorum maxi-
me cum Turcis conjunctorum minime ſuſtẽ-
taturos conſtaret, & non modo ſuas vires Chri-
ſtianos diſtracturos: verum vel in hoc etiã re-
gnum hoſtem attracturos: & quo minus com-
munib. viribus contra Turcam geri aliquid de-
inde à Rege poſſet, futurũ ſemel enim in Pro-
vinciam Valachia redacta, Turciſq; in eam co-
loniis introductis, quem eſſe, qui non in perpe-
tuum in finib. hiſce nobis hærendum videret?
nec alio loco niſi illis ſubmotis bellũ admini-
ſtrari poſſe, confirmarunt. In ea ſententia Za-
moiſcium ſummi etiã Pont. Nuntii Malaſpinæ
literæ, quibꝰ, quod Chocimum, neq; ipſum fir-
mum, neq; firmo præſidio munitũ eſſet, ſi ipſe
id occupaſſet, firmaſſetq;, ne ſummo quidem
Pont. ingratum futurũ ſignificabat. Hac igitur
de re cum conſilium habuiſſet, ac õ modo mi-
lites, ſed vicinos quoq; Senatores, quorũ copi-
am habere poterat, imprimis autem Solikovi-
um, Archiepiſc. Leopol. Dolucium Epiſc. Ca-
menecenſ. & Pal. Ruſſiæ, Nic. Herbortum ad-
hibuiſſet, cũ iis, quę ſupra commemorata ſunt,
demonſtratis, tum Regio etiã mandato prola-
to vicit ſententia ea, quæ aleã jaciendã ſtatue-
bat. In eodẽ conſilio ſtatutum, ut ad Sinanum
quoq; literæ darentur, quibꝰ, ne fines Valachiæ
ingrederetur, ei denuntiaretur. Scriptæ aliorũ
Senatorũ nomine fuerunt, qui præter Zam. in
exercitu erant. Oſtenſum, quã vetus inter do-
mũ Ottom. & Reges Pol. amicitia fuerit, inter
aliquot etiã injurias à domo Ottom. nuper Re-
gno illatas, diligentiſſ. tamẽ in hunc diem con-
ſervata: ei pro ea prudẽtia & autoritate, qua eſ-
ſet, ipſum quoq; ſtudere debere, ita autẽ eam
tutaturum: ſi litium atq; injuriar. cauſam omnẽ
tollat, eam ſententiam pactorum eſſe, ut in for-
mam provincię redigi Valachia non poſſet: ſed
Valach. generis Principẽ habere debeat. Pru-
dentiſſ. à majoribꝰ comparatum fuiſſe, ut inter
utriuſq; Principis ditionis Valachus Chriſt. no-
minis Palatin. interjectus eſſet. Ex vicinitate ut
plurimum injurias oriri. Injuriis amicitiã tolli,
raroq; ullã vicinitatẽ pacis & cõcord. patientẽ
eſſe. Rozuano etiã, q̃ ſub id tẽpꝰ ipſe quoq; nũ-
tiũ apud Zam. habebat, ex eorũdẽ Senator. au-
toritate nũtiatũ, contra Tart. in fines Valach. ſe
ingreſſurũ, ne, quẽadm. ſuperiore anno, in Po-
loniam inde irrumperent: cum Turcis pacem
reſcindere non ſui arbitrii eſſe, vires ſuas ipſe
ſecum metiretur: ſi ita paratus eſſet, ut contra
opes

opes Turcicas tueri ꝓvinciã poſſet, nihil prius
faceret: ſin ſecꝰ, ne & ꝓvinciã & ſe ꝑditũ iret, ſed
potiꝰ cũ aliis Chriſtianis, q̃ aperte bellũ cũ Tur-
ca gererẽt, vires ſuas cõjungeret. Rebꝰ omnibꝰ
ad iter cõparatis, die 27. Aug. q̃ idẽ Dominicus
erat, Zamoiſciꝰ cũ parte exercitꝰ Tirã, nũc Ne-
ſtrũ vulgo dictũ, q̃ Valachiã à Polonia dividit,
& ipſe vado trajicit, & reliquũ exercitũ, quẽ ſe-
cum habebat, duobꝰ aliis vadis traduxit. Quod
raro n. alias accidere ſolet, ad eã humilitatẽ flu-
mẽ ꝑvenerat, ut vado etiã transiri poſſet. Dici
õ poteſt, quãta õ modo alacritas in trajiciẽdo.
Sed lętitia apprehẽſę Valachię in exercitu fue-
rit, partim ingreſsũ in novã Provinciã ſibi gra-
tulãtiũ, partim fauſtis ominibꝰ inſtitutũ proſe-
quentiũ. Zamoiſciũ triduo poſt Stan. Zolkievi-
us, Caſt. Leopol. cãpeſtris militiæ Præf. cũ reli-
qua parte copiarũ, cui præerat, ſubſecutus. Ea-
dem die, quo Zolkievius trajecit, Martis is erat
proximꝰ poſt diẽ domin. quo Zamoiſciꝰ trans-
miſerat. Rozuanꝰ, uxore, omnibuſq; rebꝰ, quas
cõpilarat, Tranſilv. verſus, antea pręmiſſis, ipſe
etiã mox movit, cũq; Mich. Mult. Palat. ſup-
petias laturũ ſe ire ex itinere Zamoiſc. ſcripſiſ-
ſet, recta tamẽ verſꝰ Tranſ. fines ſe recepit. Re-
liquũ Chocimi pręſidiũ Ungaric. ducẽtorũ ſo-
lorũ, peditũ erat. Id in ea vicinitate finiũ Polon.
vix jactũ n. lapidis à finibꝰ caſtrum id diſtat, nõ
modo Cameneciã, verũ in vicinã etiã Podoliã
atq; Ruſſ. allicere Turcas poterat, ſuſtinere im-
petum eorum non poterat. Cum Provincia-
les, diſceſſu Rozuani cognito, partim injuriis
ſævitiaq; ejus irritati, partim metu Turcici pe-
riculi adducti, concurſu facto, ut præſidium
quoque excederet, minis & obſidione adege-
rant: dataque fide ſalvos ad fines Tranſilvaniæ
perduxerant. Itaq; quinto die poſt ingreſſum
exercitus noſtri, quod reliquum erat, Tranſil-
vanorum exceſſit, vacuamq; provinciam reli-
quit. Certatim inde à Valachis ad Zamoiſcium
concurſum, partim in fidem Regis Regniq; ſe
tradentibus, partim Palatinum petentibus.
Oſtendere illis Zamoiſcius, non ſui, ſed Regii
arbitrii id eſſe: ut autem commeatu interim
exercitum juvarent, ab iis poſtulare: demon-
ſtrare illi, ne eum quidem ſine certo imperio
expediri poſſe. Ambiebat Principatum Græ-
cus quidam, qui filiam Alexandri, Bogdani
ejus, qui ad Sigismundum Auguſtum ſe contu-
lerat, ſororem Germanam in matrimonio ha-
bebat: Provinciales, ab aliquot jam ſęculis, for-
tunæ ea ludibria expertos, pertæſum cum Ty-
rannorum, tum maxime externi Imperii erat.
Primum Matthias Rex cum ob æmulationes
Caſimiri Regis Valachiam à Polonia abſtra-
xiſſet, atque in ſuam tutelam recepiſſet, inte-
rimq; quo magis & Poloniam turbare, & Au-
ſtriæ, in qua Viennam tum obſidebat, gravior
eſſe poſſet, pacem cum Turca feciſſet, Kiliam,
Techinam, & Bialogrodum, quæ in ora mari-
tima, Conſtantinopolim verſus, Valachiæ præ-
ſidia erant, fœdere non comprehenderat. Cu-
jus rei culpam etſi in negligentiam Scribæ, qui
fœderi ſcribendo præfuerat, poſtea contuliſ-
ſet, præſidia tamen illa in poteſtate Turcarum
manſerunt, & Provincia munimentis iſtis con-
tra Turcas exarmata, jam ab eo tempore ob-
noxia, & tributaria illis eſſe cœpit; Regibus Po-
loniæ jus ſuum, in pace cum Ottomannis re-
novanda, magis verbo excipientibus, quam
contra tam potentes Tyrannos re uſurpanti-
bus. Ad Alexandrum tamen usque, filiumq;
ejus Bogdanum, quaſi certæ ſtirpis Principes,
illis præeſſe. Poſt eos, ut quiſque genus Princi-
pum Valachiæ ementitus, quam maximum
tributum Turcis obtuliſſet, ita Provinciæ præ-
fici, & quoties collibuiſſet, rurſum dejici. Qui
nuper adeo Aaron Provinciæ præfuerat, incer-
ti generis homo ex agaſone in locum eum pro-
vectus fuerat. Cumq; ipſi extrema pars Servitii
Turcici eſſent, multo graviore tamen ſervitu-
te, Provinciales premere. Quæ cum ita Pro-
vinciam à tot ſęculis exhauſiſſent, & vix oſſi-
bus jam hæreret, ſui generis & corporis ali-
quem malebant. Erant cum Zamoiſcio duo in-
digenæ Valachi, unus Lucas Stroicz, alter Hie-
remias Mokila, uterque apud Petrum, qui ali-
quot ante annos metu Turcæ in Cæſareas di-
tiones profugerat, ille Queſtor, hic Marſalcus
fuerat; Petrumque imperium relinquen-
tem, in Poloniam ipſi quoque ſecuti fuerant:
quodque, cum eo loco apud Petrum eſſent,
non pauca Regi Regnoq; officia præſtitiſſent,
ex omnium Ordinum autoritate, jus Nobilita-
tis Polonicæ, in comitiis, publice illis datum.
Hieremias vero non modo cognationibus, &
affinitatibus, verum poſſeſſionibus etiam, faci-
le primus inter Valachos eſſe. Eum igitur, cum
Provinciales maxime peterent, tutius viſum,
hunc in Palatinatu collocare. Conſtitutus hiſ-
ce potiſſimum conditionibus fuit, primum, ut
ipſe ad Regem mitteret, beneficiumq; id à Re-
ge peteret: ſi Rex ratum haberet, imprimis, pe-
nes Græci ritus, Catholica quoq; Romana re-
ligio in Provincia propagaretur: ſi ſocietas cum
Chriſtianis Principibus bellumq; cum Turcis
ſuccederet, agro aliquo, quem privatim Rex ei
aſſignaret, contentus eſſet, provincia ipſa regni
eſſet, ipſoq; nullo alio jure, quam quo in Polo-
nia Palatini nobilitati præeunt, provinciæ præ-
eſſet: uno verbo & Provinciam & ſe omniaque
ſua Regis poteſtati permitteret: ſi pax cum
Turca confirmaretur, aliterq; convenire non
poſſet, Provinciæ quidem ea formula mane-
ret, quę antea fuiſſet: Majeſtatem nihilominus
Regis & Regni coleret, fidemq; ei præſtaret. In
haſce conditiones juramẽtũ ab eo præſtitũ, le-
gatiq; ſine mora ad Regem miſſi, à Rege ad co-
mitia dilatus fuit. Venerat Chocimũ à Princi-
pe Tranſilvaniæ Ambroſius Vasquida. Hic cũ
à Valachis eo tempore, quo ad pręſidiũ Choci-
mẽſe expetendũ cõcurrerãt, odio crudelitatis
Rozuanianæ, ipſe quoq; arreptꝰ ad Zamoiſciũ,
ad quẽ literas haberet, provocaſſet, ſub id tem-
pus adductus Chocimo fuit; ſumma literarum
Tranſilvanicarum hæc erat: Ut cum Mol-
daviam ſui juris factam, jam ante ſignificaſ-
ſet, non modo à Provincia ea exercitus homi-
neſq; Regii abſtinerent; verum potius, neceſſi-
tate id poſtulante, ope auxilioq; ſuis adeſſent:

Sinanum Baſſam, qui Ferate Baſſa per Capucios Conſtantinopolim abducto in locum ejus ſuffectus fuiſſet, cum copiis non exiguis, haud ita pridem, ad Danubium veniſſe: ibidem pontibus ſuper Danubium extruendis occupatum, occaſionem utriusq; Valachiæ occupandæ captare: exercitum etiam Tartarorum numeroſiſſimum Boriſtinem jam trajeciſſe afferri; verendum ut ſit, ne ex compoſito Tartari ab una parte Moldaviam, Sinanus trajecto Danubio ex alia parte Valachiam eodem tempore adorirentur, viresq; ſuas inde conjungerent: itaque petere, ut noſter exercitus Tartaro opponeretur. Reſpondit Zamoiſcius, cum Turcas verſus Galatiam, Valachiæ oppidum, Danubium transmittere, & Tartarorum omnes copias altera ex parte huc adventare, & jam ad Bialogrodum chanum eſſe, cum Rozuanus, tum Nadibaico Valachus, qui Tartaros ibi obſervaſſet, nuntiaſſent: quæ eadem fere illius quoq; literis confirmarentur, contra Tartaros potiſſimum, qui ſuperiore etiam anno Ilkao in Regnum irrupiſſent, Valachiam ſe ingreſſurum: quamprimum Neſtrum transmiſiſſet: Rozuanum Taſſo moviſſe, ultroque provincia exceſſiſſe: Valachos mox ab eo ſeceſſionem feciſſe: præſidiarios Chocimi obſediſſe: maxime ſævitiam ejus accuſare: qui cum Aaronem cepiſſet, multos necaſſet, bonis omnibus exuiſſet: intolerabilia tributa injunxiſſet: multos naribus, auribus, aliisque membris, truncaſſet; quam ob cauſam ne in exercitum quidem cogere eos potuiſſet: cum vitam reliquasque ſpes ſuas latebris, quam fidei ejus, committere mallent. Itaq; alium Palatinum ipſos ſibi delegiſſe, legatosque ad Regem de eo jam deſignaſſe, quem in ſtatum re adducta, facile ipſum judicare poſſe, nihil minus quam ſuæ poteſtatis rem eſſe: ſed cum Rege atque Ordinibus de ea agendum: Rozuani quidem præſidium impetum Tartarorum non laturum fuiſſe, ac multo minus cum Turcis conjunctorum; incendium autem id, niſi exercitum promoviſſet, in tanta Chocimi cum Camenecia vicinitate, ad Podoliæ fines, deferri potuiſſe. Inde cum & Turcam & Tartaros expectandos ſibi ſciret, imprimis de loco caſtris idoneo capiendo intentus, inter confluentem Bruti & Taſſi fluminum, more Polonico, curribus & impedimentis, quam maxime poterat, iis communitis, caſtra ponit, ita, ut non modo duorum fluminum objectu caſtra ipſa tutiora eſſent: verum commeatus etiam facilius ſubvehi iis poſſet; Ipſe privato habitu incognitus Taſſiũ acceſſit, cũ loci ipſius cognoſcendi cauſa, tum an muniri poſſet, quo minore milite teneri Provincia poſſet. Sedes Principum Valachiæ cum Soczaviæ antea fuiſſet, ab Alexandro primum, quod à Deſpota Turcicis auxiliis Soczava pulſus fuiſſet, poſtea reſtituto tanquam infauſtum locum eum deteſtante, Taſſium translata fuerat, oppidumq; ædificiis aliquot, cum publicis, tum privatis, exornatum. Oppidum ipſum, quemadmodum oſtenſum eſt, à Coſacis nuper exuſtum, incendiisq; ac ruinis plane deformatum fuerat. Regia, quæ ex muro erat, relicta fuit: tum Templa tria circiter Græci ritus, Armenorum unum, ex lapide omnia: Catholicum ex materia unum: ſuper omnia Balneum Aſiatici operis ex lapide pro captu loci ſatis elegans. Natura loci non tam inepta ad muniendum viſa, quam magno & ſumptu & opere egere: quæ in Provincia omnibus rebus exhauſta, & ad extremam egeſtatem redacta utraq; difficilia eſſent. Taſſium, caput provinciæ, Hieremias publice ingreſſus, ibidem à Græci ritus Epiſcopo inauguratus fuit. Aliquot ei turmas equitum, quæ honoris cauſa eum deducerent, Zamoiſcius attribuerat. Ad ingreſſum ejus reliquus totius fere Provinciæ populus ex latebris, in quas ſe abdiderat, progreſſus, racemosq; uvarum & manipulos frumenti, cujus alioquin ſatis ferax Provincia eſt, more ſuo in eum ſpargentes, fauſtis acclamationibus imperium ejus proſequebantur. Deſcendit ad Templum majus, quod ſub ipſa Regia eſt, ubi Vladicam aliosque Sacerdotes ritus ſui cum crucibus ornamentisq; ſacris obvios habuit. Templum ingreſſus à Vladica inaditum, in quod ritu ipſorum nulli, præterquam ipſi Vladicæ, ingredi fas, ſolus introductus, poſtea in ſede Principum, quæ in templo eſt, publice collocatus fuit, omnibus ſumma lætitia ingreſſum illius celebrantibus. Mortuus Amurates, Princeps Turcarum, fuerat. In locum ejus Machomet, aliquot Fratribus Principibusq; Baſſarum interfectis, partimq; ferro, partim veneno necatis, ſuffectus.

1595

Eodem anno nonageſimo quinto, die nono menſis Junii, qui dies Veneris erat, hora meridiana, Vladislavus Princeps, magna ſpes regni hujus, Lobzoviæ prædio ſive ſuburbanis Cracovienſibus natus fuit. Feſtivitates die 9. menſis Julii, per univerſum regnum, magnæ habitæ fuere: Baptiſmo ſequente die dominico initiatus, Reginaq; Anna ſenior Varſavia ad eum venit, celebravitque. Jam antequam primum ingreſſus Valachiam Zamoiſcius fuerat, cum ad Regem, tum ad Senatores plerosque, in Poloniam literas dederat, quibus de conſilio ſuo certiores eos fecerat, & quo in ſtatu res eſſent, ſignificarat. Varie res accepta, alii factum, ut plenum periculi omnino improbare. Imprimis Archiepiſcopus Gneſnenſis non modo ſententiam ſuam, ſed conventuum etiam quorundam majoris Poloniæ poſtulata hac de Re ad Regem deferre, novi maliq; exempli rem eſſe, ſine autoritate comitiorum, pacis belliq; arbitrium privatim quenquam ſibi ſumere: inque fœderatam Provinciam cum exercitu ingredi, poſtulare, ut exercitus quamprimum revocaretur: De pace autem renovanda legatio mora nulla interpoſita ad Turcam mitteretur. Non deeſſe alii, qui priſtinarum partium ſtudio, periculo illi quo minime explicaturum ſeſe eum exiſtimabant, objectum Zamoſcium ultro lætarentur. Literis etiam ad exteros miſſis jactare non dubitarent, eo tandem progreſſum, unde auxiliis, quę fru-

ſtra imploraret, nullis ei latis, nunquam recepturus ſeſe eſſet: Ne in ipſa quidem aula omnes conſilio huic favere. Cumq; ſub idem tempus mater Reginæ, Archiduciſſa Auſtriæ, ab alterius filiæ Mariæ cum Principe Tranſilvaniæ nuptiis ad Regem divertiſſet, animum materno affectu ſua ſponte ſolicitum, nonnulli ultro etiam tentare, & cum ipſam tum per illam Regem ſuccendere conabantur; plerisq; tamen eventum fere expectantibus, ut caſura res eſſet, vel probaturis eam, vel damnaturis. Rex ſolus fere factum non improbabat; in omnes tamen partes magna cautione opus eſſe oſtendebat; ne vel cum Turca Regnum committeretur, vel domi nonnullis turbandi cauſa præberetur: cum ut à provincia ea abſtineretur, plerisque Senatoribus viſum eſſet; in præſentia duo maxime præcipere: Imprimis, ne pax cum Turca aliqua in parte turbaretur: cum in deſperatione fere hac ſocietatis cum Principibus Chriſtianis, cum præterea etiam domi tot eſſent, qui partim urgerent legationem eam, partim tributa recuſarent, turbarentque, in eoq; jam eſſet, ut legatum ad Turcam mitteret, tum ne flos iſte militiæ manifeſto alicui periculo minus neceſſario objiceretur: ſimul ad Senatores relaturum ſe ea de re ſignificabat: Interim, quod maxime ex re & dignitate publica eſſe ſtatueret, facere eum debere. Dum hæc aguntur, Sinan Baſſa, Michaele ex Moltania ejecto, artificibus omnis generis adductis, non modo Buchoreſtum, caput Provinciæ, ſed Tarchoveſtum etiam, magno opere munire, cum ab exploratoribus, tum à Moltanis ipſis nuntiabatur. Ad ipſum autem Danubium Saban Baſſa Ægypti, qui cum triremibus aliquot miſſus fuerat, Bractovum ſimiliter muniebat. Nihil magis autem Zamoſcius vereri, quam, cum Tartarorum etiam adventus expectaretur, ne, ſi Tartari cum Turcis ſe conjunxiſſent, non modo procellam illam tam parvis copiis ſuſtinere non poſſet, verum in Provincia etiam ab hoſte munita, & in qua, ob maris ipſiusq; imperii Turcici vicinitatem, omnia hoſti ſuppeterent: ſibi tam longe à finibus regni progreſſo, ſine certa ſede, ſineq; ullis munimentis, omnia deeſſent, difficilior belli adminiſtratio accideret. Tartarus an Boryſtenem transgrederetur, non tam deliberabat, quam cum & à Sinano diligenter accerſeretur, & non modo exercitum Polonicum, ſed cum eo Zamoiſcium etiam in Valachia eſſe cognoviſſet, eo majores copias, ex Nohajenſibus usque Hordis, contrahendas ſibi exiſtimabat, dum illas expectat, tardabat, in quam ſententiam à Senatoribus, qui ad caſtra convenerant, cum ad Sinanum Baſſam, tum ad Sendziakum Fechinenſem literæ datæ fuerint, ſupra oſtenſum eſt. Baſſa dum Conſtantinopoli, quo confeſtim literas miſerat, reſponſum expectat, nihil reſcripſit: Sendziakus primum, quod interpretis, qui literas ei legeret, facultatem ſe non habere, diceret, ad literas ipſas nihil quidem reſcripſit, omnia tamen pacata, & polliceri ſe, & expectare. Poſtea aliquoties Nuntiis cum à Valacho ad illum, tum ab ipſo ad Valachum, atq; ipſum etiam Zamoiſcium, ultro citroque miſſis, ut Principatus Hieremiæ confirmaretur, non modo omnem operam ſe daturum, ſed bonam etiam ſpem ſe habere oſtendere: cum Chano tamen maxime ea de re agendum eſſe, cujus poteſtati Provincia fere ea & pars iſta belli à Soltano credita eſſet. Ultra Sendziakum Saban Baſſa, cum jam ante Petri Petrini temporibus Hieremiam noviſſet, hominemq; ad eam rem idoneum, utrique notum, Damianum Valachum, nactus fuiſſet, tum per illum, tum per literas ipſe quoque Hieremiam confirmabat: ut Principatus ei confirmaretur, cum apud Soltanum, tum Sinanum, tanquam ſupremum Baſſam, autoritatem ſuam interpoſiturum pollicebatur, à Chano tamen, ut caveret, utque aliqua ratione illum placaret, monebat. In prioribus aliquot ad Sendziakum literis, quas Senatores alii ultro citroque ad illum dederant, Zamoiſcius non ſubſcripſerat: Id cum ſuſpectum Sendziako eſſe miniſter ejus Valacho dixiſſet, tandem alteris literis, quibus Senatores illi reſpondebant, ipſe quoque ſubſcripſit. Simulatio hæc tamdiu manſit, quoad Chanum omnibus rebus inſtructum adventare conſtabat, cujus adventu cognito, literis ad Zamoiſciũ datis, aperte jam Baſſam Valachiæ ſe ferre, quod imperium Provinciæ ejus ab Imperatore Turcarum commiſſum ſibi eſſet, ut de Provincia & ipſe decederet, & Hieremiam deduceret, poſtulare: De Chano autem oſtendere, quot aliquot annorum donativa ex Polonia ſoluta ei non eſſent, ipſum repetitum ea adventare, in Poloniaque hyemare conſtituiſſe. Præter illas, edicta publice Provincialibus proponere, quibus vitæ omniumque fortunarum periculo propoſito ad Hieremiam deſerendum, Turcicumque Imperium accipiendum, eos hortabatur, hominesque ad poſſeſſionem oppidorum, aliorumq; locorum, accipiendam paſſim dimittebat; ex quibus duo ab ipſis oppidanis capti, deditiq; Zamoiſcio fuerunt. Cum primum Valachiam ingreſſus Zamoiſcius fuerat, antequam de adventu Tartarorum certi aliquid conſtaret, Coſaci prędæ ſpe inducti ad fines Valachiæ, cum ante invitati detrectasſent, tum ultro acceſſerant. Zamoiſcius, quod & prædam tantum ſequi eos intelligeret, & diſerte mandatum à Rege ei eſſet, ut ita omnibus rebus moderaretur, ne pacem cum Turcis turbaret, quod Tehinam nuper adeo partim diripuiſſe, partim obſediſſe, eos conſtaret, ne, ſi exercitu reciperentur, publica autoritate factum eorum comprobari apud Turcas exiſtimaretur, pro hoſtibus ſe eos habiturum, ſi progrederentur, eis denuntiare. Ita rejecti, cum de adventu Tartarorum ipſi antea nuntios ſparſiſſent, Boryſtene tamen relicto, verſus Sarogrodum oppidum, à Zamoiſcio contra fines Turcicos conſtitutum, ſe receperunt, oraq; ea fere pervaſtata, poſtea per Podoliam & Volhiniam latrociniis graſſati. Ad Aslankorodum,

quæ tranſitum Boryſthenis obſervarent, unæ ſolæ Bractavienſium excubiæ erant, quibus facile à Tartaro rejectis, partim exercitus ad Oslanchorodum, partim ad Bialogrodum, aliam aliis locis Boryſthenem. Neſtrum ad Techinam trajecit. Quod magnam partem æſtatis, Sinanus eos exſpectaſſet, jamque vertente Octobre miles Turcicus, eadem, quæ ſuperiore anno, in Ungaria, ab injuriis aeris, maxime incommoda acceperat, metuens, ægerrime ſub pellibus contineri, ſe pateretur, ut, quamprimum ſecum ſe conjungerent, quo ſociatis viribus Tranſilvaniam ingrederentur, diligentiſſime eum urgebat. Reſcripſerat illi Chanus prius Valachiam fidei ſuæ ab Imperatore commiſſam ſe conſtituturum, Zamoiſciumque, quem dono Imperatori duceret, captum illi adducturum. Ita adventu ejus deſperato, cum & à milite urgeretur Giurgovum, atq; inde in hyberna exercitum reduxit. Sendziakus, cum parte exercitus Turcici ad Bikium, cum Tartaris ſe conjunxit, idem & ſororis filius Chani erat, & ſororem ejus Germanam Amitam ſuam inſtituto Turcarum minus jura ſangvinis reverentium in matrimonio habebat, ita autem ab Imperatore Turcarum comparatum inter eos fuerat, ut Techinam, Kiliam, Siliſtriam, maritimamque omnem oram Valachiæ, Tartarus ſeu filius ejus poſſideret, reliquam, quæ Poloniam ſpectaret, Sendziakus pro Baſſa adminiſtraret. Quamprimum de adventu ejus Zamoiſcius cognoviſſet, caſtra, quæ inter duo flumina, Prutum & Jaſſum, hucusq; habuerat, per pontem, qui in militari via, quæ à Taſſio ducit, erat, in alteram Pruti ripam, qua Tartarus venturus erat, traduxit. Patentiſſima ab ea parte planicies eſt, quod autem Prutus ambitu ſuo angulum quaſi quendam ibi faciat, duo fere latera, objectu ſuo, tuta præſtat, reliqua duo, foſſis & aggeribus objectis, communita à Zamoiſcio fuerunt, quatuorq; portis, quibus ſinguli cum præſidio præfecti, diſtincta; ſimul vero cum per pontem tum flumine & commeatus facilius pervenire, ad exercitum, poterat. Cum primum fama de adventu Chani allata fuiſſet, aliquot exploratores Zamoiſcius miſerat, qui & de adventu & copiis ejus certi aliquid afferent. Qui cum in Turcicos exploratores, qui eadem de cauſa progreſſi fuerant, numero fere pares, incidiſſent, velitareq; cum illis cepiſſent, Turcæ in caſam quandam ruſticam compulſi, quod explorandi cauſa veniſſe eos ſcirent, vix audito antehac in militia exemplo, ut ultro illis captivum darent, pacti ſorte miſſa, in quem ea ceciderat, dediderunt. Quo deinde facta pace dimiſſo in reliquos capitali ſupplicio animadverſum fuiſſe, cognitum fuit. Chanus ipſe, captivo ad Zamoiſcium miſſo, ut ad diem proximum Jovis ſummo mane certo ſe exſpectaret, ei denuntiarat. Poſtquam nihil certius, quam pugnandum eſſe, conſtabat. Zamoiſcius, militari conſilio omnium Præfectorum & plerorumq; Contubernalium habito, cum maxime de tempore ratione; pugnæ retuliſſet, ne primo ſtatim die, priusquam & virium hoſtis periculum factum eſſet, & noſtrorum animi confirmati, copia pugnæ fieret, convenit. Succeſſit ſub caſtra, quemadmodum denuntiarat, die Jovis, in menſe Octobre, mane, omnem barbariem, Scythicam ſecum trahens, ſub adventantis jam ad caſtra famam Georgium Vlaniecium, cum turma equitum, Zamoiſcius velitatum miſerat; ex cujus turma cum Tarocius quidam captus à Tartaris fuiſſet, quod in conſilio ipſe fuiſſet, ex eo prælio, rem Zamoiſcium commiſſurum, cognoverat: neq; tamen primo die pugnaturum. Subibant caſtra non modo agminibus diverſis, ſed ipſi etiam ſinguli ſparſi, qui eorum pugnandi mos eſt. Noſtri, quemadmodum conſtitutum fuerat, non ad juſtam pugnam, ſed ſuas hoſtiumq; vires atq; animos periclitandos emiſſi, pari ratione ſparſi, & ipſi cum illis pugnabant, ita, ut diverſis locis aliis ſinguli cum ſingulis, aliis plures inter ſe congrederentur. Habebat Sendziakus ad quingentos Janiczaros ſecum, hi ſclopetis maxime rem gerebant, quodq; longiſſimis uterentur, ad ipſa fere caſtra pertingebant, cumque ante portam unam caſtrorum Zamoiſcius ipſe in equo curreret, forte evenit, ut ſub ipſo equus ex ſclopeto vulneraretur. Cum omnibus tamen locis ſuperiores noſtri eſſent, multique ex Tartaris, atque in iis inſigniores aliquot aulici Czarii, paſſim caderent, plures vulnerarentur, fratrem FedeCherejum ab inferiore parte fluminis Pruti cum duabus confertiſſimis aciebus miſit. Proceſſere contra eos aliquot noſtrę turmæ: Chanus mox ipſe alias aliquot acies ab altera parte promovebat, ut à latere in noſtros invecti in Prutum eos proturbarent: etſi pugnandi copiam eo die non facturus Zamoiſcius erat, ad omnia tamen belli ſubita univerſum exercitum in caſtris inſtructum habebat. Itaque, cum contra ea agmina, quæ cum Chano veniebant, tribus caſtrorum portis turmas aliquot emiſiſſet, quæ in illorum itidem latera inveherentur, gradum Tartari primum ſtitere. Fedet Cherejus multis ſuorum amiſſis trepide ſe recepit, Sendziakus autem, ſignificatione militari facta, colloquium petere. Miſſi viſum, quid vellet, Joannes Felix Herbortus, Joannes Golſcius, & Temruk pro interprete, qui ex Tartaris Petiorienſibus Chriſtianus, jam à Sigismundi Auguſti temporibus Regibus Poloniæ in omnibus bellis meruit, utilemq; ſemper operam navavit. Cum colloquium cum Zamoiſcio Sendziakus peteret, quærere juſſu Zamoiſcii Herburtus, quod, omnibus fere promiſſis, antea fefelliſſet, quam fidem colloquii aut conditionum eſſe poſſe? Ille cum, ut Principatu Hieremiæ confirmato Valachia pacaretur, laboraturum ſe quidem promiſiſſe, obtinere autem non potuiſſe, oſtenderet; de adventu autem Chani, deq; Valachia ſibi à Chano attributa, jam ante ipſum ſe ſignificaſſe; tandem, ne colloquium recuſaretur, inſtare: primum, ut, Herburto pro obſide ad Chanum dedu-

ducto, ſibi ipſi ad Zamoiſcium accedere: deinde vero vel ſolius Herburti fide liceret petere. Ad Zamoiſcium rejectus, tandem literas ipſe ad Zamoiſcium ea de re miſit, quod nox jam eſſet, eo die nihil ei reſponſum: poſtridie, ſummo mane, Chanus cum Sendziako, vel ut fiduciam ſui oſtenderent, vel etiam, ut ipſi poſtea excuſabant, pabuli inopia preſſi locum mutare cogerentur, univerſum exercitum præter caſtra ducere. Nullum unquam majorem exercitum viſum à ſe fuiſſe, facile inter omnes, qui in exercitu noſtro erant, conſtabat. Zamoiſcius, quod & fraudem ſubeſſe vereretur, & contra fidem petiti colloquii id fieri exiſtimaret, quam creberrimis tormentorum ictibus prætergredientes infeſtabat. Maxime, ne trajecto alicubi flumine vel à tergo noſtros adorirentur, vel Taſſum hybernis occuparent, verebatur. Itaq; in utramq; rem intentus, partim, ſi flumine transmiſſo circumvenire caſtra vellent, qui illis occurrerent, paratos eſſe juſſerat, & ſi Taſſium verſus progreſſi fuiſſent, qui mox illud incenderent tormentis, quæ directa in illos fuerant, aliquot ex illis periere. Sendziakus nihilominus in medium procedere, colloquiumq; clamare. Miſſi iidem ad illum, qui pridie, ab utraque parte expoſtulatum, & à Sendziako, quod, colloquio à ſe poſtulato, tormentis nihilominus petiti eſſent: & à noſtris, quod conditione colloquii ab illis lata, cum integra omnia interim eſſe debuiſſent, caſtra promoviſſent. Sendziakus colloquium iterum urgere. Anceps Zamoïſcium deliberatio tenebat, quod neq; ſe atq; exercitu incolumi Valachiam relinquere, vicinosq; Turcas accipe poſſe ſtatuebat: neque, ut Turcæ, maxime autem Chanus de Valachia decederet, exercitumq; ex tam longinquis, præſertim Hordis, accitum, ſine præda, ex qua ſola fere victitant, magna cum infamia & invidia ſua, domum abduceret, nunquam in animum inducere poterat. Ab altera parte non pauca etiam illum urgebant: primum enim, quod patentiſſimi undiq; campi eſſent, & pugnæ & belli ducendi arbitrium in hoſtis fere poteſtate futurum videbat: qui, quemadmodum quandocunq; ei viſum fuiſſet, ſe proripere poſſet: ita nec propter ejus celeritatem gravitatemq; ſuam miles noſter eum aſſequi, nec in patentiſſimam planitiem ductus cum tanta hoſtium multitudine ipſe firmior, quam numeroſior, commode rem gerere potuiſſet: accedebant eo alia incommoda. Præter paucitatem ejus locus, in quo res gerebatur, tam remotus à finibus noſtris: in propinquo præſidia munimentave, quo, graviore aliquo caſu, recipere ſe exercitus poſſet, plane nulla, Turcarum, qui Brachilovii in præſidio erant, propinquitas, qui ab altera parte intercludere noſtros potuiſſent. Ad extremum etiam inopia commeatus, quę in provincia, diverſis Turcarum, Tartarorum, Koſacorum exercitibus per tot annos vaſtata, & ſumma erat, & multo major poſtea expectabatur: præter hæc & mandata regia, de pace cum Turca non turbanda, ex conſilio Senatus ad ſe miſſa, Zamoiſcius recordabatur, & non modo acta conventuum quorundam, verum legationes etiam ea de re ad Regem ex conventibus miſſas: tum privatorum domi ſtudia & partes, ex quibus omnibus rebus & nihil temere committendum ſibi videbat, quo per ipſum ſtetiſſe diceretur, quo minus pax Turcica rata maneret; neque, ſi quid vel gravius exercitui accidiſſet, vel longius progreſſus fuiſſet, quicquam Reipublicæ adjumenti eo tempore ſperandum intelligebat, maxime vero, ne provinciam, cujus ſalute Podoliæ fere ac Ruſſiæ etiam ſalus contineretur, in incerto ſtatu relinqueret, angebatur. Quemadmodum autem Zamoiſcium in diverſas curas hæc diſtrahebant, ita Chanus etiam omnino jam deſperarat. Quod enim ſatis firmum exercitum eſſe, & numero etiam majorem, quam erat, exiſtimabat, caſtra autem, præter morem illorum, foſſis & aggeribus munita videret, neque ipſe magnam ſpem potiundorum eorum habebat: & vulgus Tartarorum, qui ad prælium, excurſionesque, non ad oppugnationes exire ſolent. Cum caſtellum id, non exercitum eſſe dicerent, oppugnationem vulgo recuſabant: ut niſi aulico ſuo milite caſtrorum oppugnationem tentare ſe poſſe exiſtimaret, quo conciſo vel detrimento affecto nervos virium potentiæq; ſuæ inciſum iri; non paucos etiam heſterno prælio amiſſos, fame etiam, ſi ad deditionem perducere eos vellet, prius ſibi tanto majore cum exercitu in provincia ab omni commeatu exhauſta pereundum videbat. Cum autem ne à Turcis quidem, qui eo anni tempore ipſi jam miſſionem partim flagitabant, partim dilabebantur, auxilii aliquid exſpectare poſſet, ne in Poloniam quidem ſe convertere, exercitu tam firmo in Valachia poſt ſe relicto, eum præſertim Poloniam quoq; à copiis non plane imparatam relictam eſſe ſuſpicaretur, non ſatis tutum ei videri. Itaque, cum ipſius quoq; non parum intereſſet, ne in provincia tam vicina, ex qua maritima etiam ora ejus à Coſacis plerumq; incurſari, & mare ipſum infeſtum haberi ſoleret, hoſtile aliquid relinqueret, & Sendziako, ut, quibuscunq; conditionibus, pacem componeret, mandarat: & Sendziakus inſtantiſſime colloquium poſtulabat. Datum ex conſilii ſententia colloquium: miſſiq; ad Chanum pro obſidibus, Joannes Golſcius, Tribunus Tremboulenſis, Joannes Zamoiſcius, Excubitor, ad Zamoiſcium Sendziakus ipſe, primusq; Chani Conſiliarius, ſummæq; apud eum autoritatis, Achmet Aga, ad colloquium venere. Conſilium Zamoiſcius ex iis, qui ſenatorii ordinis aut Magiſtratu aliquo in exercitu erant, habere ſolebat. Erant autem hi fere, Stanislaus Zolkievius, Caſtellanus Leopolienſis, idemq; campeſtris militiæ Præfectus, Stanislaus Golſcius, Caſtellanus Halicienſis, Præfectus Barenſis, Joannes Thomas Drojovius, Præfectus Przemislienſis, & Referendarius. Quod neque de exitu colloquii ſpem aliquam habebat,

bat,& mox ſoluto colloquio pugnę copiam facere conſtituerat, Zolkievium omnem exercitum ſub ſignis inſtructum in caſtris habere viſum fuit: reliquos ad colloquium adhibuit. Conditiones illis Zamoiſcius tulit: ut Sendziakus Baſſatu ſe abdicaret : Hieremias, quem Provinciales ſibi depoſciſſent , principatum obtineret: exercitus Turcarum & Tartarorum ea, qua veniſſent, via, ſine maleficio, ſe reciperent, triduo adeo de finibus Valachiæ decederent: Dum de conditionibus hisce cum Sendziako tractat, Achmet Chani Conſiliarius Valachiæ tantum , nullam ſui Principis mentionem fieri queſtus , quid ipſi etiam à Rege exſpectandum eſſet , definiri neceſſe eſſe oſtendere : Reſpondit ei Zamoiſcius, ex iis, quæ in Regem atque regnum ab illo profecta eſſent, quo animo viciſſim Rex erga illum eſſe deberet, facile ſtatuere eum ſecum poſſe; ut qui prę ter ſuperiorum temporum injurias , & ante, cum Revaliam Rex iviſſet, in fines regni incurriſſet , & ſuperiore anno ſimiliter per regni fines in Ungariam irrupiſſet: utroque tempore præter fidem de pace ab aula Turcica interpoſitam. Ille more eorum in Coſacos culpam conferre. Oſtendere Zamoiſcius tantum abeſſe, ut cum Coſacis quicquam commune regnum haberet; ut potius ipſi Coſaci graviſſime intra fines regni latrocinarentur: magisq; Tartari favere illis viderentur, qui cum Conſtantinus Oſtergius, Palatinus Kiovienſis, manum aliquam Coſacorum non ita dudum profligaſſet, cecidiſſetque, haud multo poſt Tartari ipſi, ad comitia illo profecto, agros illius incurſionibus vexaſſent: tandem querere; ſub quibus ſignis ad Techinam acceſſerant; quæ, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, à Chlopicio delata ad illos fuerat. Agnoſcere hæc omnia ille: tandem dicere, Chano quidem ſuo Principis in Valachia dandi , ipſiusque adeo provinciæ conſtituendæ poteſtatem à Principe Turcarum factam: illum ſororis ſuæ filium affinemq; Sendziakum beneficio hoc afficere voluiſſe: in gratiam tamen Regis & Chanum & Sendziakum beneficio hoc deceſſuros , Hieremiamq; in principatu non turbaturos: Principem etiam Turcarum ratum id habiturum, vexilloque miſſo principatum ei confirmaturum ſpondere: intra præſcriptam propterea diem Valachia ſe exceſſuros, neq; quicquam omnino, præter commeatum, ſumturos. Interim, ut Zamoiſcius quoque, cum iis, qui cum illo eſſent , Regem veteribus injuriis obliteratis iis, quibus ſuperiores Reges amicitiam cum illo coluiſſent, conditionibus, ipſum quoque amicum ei futurum ſponderet, poſtulare. Reſponſum nihil de aliena voluntate, eorum præſertim, in quorum poteſtate ipſi eſſent, promittere ſe poſſe: interceſſuros ſe ad Regem & Ordines polliceri : legatus etiam, quem de amicitia ad Regem Chanus miſſurus eſſet, ut tuto & honeſte deduceretur , ſe præſtituros. Acceptæ utrinque conditiones hæ: de captivis etiam , ut qui expeditione ea capti eſſent, utrinq; redderentur, convenit; utque ſcripto utrinq; conditiones confirmarentur. Nihil minus omnes exſpectabant , quam ut hujusmodi conditionibus diſcederetur , ſed debebatur hoc fatis, ſeu pietati potius Sigismundi Fortii Regis, ut & primus Regum Poloniæ eſſet, à quo & pacem Tartari Turcæq; peterent, primus pacis leges , & eas quidem contra tot annorum poſſeſſionem , illis daret : Primo Chan Tartarorum & Dux Turcarum excedere Provincia juſſi, dicto audientes fuerunt. Re eum ad modum transacta, more militari, iis, qui obſides, aut in colloquio fuerunt, utrinque munera data. Zamoiſcius Sendziako veſtem ſericeam: Achmeti pateram inauratam dedit: Chanus poſtridie iis , qui obſides apud eum fuerant , auratas veſtes dono miſit. Movit poſtridie ſummo mane: noctem, quæ interceſſit, & ſequentes aliquot, metu inſidiarum, totus exercitus inſomnem in armis egit. Miſit inde poſtridie Zamoiſcius Joannem Felicem Herburtum ad eum cum ſcripto conditionum, in quas convenerat. Simul ab Hieremia ſalutatum eum legati ivere. Jam moverat, ita, ut in itinere eum adirent. Herburtum ſatis benigne accepit: in Valachos invectus; qui exercitum Polonicum adduxiſſent ; quem tamen ipſum equis conculcaturum ſe fuiſſe diceret, niſi foſſæ atq; aggeres eum defendiſſent. Apparuit , pœnituiſſe eum aſperioris ſermonis: cum enim mox poſtea ipſe ſuum quoque ſcriptum miſiſſet, & de fide ſua in ſervandis pactis prolixe multa pollicitus fuit: & reliquo ſermone, ſi quid offenſionis interceſſiſſet, mitigare conatus fuit. Sub idem fere tempus, quo Tartari ad fines Valachiæ acceſſere, Sigismundus Princeps Tranſilvaniæ, exercitu coacto, in fines Moldaviæ , quæ à Sinano Baſſa occupata æſtate fuerat, ingreſſus fuit. Jam ſupra oſtenſum eſt , exercitum Turcicum propter anni tempus miſſionem flagitare jam cœpiſſe. Itaq; Sinanus etiam , cum continere eum diutius non poſſet, in hyberna jam ſe receperat. Targoveſii Haly, Anatoliæ Baſſa, cum aliquot millibus Turcarum, relictus in præſidio à Sinano fuerat. Caſtro, quod ligneum erat, globis candentibus, quibus Moſcovitica pleraq; præſidia Stephanus Rex exuſſerat, per Kirallium incenſo, præſidiarii, cum ex arce ſe ejeciſſent, omnes fere conciſi fuerunt: Baſſa unus atq; alter inſigniores capti: Tormenta quoque, aliaq; impedimenta complura, in poteſtatem venere. Buchoreſtum Turcæ ipſi cum exuſſiſſent, deſeruerunt. Simili fere eventu Giurgovum etiam captum. In reditu jam de adventu Tartarorum, obſeſſoq; ab illis exercitu Polonico, nuntius allatus tanto terrore exercitum Tranſilvanicum implevit , ut , cum fugæ potius, quam agminis ſpecie , domum ſe reciperet, multi in trajectu fluminum pontiumq; ſe ipſos implicarent, non pauci cæderentur: aut in flumen præcipitati mergerentur: ſatisq; conſtat, niſi exercitus Polonicus primo moratus Tartaros, deinde de reditu cum illis ea, qua veniſſent,

via pactus fuiſſet, vel Tranſilvaniam, ab omni fere milite vacuam, antequam à Giurgova domum recipere ſe potuiſſent, pervaſtare, vel exercitum Tranſilvanicum, antequam domum perveniſſet, in ipſo itinere, circumfundere potuiſſe. Miſſus à Chano legatus ſimul ad Regem fuerat , ei Joannem Felicem Herbultum Zamoiſcius adjunxerat , qui & omnium rerum Spectator, quomodo geſta, quæque eſſent, renuntiaret : &, ut Tartarus tuto ad Regem perveniret, curaret. Poſtulabat, ut pax iis, quibus ſub ſuperioribus Regibus fuerat, conditionibus confirmaretur : eademq; de re Rex quoque legatum ſuum ad Chanum mitteret: Reſponſum, prius cum Turca more majorum de pace conſtituendum; cujus fœderis Tartarus appendix eſſet. Non ſatis æquo animo acceptum , ut qui cum Turcis non modo exæquarent ſe jam gloria, verum iis etiam ſe præferrent. Nihilominus dilatus ; præterquam enim, quod cum Turca prius conſtituendum eſſet, & comitia etiam interim habiturus Rex erat , & quas conditiones fœderis Principes Chriſtiani propoſituri eſſent, perſpecturum ſe exiſtimabat : Etſi Valachia Tartarus jam exceſſerat: nondum tamen omni vel metu vel ſuſpicione armorum Scythicorum liberata videbatur. Chanus ipſe quidem cum majore exercitus parte domum ſe receperat : major natu frater ejus Fedet Cherejus: Galgam vulgo vocant : quod & dignitate & ſucceſſione proximum à Chano nomen eſt : cum duodecim millibus in ulteriore Danubii ripa Turcicæ ditionis in hybernis erat: & quamvis in Tranſilvaniam, & Ungariam maxime, intentus eſſe videbatur, ut apud barbaros, tamen omnia infida eſſe. Accedebant huc Tranſilvanorum & ipſius maxime Rozuani in Valachiam minæ, qui & Giurgiovianæ expeditionis ſucceſſu elati, & incurſionis Tartaricæ metu liberati, non ſatis habebant, ſi Tranſilvania, & Ungaria, ab incurſionibus Tartarorum intacta eo anno ſervata fuiſſet, niſi Valachiæ quoque, per fraudem & proditionem, à Rozuano primum occupatæ, deinde ultro deſertæ, arma inſidiasq; intentarent: Itaque, cum & Hieremias ipſe ſecuritatis ſuæ cauſa præſidium peteret, ac vero regnum etiam parte aliqua hybernorum & ſtipendiorum exonerare Zamoiſcius vellet, aliquot turmas equitum, qui Hieremiæ ſtipendiis mererent, apud illum reliquerat. Ei per abſentiam Zolkievii, Præfecti militiæ campeſtris, Joannem Potocium, Præfectum maxime Valachiæ vicinum Camenecenſem, præfecerat. Hic Stanislaum Chanſcium legatum habebat. Etſi frequentes minæ Rozuani Tranſilvanorumq; ad illos deferrentur, vix tamen inducere in animum poterant, ut tempore tam alieno, non modo inter Chriſtianos, verum affines etiam, Principes vi atq; armis turbare aliquid vellent. Itaq; & pauci omnino circa Hieremiam erant, & ii ipſi negligentius agebant ; partim à ſignis aberant ; inter alios Potocius, cui ſumma cura poteſtasque partis ejus exercitus credita. Cum ſubito crebris nuntiis adfertur, Rozuanum ſumma celeritate recta cum exercitu ad Sozcavam accedere. Chanſcius, quem ſuo loco copiis iis , quæ Soczavæ tum erant, Potocius præfecerat, nuntiis ad Potocium & vicinas turmas dimiſſis, quo loco res eſſet, utque, quantum poſſent, accelerarent, nuntiare. Habebat Rozuanus , quemadmodum ex captivis cognitum fuit, peditum circiter quatuor millia, partim veteranorum ſuorum, quos ab Aarone abduxerat, partim, quos novis ſtipendiis adjunxerat ; partim Siculorum, qui juſſu Tranſilvani ſecuti eum fuerant : equitum itidem à Tranſilvano haſtatorum circiter mille. Potocius, vix duabus ante pugnam horis, cum ſumma celeritate contendiſſet, accurrit: quod autem oppidum ſine ullis munimentis apertum plane eſſet, neque, ob loci, quem complectebatur, amplitudinem, muniri poſſet, ne duci quidem aut ſuſtineri aliquandiu hoſtis poterat. Cum exiguum tamen omnino ſpatium, & de tota re conſulendi, & locum cognoſcendi, aciemq; inſtruendi, haberet, quæ ad concordiam pertinerent, omnia tamen experienda prius ratus. Mittit ad Rozuanum, qui, ut, arma in infideles rectius ſtringenda, à Chriſtianis abſtineat, eum hortatur : ac ſi quid controverſiæ ſit, duorum vicinorum affiniumq; Principum diſceptationi potius permitteret. Tanta victoriæ fiducia profecti domo fuerant, ut ſatis conſtet, & ante prælium non modo literas, victoriam de Polonis & Valachis nuntiantes, ad externos aliquot Principes eos dimiſiſſe : verum alicubi ſupplicationes etiam eam ob rem indictas habitasq; fuiſſe. Itaq; tantum aberat, ut legatione hac moveri ſe pateretur: ut potius multis in Regem, gentemque Polonicam, tum nominatim Zamoiſcium , probris conjectis eam irrideret, nullaq; mora interpoſita agmen verſus Soczavam , ad quam noſtri conſtiterant, raperet: Aciem unam inſtruxerat, ita, ut in fronte quingenti equites eſſent: hosce peditum dena aliquot ſigna ſequebantur: hos reliquus equitatus ; equitatum autem, quod reliquum erat, peditum claudebat: Signa Tranſilvanica fere omnes pręferebant: maxime equitatus vexillum, quo imperium Valachiæ Rozuano Princeps Tranſilvanię confirmabat, prę ceteris ornatum expandebat. Altiore loco per montes ducebat, cum humiliore loco contra noſtris conſiſtendum fuiſſet, quo fiebat, ut eo magis etiam exercitus ejus in oculos noſtrorum incurreret. Siniſtrum latus curribus & impedimentis tegebat: dextrum tam illorum quam noſtrorum vallis quædam ad foſſas usq; in juſtam longitudinem ab ea parte excurrebat. Noſtrorum, cum diverſa in loca dispertiti fuiſſent, neq; in tanta celeritate tam cito convenire potuiſſent, pauci admodum erant: mille circiter equites : pedites quadringenti. Quidquid tamen copiarum erat , in diverſas acies, qua una re victoria ſtetit, dispertitum. Loco velitum centum circiter Valachi equites ante aciem erant. Poſt hos frons duabus turmis,

mis, quarum unam Stanislaus Manscius, alteram Nicolaus Zebrzidovius ducebant, attributa fuerat: sed, partim commodioris loci capiendi causa, partim venti declinandi, ad dextram aliquantum flexerant; ita, ut, quæ in sinistra ala erant, Tvvorziansky & Milevvsky singulæ turmæ anteriore aliquanto ante illas loco consisterent: hasce vero etiam Zachorovii turma, cum vallis prospectum eis eriperet, antecederet. Turma una sclopetariorum Joannis Poricii cum sinistra etiā ala attributa ei esset, hac mutatione aciei plane in ipsam frontem pervenit: In subsidiis ipsius Præfecti Camenecensis Potocii, fratrisq; ejus Stephani, in sinistra autem parte tertii fratris Jacobi singulæ turmæ erant, Joannis Thomæ Drohojovii, Præfecti Przemisliensis, & Referendarii, sclopetariorum turma, in media acie, pro robore erat, circa illam peditatus, quem Albertus Vitoslavius & Andreas Klopocius ducebant. Ad sinistram, circa vallem, de qua supra ostensum est, aliquot tormenta majora & campestria collocata, dextrum Rozuani latus petebant. Hæc, quod peditatus Valachici & Cosacorum erat, curabant. Priusquam ad teli jactum perveniretur, bis in hostem tormenta emissa, ex quibus inter alios Valentinus Gege, unus ex Præfectis peditum, interfectus. Postquam ad manus perventum, Valachi mox prælio excesserunt. Zebrzidovius cum turma sua, cum Chansciana autem, quod Chanscius penes Potocium curabat, Christophorus Bronievius, à dextro latere in hostem invecti. Zebrzidovius, strenue pugnans, in facie & manu vulnus accepit. Cumque impetum hostis, qui confertus erat, vix sustinerent, Præfecti Camenecensis & fratris ejus, Stephani Potocii, turmæ subsidio iis venerunt: simul sclopetarii Poricianii à Vierzbovio, turmæ Vicario, in mediam eorum aciem inducti, supra Zebrzidovianam turmam à dextris Tuorzianscii & Milevvscii singulæ turmæ sub valle, de qua dictum est, constiterant: quæ, cum ipsæ etiam progressæ essent, in ipsa castra hostium inciderunt, opinioneque celerius, ea partim disjecerunt, partim cœperunt. Equitatus fuga peditatum quoque traxit. Cum peditatu Rozuanus ipse erat: quod satis equitatu suo & castris à fronte tectum se existimaret. Interim à tergo equitatus sui ad occupanda tormenta se convertit. Cum Rozuanus ipse complures sua manu interfecisset, & reliquos ad pugnam incitaret, qui circa tormenta erant, fuga tormenta deseruerunt. Moxatq; equitatum cæsum, castra capta vidit, ipse quoq; re desperata cum peditatu in fugam se dedit. Drochojovii turmæ & peditatus, propter dubia belli, eo, quo constiterant, loco retenti: reliquæ turmæ omnes hostem fugientem secutæ: Rozuanum à peditatu in fuga ea distrahere; qui, aliquot solis secum assumptis, sinistram versus à reliquo peditatu digressus, in pagum quendam evaserat, ubi, cum vestem & ipse, & qui cum eo erant, mutasset, illi, qui vestem ei præbuerant, à vicinis territi, quod hostem tecto recepissent, juvissentque; cum deinde, ut nocte potius, periculum effugerent, eis persvasissent, domibusque abditos conclusissent, indicium ipsi ultro fecerunt, iisque, qui ad persequendos ab Hieremia missi fuerant, illos dediderunt. Capti cum illo, frater ipsius, tum pleriq; Magistratus ejus, ut Calaur: quidam Visternik, & Logofeta, nonnulliq; alii, fuerunt; ex Ungaris Matthias Sekiel, qui quadringentos equites duxerat, Elias Kakoci, qui mille equitibus ab Aarone abductis præfuerat, in prælio periere, reliqui etiam omnes vel à Valachis ad fugam hostium concurrentibus, per montes sylvasq; errantes, excepti cæsique fuerunt, vel capti. Tormenta aliquot campestria, signa omnia fere capta: præda major etiam cujusquam opinione fuit; quod enim ad certam spem Principatus profectus fuisset, & suppellectilem omnem Aaronis, & quicquid deinde ex provincia compilarat, nonnihil etiam Targovestanæ & Giurgovianæ prædæ secum habebat. Rozuanus & Valachi captivi, Hieremiæ, Valachisque petentibus, maxime autem Aaronem perfidia captum sævitiamq; in se eorum accusantibus, negari non potuerant. Rozuanus ipse, quiq; alii proditionis in Aaronem, crudelitatisque in alios, autores vel adjutores esse putabantur, palis suffixi: supplicio Valachis familiari, & vel à Turcis usurpato, vel ex Romana crucium quarundam figendarum consvetudine retento: nostris crudelitatem supplicii magis detestantibus, quam dissvadere valentibus: alii nonnulli, inter quos frater Rozuani, capite truncati, Rozuano ipso spectante, atq; ad fratris supplicium ex dolore etiam in palo se commovente. Ungari, Siculique, partim mox, partim aliquo intervallo post, sine pretio, omnes dimissi. Jam mox, quamprimum, Hieremiæ Principatu tradito, pacata Valachia fuisset, Transilvani cum reliquam Christianitatem fere omnem querelis implere, tum maxime ad summum Pontificem & Cæsarem gravissime Regem Regnumque accusarunt: quibus de rebus cum uterq; literas ad Regem accurate scriptas dedisset, literæ quoq; ad utrumq; datæ: quibus, quomodo ista acta essent, ostenderetur, tum ad summum Pontificem Laurentius Gembicius etiam, major tum regni Secretarius, Archiepiscopus nunc Gnesnensis, sed & tum magnæ in republica expectationis, missus. Demonstratum, etsi & suo jure, quod vetustissimum Reges Poloniæ in Valachia haberent, uti regnum hoc possent: neque, si vel regnum hoc ipsum sine cujusq; injuria repentino periculo liberatum fuisset, nemo æquus reprehendere id vel posset, vel deberet, quod patriæ, cui omnes omnia deberent, quies seu salus potius aliorum commodis prælata esset. Et si deniq; provincia ea ab illis, qui contra fidem eam occuparant, ultro deserta fuisset: ita tamen potius acta hæc esse, ut non minus vicinæ Christianitatis, & non postremo loco illorum fortassis ipsorum, qui hanc ipsam ob causam regnum crimina-

rentur, commodis consuleretur. Retardatos impetus Bassæ Sinani, qui dum vereretur, ne à nostro exercitu Valachiam jam ingresso, in angustiis intercluderetur: dum Tartarica auxilia ideò exspectat, totam ferè reliquam æstatem, inermem atque otiosam traduxisset. Tartarum ipsum à cervicibus christianitatis aversum non modo, quòd pectoribus nostris arma furoremq; ipsius excepissemus: sed in conditionibus diserte etiam exceptum fuisset ut & brevissimo temporis spatio præfinito se reciperet, & sine maleficio, non aliâ viâ se reciperet, quam qua venisset, qua sola certè re factum, ne quemadmodum superiore æstate, ad hunc usq; diem, arma Tartarorum hoc anno christianitas adhuc senserit: Transilvaniæ autem, Ungariæque, cum à tergo noster exercitus tutam eam præstaret, curaq; illa non modò citeriorem, sed & ulteriorem Valachiam ac Transilvaniam ab ea parte defendendi levaret, & arma viresq; contra hostem contrahenda, aliisq; locis ei opponenda, quantum spatij ac facultatis datum: ista enim causa moræ, nisi primum Turcis, deinde Tartaris objecta fuisset, ut de Turcis taceretur, Tartaros certè eo ipso tempore, quo in ulteriorem Valachiam exercitus Transilvanicus progressus fuerat: vel Transilvaniam, priusquam ille domum revenisset, invadere, vel si ad exercitum, illum rectà iter convertissent, extra Transilvaniam facillimè occurrere, iis potuisse, Valachiam quidem citeriorem, quæ una cum memoria nominis Christiani, quæ in illa reliqua est, funditus alioquin perijsset, manifestissimè exercitus nostri adventu servatam fuisse, quæ quem exitum habitura fuisset, si hosti, quemadmodum in ulteriore illa grassari licuisset: vel hodie fumantis adhuc illi acerbissima vestigia impressa, facilè ostendere: ut ex qua plura capitum Christianorum millia in teterrimam servitutem abducta constaret, quam miseris hisce bellis, ex ulla alia ferè Provincia abducta sint. Quæ tamen ipsa & si non minus è re universæ Christianitatis, quàm regni hujus acta sint: ita tamen acta esse, ut omnia in hunc usque diem integra relicta sint; hodieque omnino vel ad societatem cum reliquis Christianis Principibus accedere regnum hoc posset, vel si illa certis, & æquis conditionibus coire non posset, hæc cum nullius injuria, aut incommodo, cum magnæ autem partis christianitatis salute conjuncta rata habere. Deus modo faceret, ut serio Principes Christiani de societate hac, contra communem hostem cogitarent: & non tam rumoribus obtrectationibusq; aliorum, quam armis cum hoste certarent: jugulum denique potius, quam pedes hostis peterent. Neque enim in Poloniæ finibus bellum constituendum; ubi & pacata potius omnia à tergo illis esse, illorum ipsorum interesset, & non minore cum sumptu, apparatuque, quam si sedem hostes peterent, sine ullo autem ferè operæ pretio, tanquam in provincia planè & aperta, & nuda, quæ potentioris occupantis semper futura esset, bellum administraretur. Apud prudentissimos Principes tam Pontificem quam Cæsarem, plus ratio, atque æquitas quam invidia valuit. Sub idem fere tempus octo circiter Vladicæ seu Episcopi Russicæ religionis, cum Metropolita sive Archiepiscopo suo, consilio inter se habito, secundùm concordiam in concilio Florentino, inter Græcos, & Latinos, olim constitutam ad obedientiam summi Pontificis, universalisq; ecclesiæ Catholicæ accesserant: Legationeq; Gembiciana cujus supra mentio facta est, ab ipso Rege summo Pontifici commendati, & à Gembicio eidem, sanctæq; Sedi Apostolicæ reconciliati fuere, duobus ex corpore suo, legatis una Romam missis, Adamo Tocicia Vlodzimiriense, Cirilo Firleo Luceoriense Episcopis, Patriarcha tamen suo Constantinopolitano præterito. Venerat Vilnam Legatus Cæsareus, Nicolaus Varkocius Silesius, è Moscovia, cum eodemq; Legatus simul Moscoviticus. Michael Joannis, septuagintaque circiter Kari, diversarum pellium pretiosarum, in auxilium contra Turcam, contra quem legatus etiam Pontificius Alexander Comuleus, de fœdere Moscum appellarat, diligenter id apud eum procurarat: Cum satis humanè Moscus se ad commune fœdus obtulisset, sine Rege tamen Poloniæ quicquam se suscepturum negarat; ita Comuleus re infectâ dimissus, in Lituania postea non modicum tempus hæsit. Sub idem etiam fere tempus, diversæ religionis homines Thorunij conventum habuêre: Primarios aliquot è suis, partim Senatores, partim equestris ordinis, legatos ad Regem misere. Gravamina illorum potissima hæc erant, Synagogarum violationes: quod in judicijs tribunalium ad testimonia non admitterentur: in honoribus præterirentur. Cadavera eorum ejicerentur, & alia nonnulla. Publicè non auditi. Quemadmodum Conventus à Rege indictus illis non fuisset, ita legatos ex eo agnoscere, necesse non habere: Si quis privatim apud Regem ex illis negotij aliquid haberet, aditum ei ad Regem patere. In aulam Turcicam Adrianus Rembovius missus in speciem fidei publicæ in Legatum petendæ causa, maxime ut quo animo in Regnum essent, cognosceret.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab exceſſu Sigismundi Auguſti

LIBER XI.

QUemadmodum ante oſtenſum eſt, Coſaci Nizovij graves regno eſſe cœperant, de quo genere hominum etſi ſuperioribus etiam libris hiſce mentio facta eſt, non alienum tamen fortaſſis fuerit, vel repetere ea, vel accuratius commemorare. Coſacorum nomen à Perſis ſeu Turcis oriundum eſt; qui ſua lingua publicarum viarum latrones deprædatoresve Coſacos vulgo vocant. Etſi autem patrum etiam avorumq; memoria plærique vel rerum capitalium damnati, vel alia cauſa exules, ad inferiora loca illa Boryſthenis ex diverſis nationibus confluere ſoliti fuiſſent, vel Tartaros vel mercatores præſertim Turcicos infeſtare: maximè tamen poſt pacem inter Divæ memoriæ Stephanum Regem, & Joannem Baſilidem magnum Moſcoviæ ducem, factam aucti fuêre, exercitu enim dimiſſo, cum ut fieri ſolet, non pauci ex rapto in hoſtico vivere ſueti, laboris partim impatientes, partim inſueti, iis ſe adjunxêre: Ita numero & viribus aucti incurſiones in vicinas ditiones confœderatas, etſi antea etiam aliquando infeſtare ea ſoliti, frequentius tamen in eas facere, prædasq; ex iis agere cœperant, quemadmodum dimiſſo mox exercitu manu factâ præſidia Turcica ex hac parte Boryſthenis, verſus Techinam excitata Orlikum & Parcan, oppugnatione capta diruunt, villas vicinas Turcicas & Tartaricas incendunt, diripiuntque: homines alios occidunt, alios in ſervitutem abducunt, Boryſthine Techinam verſus trajecto, oppidum diripiunt incenduntque, caſtrum quamvis veteris, firmi tamen operis, ex muro Sendziakus facilè tutatus fuit, longè lateque tamen vicina ditione Turcica igni feroque vaſtata, non paucis damnis datis acceptisque per Boryſthinem ſe recipiunt. Etſi Princeps Turcarum ægerrimè id ferret, damnaq; ſarciri poſtularet, virtute tamen Stephani Regis famaq; rerum maxime poſt Moſcoviticum bellum motus, levibus conditionibus acquieſcere refuſionemq; damnorum urgere poſtea deſiſtere neceſſe habuit. Eo tandem licentia eorum erupit, ut imperium Majeſtatemq; Regiam ac Reipubl. planè contemnerent, pro libitu quotiescunque eis videretur, in vicinas ditiones Turcicas & Tartaricas cum quibus fœdera Regno intercedebant, excurſiones facere. Officij à Rege Stephano admoniti nuntium à Rege miſſum. Glembocium quendam interficiunt; Boryſthineq; mergunt, licentiam tantam Reipubl. etiam periculoſam futuram, Stephanus Rex non diutius ferendam, graviſſimeq; vindicandam ratus, morte oppreſſus fuit: in Auguſto enim cum id accidiſſet, Decembre ſequente mortuus Rex fuit. Morte ejus cum majores etiam ſpiritus ſumpſiſſent, præſidium Turcicum Oczakovienſe, in oſtio Boryſthinis ſitum invadunt. Locum & natura & opere ſatis munitum, ſcalis tamen noctu adorti capiunt: Turcas plærosq; vel interficiunt, vel in ſervitutem abducunt, arcem incendunt, diripiuntque: Sub autumnum poſtea Moldaviam ingrediuntur. Palatinus Valachiæ Petrus erat, cui alium pro arbitrio commodoq; ſuo ſufficere cogitabant. Petrus primo impetui eorum ceſſit: poſtea auxiliis Turcicis confirmatus aliquot cum iis prælia habuit: ita tamen ut maleficiis non paucis in Valachia editis incolumes in ſtativa ſua circa Sniatinum, ſe reciperent. Unde quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, per aliquot annos maximè quo tempore ſine exercitu Reſpubl. erat, variè tam in præfecturas Regias, quàm poſſeſſiones privatorum, maxime Palatini Kiovienſis cæterorumq; ab iis ſævitum: diverſiq; generis vis edita, & à ducibus Oſtrogiæ prælio in quo non pauci, quemadmodum oſtenſum eſt, occubuerant, ſuperati, in Alexandrum Viſnioviecium Præfectum Circaſienſem, aliosq; ac ditiones eorum hoſtiliter ſe gerebant: atque univerſum fere tractum Kiovienſem, oramq; limitaneam ſui juris fecerant: fide jure jurandoq; omnia fère oppida tam Regia quàm nobilitaria ſibi obſtrinxerãt, vim, cædes, rapinas pro libitu in quoscunq; edebant: vicinis ditionibus formidabiles plærisq; eſſe. Quam inſolentiam illorum non parum Cæſaris Rudolphi ad eos legatio auxerat; qui ad belli Turcici ſocietatem eos invitans, pecuniam in id vexilla aliquot tympana tubasq; argenteas, aliaq; Imperij inſignia ad eos miſerat. Quibus animati numero ad duodecim millium coacto Moldaviam invadunt, locoq; Turcarum Valachos populantur. Eo primum anno ad duo millia militum publicis ſtipendiis haberi cœpta. Sed quod Sinan Baſſa in Ungariam cum exercitu ingreſſus fuiſſet, unaq; cum Chano Tartarico bellum ibi gereret, exercitus is eum ab Ungaria parietem, obſervare coactus fuit. Coſaci interim impunè, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, per finitimam Ruſſiæ oram graſſandi campum ſe nactos rati, paſſim per eam in homines ſæviebãt, ſub initium hyemis Turcæ Tartariq; in hyberna, Zamoiſcius Cracoviam ad Comitia ſe receperant. Stanislaus Zolkievius campeſtris militiæ dux, Palatinus nunc Kiovienſis eum exercitu eo quem tum reſpubl. habebat, Podoliam verſus, & finitimã oram progreſſus fuit. Coſaci facinorum ſuorum ſibi conſcij illo non exſpectato ulterius Braclaviam cedunt, neque ibi diu ſubſiſtentes cum Aarone in gratiam redeunt, pecuniaque aliqua ab illo accepta, contraque Turcam in auxilium evocati, à quo ſub id fere tempus apertè defecerat, Techinam præſidium Turcicum irrito conatu cum eo tentant. Duo præcipui colluviei illius hominum duces erant. Archorij Loboda & Simon Nalevaiko, Loboda apud majorem partem & maxime antiquiores Nizovios in pretio erat. Nalevaiko apud fugitivos plerosq; qui vel ſcelere aliquo perpetrato, vel dominorum Imperio relicto tanquam ad aſylum eo confugerant, audacia potiſſimum & ſcelere magnam virtutis opinionem, ſibi conciliarat. Unde æmulationes & ſimultates ed extremum apertæ inimicitiæ inter Lobodam & Nalevaikum exiſtere. Nalevaiko imparem ſeſe Lobodæ videns, ut quem major pars Coſacorum ſequeretur, ſequacium ſuorum ad mille circiter, & aliquot centenis delectis, metu militis qui per Podoliam in ſtationes diſtributus erat, magnis diariis aliquot denorum milliarium, in ſingulos dies incitatis per montes Coſoviam in Tranſilvaniam, inde ad Archiducem Maximilianum in Ungariam ſe prôripit: ſed ne ibi quidem diu commoratus aliquot poſt menſibus, prædiis poſſeſſionibusq; nobilium more ſuo deprædatis, aliisq; maleficiis editis. Mukacio per Samborienſem agrum Luckum tranſit. Exercitus Regius in Moldavia tum erat. Nalevaiko, Lucko, in ditiones, magni Ducatus Lituaniæ mox progreditur, ibiq; primùm maxime graſſari incipit, inter alia Mohilam oppidum emporiumq; ſatis celebre diripit incenditq;: ad aliquot centenorum millia damna partim prædâ partim incendio in eo edit, alias arces nõ paucas partim Regias, partim nobilitares, diripit, tormenta, pulverẽ aliaq; inſtrumenta bellica quæ ei viderentur, ex arcibus aufert, indeq; cum præda ea in fines Regni extremo Auguſti, in Voliniam redijt: aliaq; manus Lobodiana per integram æſtatem, per quam Zamoiſcius cum exercitu regio partim tranſitum Tartarorum obſervabat, partim Valachiam ab impietate Machometana, ad quam redigere eam cogitabant vindicabat, in Kioviẽſe tractu fere more ſuo in nobilitatem graſſabatur. Cogitaverãt in Moldaviam jamq; non procul aberant: Sed Zamoſcij imperio abſterriti in Kiovienſem agrum retroceſſerant, animadvertentesq; tot hominum numerum unum id ſolum alere non poſſe, in duas partes ſe dividunt; Una in Kovienſe agro cum Loboda, Saſcioq; ſubſiſtit: altera cum Maſſo Sauula in Magnum Ducatum Lituaniæ ſe transfert. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt; Inimicitiæ tum inter Nalevaicũ, & reliquos Coſacos erant: Adventu igitur Sauulæ cognito eò celerius è Lituania ne à Sauula in ea offenderetur, diſcedit: In eo tamen utriq; potius conveniebant ut à quocunque paſſim prædas agerent; Vim rapinasque exercerent: aliquid negantes recuſantesve pro hoſte haberent. Cùm nulla jam ſpes globi ejus ſervilis bonis ſeu pacatis rationibus diſſolvendi appareret, indiesque ex omnibus partibus ſervitiis ad eos confluentibus numerus augeretur, maximè autem multorum querelis imprimisq; magni Ducatus Lituaniæ, in quem præ cæteris vis illa incubuerat, urgeretur. Zamoiſcio tanquam ſupremo regni copiarum Duci, Stanislaoq; Zolkievio campeſtris militiæ præfecto literis Rex mandat, nè quid reſpublica detrimenti caperet viderent: nominatim autem ut partem exercitus contra eos moverent. Zolkievius etſi in Moldavia ad exitum fere Novembris, penes Zamoiſcium Reipubl. operam navaſſet: miles etiam ex laboribus Moldavicis nondum ſe recolligiſſet, valetudinisq; curandæ cauſa vix domum reveniſſet, anni etiam tempus incommodiſſimum eſſet: menſe enim Feb. literæ Regis ad illum pervenerant, non ſolùm de dignitate tamen ſed periculo etiam Regis & Reipub. agi judicabat: Præter alias enim indigniſſimas voces, quæ ab illis jactabantur, Cracoviæ etiam regi minari non dubitabant, ut quorum in poteſtate eſſet, quis in Polonia imperaret. Cum igitur & ſervitia indies plura tanquam ad Pileum ad eos concurrerent, priuſquam magis ſe confirmarent, præveniendũ eos ratus, ad turmas quas in eum uſum Zamoiſcius deſignarat, ut quamprimũ ſub clementiam cõvenirent, ſine mora literas dat: ipſeq; 22. menſis Febr. Anni 96. ibi ſe ſiſtit. Nalevaico è Lituania nuper admodũ ſub finem Januarij in Voliniam venerat. Prædæ ab eo partæ fama exciti non pauci illi acceſſerant: maxime famulitia quæ ab heris profugerant, cumq; Luczkum ſe ire ab initio ſimu-

ſimulaſſet, poſtquam de turmarum adventu cognoviſſet, conſilio mutato, ad limitaneam orã convertere ſe conſtituit, lentiùs tamen aliquanto properabat. Quod enim ſtationes Turmarum diſſitis inter ſe locis eſſe ſciebat, minus cito adventum earum exſpectabat: Interim Zabuni oppido aliquantum ſubſiſtere inde Braclaviam progredi conſtituerat. Zolkievius eo illum ſpectare, facilè ipſe conjecturâ aſſequebatur. Præterquam enim quod ipſos Braclavienſes juratos illis fratres eſſe ſciebat, ab alia etiam plebe maximè limitanea adventum ejus exſpectari, ſeu optari potiùs non ignorabat. Ut enim hominum illorum ibi ingenia ſunt, prædam ab eo ſibi promittebant. Zolkievius igitur etſi integros mille equites nondum habebat, quod ob diverſitatem locorum in quibus erant, tardius turmæ convenirent, quantum tamẽ in eo poſitum eſſet, ne in limitaneam oram admitteretur, non ignorabat, ut in qua & numero hominum ſe confirmare: oppida munitiora occupare magnamq; facultatem ſe muniendi tuendiq; habere poſſet. Et ſi exiguo igitur numero, præoccupandum tamen ratus, famamque adventus ſui celeritate præveniendam, Zabuniam inſequi inſtitit. Vix tribus à Zabunio milliaribus aberat, cum Nalevaico Oſtropolim verſus inde ſe movet: de adventu ejus, quemadmodum poſtea cognitum fuit, præmonitus non tam vicinum tamen eſſe ratus lentius incedebat: Aliquot centenos equites à fronte aliquot à tergo nonnullos etiam à latere habebat: tormenta apparatumque bellicum & reliquum exercitum ipſe in medio curabat: Poſtridie quam Zabunio diſceſſiſſet ſecunda menſis Martij quæ prima quadrageſimæ erat, in villa Macieiovica aliquot centenos equites, quos poſteriorum excubiarum loco habebat: Zolkievius aſſecutus fuit incautos & pleroſque ebrios. Sub primum tumultum in prætorium villæ quod ſatis denſa ſepe ex aſſeribus tamen munitum erat perculſi confugiunt. Cum ad clementiam invitati experiri eam noluiſſent, internuntium potius à Zolkievio miſſum, vix non interfeciſſent, vicina ædificia incendi juſſit, quo incendio prætorium etiam conflagravit, qui in villa per domos ruſticas reliqui erant, omnes vel capti vel interfecti: Duo inter tumultum elapſi cladis nuntij, Nalevaiconi, qui duobus inde milliaribus præceſſerat, fuêre. Rebus igitur quamprimum conqvaſſatis quam celerrime progreditur, Zolkievius eum inſecutus, vix non eo die ante Oſtropolim adhuc aſſecutus eum fuiſſet; Sed ex itinere tria circiter vexilla ad Cierniavam villam animadverſa fuere. Quæ cum Nalevaiko à latere pro excubiis haberet, in ſumma autem feſtinatione, de fuga ſua admonere oblitus fuiſſet, ipſi etiam rerum omnium ignari eſſent, neq; venientem militẽ agnoſcerent ante villam in acie contra eum conſtitere: Zolkievius etiam trecentos circiter equites contra eos mittit: utrinq; tanquam ad prælium concurſum: Sed à Nalevaicanis paucis initum: alij mox à milite conciſi, plærique verſus villam terga vertere ubi vel à milite, vel ab ipſis ruſticis rapinis injuriisq; eorum exacerbatis occaſionemque ulciſcendarum earum nactis, interfecti fuêre. Ita ut ex omni numero quemadmodum poſtea cognitum fuit, duodecim ſaltem celerioribus equis adjuti Lubartovum evaſerint. Nalevaico interim ſumma celeritate progreſſus fuit, eoq; adhuc die Oſtropolim prætergreſſus per integram noctem nulla requie, vel pabulo jumentis dato, ut qui recentes equos haberẽt, Pykovam contendit. Zolkievius qui aſſiduo itinere, ejusque diei labore defatigatos equos habebat, ante Oſtropolim adhuc reficiendorum equorum cauſa pernoctare, neceſſe habebat.

Poſtridie ſummo mane, veſtigijs Nalevaikanis Pikovam eum inſequitur, quo tertia hora noctis pervenit, cum Nalevaiko quinque circiter horis ante inde equis refectis diſceſſiſſet rectaq; inde Braclaviam tendens, flumenq; paluſtre quod ponte ſtratum erat, transgreſſus duobus à Pikova milliaribus pernoctat, pontemq; disjecit, qui cum non modicus eſſet, priusquam poſtridie reficeretur, non parum Zolkievium moratus fuit. Pikoviæ è transfugis quibusdam Nalevaikanis Zolkievius cognoverat. Braclaviam eum iri in animo habere, quo diligentius celeriusq; inſequendum veſtigiisq; ejus inſiſtendum judicabat: Præterquam enim, quod jam ante juratam inter ſe fraternitatem eos habere ſciebat, Pikovia etiam literas illum ad eos dediſſe, quibus ad ſocietatem illos invitaret, fraternitatisq; admoneret, cognoverat. Itaque ut & ipſum in itinere eo præveniret, vel ab illo eum averteret, Braclavienſes etiam advenientis exercitus metu in officio contineret, curribus aliisque impedimentis minùs neceſſariis infirmioribus etiam qui aſſequi non poſſent, à tergo relictis, ſummâ celeritate inſecutus fuit. Braclavia enim & loci naturâ & hominum numero munita occupata, difficilem oppugnationem ejus, alieniſſimo præſertim anni tempore futuram facilè intelligebat. Præter veteres autem conjurationes, recens nihil acceſſiſſe, integraque omnia ſe habiturum cognoverat. Cùm neque ad literas ejus reſcripſiſſent, & quemadmodum oſtenſum eſt, famâ etiam adventantis exercitus terrerentur, conſecutus eum in proximo querceto ſupra flumen Olsſankam ſub noctem Zolkievius fuerat: Sed quod nox prælium diremiſſet, aut facultatem ejus omnem denegaret, equos etiam homineſque defatigatiſſimos omnes haberet. Nalevaiko per integram noctem continuato itinere jam non Braclaviam verſus, quorum dubiæ fidei reſponſo nullo ad literas ſuas accepto, credere ſe non audebat: Sed in ſolitudinem ultra flumẽ Sob properantiſſimè pergit.

pergit. Sine commeatu per ſolitudinem Zolkievium, qui præſertim ſine ullis impedimentis, cum expeditis tantum ſecutus eum hactenus fuiſſet, ulterius inſequi non poſſe facilè intelligens. Zolkievius igitur per villas quæ ipſi ſolitudini imminent, reficiendis equis, quorum præſertim multi, ex ſolo illis temporibus adhuc congelato claudicabant, operam dabat: rumorem interim in vulgus ſpargebat, quamprimum ſe recolligiſſet, inſtruxiſſetque, in ſolitudinem eum ſecuturum. Ille ea de re admonitus: multos enim qui ei favebant, habebat, in ſylvam Humenſem per amnem, quem nigram aquam vulgo vocant, ſe recipit. Ibiq; dum cum Coſacis in gratiam rediret aliquot ſeptimanas durat, equos herba ſei pſos equis tolerans; ita ut tormenta, quorum aliquot & viginti habebat, quod vehere ea ſecum non poſſet, majora quatuor, amne Tatrani mergeret, pulveres globos non procul inde defoderet, quæ juſtu Zolkievij eruta poſtea fuêre. Sub id ferè tempus quo Zolkievius Nalevaicum perſequebatur, Loboda ſeptingentis circiter equis ex toto agmine delectis, Barum verſus excurrit: maximè quidem Oborciæ feminæ nobilis quæ ſub Baro habitabat, cuiq; infenſus erat, ſubito capiendæ ſimul tractum Barenſem deprædandi cauſa. Excurſione ea vix non in Zolkievium incidit. In Prochotza adventu Zolkievij quidq; cum Nalevaiko ageretur cognito, properè Bialocerium ſe recepit: Ubi Saſio aliisq; ſodalibus ad quatuor millia collectis, conſilium de ſumma rei capiunt. Literas Zolkievius ad eos dederat, quibus ut ab ulteriori conjuratione abſtinerent diſcederentq; hortatus eos fuerat. Nominatim autem cum Nalevaikone multorum ſcelerum reo nihil commune haberent, partim eos terrendo: partim clementiæ regiæ ſpem aliquam illis faciendo. Per Georgium enim Struſſium præfectum Braclavienſem gratia veniaque à Nalevaiko quæſita, quod non ſatis grato cum reſponſo dimiſſus Nalevaikone fuiſſet, facilius inter ipſos facinoroſos conventurum putabat; quemadmodum & accidit, manus enim ea quæ Bialocerqui erat, in transactionem ſeu ſocietatem cum Nalevaikone mox aſſenſa fuit, utque ad ſe veniret caſtraq; cum ſuis conjungeret hortata fuit: Sagittarium à Zolkievio miſſum vix non vita privavit: à Loboda tamen clanculum ſine reſponſo dimiſſus fuit. Cumq; Bialocerqui non ſatis tutò verſari ſe exiſtimarent, univerſi toto cum agmine Kioviam proficiſcuntur, Sauulæ qui ex Lithuania tum redibat, occurſuri: ibique cum illo ſe conjuncturi: Majoris terroris eoſque disjungendorum cauſa quingentos equites totidem pedites, qui nuper admodum advenerant cum Kniazio Rozinſcio Pavolociam Zolkievius mittit, ne ſine ulteriore mandato ſe commoverent, Pavolocique ipſius Rozinſcij oppido loco inter aquas ſatis commodo ſe continerent, eis mandat: Ipſe partim milite defatigato recolligendo, partim alios qui adventabant exſpectando Pikoviæ ſubſiſtit. Rozinſcius injuriis Coſacorum quas una cum reliquis incolis maximas experiebatur, exacerbatus, nullam occaſionem ulciſcendorum eorum negligebat. Itaque cum variorum negotiorum cauſa eo veniſſent, capiendos mox curabat, excipiebatque: & ad aliquot denos ſupplicio affecerat; qua re Kioviam ad Coſacos perlata, Duces Coſacorum ſtipendiarij militis, qui cum Rozinſcio erat ignari, cumq; ſua tantum turma agere ibi illum exiſtimantes, Saſium cum tribus millibus circiter mittunt; ut ſi ipſum Rozinſcium opprimere non poſſent, poſſeſſiones tamen ejus quas non parvas ibi habet, depopularentur, ferroq; & igni vaſtarent: In Chwaſtovo quæ ſex tantum milliaribus à Pavolocia abeſt, de more militum numero quem Kioviæ acceperant, cognito, Chwaſtoviæ interim Sasko ſubſiſtit, certioraque exploratum mittit, Rozinſcius etiam adventu ejus cognito, occaſionemq; delendæ partis ejus Coſacorum oblatam ſibi ratus. Zolkievioq; conſulendo, qui Pikoviæ denis & aliquot milliaribus à Pavolocia aberat, moram ſibi objectum iri, militem ſimul quem ſecum habebat, promptum videns, noctu verſus Saskonem movet. Sasko primarum excubiarum trecentos habebat, quos in oppido Truſſio magna ex parte incautos, ſomnoq; deditos opprimit; Nonnulli tamen nocturno tumultu equis arreptis Chwaſtovam evadunt. Sasko ne diluculo quidem exſpectato, cum iis quas circa ſe habebat, copiis Kioviam regreditur; quo Sauula etiam ex Lituania jam pervenerat: cumq; reliquis Lobodinianis copiis jam ſe conjunxerat. Rozinſcius aliquot horis poſt, cum Chwaſtovam veniſſet, vacuumque locum reperiſſet, minusque honeſtum regredi domum Pavolociam judicaſſet, fortaſſis etiam graviora nonnihil, hyberna militum, quos circa ſe habebat, poſſeſſionibus ſuis judicaſſet, Bialocercum cum milite quem ſecum habebat, rectà inde ſe confert, quamprimum Zolkievius de itinere Rozinſcij Bialocerquienſe cognoviſſet, etſi diuturniore quiete miles opus habuiſſet, alias etiam turmas, adhuc exſpectabat: ne quid tamen gravius Rozinſcio militiq; qui cum illo erat, accideret, caſumq; aliquem veritus, Pikova movet, incitatisque itineribus, ut quamprimum cum iis ſe conjungeret, ad eos contendit. Tokielniæ in literas Sauuli ſociorumq; quas per Priorem conventus Dominicanorum Kiovienſium, Bialocercum ad Rozinſcium miſerat, incidit. In literis iis, meritis ſuis in Regem rempublicamque commemoratis, inpoſterum etiam ulterius delatis, de Rozinſcio queruntur, & an Zolkievij juſſu ſocij eorum cæſi eſſent, quærunt.

Interim conſilia opprimendi Rozinſcij tractant, ad eamq; rem ſe parant. Ad Nalevaikũ qui è ſolitudine Corſunũ exhauſtus attritusq; venerat, ut ſecũ ſe conjungeret, literas mittũt.

Ipsi Kiovia Tripolim propius versus, Bialocercum se movent. Nondum omnes convenerunt: nam & Loboda qui ultra Borysthenem Pereslaviam conquirendorum hominum causa se contulerat, nondum advenerat: alij item Kaniowia Cerkasia, quibus in locis non pauci ejus sectæ erant, adhuc aberant. Quod tamen cum Rozinscio non ultra mille milites esse cognovissent, multitudine sua freti, quæ postquam Nalevaiko cum illis se conjunxisset, ultra octo millia erant. Imprimis tamen in ipsis Circasis magnam spem habentes, quos omnes ferè secum facere sciebant, Bialocercum progrediuntur. Bialocercum oppidum ad flumen Rossiam situm in latitudinem quidem ad duos aut tres jactus sagittæ, in longitudine ad dimidium fere milliare supra flumen protenditur. Sepimentum circa oppidum est: primum enim hoc oppidum Tartaris nigro itinere venientibus objectum est: ita intra sepimentum id qualecunque quamvis exiguum, obsistere tamen cives Tartaricis copiis quamvis maximis solent. Arx oppidi ejus summa in rupe conspicitur, in qua in omnes partes conspectus est. Venêre eo Cosaci cum exercitu secunda Aprilis Sauula Duce; media nocte, Kniazius Rozinscius contemnendis quam cavendis hostibus melior, eo audaciæ Cosacos progressuros, in animum inducere non poterat, itaque minùs fortassis, quàm necesse erat, in conatus eorum intentus fuerat. Paulo antequàm in conspectum venissent, Rozinscius de iis cognoverat. Rectissimè sibi consuluisset, si arce se continuisset, Zolkievium q; qui quatuor saltem millaribus inde aberat, de adventu illorum certiorem fecisset. Sed res repentina inexspectataque consilium exclusit, fretus igitur viribus suis militum q; promptitudine extra oppidum progreditur. Cosaci ambitu capto, cum Nalevaiko ne ad tria millia hominum per remotam portam præmittunt, nostros in oppido incautos dormientesque, oppressuros se sperantes. Sed quemadmodum ostensum est, jam oppido progressi, non proculque à castris Cosacorum erant, in quibus Sauula cum reliqua multitudine Cosacorum remanserat: Sed quod nox maximè intempesta obscuraque erat, alteri alteros conspicere non poterant, ex mutuo tantum sonitu, excubiæ incensisq; funibus sclopetorum se agnoscebant cavebantque. Itaque ex opinione tormenta aliosq; sclopetos in se displodere cœperunt; quibus emissis milites in Cosacos mox irruunt. Qui re inopinatâ perculsi: nihilominus enim cogitare poterant: quàm manum tam exiguam se adorturam, in fugam mox vertuntur. Nostri in castra Cosacorum mox irruunt, fugientesq; levâ, viâ Camenecensè per quartum fere milliaris cedunt, non paucosq; interficiunt: Jamque victoriam obtinuisse sperabant ignari eorum, quæ agebantur: obscurissimâ nocte conspectum eripiente. Sauula enim cum parte Cosacorũ versus Rudkam flumen cesserat. Quamprimùm è castris nostri rursum excesserant, castra iterum occupat. Nalevaico etiã qui diversoria militum per oppidum deprædabatur, sonitu tormentorum sclopetorumq; audito, quæ agerentur, conjecturâ intelligens, auxilio suis ex oppido accurrit, cum Sauulaq; se conjungit. Equites nostri à persequendis Cosacis reversi in castris jam instructos Cosacos reperiunt. Cum peditatu nostro qui ante oppidum instructus constiterat, pugnantes, sclopetisq; mutuo se petentes. Denuo in Cosacos qui è castris progressi fuerant, quamvis confertos irruunt: non paucos cedunt, inq; castra repellunt: Ipsi cum peditatu in oppidũ tandem in castrum se subducunt. Cosaci etiam ulterius eos non impetunt. Dum diluculum Zolkievius exspectat. Trilesiæ quatuor tantum inde milliaribus aberat. Etsi nullos adhuc nuntios à Rozinscio habebat, ex boatu tamen tormentorum, qui aliquantum exaudiebatur; quæ agerentur colligens, exercitum movet, cum in via jam esset, qui in primo agmine erãt, Cosacos aliquos capiunt, qui ex fuga varias in partes dispersi palabant. Ex quibus re omni cognita eo celerius exercitum incitat. Dimidio circiter à Bialocerco milliari in literas à nostris incidit, quibus auxilium, subsidiumque petunt. Campi iis in locis patentes sunt, diversisq; in locis colles iminentes, è quibus omnes in partes prospectus patet, Cosaci qui ad Bialocercum erant, de expugnatione nostrorum, inter se consulentes, quamprimum exercitum accedere animadvertunt, morâ nullâ interpositâ retro Tripolim se recipiunt. Cum ad Tripolim Zolkievius accessisset, frequentia cadavera pleraq; etiam adhuc spirantia, offendit, è quibus etsi manum illam non magnam militum, satis fortiter se gessisse animadverteretur, quòd tamen hujusmodi in prælio accidere necesse erat, nostri etiam sine damno nõ erant: maximè peditatus: è quingentis ultra centum ceciderant: ex omni numero nõ pauci vulnerati. E consilij sententia insequi mox Cosacos visum, perculsis profligatisque occasionem aliquam rei gerendæ offerri sibi posse. Maximè autem quod longius præcedere non possent. Bialocercum enim sine ulla ferè pabulatione properantes, & ipsos & jumenta defatigarissima esse, cum iter Zolkievius quamprimum ingressus fuisset, à prima excubia ab antecursoribus ei significatur, milliari à Bialocerco Cosacos pabulatos progredi. Exercitu quemadmodum res postulabat, pro tempore instructo, non diu assecutus eos fuit, acie instructa incedebat, carrorum sedecim ordinibus, inter carros pedites omnes: Soli qui alicui regi præfecti inter eos curabant, equis insedebant: Tormenta campestria diversa quorum ad viginti quatuor circiter habebãt, ex omnibus partibus à fronte, tergo latere disposuerãt. Inq; cochleis instructa habebant, ut quocunq; opus postularet, dirigi possent. Itaq; campo patente lente incedendo, non rato etiam subsistentes, ordinem ubique aciei conservantes progrediebantur. Cum Zolkievio ad id tempus stipendiarij militis mille, quingenti & quinquaginta equites erant, limitaneorum ex Barensi Braclaviensi Chmielniecense tractu aliquot centeni. Ex numero eo aliquos illos antecedere, aliquos à latere ingredi, cum nonnullis etiam à tergo illos sequebatur, ita ut medius inter nostrum Cosacorum exercitus incederet. Et si autem longe plures numero essent, ea tamen alacritas militis nostri erat, ut subinde partim turmarum præfecti, partim alij, ad Zolkievium accederent, nè occasionem eam negligeret, finemq; tandẽ laborum iis faceret petentes, quod enim perculsi perterritiq; essent, si ex omnibus partibus miles in eos irruisset, facile dissipari posse existimabant. Nam & duo Cosaci qui in conspectu utriusque exercitus unus post alterum ab iis profugerant de magna trepidatione illorum confirmabant, Zolkievius rei difficultate perpensâ, anceps non parum eade re deliberabat. Exercitum enim hominum desperatorum, & in sola virtute spem omnem salutis ponentium atque ita instructum, non tàm facilè profligari esse, facilè judicabat. Re cum peritis locorum communicata aliqua, ne ulterius impeditiora loca essent, quæ necessitatem aciei solvendæ rumpendæve eis afferrent deliberabat, omnes Tripolim usque eandem camporum æquitatem ubiq; esse confirmabant. Etsi enim Paludes alicubi essent, quod hyeme tamen omnes congelatæ essent, sine ulla difficultate transiri. Re diligenter utrinq; perpensa etsi non parvam difficultatem ejus Zolkievius perspiciebat, ab altera tamen parte, non pauca etiam, quæ illum moverent, erant; Præter indignitatem enim si è potestate quasi exercitus Regij impunè dimissi essent, quantos etiam spiritus generi hominum alias pertinacissimo perduelliq; additura ea res fuisset, facile unusquisq; judicare poterat: Satiusq; visum cum parte potius perterritorum perculsorũq; fortunam experiri, quam integros dimissos, cum aliis integris conjungere se pati: animisq; etiam auctos Borysthenem, in quo classem instructam habebant, pervenire pertingereve: quem si transegissent; sine maxima mole, licentiam illorum comprimi coercerique vix posse. Accedebat huc summa militum prælium deposcentium alacritas: nonnulla etiam famæ atq; existimationis cura, nè illis indultũ ultroq; è potestate dimissi jactarentur. Sed pluris superior ratio, cujus paulò ante mentio facta fuit, non minima etiam hæc quod prælio sine magno periculo jacturave decerni posset; Si fortuna favisset, de summa rei alea jacta esset, obtineretur que. Itaque minoris damni periculo, summi emolumenti spe aleam jaciendam esse ratus, prælio fortunam permittit. Commoditatem tamen loci aliquam expectans, ad sex aut septem horas se sustinet, unaque ita uterque exercitus incedunt, Sub occasum ferè solis cum ad paludem quandam vulgo Acutum lapidem dictum, perventum fuisset, Zolkievius ita milite à latere constituto inducto ve ut è superiore loco, quam minimè à tormentis lædi posset, alacriter omnibus è partibus eos adorti: aliquotq; turmæ in acie castrisve jam erant. Cosaci & tormentis & manu fortissimè se defendunt, sub Carris sclopetis nostros impetebant, equi etiam per carros cadebant, ita difficilè omnino eos dissipare disjiereque fuit, triginta & quatuor inter quos Joannes Viernek, Præfectus turmæ è nostris cecidêre. Vulnerati non pauci fuere, à Cosacis longè majora damna accepta. In nocturno enim Bialocerquiense & hoc prælio amplius quam duo millia & quingenti desiderati fuere, Sasko potissimus eorum consiliarius interfectus, Duces uterque Nalevaiko & Sauula gravissimè sauciati, alij complures vulnerati. Nox prælium diremit, Zolkievius in loco prælij pernoctavit, Cosaci per integrã noctem iter faciendo Tripolim pervenêre. Moxque postridiè Cymbis lintribusq; Borysthenem transiere equos quamvis glacies, crustæve ejus per flumen adhuc irent, tranando trajicere Peroslaviæque sedem cœpere. Non sine admiratione fortitudinem impetumque militum regiorum, inter se commemorabant, eoq; celerius, ultra Borysthenem properabant, jam in tuto in altera ripa fore se existimantes, quod exercitui Regio Borysthenem trajicere vix possibile esset, existimarent, Zolkievius Bialocerqui curandis vulneribus aliorumq; qui expectabantur adventui temporis aliquid tribuendum videbatur; Inde Castellanum Chaliciensem ad Regem ad comitia mittit, omnibus de rebus certiorem Regem facit. Cumq; Cosacorum vires indies augerentur, ipse etiam nova subsidia petit. Mandato itaq; regio cum reliquis copiis cum quibus in Moldavia remanserat, Potocius præfectus Camenecensis ad Zolkievium conferre jussus. Per omne id tempus quo Bialocerqui Zolkievius hærebat per oppida quæ supra Borysthenem sita erant, militem dimittebat; qui Cosacos interciperent, Cosacisque qui in hac ripa se ostendebant excipiendis littoriq; huic ab illis per purgando, operam Zolkievius dabat; quemadmodum non pauci intercepti, cæsi supplicioq; affecti fuere, maximè Kanioviæ Trechtimiroviæ & alibi, salis subvectionẽ iis adimebat, quæ res quemadmodum postea apparuit, non parum incommodi illis attulit. Ad Nizovios litteris datis, quod cum seditiosis se non conjungerent laudabat, speque clementiæ Regiæ Reipubl, q; iis facta, an ab aliorum societate avertere eos posset tentabat. Sed frustra suos enim sequi malebant, nuntiosq; Zolkievij in vinculis apud se habebant. Cosacis Borysthenem transgressis, maximè cura trajectus sollicitum Zolkievium habebat; Cujus facultatem ipsi ferè præripuerant, ex Lithuania enim redeuntes à Capite fere Borysthenis omnia navi-

navigia quæ uſui illis eſſe poterant, ſecum abduxerant: alia vel incenderant, vel merſerant, vel alio modo corruperant; Ita ut nullum omnino navigium haberet, quod facultati nihilominus deeſſet, curâ ſupplens, ad flumina Przepecium, Teterovum, aliaque quæ transverſa in Boryſthenem illabuntur mittit; navigia ſingula quibus in trajectu uterentur, vel frumenta deportarent conquirens. Maximè cura diligentiaque Civium Kiovienſium adjutus fuit, qui & nova navigia non pauca pararant, & vetera refecerant. Non latebat id Coſacos itaque vindictam meditantes, civitatem exſpoliare, & urbem arcemq; incendere dirípereque conſtituerant. Qua de re quamprimum certior Zolkievius factus eſſet, aliquot centenos homines præmiſit, ipſeque Bialocerco Vaſilonicam movit, quinque à Kiovia milliaribus, ubi dum ſeſqui alteram ſeptimanam hæret, & Potocius Præfectus Camenecenſis advenit, quæque ad trajectum neceſſaria erant, diligentius parata fuêre, cujus quidem operis maturandi cauſa ipſe Zolkievius Kioviam excurrerat, quo intellecto eo diligentius de diripienda Kiovia Coſaci cogitabant: ut ſimul trajiciendi modum Zolkievio eriperent, itaq; per ſpeciem colloquiorum, quæ cum Zolkievio habituros præſeferebant; Univerſo cum exercitu, tam terra quam flumine, Kioviam verſus ſe movent, quòd certos inter ipſos Coſacos exploratores Zolkievius habebat, de conſilio illorum admonitus fuit. Itaque ipſe quoque cum exercitu Kioviam tendit, aliquotq; horis eos antevertit. Caſtra ad Boryſthenem communit, quartam circiter partem milliaris ſub Kiovia ad Monaſterium Pieczarienſe Divæ Preciſti, civitatem ob ſubitos caſus quantum uſus poſtulare videbatur, præſidiis munit: Coſaci in adverſa ripa è regione Zolkievij caſtra locant, Lobodam Ducem habebant. Sauulæ enim tanquam minus fœlici, Pereslaviæ jam imperium abrogarant. Simul claſſis eorum advenit, quæ lintrium diverſorum, quibus in mari etiam pyraticam exercere ſolent, ultra centum habebat; Præfectus ejus Caſpar quidam Podviſocius erat, quod ventum commodum non haberent, Cymbas iſtas ſuas, remis verſus flumen agebant: non ſatis ſanè commodo ſuo. Locis enim opportunis in ripa, è quibus proſpectus in flumen erat, Tormenta Zolkievius diſpoſuerat; quibus cum claſſis illorum vexillis Tubis, Tympanis inſtructa adveniſſet, frons ejus petita ordinesq; ejus turbati mixtique fuêre. Imprimisque ipſe præfectus non extra periculum fuit; ut cujus prætorium ab initio mox duobus globis trajectum fuit. Ita ut non recta ad urbem quemadmodum conſtituerant, ſed projectum quendam è littore locum, qui non procul inde erat, appellere, tegereque eo ſe, damno aliquo accepto neceſſe haberent; Cum famoſæ magis quam nunc frequentis aut habitatæ urbis mentio fiat, non alienum fortaſſis fuerit, de ſitu antiquitatibusq; ejus nonnulla hic commemorare. Ante aliquot centum annos, Duces Kiovienſes univerſæ Ruſſiæ partim quæ Moſcovia nunc dicitur, partimq; Ruſſiæ nomen retinet, ad mare Euxinum Danubiumq; imperaſſe, ſedemq; univerſæ Ruſſiæ Kioviam fuiſſe, ſatis conſtat, à quo tempore cœperit & an Colchia etiam Æneæq; Trojanaq; imperia attigerit, & à quo deleta fuerit, longanè ætas negligentiave Scriptorum condiderit, incertum. Priſcæ ſanè magnificentiæ monumenta non pauca, extari, Valli intra quos civitas olim fuerat altiſſimi, in quibus veteris operis, una adhuc porta reliqua eſt, fornicesq; ejus magno ſumptu inaurati, ita alti ut ſi quis duas haſtas unam ſupra alteram per eas inferret, faſtigium ejus non attingat. Intra vallos eos ruinas templorum muratorum non paucas videre eſt: ædes omnes Græci ritus fuêre, una reliqua adhuc eſt, Divæ Sophiæ, non planè deſolata vaſtataque ſacrum tamen in ea non habetur, magno ſumptu ædem eam ædificatam fuiſſe apparet: neq; nunc exigua eſt, opere Moſaico tota ſtrata, Conſtantinopolitanæ Venetæq; ejus generis, quemadmodum qui utramq; viderunt, confirmant; ſtructura elegantiaque operis nulla in re cedens inferiorve. Porticus columnæque Porphyriæ marmoreæ, ex Alabaſtro; negligentia tam præclarum opus ut quod tecto careat, indies magis corrumpitur, quicunque enim urbem eam delevit, ea ſive clementia, ſive prudentiâ fuiſſe apparet, ut operi tam præclaro pepercerit. Eſt & aliud templum Divi Michaelis Aureo faſtigio vulgo à Rutenis à Tumba aurea, quæ non parva ad ſimilitudinem Sacelli ab Anna Regina proximè defuncta Cracoviæ conſtituta fuit, in illo eſt, appellatur. Sed templum id chorum ſolum Moſaico, opere ſtratũ habet, atque ad magnificentiam ſtructuræ D. Sophiæ non accedit. Corpus templi Græco ritu pictum: hodieq; Monachi Græci ritus Græcoq; cultu ſacra celebrãtes penes templum id ſunt. Alia non pauca ruinarum monumenta ſunt: Vallorumq; & collium quæ ſine magna manu fodi non potuerũt, frequentiã magnitudinemque, ſi quis inſpiciat, habitatiſſimã olim oram eam fuiſſe facilè judicabit: ſolum ubere, cœlumq; clementius fere quam circa Leopolim aut Cracoviã, hortenſiumq; omni generi maturius, quam hiſce in locis, anninè ejus maturitate an verſus Orientem magis ſpectẽt, incertũ, hodierna urbs Kiovia, non intra priſtina valla, ſed inferius ſita eſt, ad ipſum Boryſthenẽ nullam priſtinæ magnificentiæ ſimilitudinem præſeferens. Mercatores tamen non paucos habet, Moſcoviticis negotiis maxime deditos, opportunitatẽ habet, tam fluminis Boryſthenis quam Dzieſnij quæ è Moſcovia deſcendit, ibique ubi in Boryſthenem illabitur milliari infra Kioviam vix non tantum aquarum quantum ipſe Boryſthenes, ſecum vehit; ita ut incolæ dimidium Boryſthenem eum vocent. Supra oppidum arx eſt, vix eo nomine

digna,

digna, ab initio non parvo ſumptu ex materia ædificatam apparet. Negligentia incuriâq; computruit; nè fruſtra transactionem jactaſſe, putarentur, literis nunciiſque in vicinia ea conſtituti de concordia Zolkievium Coſaci appellant: ſed ut facile apparebat, ſimulate fere & irrito conatu. Zolkievium maxime angebat, quod eam ripam in quam excendendũ eſſet, Coſaci inſediſſent. Præterq; eum locum nullus alius acceſſus ad ripam eſſet. Impeditiſſimas enim ripas Boryſthenes habet, vel ad montium ſimilitudinem altas elatasque vel lacubus paludinoſis impeditas; ita ut ſi in mentem locum eum quem inſederant tenere munireque eis veniſſet, facile trajectu prohibere Zolkievium potuiſſent, verùm ille re diſſimulata, alias rationes trajiciendi ſe habere publicè jactabat. Interim ut ab illo littore Coſacos abduceret, operam dabat. Sciens Coſacos expeditos ſub Kioviam veniſſe uxores & liberos cæteraq; impedimenta Pereslaviæ in vicinia reliquiſſe, Potocio præfecto Camenecenſi, Tripolim cum iis quos circa ſe habebat, hominibus ut iret mandat, Sita Tripolis eſt ſex milliaribus infra Kioviam, ad Boryſthenem. Septem à Pereslavia, ſed Boryſthenes intra oppida ea medius eſt: Rumorem in vulgus edit, eo conſilio Potocium, Tripolim à ſe miſſum ut vel Kanioviæ vel Trechtimiroviæ contra Pereslaviam trajiceret, quoq; rei fides eſſet, viginti & aliquot currus bobus jungi variaque navigia illis imponi primoque per urbem inde exercitum publicè clara luce traduci, verſusq; Tripolim vehi curat; cum alioquin nullam ne minimam quidem Cymbam Potocium habere; Coſaci ſcirent, eo autem vel per exploratores vel alia ratione cognito metu rerum ſuarum, nè à tergo circumvenirentur, littore eo ſibi ceſſuros ſperaret. Conſilium fortuna adjuvat, transfugæ duo ab exercitu Regio, lintre per Boryſthenem vecti in utrarumq; excubiarum conſpectu ad Coſacos transfugiunt, quæ apud Coſacos agebãtur, ex littore eo, in quo Zolkievius caſtra metabat, omnia proſpici poterant, Ruſſicum enim illud quod vulgo vocant, in ipſum Pontum Euxinum, longè eminentius exijt, altero in quo Coſaci erant Tartarico vulgo ab illis appellato. Transfugis igitur in diverſas partes mox traductis, cum ab utroq; ſimiliter de navibus miſſis confirmatum, illis fuiſſet, non ſolùm fidem eis habuêre, ſed pro indicio etiam eos donarunt: ſineq; mora equos qui per herbam paſcebantur, conquirunt, itineriq; ſe parant. Inter Coſacos antea fuerant, & licet non parùm fugâ iſtâ Zolkievio commoda fuiſſet, quòd tamen perfido ſceleratoq; animo acta ea ab illis fuiſſent, unus in prælio quod ſub Lubniano, poſtea fuit interfectus, alter finito tumultu juſſu Zolkievij ſupplicio affectus, inque quatuor partes diſſectus fuit. Zolkievius fuga illa transfugarum commotum ſe ſimulans, literis ad Coſacos datis transfugas, qui per tempus induciarum, aut tractatuum transfugiſſent, dedi ſibi poſtulat. Reſcribunt transfugas ſe non dedere: æquumq; non eſſe, colloquiis eos hic detinere, à tergoq; copias ſubmittere, illosq; circumvenire, quò magis in opinione ea illos confirmaret, ita colloquia ea ſuſcepta, Zolkievius reſpondet ut ſuas res una quæque pars agere curareve deberet; præterea nullo promiſſo quo minus quocunq; opus eſſet, exercitus Regius dimitteretur obligatũ illis eſſe, magis iter acceleraret, quod mox ingrediuntur. Zolkievius etiam, locis omnibus inſidiarum prius exploratis exercitum ſine ullo impedimento, die noctuq; trajicit, intraq; ſeſqui tertium diem, ſine ullo damno, in adverſa ripa cum exercitu conſiſtit, Coſaci quamprimum Subkiovia ſe moviſſent, veriti nè Potocius eos præveniret, uno impetu Pereslaviam eo die adhuc perveniunt, Excubias tamen aliquas relinquunt, quæ in Zolkievij conatus, & an Boryſthenem trajecturus eſſet, intentæ eſſent. Poſtquam exercitum traduci nunciatum eis eſſet, an Pereslavia ſe includere, an ulterius progredi deberent; conſilium inter ſe habent. Pereslavia celebris aliquando urbs ipſa etiam fuit: ducumq; Kiovienſium ditionis, à quo & quando deleta fuerit, ſimiliter in obſcuro: Perq; aliquot ſæcula deſerta jacuit.

Ante aliquot annos Regis Stephani tempore Palatinus Kiovienſis Dux Oſtrogiæ, vetera valla ſepe munita, ad libertatem ſeu oppidi jus, quemadmodum moris eſt, incolas convocavit, ſita eſt pereslavia in oſtio fluminis Trubies, alteriusq; Illice dicti: Trubies fluvius non exiguus, Illice minor, æquè tamen tranſitu difficilis Paludinoſus illiginoſusq;. Vallum jactum ibi eſt, antiqui operis, rotundum in ſpeciem coronæ ſatis altum, ut cujus ambitus ad integrum milliare ſit, iterum nõ procul à confluente fluminum illorum, aliud vallum circuli imagine eſt, ut arcem ab oppido diſtinctam ibi fuiſſe facile appareat. Itaq; nunc etiam, à Palatino Kiovienſe locus is relictus duobus à Pereslavia milliaribus, in Boryſthenem flumina illa influunt. Non viſum Coſacis fuit, Pereslavia ſe includere, partim quòd tantum, urbis ambitum propugnare, non facilè illis videbatur: partim quod ultra decem millia equorum tam militarium, quàm curulium ſecum haberent: Jumentorum aliorum non parvum numerum, quæ omnia in oppido illo paſci poſſe non veriſimile, illis videbatur. Conſultiſſimum illis viſum in ſolitudinem quàm longiſſimè diſcedere non parva ſpe quemadmodum Nalevaiconem nigrâ aqua exercitus longius inſequi non potuiſſet, ipſos quoq; ob longinquitatem viarum, difficultatemq; trajectuum in ſolitudinem non perſecuturum, obque alias difficultates & uſus Reipublicæ diu exercitum iis in locis hærere non poſſe: quo diſcedente ad ſolita ſtativa ſua redire ſe poſſe, proque arbitrio moreque ſuo agere, resq; miſcere. Cum uxoribus, liberis, omnibusq; impedimentis Pereslavia movent Lubnianum

nianum verſus, claſſisq; eodem Caſpare duce in qua ad mille aliquotq; centenos erant, ſecundo flumine per Boryſthinem progreditur; ibique in inſula quadam non procul ab oſtio fluminis Julij in Boryſthinem, eventum exſpectabat. Zolkievius eos inſecutus, Potocio ut navigia ad trajectum neceſſaria Kiovia dimitteret mandat; ad id enim tempus in conſilia Coſacorum intentus erat, ne fortè altera ripa Boryſthinis à Zolkievio apprehenſa, illo quod in tanto numero navigiorum non difficilè illis eſſet, in adverſam Ruſſiam rurſus ſe transferent. Poſtquam tamen longius flumine abſceſſiſſent, eâ curâ ſolutus non parum altera, ſollicitum eum habebat, conſilium nimirum Coſacorum in ſolitudinem, quàm longiſſime diſcedendi, quod illi commeatum aliaque neceſſaria in eos uſus pro commodo paraſſent, exercitus regius omnia imparata haberet. Siq; Lubniano longius progreſſi fuiſſent, difficilem ſine dubio rationem ulterius eos inſequendi habuiſſet, Lubniæ arx penesq; eam oppidum, ante ſeptem circiter annos, à defuncto Alexandro Viſnioviecio, Præfecto Circaſienſe conſtitutum ſupra flumen Sulam Pons ſub oppido eſt, in flumine per quem in ſolitudines itur. Tranſitus per illum longiſſimus, per aliquot jugera eſt; flumen ipſum in alveo non ita latum eſt, niſi quod reſtagnet: Paludes, lacus & ſtagna ubique circa illum ſunt, ob quæ tam longo ponte opus illis eſt, ubique autem ab ipſo fonte oritur à finibus Moſcoviæ, ad oſtium usque quo in Boryſthinem fluit, vix uno atque altero loco tranſiri poteſt ob paludes ſtagnaque, ſylvas frequentes quæ per littora fluvij illius ſunt. Zolkievius cum exercitu Tachotiniam jam venerat, oppidum id eſt denuo conſtitutum ſupra Soporem paludem quinque à Pereslavia milliaribus, Lubnianum viginti circiter milliaribus Polonicis adhuc erat, iis enim in locis, minus numerant, ſed quemadmodum in ſolitudine, milliaria valde longa ſunt. Zolkievius exercitu ibi conſtituto de Coſacis eo loco retinendis ſollicitus unumq; id quomodo, ibi eos moraretur, cogitans. Conſilio cum præfectis militaribus habito, eo in loco ſe moraturum aliquotq; centenos tantum homines miſſurum, qui de Coſacis conſilioq; eorum cognoſcerent, neque prius inde moturum, quàm certi aliquid de illis retuliſſent, publicè pronuntiat. Ad id literas Caſtellani Chalicienſis ad eos mittit, qui tanquam vetus illorum familiaris, amicusve operam ſtudiumque ſuum, æquis conditionibus cum Zolkievio in gratiam eos reducendi, illis defert, ſpemque faciebat, non paucos enim inter eos ejus rei cupidos eſſe ſciebat: maximè eos quibus cum uxoribus & liberis, per ſolitudinem vagari, aque domibus ſuis abeſſe grave eſſet. Spe igitur concordiæ cujus ſpes facta illis erat, quodque longius exercitum Zolkievius conſtituiſſet, Lubniano non movent. Nam & hominem eum qui cum literis Caſtellani Chalicienſis, ad illos miſſus erat, tormentis ſubjecerant, qui Tachotini à Zolkievio ſe diſceſſiſſe, quæque ex fama de mora ejus Tachotini cognoverat, eis confirmat. Lubniani igitur hærere inſtituunt. Viâ tamen qua ipſi venerant, quæ & commodior & brevior eſt, decem fere milliarium intervallo excubias ante ſe hababãt, quæ ſi exercitus ſe moveret, quamprimum illis ſignificarent: Ipſiq; Sulam trajicere, pontemq; eum, cujus mentio facta eſt, funditus corrumpere reſcindereq; in animo habebãt, quod maximè à Zolkievio metuebatur; priusquam enim eũ reſtituiſſet, non parvam facultatem ulterius progrediendi habuiſſent, & à locorum peritis cognito alium trajectum per flumẽ Sulam, infra Lubnianum quinq; milliaribus eſſe, Choroſſinum locum eum vulgo vocant, qui trajectus inter omnes qui per Sulam ſunt: aliquot autem quemadmodum oſtenſum eſt tantum ſunt, hic cõmodiſſimus eſt, Vitoldus Magnus Dux Lituaniæ eo exercitum ſuum, qui poſtquam Vorskliæ, ab exercitu Tamerlanis fuſus fuiſſet, traduxerat, hodieq; adhuc Tartari cum oras trans Boryſthianas infeſtare inſtituunt, ea plerumq; ire ſolent. Ad eum igitur trajectũ partem exercitus mittere Zolkievio viſum. Duo enim commoda ea in re perſpiciebat, primum ſi animadverſa à Coſacis res non fuiſſet, Lubnianiq; tamdiu hæſiſſent, homines Regij eos antevertentes, prius pontem eum diſſcidiſſent, itaq; ab hac parte, Sulæ eos retinuiſſent, ſi & Sulam trajeciſſent, verſusq; Boryſthinem ad claſſem ſuam ſe recepiſſent, eo facilius in adventum Zolkievij eos diſtinere morariq; poſſent. Rem eam Georgio Struſſio præfecto Braclav. committit, Ducemq; itineris ei attribuit. In exercitu paucis exceptis gnari ejus rei erant, ijq; ipſi qui mittebantur quò irent ignorabant, omnium opinio erat, ex proximo decreto quod vũlgatum erat Lubnianum verſus Coſacos eos duci. Sed mediocri milliari Tachotino progreſſi, eâ viâ quâ Coſaci venerãt, relicta ad dextram verſus Choroſſinam trajectumq; eum ſe convertunt. Ita ut excubiæ Coſaticæ quæ aliquot inde milliaribus à Lubnian. via ſcire de illis non poſſent, maximè præter ſpem eorũ noſtris eo converſis, quemadmodum poſtea, cognitum fuit. Præter omnem opinionem eorũ accidit, ut miles Polonicus, quem pro gravi illi habebant, eâ viâ pervadere erumpereve poſſet; quò minus intenti in illã erant, noſtriq; ſine ullo impedimento more Tartarico ex arundinib⁹ tuguriolis ſibi ſtratis, piſcatoriisq; aliquot cymbis, conquiſitis equis tranatis, exercitus traductus. Zolkievius quod temporis ei reliquũ erat, Tachotini morabatur, ad diem ſub Lubniano ſe ſiſtendi, 25. nimirum Maji. Interim Potocium Præfectum Camenec exſpectabat, qui 6. à Lubniano milliaribus aſſecutus eum fuit. Eodemq; die Kniazius Bogdanus Oginſcius, Succamerarius Trocenſis cum copiis ex magno Ducatu Lithuaniæ, quarum ad mille circiter equites erant; quamprimum cum iis ſe conjunxiſſet etiam

etiam noctu properare inſtituit; Coſaci enim adventu exercitus ab excubiis ſuis cognito ſine mora per Pontem trajicere cœperunt; de iis qui circummiſſi erant, nihil adhuc ſentientes. Nondum Coſaci omnes tranſierant, cum primum agmen, cui Bieliecius præerat, ſupervenit, quod quamprimum à Coſacis animadverſum fuit, per Pontem trajicere incipiunt, cumque nox adhuc eſſet, Bieliecius inſidias veritus frequentes enim ibi ſylvæ montesque, fugientibus, non valdè inſiſtit. Quamprimum diluxerat ad Pontem equis verſus illos proſilit, quem Coſaci jam diſcindere cœperant. Sed telis noſtrorum prohibiti abſterritiq; mox à reliquo ſcindendo fuere: partemque reciſam vix non intra horæ ſpatium noſtri reficiunt, ſineque mora exercitum eum tranſire, Zolkievius mandat. Coſaci ad flumen Soloniciam dimidio à Lubniano milliari, locum caſtris ceperant, de exercitu qui inſecutus eos fuerat, jam cognoverant, de iis qui à fronte illis occurrebant, nullam adhuc notitiam habebant. Ab initioque cùm ſub diluculum excubiæ eos obſervaſſent, Tartaros eſſe exiſtimabant: cum eos agnoviſſent, à tergo exercitum eſſe ſcientes à fronte alios illis occurrentes, ut in re ſubita vehementer trepidari ab iis cœptum. Mox duo ab illis ad Struſſium transfugere qui omnibus de rebus quæ inter illos agebantur, conſilioq; illorum certiorem eum faciebant. Conſilium illorum diverſum erat. Alij dum exercitus omnis non traduceretur, quàm citiſſimè longiſſimèq; in ſolitudinem armati inſtructiq; pergerent cenſebant. Alij contra tempus ejus rei jam præteriiſſe oſtendebant; cùm exercitus in cervicibus jam hæreret, quem tranſitus non diu morari poſſet, illo relicto in quo conſtiterant; locum enim commodum ſupra flumen paludemque elatum cœperant, quam ſpem ſi exercitus in campo alicubi eos aſſecutus fuiſſet, reliquam illis eſſe. Nihil aliud incommodi ſi eſſet, quam aquatione prohiberet, & ſibi & equis internecione, moriendum eſſe: caſtris etiam ſine alio commodo, aut adminiculo ſe tueri periculoſæ aleæ rem eſſe. Acutus lapis in quanto ab exigua hominum manu periculo fuiſſent: quantumque damni accepiſſent, documento illis erat.

Quid nunc cùm longè major exercitus eſſet: peditatus etiam qui tum non fuiſſet, in eo nunc eſſet, utilius igitur viſum, eo loco ſe non movere caſtra potius foſſis, quod mox ab iis factum, munire, ex iisque ſe defendere Struſius etſi ex globo pulveris qui ab adventante exercitu excitabatur, diſploſione tormentorum, quæ ad adventum ſuum ſignificandum ex inſtituto Zolkievius quamprimùm Lubnianum venerat, in ſignum, diſplodi juſſerat, quò certior tamen de adventu ejus eſſet, alacres duos juvenes celerrimis equis illis attributis mittit, qui de adventu ejus illi ſignificarent, utve colloquiis ſeu conditionibus illos interim diſtineret, dum ipſe adveniret, neve ad ullum prælium interim deſcenderet ei mandarent. Qui à Zolkievio miſſi erant, præter caſtra Coſacorum aut non longe ab iis ire coacti, animadverſi, ab iis fuêre, qui ſummo ſtudio eos perſecuti fuêre. Integri tamen evaſêre mandataq; Zolkievij ad Struſſium, pertulêre. Sub idem tempus Loboda cum Struſſium hominibus illis præeſſe cognoviſſet, etiam uſus cum illo ei interceſſiſſet, colloquium cum eo petit; quod à Struſſio non negatum ei fuit, tempusque quemadmodum à Zolkievio mandatum ei fuerat, trahens colloquiis tractatibusq; cum eo ſedat. Interim Zolkievius exercitu traducto advenit, locumque caſtris in capite ejusdem Solonicæ capit, ad quam Coſaci ſua caſtra metabant. Struſiusq; aliquantum ulterius à latere caſtrorum Coſacicorum ſe collocarat. Separatim ad alium fluviolum: Ita nihilominus ut & in caſtra Coſacorum, & in ſe ipſos cùm patentes ubique campi eſſent, proſpectus utrisque pateret; quodque ſeparatim à Struſſio Zolkievius caſtra metaret, ea cauſa fuit, ut pabulo equos Coſacicos utraq; ex parte caſtrorum illorum eò faciliùs prohiberent. Per quatuordecim dies per quos Coſaci, in obſidione erant, diverſa cum iis prælia velitationesque fuêre, nullusq; fere dies ſine velitatione interceſſit, quibusdam etiam vicibus cum iis pugnatum. Quam frequentiſſimeque equorum cauſa, quos illi paſcere ſatagebant, Zolkievius omni ſtudio prohibebat, facilè intelligens, ſi equos illis fame enecuiſſet, eò faciliùs in poteſtate eos ſe habiturum, velitationes eæ, prælaque ſecunda ſemper noſtris fuêre, ignominiaq; & detrimento Coſacorum; etſi enim longè impar numerus militum illis occurriſſet, vix unquàm tamen illis reſiſtere animus ſuppetebat, ut plurimumq; ad caſtra recurrebant, ita ut in contemptu jam apud milites eſſent, aliquando non contenti eo quod in campo eos fudiſſent, eodem impetu incenſi, in caſtra foſſasque eos inſecuti fuere, ubi Taſſitius præclarus juvenis tresq; alij cum eo juvenes ſclopetis ad ipſas foſſas, ab illis trajecti fuere. Eodem omnino modo præfectus Sitomirienſis Simon Dinisko periit, qui quidem uterq; caſus cautiores milites fecit, mandatisque Ducis obſequentiores eſſe docuit. Alia damna pauca omnino fuêre, majus onus continuatum excubiarum erat, ut per omne tempus univerſus fere exercitus arma vix poneret, equiq; ſimiliter per omne id tempus ſub ſellis inſtructi paratiq; eſſe cogerentur: Commeatus item nõ facilè advehebatur, ut quem è limitaneis oppidis usq; exercitui ſubvehi Zolkievius juſſerat, quodq; longius ab oppidis diſceſſiſſet, non facilè ſubvectio ejus erat; Calonesq; qui non magna copia eum ſubvehebant, magno pretio vendebant: pretio etiam conſtituto nemo eum ſubvexiſſet. Labor igitur aſſiduus commeatusq; inopia nõ parum exercitum premebat; quæ patienter tamen à noſtris fere-

ferebatur. Longè majoribus difficultatibus Coſaci conflictabant.

In obſidione ſine ulla auxilij ſubſidijve ſpe erant. Vulnerati cæſique non pauci, equi qui unica ſpes illorum erant, fame fere enecti ad internecionemque redacti: Commeatus eos deficere incipiebat, ſalis nihil habebant: transfugia frequentiſſima, ferè quotidiana: diffidentia, ex ea diſſidia eos inceſſerant. Ad quæ Zolkievius ex inſtituto materiam illis præbuerat cum Loboda, primariisq; communicata conſilia ſe habere ſimulans. Ex qua ſuſpicione ut homines temerarij nullo certo conſilio quicquam agentes Lobodam capitis ſupplicio afficiunt, Crempſciumq; quendam in locum ejus deligunt. Verùm ſemina disſidiorum altius quam ut mox extingui poſſent egerant, quique viventi Lobodæ faverant, indignè necem ejus ferebant. Ad hæc Zolkievius diverſis in locis circa caſtra tormenta, circaq; ea corbes è transverſo ut ex omnibus partibus per caſtra jacularentur diſpoſuerat, complures homines & plures adhuc equi ex jaculationibus iis interficiebantur. Ex quorum cadaveribus ut anni tempore jam adulto, inter maximos jam calores noxius gravisque fœtor eos fere exanimabat: terraq; condere quantum ex tormentis ſuaq; ſponte interibãt non poterant. Præterea majoris terroris cauſa ut equis dimiſſis, pedites ad oppugnationem ire parati eſſent, exercitum Zolkievius induxerat, certa objectamenta parari curarat, quæ rotis advecta à tormentis illorum tueri defendereq; militem poſſent. Tot incommodis fracti etſi ante etiam aliquoties, nunquam tamen ſincere conditiones à Zolkievio petierant, tum extremum exitium imminere ſibi videntes, conditiones à Zolkievio propoſitas accipiunt, non deerant ſanè qui exempli cauſa, & ab hujusmodi facinoribus alios in poſterum deterrendi extrema internecione finiendam rem ſuadebant; ab altera parte, non paucæ rationes in mentem ei veniebant. Etſi enim magna ſpes veriſimilitudoq; ad victoriam ſe oſtendebat, caſum fortunamque tamen omnibus in negotiis etiam optimè conſultis, plurimùm valere cogitabat, cujus regi acutus lapis recens exemplum eſſet. Itaq; etſi victoria penes noſtros fuiſſet: cum hominibus tamen deſperatis non unius capitis periculo paratam iri, omnes igitur noſtros integros conſervatos malebat, quam periculo alicui rem committere. In tantoque numero Coſacorum ultra octo millia enim, præter fœminas uxoresve & liberos prælio apta reliqua, adhuc erant, non paucos ad uſus reipublicæ ſi diſciplina acceſſiſſet, transferri poſſe exiſtimabat. Conditiones à Zolkievio illis propoſitæ hæ erant; Primum ut à globo illo multitudineve quamprimum diſcederent: inpoſterumq; ſine permiſſu Regio nunquam convenire auderent. Poſtea primarios ſeu capita turbarum qui ab illo nominabantur dederent, vexilla aliaque inſignia maxime quæ ab externis principibus eſſent traderent. Tormenta inſtrumentumque bellicum omne, pulveres etiam globosq; ſimiliter redderent: Gazam Theſaurumque omnem quem ærarium exercitus illi vocabant, exercitui Regio omnem darent. Ad extremum quicquid militi Bialocerquiæ ademptum reperiretur, redderent. Conditionibus iis mox ſatisfactum: In inſtanti diverſas in partes diſceſſere: Ex numero quos dedere, debebant. Lobodam ipſi ſupplicio affecerant, tres in prælio perierant. Crempſcium ut multitudinem diſſociaret, ſeu deduceret, Zolkievius liberum mox dimiſit, reliqui qui alij extabant dediti fuêre: Vexilla duo cum inſignibus Romani Imperij quæ à Cæſare & Archiduce Maximiliano habebant, Tertium à Principe Tranſilvaniæ cum ejus inſignibus aliaque præterea inſignia ut clavam Tubasq; argenteas, quas à Cæſare habebant, tradunt. Tormenta integra viginti & unum, diruptorum aliquot erant, è claſſe tradiderunt tormenta tredecim, campeſtriumque ſclopetorum aliquantum. Gazæ non multum erat: maxima pars Turcicæ ſuppellectilis aliquantum erat. Poſtquam inter ſe exercitus partitus fuiſſet, omne ærarium, æſtimatum vix quatuor millium florenorum fuit. Ultima conditio, ut militi ablata reſtituerent, vix non turbarum cauſa fuit; cum militi reſtitutione eâ non ſatisfieri videretur; Ita ut proprias res Coſacorum illis eriperent, ut ad tumultum res veniret, in quoad denos aliquot interfecti, vixque à Zolkievio ſedatus fuerit. Ita graviſſimum ſervile bellum non virtute ſolùm ſed ingenio etiam Ducis ſub Lubliano extinctum fuit, aliquot diebus ante explorator, Zolkievij ab iis Coſacis, qui ad inferiorem partem Boryſthenis erant, Zolkievio nunciarat, miniſtros aliquot ejus, quos cum literis ad eos miſerat, in vinculis ab illis haberi, ipſiq; auxilio Lubnianis ex inferiore parte Boryſthenis ſe movisſet, idem explorator conſilia illorum Zolkievio aperit, primò operam dare, ut auxilio obſeſſis adeſſe poſſent, ſed cùm à Caſparo Podviſocio, qui claſſi quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, præerat, ita accepiſſent, ſine certo periculo pervenire ad obſeſſos ſe non poſſe, cujus regi ipſe periculum feciſſet; vixque ipſe in manus non venerat, cum excubiæ Regiæ ea diligentia eſſent, ut non modò manus aliqua hominum, ſed nè nuntij quidem cum literis pervenire ad eos poſſent, ita ut vel retrocedere, vel in manus incidere neceſſe haberent, quod aliquoties accidit, aliud igitur conſilium cœperant, ut arces oppidaque omnia limitanea incenderent, ſi fortè defendendo ora limitanea ab obſidione ea Coſacos eriperent, avertereque noſtros poſſent. Nuntios eos ſecretiſſimè in exercitu habuerat, itá ut nullus eorum conſcius eſſet. Interim in Coſacos incumbebat, ut quàm citiſſi-

citiſſime exitũ cũ illis haberet: negotio finito, quẽadm. ad alios finitimos, ita Vicecapitaneũ etiã Circaſiẽſẽ, literas de eo dat; qbꝰ ꝓpria manu ſcriptis, q̃ geſta eſsẽt, ei ſignificat. Ut & ipſe tota de re ſciret; iisq;, qui ſubſidio Coſacis venirent, de ea ſignificaret: ſimulq; nomine ejus illũ certiorẽ faceret, q̃ machinarẽtur, Zolkieviũ jã ſcire: ſi vel minimũ in ora finitima damnũ dediſsẽt, etiã inferiore Boryſthenis loco eos ſe indagaturũ, Vicecapitan. Circaſiẽſis lit. eas Zolkievii ad illos mittit; jã 7. tãtũ milliarib. à Circaſio in eos inciderũt. Ubi mox ſubſtiterũt, cõſiliũ inter ſe, quomodo cũ Zolk. in gratiã redirẽt, habuerũt. Miniſtros illos Zolk. ad ſe accerſitos vĩculis ſolverũt, donatos placarũt, ne apud Zolkiev. de ſe quererẽtur: lit. ſatis humillib. ad Zolkieviũ datis, captivũ Tart. muneris loco ad eũ mittũt, in literis, quẽadm. & legatione, ꝑ nũtios in alios delicti ſui culpã cõferũt, veniãq; ejꝰ petebãt: fidelẽ poſtea Regi & Reip. operã ſe navaturos ꝓmittentes: Nuntii ii nõ ꝓcul à Kiovia jam revertentem Zolkievium offendunt. Etſi indigna illi viſa, diſſimulanda tamen ei res fuit; cum vindicandæ ejus difficilis ratio eſſet: maxime, ſi ad inferiores partes Boryſthenis retroceſſiſſent. Exercitus laboribus, incommodis longinquitateq; viæ attritus: claſſis parata nulla erat. Supraq; omnia ex exitu comitiorum, alibi exercitu eo, quem ſecum habebat, opus futurum ſciebat: Benigne igitur iis dimiſſis exercitum diverſa in ſtativa reficiendi ſui cauſa illis aſſignata disponit, ipſe domum verſus diſcedit. Sub Leopoli captivi, tormentaque, ſigna, inſigniaque alia, Coſacis adempta, Zamoiſcio, tanquam ſupremo copiarum Regni Duci, tradita, exhibitaque, ab eoq; ad Regem miſſa, Nalevaikoque & alii dedititii Varſaviæ poſtea pro hoſtibus habiti fuere. Dum hæc, quæ ſupra commemorata ſunt, contra Coſacos aguntur, Tractatio de fœdere Turcico, quod ſummus Pontifex ſummo ſtudio urgebat, ad futura comitia rejecta erat. Cum igitur & bellum Turcicum in vicinia, Ungaria maxime, jam arderet, & Coſaci domi turbarent, periculo regnum vacare non videretur, in diem viceſimum ſextum menſis Martii Varſaviam comitia Rex indixerat. Ante comitia Nicolao Zebrzidovio, Palatino tum Lublinenſi, nunc Cracovienſi, per Joannem Tarnovium, Vicecancellarium, Marſalcatum Rex contulit, moxque, octavo menſis Martii, Cracovia Varſaviam ad comitia profectus Rex fuit, relatio à Joanne Tarnovio facta de fœdere, de Valachia, licentia Coſacica. Sequenti die Benedictus, Epiſcopus Caupanus, orationem de fœdere habet. Præcepti divini authoritate, populo ſuo commercia cum alienigenis prohibentis, Trapeſuntiorumque exemplo, imperium ſuum integrum conſervantium, quoad cum Turcis ſe non miſcuiſſent, fœdus ſvadens. Zamoiſcio pro opera in Valachia præſtita gratiæ actæ: in Coſacos pœnæ decretæ. In fœdus certis conditionibus in plerisq; Senatorum ſententiis conſenſum Nuntii, extra relationem, alias res inferre, maxime de ceſſione aſſecurationeq; Eſtoniæ: Sed cum de fœdere maxime agendum eſſet, Cæſar etiam pro rei gravitate, ex primariis Senatoribus ſuis, Andream, Epiſcopum Vratislavienſem, & Adamum Gallum Poppel, Baronem à Lobkovvitz, ad comitia miſerat. Deſignati, qui cum illis agerent, Stanislaus Karncovius, Archiepiſcopus Gneſnenſis, Georgius Radivilus, Cardinalis, Goſtomſcius Palatinus Posnanienſis, Chriſtophorus Radivilus, Palatinus Vilnenſis, Joannes Zamoiſcius, Leo Sapieha, Cancellarius Lithuaniæ, & ex nuntiis nonnulli, in ædibus Legatorum Pontificiorum conventum. Initium factum ab Archiepiſcopo Gneſnenſe, adq; conditiones ſuperiorum comitiorum, Cracovienſium potiſſimum, reſponſum, è quibus excuſſæ maxime quinq; potiores, quatuor aut quinq; congreſſibus colloquium ſolutum; cum Cæſarei Legati, ut ſine ſcitu aut ratihabitione Cæſaris quicquam conſtituerent, mandatum ſe non habere faterentur. De Archiduce tamen Maximiliano, ſi iis, quæ Transactioni Bendzinenſi adhuc deeſſent, ſatisfactum iri, ſubſidium etiam pecuniarium pro facultatibus ſuis, ita bellis, aliis etiam diſtrictum, Cæſarem tamen in confœderationem eam nobis præſtiturum, mandatis ante exitum acceptis, ita confirmarent, ut, niſi iſta præſtarentur, totum negotium ſocietatis ejus ſeu confœderationis irritum eſſet. De Moldavia etiam ſeu Valachia à noſtris actum, ut in eo, quo nunc ſtatu eſſet, permaneret, neve turbaretur, maxime Principe Tranſilvaniæ, à quo Hieremias etiam, quamvis nobilis, & indigena Polonus, literis tentatus ſolicitatusq; dicebatur, tam à Legatis Cæſareis, quam Pontificiis, ſine dubitatione pax promiſſa. Maxime autem Regem ſollicitum habere ulteriorem Valachiam, qua in re duo maxime metuat, idem nimirum, quod in altera Valachia ne, quod ante moliti hoſtes fuerint, nunc perficiant, ut iſtam quoq; provinciam munitionibus & coloniis occupent. Alterum, ne illac potiſſimum Tartari tranſeant. Cupere Regem utrique rei occurſum, ſed pro prudentia ſua, quid fieri in utraq; re poſſet, facile ipſos perſpicere. Difficilius fere etiam de Tartaro ſuperiore anno occaſionem in ordinem eum cogendi ſingularem fuiſſe, ſi Kilia aliaque maritima loca occupata fuiſſent. Nunc hoc etiam accedere, quod remotiſſima provincia ſit. Itaq; optare hoc quidem ſe poſſe, alterum autem fortaſſis etiam præſtare, ſi ex communi conſenſu fiduciarius aliquis Palatinus interim ibi collocaretur: Totã tamẽ rẽ Cęſari & ipſorum arbitrio ꝑmitti ipſi viderent, mentione ab Epiſc. S. Severi injecta. De Moldavia iſtã etiã dubitationẽ eſſe, fieri quid debeat, cũ imaginario iſto ad tẽpꝰ jã ibi collocato Turcæ deinde diſceſſerint. Ad ulteriorẽ definitionẽ totiꝰ negotii, quẽadm. & alia pleraque, dilata res fuit: eo utrinq; cauto. Regẽ quidẽ ad barbaros miſſurũ, pacẽ tamẽ nullã cũ iis iniri debere. Ante exitũ cõmiſſionis futurę, cui dies D. Jacobi mẽſe Julio dicta, cũ õ ſolũ ex Senatu complures, ſed ex plerisq; etiam Palatinatibus nuntii ei interfuturi eſſent, qui ex di-

verſis locis tam cito convenire non poſſent: de loco ad Cæſarem relatum, ejusque arbitrio permiſſum: Locus poſtea Cracoviæ à Cæſare delectus, ſed lente ab utrisque conventum, ad medium fere Auguſtum. Septima igitur menſis Auguſti, cum non modo legatus ſummi Pontificis de latere, Henricus Cardinalis Cajetanus, jam ab aliquo tempore Cracoviæ fuisſet; verum Cæſaris etiam Commiſſarii jam adveniſſent: tum pleriq; ex noſtris delegatis partim præſentes jam adeſſent, partim indies adventarent, viſum legato fuit, ut initium negotii huic à publico ſolenniq; ſacro Spiritus ſancti fieret. Habitum id fuit, in æde majore Divæ Mariæ in foro, ab ipſo legato, cum Cæſareis, tum noſtris commiſſariis, plerisq; id frequentantibus: Eodem die noſtri commiſſarii in ædes Cardinalis Radivili, Epiſcopi Cracovienſis, tanquam Principis commiſſionis, à Marſalco Regni convocati fuerunt: qui locus poſtea etiam ſemper noſtris conſiliis atque conventibus obitus fuere. Cæſarei commiſſarii, Joannes Kuitaſſi, electus Archiepiſcopus Colocenſis, Epiſcopus Jaurienſis, & Comes Regni Ungariæ, Cancellarius, Andreas Epiſcopus Vratislavienſis, ſupremus Sileſiæ Capitaneus, Joannes Chriſtophorus ab Horiſtein, Adamus Gallus Poppel, Baro à Lobkovvicz in Duxa, & Srechenſtein, Joannes Baro ab Haym in Reichenſtein, Conſiliarii Cæſarei, Joannes Joo, perſonalis præſentiæ locum tenens. Ex noſtris etſi & Karnkovius, Archiepiſcopus Gneſnenſis, & alii complures deſignati fuerant, hi tamen fere tantum fuerunt: Georgius Radivilus, Cardinalis, Princeps legationis, Laurentius Goslicius, Epiſcopus Przemislienſis, Januſius Dux Oſtrogiæ, Caſtellanus Cracovienſis, Nicolaus Firlejus, Palatinus Cracovienſis, Hieronymus Goſtomſcius, Palatinus Poſnanienſis, Stanislaus Minſcius, Palatinus Lancicienſis, Leſcinſcius Palatinus Breſtenſis, Nicolaus Zebrzidovius, Marſalcus Regni, Leo Saphia, magni Ducatus Lithuaniæ Cancellarius, Demetrius Chalecius, ejusdem Ducatus Theſaurarius. Cum ab initio mox orationis ſuæ legatus oſtendiſſet, nonnullos rumores ad ſummum Pontificem de Rege & Ordinibus delatos fuiſſe, quaſi nihil omnino ſerio, ſed ſimulate omnia in negotio hoc ab iis agerentur. Non habuiſſe tamen illis fidem ſummum Pontificem oſtendiſſet, neceſſitatem ſibi impoſitam noſtri exiſtimarunt, oſtendendi per quemvis potius, quam per Regem & Ordines, ſtetiſſe aut ſtare, quo minus in negotio hoc; quicquam ſtatutum adhuc eſſet, ſed plus ab illis hactenus præſtitum fuiſſe, quam exſpectari potuerit, aut debuerit. Hortatus eadem oratione Cardinalis noſtros fuerat, ut, de quibus agendum eſſet, ipſi proponerent. Quod ad Cæſareos Legatos potius pertinere noſtri judicabant; ut qui ad ſocietatem eam noſtros invitarent: Et qui cum antea certa mandata ſe non habere excuſarent, ſoliti fuiſſent, nunc ſaltem aliquid certi afferre deberent. Quo magis tamen ſtudium Ordinum in ſocietatem teſtarentur, dederunt hoc cum ſummi Pontificis, tum legati authoritati, ut ex præſcripto ſuperiorum comitiorum Cracovienſium aliqua proponerent: eo modo, ut potius cognoſcerent, quid de quaq; re haberent, quam ipſi quicquam definirent, oſtenderentque, eaq; requirerent, jam ante fere pleraque, & à Legatis Cæſareis, & Nuntiis Apoſtolicis, partim oblata, partim promiſſa fuiſſe: eoque minus vel difficilia aliqua, vel iniqui quicquam poſtulari: quo teſtatius etiam ſtudium ſuum facerent. Ipſius legati arbitrio permiſerunt, ut, à qua ei conditione videretur, tractandi initium faceret: Cæſarei Legati de duobus tantum capitibus reſponderunt: De ſociis belli, & de viribus ſeu nervo: neque de iis quidquam fere diſerte, aut explicate reliqua quæſita noſtrorum & eam partem ſcripti, qua invidiam rumorum eorum à Rege & Ordinibus exonerarent, ſilentio plane præterierunt: & partem quidem illam ſcripti, quaſi à legato ſecum non communicatam. Ne vel audire ea neceſſe haberent, quæ defendere non poſſent, vel defendere, quæ negari nequirent. Non parum ad exiſtimationem publicam pertinere noſtri exiſtimabant, ne iſta res ſuppreſſa quaſi videretur, ut igitur integrum ſcriptum communicare cum iis non gravaretur, à Cardinale petierunt, vel etiam ſe ipſos tradituros illis obtulerunt. Inter conditiones deinde conditionem de ſociis belli, ne, ſi ab initio in ea, quam illi difficillimam conditionem putabant, ſtitisſent, inficiendi negotii cauſa, id fieri interpretarentur, in ſuſpenſo relinquendam exiſtimarunt: alias, quemadmodum antea fecerant, urſerunt: nominatim quidem, præter nervum belli; generalatum etiam Maximiliani, qui deſtinari ei putabatur Transactionem Bendzinenſem: inducias inter Valachiam, & Tranſilvaniam, ipſumq; adeo jus Valachicum. Omnibus fere hisce diſſimulatis iterum de duabus tantum conditionibus Legati Cæſarei ſcripto reſponderunt, de ſociis nimirum belli, & nervo ejus: incertiusq; fere, quam antea: atque ita, ut rationem iſtam noſtrorum, interrogandi, querendique, in reprehenſionem aliquam vocare viderentur. Petiit legatus, ut ſcriptis, & interrogationibus, poſthac relictis, & coram potius congrederentur, & expreſſe, quid, ſi fœdus coire vellent, ab iis requirerent, oſtenderent. Ita reſponderunt, ut reprehenſionem, quæ in illos conferretur, à ſe amoverent, & non ſatis aperte à Legatis Cæſareis ſecum agi oſtenderent. Ut tamen legato gratificarentur, viva voce aliquot congreſſibus inde actum. Ita inter noſtros convenerat, ut ante omnia de perfectione Transact. Bendz. agerent: neq; tam de præſtatione ejꝰ, quã tẽpore & loco, tã juramẽti Archid. Max. quã Ordinũ Ungariæ; fruſtra n. cũ Ordinibꝰ actũ iri videbatur, niſi iis, q̃ tãto ãte præſtari debuiſſent, priꝰ ſatisfactũ fuiſſet, ex iisq; ſpes eſſe poſſet, futura etiam rata ac firma fore. Legati Cæſ. nõ tã rẽ ipsã recuſare, quã de tempore nullũ ſe mandatũ habere, oſtendere. Re ultro citroque diu acta movit, noſtros tandem authoritas legati, ut, ea re ſuſpenſa, ad alias conditiones accederent. Ita autem ſuſpenſa fuit, ut intra ſex ſeptimanas certiorem Regem Cæſar faceret, an ante comitia ſatisfactum Transactioni Bendzinenſi futurum eſſet, ſimulq; locus & tempus ei rei præfiniretur. Si ante comitia ſatis ei fieret, nihilominus Regi & regni Ordinibus integrum eſſet, de ſocietate hac, quod viſum eis foret, ſtatuere: ſi etiam non ſatisfieret, jus nihilominus Regis & Regni ipſaq; Transactio integra manerent. In omni autem actione ea teſtati fuere, nulla ſe mandata ſtatuendi aliquid habere: integrumq; omnium rerum arbitrium rei relinquere, ulterius deinde in negotio progreſſum. Verba faciebat Firlejus Palatinus Cracovienſis, oſtendebat ab illis potius conditiones noſtros expectaſſe, quam ipſos proponere aliquid debuiſſe. Cum enim à tam optabili bono neſcire quidem quam diuturno, ſed tamen optatiſſimo pacis abduceremur, invitaremurque, ad bellum cum hoſte potentiſſimo, neceſſe utiq; eſſe ſcire nos conditiones, quibus adduci eo debeamus. Dari tamen hoc Sereniſſimi Domini noſtri, dari legati autoritati, dari ſtudio noſtro, in tam pio negotio, ut non quidem in vim alicujus obligationis: nulla enim quicquam ſtatuendi mandata ſe habere, ſed oſtendendi potius, quid negotium hoc requirere exiſtimaremus, conditiones aliquas proponeremus: Ac primum quidem, quodque maxime contra tam potentem hoſtem invitare Ordines poſſet, numerum ſociorum fuiſſe. In gratiam legati, ipſiusque adeo cauſæ tam piæ, illam conditionem in ſuſpenſo nunc relicturos: De viribus ac nervo belli viſuros; quæ ſi tanta, & hujusmodi, tamq; certa demonſtrarentur, ut etiam ſine nominibus iſtis ſociorum, ſi non ſine periculo, tamen ſine certiſſimo periculo, in aciem cum hoſte illo deſcendi poſſet, fieri fortaſſis poſſe. Ut re ipſa Rex atque Ordines contenti eſſent, eam rationem belli hujus inſtituendam ſemper Regem atq; Ordines judicaſſe, qua quam minime bellum duceretur, &, omnibus viribus ſociorum coactis, quamprimum debellari poſſet: primum propter regni hujus rationes, quæ ut quam citiſſime de ſumma rerum decerneretur, neq; diu bellum duceretur, maxime expoſcerent: deinde è re univerſæ Chriſtianitatis: quod hac ratione quam minimo periculo, quam minimeq; attritis viribus Chriſtianorum, maxime debilitari hoſtem ſperarent. Cum ex aliorum autem ſummorum Ducum, tum maxime prudentiſſimi quondam & Turcicarum rerum peritiſſimi Regis Stephani ſententia exiſtimare, ad minimum centum viginti millium exercitu opus eſſe; cujus major vel dimidia pars equitatus eſſet; cum equitatu maxime hoſtis is valeat. Ita igitur nos exiſtimare: neque enim ex certis mandatis aliquid proponere: ſi ſocii belli octuaginta millium exercitum habere poſſent, fortaſſis regnum hoc poſſe ſuſcipere curam & rationes quadraginta millium conficiendorum, triginta millium nimirum equitum, partim haſtatorum, quibus maxime res contra hoſtem eum gerenda, partim levioris armaturæ, quorum non minor uſus eſſet: reliquorum decem millium peditum. Inter illos autem, qui à Cæſare & ſociis ſint præſtandi, ad minus tringinta millia equitum eſſe debere, & maximam partem ſclopetariorum, peditum autem quinquaginta millia. Hæc ſi ita acciperentur, cum, quemadmodum ſæpius declaratum eſſet, Regnum hoc hominibus magis, quam pecunia, abundaret, requiri, ut ad minimum in tertiam partem militiæ ejus ſtipendia ſuppeditarentur; ita tamen, ut nihilominus ea quoq; pars atq; integer exercitus Polonicus ſub ductu & auſpiciis Regis & Ducum Regni maneret. Ante omnia autem providendum, ut hujusmodi exercitus, & copiæ, earumque alendarum & ſuſtentandarum ratio, ita à principio jam conſtituerentur, compararenturque, ut per totum curſum belli, quod finiri in noſtra poteſtate eſſe non poſſet, duraret, ne forte in medio deinde curſu nervus iſte belli nos deficeret, aut alio converſus nos deſtitueret. Non minus vero neceſſarium maxime nobis eſſet, ſi hoſtis ille contra nos vires ſuas converteret, ut ad hujus Regni defenſionem, ſi id expoſceretur, totius etiam ſocietatis vires transferrentur. Ne illud quidem prætereundum, ſi in unum vires conferendæ eſſent, ab alia parte expoſitos nos fore alii hoſti non contemnendo Tartaro; ut de parte aliqua exercitus, quæ contra illum relinquenda, cogitandum fortaſſis eſſet. Eodem pertinere inſtrumentum bellicum, rationem commeatus, jurisdictionis, & Imperii militaris, & ſimilia: Cum legati Cæſarei diem ad deliberandum ſumpſiſſent, interim à noſtris etiam proteſtatio de Transactione Bendzinenſe parata fuit; cumq; iterum congreſſum fuiſſet, ante omnia legato tradita. Recuſare legatus clauſulam eam, quæ tum in illa erat: Niſi ante comitia ſatisfactum transactioni illi fuerit, nihil de ſocietate hac Rex cum Ordinibus amplius ageret, diligenterq; legato, ut mutaretur, urgente, in dubio quaſi ad ſequentem conſesſum res relicta. De aliis rebus propoſitis reſpondit deinde Epiſcopus Vratislavienſis, ut conjunctis copiis bellum adminiſtraretur, vix fieri poſſe Cęſarem judicare. Nam aut in ditionibus Turcicis exercitus conjungendo, aut in Ungaria: Si in Ungaria, maxima ea in re incommoda, maxima pericula, imprimis quidem ob commeatus difficultatem: Deinde vero, cum hoſtis menſe Auguſto aut Septembre primum copias ſuas contrahere, atque in campum prodire cum illis ſoleat, prælium poſſe paucorum dierum aut horarum ſpatio finiri, cui uſui interim exercitum Polonicum futurum, qui equitatu maxima ex parte conſtet, ad oppugnationem minus idoneo, pręterea vero, ne aſſecuturos quidem eum finem, qui ſpectaretur, ut conjunctis copiis res gereretur. Si enim totus exercitus noſter cum Cæſareo conjungeretur, præſidio contra Turcas & Tartaros nos nudaturos, & nihilominus neceſſe fore, ut exercitus dividerentur. Si in ditionibus Turcicis copiæ contraherentur,

tur, inevitabile incommodum id ſecuturum, ut tot arces, præſidiaq; munitiſſima, à tergo relinquerentur, in quibus omnibus vix non ad triginta millia hominum ut plurimum eſſe ſolerent: maxime autem, ne & à commeatu & receptu exercitus intercluderetur, verendum, inter præſidia à tergo relicta, & exercitus hoſtiles, à fronte oppoſitos, periculumq; eſſet, ne forte totus exercitus deleretur. Utrobivis autem conjungerentur, ex diverſitate nationum, morum, lingvæ, æmulationibus Ducum, & exercituum diſſenſionibus, quæ exiſtere inter eos poſſent, ſimilibusq; aliis rebus, non leviora incommoda metuenda eſſe: exiſtimare igitur Cæſarem, ſi noſtri exercitus ab ea parte, qua aditus illis in ditiones Turcicas patet, Turcæ obviam irent. Si major vis in nos ingrueret, partem exercitus Cæſarei ſubſidio nobis mitti poſſe, eademque ratione viciſſim illi à nobis. Quod ſi ita exercitus dividerentur, conſecuturum, ut Turca ſuum quoq; dividere neceſſe haberet. Nam neq; in Ungariam cum omnibus copiis eum acceſſurum, niſi ſimul omnes ditiones ſuas, & vel Conſtantinopolim ipſam, alioqui non munitiſſimam, nudare contra nos vellet. Si in Poloniam etiam omnes vires ſuas transferre vellet, æque metuendum illi à Cæſare fore, ne interim univerſam Ungariam occuparet. Atq; hæc quidem de primo capite. De viribus belli oſtendit, optare Cæſarem, ut multa centena millia in aciem producere contra hoſtem poſſet: non plus autem polliceri velle, quam præſtare poſſet: quinquaginta millia nimirum à ſe, decem à Tranſilvano, qui & ante conjunctus cum Cæſare eſſet, quemque nunc etiam fœdere comprehenſum omnino vellet, ita, ut univerſus exercitus ſexaginta millium futurus eſſet. De genere militum mandati certi nihil habere: ſed ſi præteritum tempus ſpectetur, tertiam plerumq; partem equitum fuiſſe, ita, ut, ſecundum eam rationem, viginti millia equitum futura eſſent, reliqui pedites, Cæſareum exercitum ex ditionibus Cæſaris exhibitum iri. Si quid deeſſet, ex ærario ſuo ſuppleturum. De ſubſidio pecuniario nobis præſtando cupere Cæſarem intelligere, qualem exercitum & quo loco habituri eſſemus; ut poſtea mentem ſuam de ſubſidio, ad quod, quamvis graviſſimis expenſis preſſus, pronus tamen ſemper fuerit, uberius explicare poſſet. Ad tempus fœderis quod pertineret, poſſe nunc fœdus in biennium vel triennium ſanciri. Ad bellum offenſivum gerendum intra hoc tempus poſſe continuari, vel renovari, imo vel nunc etiam diſpici, quomodo defenſivum fœdus in complures annos conſtituendum. De cautionibus reſpondit, Cæſarem habere à Regnis & Provinciis ſuis mandatum & plenipotentias, vigore quarum fœdus iniri, & neceſſariis diplomatibus juramenti loco ſtabiliri poſſet. De Ducibus ac Præeminentiis, commeatu item, inſtrumento bellico & ſimilibus, non eſſe neceſſe verba facere, cum ſeparatim exercitus haberi deberent. Cum poſtridie deliberationis cauſa, quid Cæſareis Legatis reſpondendum eſſet, noſtri conveniſſent, legatus ipſe cum altero Nuntio in conſeſſum noſtrorum venit: ut clauſula illa in proteſtatione noſtra mutaretur, iterum diligentiſſime petiit; cauſas haſce afferebat, quotiescunque ad ſereniſſimum Dominum noſtrum perſcriptum hac de re fuiſſet, nunquam ſignificatum ei fuiſſe, non poſſe hoc fœdus tractari, niſi prius Transactioni Bendzinenſi ſatisfactum fuiſſet. Nam ſi id factum fuiſſet, relaturum prius ſummum Pontificem ad Cæſarem fuiſſe, & ſecundum ea, quæ inde reportaſſet, negotium directurum fuiſſe: deinde vero nihil aliud hoc eſſe, quam portam negotio huic claudere. De re ipſa vix nõ inter noſtros conveniebat, ut nihil mutaretur, ne tamen, cum eo ſe dimiſiſſet, ut ipſe ejus rei cauſa ad nos veniret, cum repulſa dimiſſus videretur, reſponſum dilatum: cauſa allata minus frequentis conſeſſus: Poſtea tamen, ne nihil autoritas ejus valuiſſe videretur, ita clauſula ea mutata; ut, niſi ante comitia ſatisfactum Transactioni illi fuerit, excuſati Rex atq; Ordines ſint, ſi ad ulteriores tractatus non deſcenderint, neq; à quoquam illis imputetur, ſi tam ſalutare negotium effectum ſuum eam ob cauſam ſortitum non fuerit. Cum etiam ſex ſeptimanarum tempus, in priore formula, præſtitutum Cæſari fuiſſet, intra quod ſignificaret, ad D. Martini id prorogatum: Ita emendata, poſtea illi tradita: Legatus probavit: ſatisfactum ſibi profeſſus fuit: gratiasq; egit. Petiit inde Cardinalis Radivilus, ut ſub ſigillo ſuo exemplũ ejus ederet: promiſit: poſtea incertum, qua de cauſa, & non ſatis probare rem videbatur; Nam & quod de edenda ſub ſigillo ſuo proteſtatione promiſerat, mox revocavit, poſteaque etiam, fruſtra aliquoties noſtris appellantibus & contendentibus, in eo perſtitit, ita, ut exprimi ab eo non potuerit: & in aliquibus rurſum controverſiam movit, imprimis de Ordinibus Ungariæ. De Maximiliano enim non ita fortaſſis difficile eſſe, ut ante comitia ſatisfaceret: Ordines autem Ungariæ, quomodo poſſent, cum & comitia illorum ad eam rem neceſſaria eſſent, & bellum in viſceribus eorum maxime nunc hæreret. In ſcripto aliquid de iis mutare noſtris non viſum: privatim ſpes facta, ſi Maximilianus ſatisfaceret, impetrari fortaſſis à Rege atq; Ordinibus poſſe, ut Ordines Ungariæ in primum quodque commodiſſimum tempus differrentur. Ad extremum, quod in fine ſcriptum erat; ut ita conveniſſe fidem nobis faceret; non conveniſſe, ſed à nobis propoſitum disputabat; utcumque tamen eſſet, hac quoq; in re mos illi geſtus, atq; illa quoq; verba poſtea mutata, tantum tamen abeſt; ut ſub ſigillo ſuo eam ederet, ut potius vix noſtros non ſubaccuſaret. Duo dies menſis Auguſti, quo circumſcripta com-

commiſſio erat, reliqui erant: Actum tamen maxime cum Cardinali & de ratione belli conjunctim gerendi, quod maxime à noſtris urgebatur, & de ſubſidio pecuniario, & de ſociis belli, inter quos & Principes Imperii, & magnus Moſcoviæ Dux, propoſiti à Cæſareis antea fuerant, & cautionibus eorum, & tempore fœderis, quod Cæſarei in biennium tantum volebant, & induciis cum Moldavia, Principeve Tranſilvaniæ, & de aliis conditionibus, ulterius adhuc fuit, quarum vel in conventu Cracovienſe & Varſavienſe mentio ante facta fuerat, & vel, Cardinale petente, hactenus dilatæ: Si quid forte amplius elici ab illis poſſet, quod Ordines in ſpem negotii hujus magis erigeret. Ac de tempore quidem fœderis oſtendebant noſtri. Optandum quidem, ut vel uno anno debellaretur. Sed cum per quatuor jam annos bellum hoc duret, & tantum tamen, à fine adhuc abſit, miraculi potius loco habendum, ſi accidat, quam animo aut ſpe concipiendum. Verendumq; adeo eſſe, ſi ad Ordines hoc referatur, ut vel hoc ipſum non modo ſpem omnis negotii hujus amputet, verum etiam, ne curioſiores aliqui ita interpretari id velint, quaſi hoc ſolum agatur, ut in arenam tantum cum hoſte hoc deduceremur, & poſtquam illum in nos converterimus, in medio quaſi periculo relinquamur: Offenſivi etiam & defenſivi belli diſcrimen, quod à Cæſareis in hac cauſa fieret, intelligere ſe aſſequi ve non poſſe. De ſubſidio etiam pecuniario, vix tandem, ut nominaretur expreſſo, vereri, ne minus expectatione Ordinum eſſet. Si mille enim equites Germanicis ſtipendiis Cęſari habendi eſſent, vix non tantum in eos illi impendendum, quantum nobis ejus nomine offerretur. Etſi enim illi non expreſſerant; vel ex ipſo tamen legato ante conſtabat, ducenta tantum millia ejus nomine offerri, reliquum à Pontifice, eaque ratione tam florentis Regni ſocietatem, non pluris fere, quam mille equitum, auxilium fieri. Cum autem inter conditiones eas de præmiis etiam belli eſſet, noſtrique, quemadmodum antea Cracoviæ Varſaviæque, ita nunc quoque, utramque Moldaviam, locaque Regno & Ponto Euxino viciniora, præmium belli hujus maxime ſibi proponerent, navigationem etiam liberam & immunem per Pontum Euxinum, Venetias ſibi paciſcerentur, non ſine admiratione acceptum à noſtris fuit, cum in eventum benignitatis divinæ, victoriæque, Conſtantinopoli ipſa, univerſoq; Imperio Turcico, diſerte Cæſari cederent, certa autem pace relicta, non modo tantum ſumptum, ſed ſangvinem etiam atque vitam in bellum id impendere deberent, illos ne de alieno quidem ſatis vel liberaliter polliceri, vel tanquam de ſuo jam licitari. Cum igitur & tempus præfinitum jam effluxiſſet, & Legati Cæſarei de pleriſque ambigue dubieve reſponderent, pleraque etiam antea promiſſa quaſi revocarent, à legato ipſo etiam, quorum per priores legationes ſpes facta eſſet, oratorie magis & ad præparandos animos propoſita eſſe, elevaretur, conventus is ſine ullo fere fructu ſolutus fuit. De ſummo quidem Pontifice, maximæ curæ negotium id ei fuiſſe, ſatis conſtat: de Cæſare, an cordi ei fuerit, dubitatur. Nam & in primis comitiis Cracovienſibus, in quibus per Epiſcopum Olomucenſem & Bercamenſem de fœdere appellatus Rex fuerat, Cæſar nulla ſolida mandata legatis ſuis dederat, verum etiam, cum illi, autore Malaſpina, Epiſcopo S. Severi, Legato Pontificio, ad capita quædam, à noſtris propoſita, atq; inter alia de ſubſidio pecuniario, liberalius reſpondiſſent, literis eos accuſarat, quod progreſſi eo fuiſſent: neq; rata ea ſe habiturum oſtenderat, neve ulterius progrederentur, mandarat, eamque ob cauſam Epiſcopus Olomucenſis nondum reſtitutus gratiæ Cæſaris fuerat: apparatum pręterea contra Turcam nullum facere per tempus hoc putabatur, magisq; pacem ſpectare, quam bellum. Itaq; cum ſummus Pontifex diligentiſſime ante comitia Varſavienſia de fœdere hoc, ut ad Regem referret, cum Gembicio egiſſet: Gembicius autem, quæ de ceſſatione iſta Cæſaris vulgo jactarentur, mentionem feciſſet, decipiet, inquit, & me & ſeipſum, ſi nihil aget. Magisq; à ſummo Pontifice adductum, quam ſua ſponte de fœdere eo laborare; cum ſummus Pontifex nihil omnino ſubſidii præſtare ei vellet, niſi fœdus hoc vel perficeret, vel per ipſum quo minus perficeretur, non ſtare appareret. Mox poſt Conventum Cracovienſem, nono nimirum Septembris, Regina ſenior Anna Varſaviæ obiit. Quæ etſi ea ætate jam eſſet, ut non immatura mors ejus videretur: quod tamen Regis Sigismundi primi filia, Auguſti ſoror, Stephani uxor, præſentis Sigismundi amita, ultimaque Jagelloniæ Stirpis, ipſaq; ſingularis exempli fœmina fuiſſet, univerſi fere Regni luctu extincta fuit. Eodem menſe conventus Vladicarum, ſeu Epiſcoporum Ruſſicorum, Brzeſcie ad hominum religionis ejus unionem indictus à Rege fuerat, Legati in eo à ſummo Pontifice fuere, Demetrius Solikovius, Archiepiſcopus Leopolienſis, Bernardus Maciecovius Luceorienſis, Stanislaus Gomolinſcius Chelmenſis, à Rege Nicolaus Chriſtophorus Radivilus, Palatinus Trocenſis, Leo Saphieka, Cancellarius magni Ducatus Lithuaniæ, Demetrius Chaliecius, ejusdem Ducatus Theſaurarius, venerat eo Dux Oſtrogiæ, Palatinus Kiovienſis, non contemnendo cum numero, qui religionis ejus hominum quaſi caput erat: quiq; ritus Græci ab Epiſcopis diſſentiebant, peculiarem ibi conventum inſtituerant. Ex eo legatos expoſtulatum cum Epiſcopis mittunt, duosq; ex Epiſcopis, Przemislienſem & Leopolienſem, in partes ſuas traducunt, mandatum à Rege fuerat, armatus ne ad comitia Palatinus Kiovienſis veniret: ipſe contra petie-

petierat, ut diverſæ ſectæ homines habere ſecum ſibi liceret : ſuæ autem religionis Nicephorum, quorum utrumq; ei negatum. De hæreticis, quod ad Conventus Catholicorum non pertinerent : De Nicephoro, ut qui Rozuanum in Valachiam adduxiſſet, cum Turcis conſilia haberet, ideoque Chocimi à Palatino Valachiæ in vinculis habitus fuiſſet: ſimulque, ut diſſentientes ad comitia rejicerentur, à Rege poſtularat: quod & ipſum negatum ei fuerat, Nicephorum nihilominus conventus, ejus diſſentientis caput fecerant. Poſt disputationem cum diſſentientibus , inter quos multi hæretici , Synodus cœpta , peracta conſenſu oſculationeq; Epiſcoporum noſtrorum in æde Divi Nicolai: Indeq; iis, quibus induti erant veſtimentis, ad Divæ Mariæ Romani ritus templum ſe contulerunt, ibiq; hymnum ſolennem decantarunt. Poſtridie Epiſcopi noſtri cum Legatis Regiis in æde Divi Nicolai, Græci ritus, Lithurgiam ſeu Sacrum Græcum, quod paucis omnino à noſtris differt, audierunt, Petro Skarga, devotiſſimo Societatis Jeſu Presbytero , Concionatore Regio , quantum in concordia boni eſſet, concionante. Diverſa pars ſcripto contra proteſtata fuit; Metropolitamq; ſive Archiepiſcopum Epiſcoposq; excommunicat. Quam excommunicationem Nicephorus à Patriarcha Carogrodienſe attuliſſe dicebatur, Sacerdotibusq; omnibus ritus ſui commercio obedientiaq; illorum interdixit. Ingreſſus Varſaviam legatus viceſima ſecunda Novembris fuit; obviam illi extra ſuburbium, à Rege proceſſum, ſatis magna frequentia, & Senatorum aliquot, qui convenerant, & aulæ. Sub idem tempus, die vigeſima ſexta nimirum Novembris , filiola Reginæ nata fuit, ſalva tum adhuc puerpera. Sub finem anni, Chatſano ab Archiduce Maximiliano antea capto, Machometes Princeps Turcarum magno cum exercitu in Ungariam venerat , Agram obſederat, ceperatque, Maximiliano Sigismundoque Principe Tranſilvaniæ ad prælium contra eum progreſſis , inaudito fere exemplo, terrore quaſi pannico uterq; exercitus in fugam converſus: primo quidem Turcicus, deinde Chriſtianus, in caſtra Turcica jam ingreſſus, prædæq; quam pugnæ intentioribus, utraq; caſtra per biduum deſerta. Qui quidem caſus varios in noſtrorum animis ſenſus excitavit , alii enim timore perculſi pacem cum Turca ſpectabant , alii & numero plures cordatiores; non ultro differendum agebant; ſed, antequam Turcæ Caſſovia potirentur, & fines cum Polonis haberent, commune bellum iis inferendum, & fœdus, quod offerebatur, amplectendum, ſed jam omnes fere dubitabant: neq; tam, ut coiret id, quam penes quem invidia ejus infecti, inanem laborare videbantur. Ordines quidem Regni per ſe non ſtetiſſe, quo minus id coiviſſet, pro certo habebant, ut, qui & pacem gratuitam; nec parvis conditionibus, ultro à Turca ſibi oblatam, per biennium fœderis expectatione hactenus non ſuſcepiſſent: multa in Valachia & alibi vel diſſimulaſſent, vel tuliſſent: Impletionem Transactionis Bendzinenſis omni jure ſibi debitam, tamdiu fruſtra expectaſſent: tot conventus tandem ejus cauſa habuiſſent: cum ſuperioribus Regibus quoties de fœdere appellati fuiſſent; ut prius cum aliis Principibus de eo conſtitueretur, ſine ulla vel ulteriore tractatione ejus vel ſpe res rejecta fuiſſet : A Cæſare econtra nonnulla à noſtris poſtulata, quamvis æquiſſima putabantur, quæ in poteſtate tamen ſua non eſſent; Cardinalis ſolus ſpem ejus non depoſuerat. Itaque, cum Regem ad exequias Annæ Reginæ Cracoviam ſecutus fuiſſet, & cum Rege, ut comitia ejus rei cauſa quamprimum rurſus indiceret, & de executione Transactionis Bendzinenſis poſt comitia differenda diligentiſſime egerat: neque, ut apud Ordines ea de re laboraret, dummodo ſpes aliqua fœderis eſſet, non alienum ſe Rex oſtenderat, & Cæſarem, ut de ſucceſſu negotii nondum deſperaret: legatosque adhuc ad comitia futura mitteret, frequentiſſime appellarat: Varſaviamque rurſus ipſe ad comitia venerat; Indixerat autem Rex comitia Varſaviam in diem viceſimum ſextum menſis Martii, maxime quidem, de fœdere certi jam aliquid in alterutram partem conſtituendi cauſa : ſed tamen & ob Sveticas difficultates, Carolo ex Gubernatore ad Regnum aperte jam aſpirante. In comitiis iis, exemplo Tribunalis, legati diſſentientes, maxime Ruſſici, domum remiſſi. Nova res ea viſa, neque periculo carere, in comitiorum quaſi poteſtate legatos eſſe. A Cæſare vel difficultate rerum animadverſa , vel, quod, quæ à ſe, quamvis rectiſſime, poſtularentur, vel gravia ſibi eſſe, in ſuave poteſtate non eſſe, ut imprimis Principum Imperii ſocietas, cautioque: ratio gerendi belli, tempus fœderis quoad bellum duraret. Et alia nonnulla ſimilia ſtatueret, nulli legati miſſi. Quibus abſentibus, etſi fruſtra quicquam agi Cardinalis ipſe agnoſceret: quatuor tamen Senatores, bini Eccleſiaſtici, bini Palatini, qui ulterius cum illo agerent, ad eum ablegati, quibus etſi perſvadere conatus fuiſſet, ut, etiam abſentibus legatis Cæſareis, quid conſtituerent. Fruſtra id fieri, ab Ordinibus exiſtimari, reſponſum fuit. Invitatus ad Baptiſmum Infantis, cujus ſuperius mentio facta , Rex Hiſpaniarum fuerat, quod tanto locorum intervallo ſerius ad eum literæ pervenerant. Franciſcus de Mendoza, Marchio de Gvadaleſte , Admiralius de Aragon, ſupremus aulæ ejus Præfectus, ſub finem fere comitiorum primum ab eo venerat. Præter officioſam orationem in Belgas perduelles & Reginam Angliæ, eos foventem , poſtulata habebat, maxime ad uſus commerciorum in hoc regno iis prohibendos pertinentia : Rex cum præterea authoritatem ſuam apud utrosque interponendam judicaſſet, Paulum Dzialinium, Præfectum Radzinenſem, ad eos miſerat. Legatio à Belgis æquo animo, ab Angliæ Regina, operam ſuam in fœdere etiam Turcico Conſtantinopoli olim navatam exprobrante, alienius accepta. Fœdere autem ab omnibus jam deſperato in Aulam Turcicam, qui pacem conſtitueret, mittere viſum , ante comitia jam Petrus Oſtrovius ad ſuſtinendas res miſſus fuerat. E comitiis hisce Stanislaus Golſcius, Caſtellanus Chalicienſis, pro majore legato miſſus fuit: Zamoiſcius tamen, ne amicitiæ Turcicæ ſemper incertæ fideretur , ſed exercitus haberetur , cum ad pacem æquiorem conſtituendam, tum à finibus longius hoſtem retinendum ſvadebat. In tanta tamen comitiorum diſſenſione fruſtra. In comitiis iisdem erat Nicephorus, & Palatinus Kiovienſis, vas quaſi ejus, illiusq; nomine citatus. Magno conatu, tam in Senatu , quam apud Nuntios, pro eo interceſſerat. Ad extremum iratus discedit, Nicephoro & ſtatuto & relicto, qui Mariæburgum poſtea relegatus , ibi diem ſuum clauſit. Erat in comitiis iis & Tartaricus Legatus, qui, quod ob detrectatam militiam Ungaricam Galgam Principi Tartarorum Turca ſufficere velle dicebatur, deditionem offerebat. Sub finem comitiorum Rex neceſſitates ſuas Sveticas proponit: à Caroli, quemadmodum ſupra oſtenſum eſt , ex Adminiſtratore Regnum Sveciæ invadentis , injuria proficiſcentes. Miſſus antea in Sveciam fuerat Joannes Borcius, Succamerarius Mariæburgenſis, Præfectus Kiſſovienſis. In hisce comitiis alia legatio in Sveciam decreta fuit, ſi animum Caroli omnia jura Regni, conventu etiam Suderkoviæ habito, jam fere pervertentem, & ad ſe transferentem, ſanare forte poſſet. Miſſi fuere Stanislaus Dziacivius, Caſtellanus tum Elbingenſis, Palatinus nunc Culmenſis, Stanislaus Cicovius, Succamerarius Cracovienſis, Nicolaus Saphia. Bernardus Macieovius, Epiſcopus Luceorienſis , cum Radivilus Cardinalis tot annos jam Epiſcopus Cracovienſis eſſet, poſt tot comitiorum contentiones, juris potius uſurpandi cauſa, tum quoque invitis repugnantibusque Ordinibus , Lithuaniæ Epiſcopus, Vilnenſis nominatus fuit. Gedanenſes etiam , quod ex ſuperiore decreto Cracovienſe Templo Epiſcopo non ceſſiſſent , proſcripti. Infectis rebus ex comitiis disceditur. Zamoiſcio imprimis fortunam Reipublicæ & miſerante & deplorante, ad tabularia etiam publica Magiſtratumve ſuum Reipublicæ non deeſſe: ſed Rempublicam à ſe ipſa deſeri proteſtante. Die ſecunda menſis Junii filia minor natu, Catharina, mortua Reginæ fuit. Sub finem fere Julii Varſavia Cracoviam cum Rex excurriſſet, vicinis Senatoribus convocatis, è Theſauro Clenodia quædam conſilio illorum deprompſit : quorum pignoribus pecunia conquiſita, militi, qui ad quinque millia Leopolim confluxerat , & ad poſſeſſiones Regias invadendas conſpirarat, jamq; Samborienſem Præfecturam invaſerat, ſolveret; Quo citius Sobeſtianum Lubomirſcium , Caſtellanum Malogoſtenſem, & Petrum Miskovium, Præfectum Oſviecimenſem , cum pignoribus iis ad eos ablegat, moxque Cracovia discedit, cautione Theſaurario de acceptis pignoribus relicta.
Anno Domini ſupra milleſimum quingenteſimum nonageſimo octavo, Varſaviam in diem 2. menſis Martii comitia à Rege indicta. Maxime quidem diſceſſus in paternum Regnum Sveciæ, quod plane jam à Carolo occupabatur, cauſa. Sed tamen & aliæ cum finitimis difficultates, curam Regis & Reipublicæ requirebant. Imprimis quidem Joannis Baſilidis filio mortuo magnus Moſcoviæ Ducatus vacabat; induciæ autem in exitu jam erant. Quemadmodum antea autem oſtenſum eſt , prima de itinere Svetico deliberatio erat; dum autem in apparatu eo & cogitatione Rex eſſet, Anna Auſtriaca, Regina Poloniæ & Sveciæ, lectiſſima matrona, & de cujus laudibus longum eſſet dicere, viginti quatuor annis nondum expletis, quinta idus Febr. inter duodecimam & primam horam meridianam , in partu Varſaviæ moritur: neceſſitate urgente, uterus cæſus, filiusq; vivus adhuc exemptus, ſacroq; Baptiſmo initiatus, Chriſtophori nomen ſecum ferens, paulo poſt Baptiſmum matrem ſecutus fuit: Etſi autem in luctu & mœrore Rex atque univerſum fere regnum erat, comitia tamen jam ante indicta, habita nihilominus fuere, ac prima quidem maximaq; cura de Moſcovia erat. Miſſus in eam, initio mox comitiorum, Stanislaus Radziejevius, Præfectus Sochacevienſis, fuit; qui, in mutatione iſta rerum, non ſolum de ſtatu earum cognoſceret, verum per occaſionem etiam animos hominum tentaret. Cum Orſſam veniſſet, Boriſſovum, Chodononum, Calendis Martii jam , in magnum Moſcoviæ Ducem electum cognovit, non ſine factione plurimis Bojarorum in Regem propenſis. Rebus igitur pro tempore conſtitutis, ſubſidioq; in iter hoc Regium ab Ordinibus in comitiis iis decreto, qui circa funus etiam ex aulicis eſſent, deſignatis, itineri ſe Rex parabat. Prius autem de morte Reginæ per Joannem Goſtomſciũ, Palatinitidem Poſnanienſem, Valcenſem Gembinenſemq; Præfectum , Archiduciſſæ viduæ fratriq; mox ſignificatum; conſolatioque, quæ ab ipſo mœſtiſſimo Rege adhiberi potuit, adhibita : Simul vero ad ſummum Pontificem, Cæſarem, Principes Imperii, literas dat, quibus & ſuam benevolentiam in vicinia hac per abſentiam ſuam in Sveciam illis deferebat : & quid de illorum, ſubditorumq; ipſorum, polliceri ſibi Regnumque hoc deberet, quærebat; eoque magis, quod non ſolum Transactioni Bendzinenſi, imprimisq; juramento Archiducis Maximiliani, fruſtra Rege Ordinibusq; tam diu id poſtulantibus, ſatisfactum non eſſet; verum Sigismundo, Principe Tranſilvaniæ, divortium cum uxore ſua, Maria Auſtriaca, defunctæ Reginæ ſorore, apud ſummum Pontificem & Cęſarem agitante, nova etiam conſilia, tum de Tranſilvania, quam Valachia, iniri ſpargebatur. Accedebat huc, ut Nuntius etiam Apoſtolicus, Germanicus Malaſpina, Epiſcopus ſancti Severi, qui per aliquot annos in aula Polonica prudenter res tractarat,

1598

à ſummo Pontifice revocaretur: à Rege tamen, benevolentiæ ſummi Pontificis fiducia, ad exitum usq; comitiorum retentus fuit. Per idem comitiorum tempus, ſummo Reipublicæ Chriſtianæ bono, magnaque omnium lætitia, præter omnium fere ſpem, Taurinum receptum. Negotium Cæſar dederat Adolpho Schvvarzenbergio, Baroni Germano, in Belgicis expeditionibus verſato, & Nicolao Palffio, claro in militia Ungarica Ductori, ut, ex vicinis præſidiis milite coacto, rem tentarent. Cum hyemis ejus tempeſtate lentius negotium procederet, Schvvarzenbergius tamen inſtrumento bellico, in Gallia nuper excogitato, (Petardam vulgo vocant) intempeſta nocte, in oppidum prius aditum ſibi patefacit. Cum animadverſa res à Turcis fuiſſet, inq; interiorem arcem, in quo arma inſtrumentumque omne bellicum aſſervabatur, concurriſſent, per quatuor horas & ultra certatum. Turcæ mille ſexcenti & Baſſa cæſi, civitas, arx integra cum omni inſtrumento bellico, in poteſtatem redacta. Sub finem comitiorum Joanne Tarnovio, qui in Archiepiſcopatu Gneſnenſe mortuus poſtea fuit, à Vicecancellariatu in Epiſcopatum Poſnanienſem translato, Petrus Tilicius, Epiſcopus tum Culmenſis, qui per omnes honorum gradus ad Epiſcopatum Cracovienſem evectus, nuper diem ſuum in eo clauſit, ſummæ virtutis vir ad Vicecancellariatum promotus à Rege, in eoq; illum in Sveciam comitatus fuit. Jus etiam Pruſſicum, quod correcturam vulgo vocant, à prima usque acceſſione ad Regnum, ſemper poſtulatum, nunquam perfectum, tum Reinoldo Heidenſteinio, & Nicolao Nievieſcinſcio, Secretariis Regiis, ab Ordinibus adhibitis, perfectum, in iisdem comitiis exhibitum, omniumque Ordinum autoritate confirmatum fuit. Ante id tempus, ſub juris Culmenſis nomine, nullum quaſi jus erat, quod enim Culmenſe jus vocabatur, Civile potius quam Terreſtre fuit, idq; ipſum imperfectum. Itaq; Palatini & pro arbitrio ſuo judicia, in quodcunque tempus & quemcunq; eis locũ videretur, ut plurimumq; in aulam vel comitatus ſuos indicebant, & alia pleraq; pro arbitrio ſuo adminiſtrabant, in tanta pro judicio ſuo, quorumcunq; ſententium diverſitate, omnibus ſatisfacere difficile ſane fuit, in quibus tamen libertas equeſtris maxime depoſita videretur, ut fieri potuit, conſtituta: tamdiu valitura, quamdiu nova appetere homines deſierint. Sub tempus diſceſſus Regii in Sveciam Stanislaus Golſcius, Caſtellanus Chalicienſis, qui fœderis cauſa in aulam Turcicam miſſus fuerat, cum fœdere redierat, unaq; cum eo Piralis Cauſius Turcicus. Sed & in fœdere novata aliqua fuerant, maxime ad commercia mercatoresq; pertinentia: & literis, quas Piralis ſecum attulerat, non pauca à narratione reſponſoque, quod Golſcius ſecum attulerat, diverſa reperta fuerant. Ipſius igitur Piralis conſilio alium nuntium mittere viſum. Miſſus autem fuit à Rege Mariæburgi jam exiſtente Joannes Felix Herburtus: maxime quidem, cum in Hungariam exercitus Turcicus tum mitteretur. Chanus etiam Tartarorum cum illo iret, ne per ditiones Regias aut illis vicinum exercitum duceret, omninoq; maleficio aliquo vel in finibus vel extra fines verſaretur. Aliasq; contra Socorienſem amicitiam nuper reſtitutam non modo donativum illi non expectandum: ſed, quod ab Ordinibus maxime urgeretur, rationes ulciſcendæ ejus injuriæ quæſitum iri, intraque ipſos fines ipſius perſecutum eum iri. De itinere Svetico ſignificaret: maxime tamen de Palatino Valachiæ à Rege Polonię integro tributo Turcico, Chriſtianoque, qui pacem utrinq; tueretur, conſtituendo: ſimiliter in Tranſilvania, ſi in poteſtatem Turcæ veniret; Chuſſio itidem, Mukacio Sepuſio, ut quæ in finibus regni ſita eſſent, in quæque jus aliquod Regnum haberet, & pacis cum Turcis ſervandæ cauſa à vi Turcica tuendis ſervandisq; & tributis à mercatoribus partem ipſis, partem Talieris, quæ importarent, præter morem exigerentur: Quæ pleraque, in fœdere Golſciano, in dubium vocata videbantur. Herburtus poſt ſub menſem Februarium Anno ſubſequente, cum ex Svecia Rex jam rediiſſet, commodioribus aliquanto conditionibus fœdus retulit. Dum in Sveciam Rex proficiſcens in Monaſterio Olivenſe aliquandiu hæreret, juramenti inſtrumenta Archiducis Maximiliani in Transactionem Bendzinenſem præſtiti ei afferuntur, traduntuque; facile ut appareret, quod ſumma neceſſitudo, aſſiduaq; Ordinum flagitatio, ipſiusque rei vi, elicere hactenus non potuiſſet, mutationem Tranſilvaniæ, quæ expectabatur, agitabaturque, demum elicuiſſe. Rex interim decima Auguſti Calmariam ſatis feliciter pervenit, profectus autem fuerat, Georgio Farensbecio Duce, quem univerſis copiis præfecerat, ultra quatuor aut ad ſummum quinq; Germani ſcoti, militis millia ſecum non habebat, cujus majori parti Hilbrandus Craicius Pruſſus præerat, præterea ordinariam ſaltim cohortem ſuam peditum contra perfidiam præſidii, utique aliquid vel ad integrum regnum occupandum oppugnandumve, quod Carolus totum in poteſtatem ſuam jam redegerat, exiguum omnino apparatum; Etſi autem Calmariæ etiam Præfectum præſidiumq; Carolus immutarat, in fidemq; ſuam jam redegerat: arcem tamen etiam, atq; oppidum, à præſidiariis præſentia & metu nominis Regii territis in deditionem accepit. Prima ac potiſſima deliberatio de ratione itineris fuit, Sveticis Conſiliariis omni ſtudio, ut navibus iretur, incumbentibus: Farensbecio rurſum omni ratione ab eo inſtituto illos deterrente, & cum alia incommoda, quæ intervenerunt, tum maxime tempeſtatis periculum, prædicente. Cumq; illi omnem ſpem in ſtudiis atque auxiliis popularium haberent, ne ad illa quidem colligenda ſatis aptum maritimum iter demonſtrante. Cum ut maxime adjungere aliqui ſe ad partes vellent, niſi terra

tamen iretur, concurſus nullus fieri poſſet. Vicit tamen Sveticorum Conſiliariorum ſententia, ſive Vere, ne, ſi terra iretur, licentia forte militis animi regnicolarum alienarentur metuentium, ſive cum non ſolum impedimenta multa, ſed aliqui uxores & liberos ſecum haberent, commoditati ſuæ conſulentium. Ita viceſima quarta Auguſti, navibus conſcenſis, die III. menſis Septembris cum ſolis viginti ſex circiter navibus Stecburgum, non magnum aut munitum caſtrum, in quo Soror Regia jam erat, Rex pervenit: reliquæ naves, tempeſtate ſubito exorta, diverſas in partes disjectæ, portum tenere non potuerunt: quod primum incommodum oblatum ſucceſſum Regi non mediocriter impedivit. Etſi autem in univerſum vix octingenti cum Rege eſſent, caſtra tamen, quemadmodum è re nata fieri potuit, metata. Quod auxilia Livonum & Finnonum adventare Regi Carolus intellexiſſet, & ante, ut iis occurreret, Calmaria diſceſſerat, & claſſe, contra eos miſſa, nonnihil ſe exarmarat: Quamprimum tamen de adventu Regis Stecburgum intellexiſſet, duobus circiter milliaribus caſtra inde poſuit: interim naves pleræque Regis, in quibus peditatus fere erat, redierant. Carolus decima octava Septembris, ſpem ſubito opprimendarum copiarum Regiarum nactus, repente adortus eas fuit. Cum tamen in tempore occurſum ei fuiſſet, non modo rejectus, ſed aliquot centenis ſuorum amiſſis in iniquum etiam locum compulſus fuit, tandemq; prælium eorundem Sveticorum Conſiliariorum, ne florem Regni ſui ipſe perditum iret, Regem obteſtantium precibus diremptum, clamante teſtanteque Farensbecio, in manibus eo die Regem Victoriam habere: verum, dum illi hoſti omnibus rebus parcunt, ſe ipſos, quemadmodum exitus poſtea docuit, in perniciem præcipitant. Poſtridie ſub ipſum Stecburgum, in alteram partem fluminis, quod Stecburgum à continente dividit, caſtra traduxit. Itaq; communit, ut & exitus, aditusque maritimos, ipſe in poteſtate haberet, & caſtellum ipſum tormentorum ictibus maxime expoſitum eſſet: ipſi autem, quod præſertim à tormentis & apparatu bellico inſtructiſſimus eſſet, nulla re noceri poſſet. Tractabatur interim à legatis nonnullis Electoris, & Marchionum Brandeburgenſium, Ducisque Megaloburgenſis, de pace; ſed & Svetici Conſiliarii certam in ſpem venerant, itaq; Regi perſvaſerant, modo ſpatium Caroli hominibus daretur, omnes eo deſerto ad Regem ſe converſuros, non minoremq; de ipſa claſſe ſpem habebant: & Carolus, ad quem indies plures confluerent, cum confirmari augeriq; copias ſuas cupiebat, tum claſſem maxime ipſe etiam expectabat; quare ita, quemadmodum exitus docuit, conditiones utrinque propoſitæ & acceptæ, quemadmodum ab iis, quibus duci rem expediret: verum Sveticos Conſiliarios tantum ſpes fefellit, ut non modo non accederent ulli ad Regem, verum homines illorum ad claſſiarios & pagos quosdam ſollicitandos miſſi ab iis, ad quos miſſi erant, comprehenſi, arboribusq; alligati, ſclopetorum ictibus configerentur: Carolus etiam variis artibus in odium ſuſpicionemve Provincialium adducere Regem conabatur: ita, ut inter alia non nativum Joannis Regis filium eum eſſe, ſed à noſtris ſubjectum perſvadere iis non dubitaret, aliquotq; pagi, cum ad inſpiciendum eum miſiſſent, vanitatem Caroli ultro perſpexerunt. Trigeſima Septembris claſſis ad Carolum rediit, navesque aliquot, partim in anchoris in oſtio fluminis conſtitutæ, omnes tam exitus maritimos, quam aditus Stokolmiam terreſtres, Regi percluſerat, optimum è re nata conſilium viſum, ut Calmariam Rex, unde venerat, ſe reciperet. Itaq; Calendis Octobr. Stecburgio movit, Linkopiamque ſepteno à Stecburgio milliare venit: nondum tantum vel virium, vel animi, Carolo adhuc habente, ut adoriri proficiſcentem auderet. Etſi autem eo conſilio Rex profectus fuerat, ut Calmariam recta ſe conferret, maximeque Farensbecius à Rege id contenderet, Sveticis tamen Conſiliariis inſtantibus colloquia Carolo offerente tempus tractum; interim, caſtris utrinq; communitis, cum in aciem jam copias utrinq; eduxiſſent, Carolo iterum colloquium offerente, ab iisdem Conſiliariis Sveticis, ut in caſtra exercitus reduceretur, obtentum; qui, poſtquam reduci cœptus fuiſſet, ſignum pugnæ, è caſtris Regis, in certum à quo datum fuit: ad cujus auditum, Carolus cum copiis ſuis iterum accurrit, equitatum omnem è Svecis Rex habebat. Quorum, ad Caroli inſultum, nullus ſe commovit; Reliquæ copię, jam reduci cœptę, facile perturbatæ. Inter ipſum deinde pręlium ſtrepitumque armorum conditiones à Carolo editæ. Inter quos præcipuæ: ut Stokolmiam Rex ſe conferret, comitia ibi indicerentur, eorum judicio poteſtatiq; ſe ſubmitteret: Carolum in ſuo Principatu interim abfuturum, ad comitia iterum ſe ſtiturum, actorumq; ſuorum rationem redditurum, Conſiliarios interim omnes, quos circa ſe haberet, dederet, in cuſtodiaq; interim eſſent: Quod nihil aliud erat, quam ut non modo Conſiliarios certæ morti exitioque Rex traderet: verum ſe ipſum etiam incertæ fidei & poteſtati Caroli permitteret, verum, cum utrinq; ita diſceſſum, in diverſaq; Carolus profectus eſſet. Rex conſilio ſalutis ſuæ capto, aliis è comitatu ſuo præmiſſis, aliis ſubſequi juſſis, itinere Stokolmenſe relicto, menſe Octobri Gedanum venit. Qui ex comitatu miniſtrisq; Regis poſt diſceſſum Regium deprehenſi fuere, inter quos Stanislaus Konarſcius, Caſt. nunc Ged. Præf. Mariæb. excubiarum in exercitu Dux, omnes à Carolo capti, in vinculisq; habiti. Per id, quod reliquum erat anni ſequentis, Varſaviæ, Cracoviæque, cum aliis negotiis Reipubl. vacabat, tum exequiis etiam Reginæ occupatus fuit: Indictum autem funus Reginæ fuerat in diem 13. Oct. Cracoviam ſolennem funerum Regiorum locum,

ad idq; matrem & fratrem invitandum Græcium Andreas Opalienius de Bnino, Præpoſitus Plocenſis, Pragam ad Cæſarem Joannes Goſtomſcius, Palatinides Poſnanienſis, & Aulicus Regius, miſſus fuit: iisdemque, maxime autem Goſtomſcio de aliis etiam nonnullis rebus, ut Valachicis, Sveticis, Brunſvicenſe negotio, aliisque ejus generis, de quibus paulo poſt etiam Adriano Rembovio, Secretario Regio, mandata data. Non parvum autem omnibus rebus impedimentum erat peſtis, quæ plerisq; in locis per Poloniam tum graſſabatur. Cum Sigismundus Princeps Tranſilvaniæ inter Cæſarem Chriſtianorum & Principem Turcarum, utrumq; potentem, maxime etiam Nobilitatem Tranſilvanicam non ita pridem tot Proceribus ſublatis offenſam, conſiliaq; de divortio & relinquenda Tranſilvania, fluctuaret, conventumque iis de rebus haberet, Andreas Batorius, Cardinalis, Epiſcopus tum Varmienſis, Præpoſitus Miechovienſis, jam ante quidem ſupplicio fratris aliorumque Procerum graviſſime à Sigismundo exacerbatus, quemadmodum ipſe tamen præ ſe ferebat, ut labenti domui patriæq; conſilio ſubveniret, ſuperioribus offenſis omnibus ei condonatis, Rege Senatuq; prius non conſulto, in Tranſilvaniam ſupervenit, à Sigismundo disceſſum jam meditante perſvaſus Principatum ipſe ſuſcipit, ad conventum, ab eo partim invitatus, partim precibus coactus, accedit, ab univerſoq; conventu Princeps Tranſilvaniæ creatur. Qua de re cum ad utrumque Imperatorem, tam Chriſtianorum, quam Turcarum, tum imprimis ad Regem literas dat, utque pro ſe ad eos intercedat, quo voluntate eorum in Principatu eo toleraretur, petit. Cum ad Cæſarem Rex ſcriberet, oſtendit, quemadmodum à Cardinale ſignificatum ei erat, ne cogitanti quidem illi principatum delatum eſſe, preces popularium, pericula Patriæ, neceſſitatem quaſi, ultro ejus accipiendi, illi impoſuiſſe; Petere, ut, quod accidiſſet, præſenti Chriſtianitatis ſtatui condonaret, quodque caſu & fortuito accidiſſet, conſilio & clementia ſua corrigeret, ſalvaq; dignitate ſua, communis ſtatus Reipublicę Chriſtianæ rationem haberet, oſtendit Cæſar, reſponſo ſuo, jura, quibus Tranſilvania diverſis fœderibus, ab antiquo devincta, Ungariæ eſſet: Cardinalem in ipſa converſione rerum ad ſe quoq; generatim ſcripſiſſe, ſe etiam generatim ei reſpondiſſe: prout ſtudium ejus in communem Rempublicam Chriſtianam & in ſe quoq; obſervantia futura eſſet, ſuum quoq; erga eum animum futurum: Interim, ut non ſolum ipſe Cardinalis, clientela Turcica relicta, Chriſtianitati hæreat, ſed etiam, ut ne quis è Polonia illius partes, ſi illis adverſentur, foveat. Quod non minus in ditiones Regias, quam ipſius, varia rerum momenta inferret: verum ſequente anno nonageſimo nono, ſub initium fere Autumni, in Tranſilvania inſignis mutatio ſubſecuta, quemadmodum paulo ante oſtenſum eſt, Andreas Cardinalis Batorius ab Ordinibus Tranſilvanicis in Principem electus, ſeu potius, ut eligeretur, perſvaderi ſibi paſſus, ibi inter utrumque Cæſarem, tam Chriſtianum, quam Principem Turcarum, aliasq; difficultates, inſidasq; ſocietates, anceps verſabatur: neque vero tam, quas partes ſequeretur, deliberabat, quam, ut utriusque partis gratia ſalva à bello ipſe abeſſet, laborabat; cum uterque, ut in amicitia ſua alterius partis hoſtis eſſet, poſtularet. Ut ſupra oſtenſum eſt, Germanicum Malaſpinam, Epiſcopum ſancti Severi, qui per complures annos legationem in Polonia obierat, ſummus Pontifex revocarat, quem, ut conditiones inter Cæſarem & Cardinalem tractaret, miſerat. Albæ Juliæ autem ſub id tempus comitia à Cardinale indicta fuerant. Michael interim, Moldaviæ citerioris Palatinus, qui & antea in clientela Sigismundi Principis Tranſilvaniæ fuerat, & Cardinali etiam juramento ſe obſtrinxerat, quod ſatis certo conſtat, pecunia Cæſarea exercitum pararat, & quaſi contra Turcam eum circa ſe habebat. Nuntius interim affertur, primum à Braſovienſibus Michaelem, quem ultra Danubium contra Turcas moturum confirmarant, Tranſilvaniam verſus appropinquare. Quibus cum à Caſpare Corniſſio, Præfecto militiæ Tranſilvanicæ, aliisq; Senatoribus, fides non haberetur, aut non haberi ſimularetur: pluribus poſtea Nuntiis Tranſilvaniam jam ingreſſum, omnem vaſtare diverſis ex partibus confirmantibus. Cardinalis ſub oppidum Sanſelirs movet, indeq; univerſum exercitum, quindecim circiter millium, in caſtra contra Michaelem contrahit, quæ ad Ciebinum, oppidum Saxonicum, poſita. Habebat circa ſe Malaſpinam Nuntium Apoſtolicum, aliosq; nonnullos, vix duobus jam milliaribus cum exercitu ſuo Michael aberat, quem ex diverſis nationibus, ad viginti quinq; millia circiter, habebat. E Polonis, quorum magna pars, cum antea Cardinali operam ſuam addixiſſent, per aliquotq; tempus cum illo verſati fuerant, ab illo ad Michaelem tranſierant, duo millia quingentos: Moldaviorum tria millia: Ungarorum totidem, Siculorum ſex: Valachorum Serbiorum, Raſcianorum, ad decem millia. Epiſcopus ſancti Severi negotium pacificationis inter eos ſuſcipit. Ad Michaelem in caſtra profectus, ex iisdem reverſus, Cardinali, ut ex loco, in quo conſtiterat, ſatisque commodum cœperat, ob pacem majore commodo poſtridie tractandam ſe reciperet, perſvadet: Idem Michaelem facturum, commeatu interim exercitui à Cardinale permiſſo, non parva pars dilapſa, non multo poſt Cardinali nuntiatur, Michaelem, qui retrogredi debebat, in locum, quem Cardinalis reliquerat, cum exercitu ſucceſſiſſe. Epiſcop. S. Severi ad appropinq. Mich. iterum profectus, paulo poſt reverſus, nullā ſpē pacis eſſe Cardinali oſtēdit, Michaelēq; præliū cōmittere decreviſſe, indeq; in oppidū Ciebinum mox digreditur, Cardinalis Ducibus, ut exercitū inſtruerent, negotio dato, brevē orationē ad exercitū habet; Qua & perfidiā Mich. contra jusjur. ab eo datū, ꝙ tū lectū fuit, beneficia-

que

que in eum Tranſilvanica oſtendit. Primo prælio Caſpar Corniſs, copiarum Tranſilvanicarum Dux, captus fuit, qui humane à Michaele acceptus, veſte, qua ipſe indutus fuit, donatus ab eo fuit. Ab aliis exercitus ejus vix non fuſus recipere ſe jam Michael cogitabat. Cum à Polonis, qui cum illo erant, confirmatus, animatusque, ipſis fortiter pugnantibus, Tranſilvanosque cædentibus, pugna reſtituta, moxq; inclinata fuit. Princeps cum duodecim circiter ex prælio excedit, conſilioque Miko Mikluſſa, Præfecti arcis Kduarkelæ, verſus Siculos montes ſe recipit, inde in Valachiam pervadere ſe poſſe ſperans. Kduarkela verſus Valachiam cum ſeptem circiter comitibus, inter quos ex Sicula Nobilitate aliqui erant, poſtquam ad Cikum, oppidum Siculum, perveniſſet, multitudine agreſtium à Michaele jam admonitorum, & aliis, ad cædem Dominorum, à Michaele incitatorum, vi conclamata, comites omnes, duobus nobilibus Siculis exceptis, cæſi fuere, cum quibus Cardinalis in montes vicinos ſumma fuga è conſpectu eorum ſe eripuiſſet. Defatigatus cum aliquantum ſomno ſe dediſſet, à Siculis ruſticis, ubiq; eum perveſtigantibus, tandem repertus, &, ut fertur inter eos, à proprio quodam familiari ſuo, cum duobus, quos circa ſe habebat, comitibus, fortiter ſe defendens, interfectus fuit, caputq; abſciſſum, ad Michaelem delatum, quod Michael, Alba Julia jam occupata, ibidem per integrum diem, quemadmodum & aliorum quorundam Procerum, in cubiculo ſuo apud ſe habuit, Ungaris Tranſilvanisq; Proceribus oſtentui ſpectaculove. Poſtea ad Davidem Ungnadem, Legatum Cæſareum, qui paulo poſt prælium cum pecunia ad Michaelem venerat, miſſum, indeque ad diverſos circumlatum fuit. Tandem Templo Patrum Societatis illatum, corpusq; à Siculis juſſu Michaelis advectum, poſteaq; oculis à Michaele perluſtratum, ejusdem juſſu ad ſepulturam purgatum lotumve fuit, 23. Novembris, in ipſis comitiis, quæ Michael tum peragebat, ſepulturæ mandatum fuit, Senatoribus Tranſilvanicis, corpus ferentibus, Michaeleque ipſo, candelam manu geſtante, id comitante, inque majore Templo circa Januſium, Joannis Regis filium, conditum: Hic exitus Cardinalis Bathorii fuit: Juſſune Cæſaris, an Michaelis perfidia, incertum: diverſa enim de utraq; re fama. Ipſe Epiſcopus ſancti Severi non ſine gravi ſuſpicione fuit, in gratiam Cæſaris in cladem eam Cardinalem impuliſſe, non ſolum, quod, cum apud Cardinalem eſſet, multis in rebus, conſilio Michaeli faviſſe, viſus fuiſſet: ſed poſt mortem etiam ejus ultra decem dies cum Michaele verſatus adhuc fuiſſet. Mihi ſane ſummi Pontificis Nuntium, ejusdem autoritate ad cædem necemq; hominis Eccleſiaſtici, maxime Cardinalis, abuti auſum fuiſſe: imprimis autem, cum per tempus legationis Polonicæ ſummus cum Cardinale uſus ei interceſſiſſet, autorem cædis ejus eſſe potuiſſe, veriſimile fieri non poteſt, à ſummo etiam poſtea Pontifice, qui autores, adjutores conſciiq; cædis ejus fuiſſent, conſiliumque, auxilium conſenſumq; in eam præſtitiſſent, gravi anathemate percuſſi fuere. Cæſar quidem, literis mox ea de re ad Regem datis, partem eſſe Tranſilvaniam Ungariæ Regni, & tanquam membrum corpori adhærere, ſed ſuperiorum annorum, quibus impia Machometi barbaries in Ungariam longius latiusq; penetraſſet, injuria ab illegitimis detentoribus, & injuſtis, ope Turcarum, divulſam, & inique poſſeſſam fuiſſe, in publico ac ſolenni totius Provinciæ conventu, Sigismundum ipſum Batoreum, cum primo illam Cęſari reſtituendam decreviſſet, coram legatis ſuis diſerte faſſum fuiſſe: Quam vero ipſe, qui nulla ambitione moveretur, ægre ad illius poſſeſſionem, quæ variis etiam minis illi propoſitis offerretur, capeſſendam adductus fuiſſet, optime ſummum Pontificem noviſſe: à quo obnixe, ut autoritate, & hortatu ſuo, acceſſionis ejus & divortii conſilio ſuo Sigismundum abduceret, petiisſet. Meminiſſe ipſum Sigismundum quam diligenter ac ſerio, cum illo non ſolum per literas ac legatos, ſed coram etiam Cæſar ipſe, ut in Provincia maneret, cum eo egiſſet, ſed cum obſtinate in ſententia perſtitiſſet, ſeceſſumq; in ditionem Cæſaream urſiſſet, nihil magis curæ ſibi fuiſſe, quam, ut, quæ promiſſa illi eſſent, integre ac ſincere præſtarentur. Præſtita vero ei fuiſſe, jam antea omnia, etiam ante diem aliqua repræſentata, ſolas literas mercatorum, qui cenſum annuum numerare ei deberent, deſideratas fuiſſe. Quas in primo numerationis termino, quemadmodum pollicitus fuisſet, miſſurus ei fuerat. Cum interim temeritate ſine dubio in Tranſilvaniam rediiſſet, pacta conventa omnia ſuſtuliſſet, nihil penſi habens, quod ſolennibus verbis, literis, ſignis, ad ea ſe obſtrinxiſſet: mox rurſus, ſive pœnitudine ductum, tanquam nauſeante ſtomacho, ſive pernitioſa conſilia, quæ cum Cardinale Batorio machinaretur, occultare volentem, legatos ad ſe ampliſſima cum facultate ac præſcripto manu ſua in multa capita redacta ad ſe miſiſſe. Juxta quæ ſimul atq; ſecum transegiſſent, jamque in reditu eſſent, Cardinalem Batorium aliud in ingreſſu oſtentantem, ab illo Tranſilvaniæ Principem ſuffectum ſibi allatum, quem varia deinde ſimulatione dum cum Turcis Tartarisque ageret, literulis ad ſe in ſpeciem ſcriptis, legationem ſeſe miſſurum, ut ſuam ſibi obſervantiam probaret, pollicitum fuiſſe: ſuperveniſſe multo poſt tempore Epiſcopum ſancti Severi, à ſummo Pontifice iis mandatis miſſum, ut, ubi mentem Cæſaris cognoviſſet, Cardinalis animum, quoad ejus fieri poſſet, eodem duceret, illum à ſententia ipſius, ei ſignificata, longe diſcedentem, eas cum Cardinale tractandi conditiones, quæ Cæſari & novæ viderentur, & graves iniviſſe; quibus nihilominus reverentia in ſummum Pontificem certis modis & conditionibus aſſenſum ſe fuiſſe, ſi nimirum convenienti ipſius, qui læſus fuiſſet,

ratio-

ratione habita, nihil cum Turcis de pace ſtatuiſſet: ſed iis omni conatu potius ſe oppoſuiſſet: Zolnocium aut alia loca obſideret, copias ſuas cum Cæſareis conjungeret. Quæ tantum abeſſet, ut ab illo obſervata fuiſſent, ut ne minimo quidem ſigno voluntatem id præſtandi oſtenderit, quin potius adverſus eos, qui Cæſareas partes ſequerentur, tanquam apertum hoſtem ſe geſſiſſet: Huſtum occupaſſet: Stephanum Boczikajum, inter Tranſilvanos primarium, qui ipſius permiſſu ad ſe, ut ſeſe juramenti illi prȩſtiti, religione exſolveret, ob ſolā ſuſpicionem, tanquam de contrariis conſiliis contra ſe cum Cæſare communicaſſet, poſſeſſionibus ampliſſimis exuiſſet: Clientelæ Turcicæ inſignia, vexillum, clavam, aliaq; dona, quæ à Valacho intercepta, acceptanda duxerit. In Moltaniæ Vaivodam, quem ſibi conjunctum non ignorabat, & Turcas, & Tartaros, aliosq; concitare, ipſumque ditione pellere atq; dejicere conatus fuiſſet. Quo Palatinus comperto, quæ Cardinalis in illum ſtrueret, mature præveniendа ducens, juſſum ſuum non exſpectaſſe: Quod ſingulari præpotentis & perfidiam vindicantis Dei permiſſu factum ſe interpretari; ut non ſolum Tranſilvani, ſed & alii populi diſcerent, non temnere Numen divinum. Daturum hoc ſibi Regem, ut de Cardinali, qui minime tanquam Cardinalis ſe geſſiſſet, quiq; loco Galeri Diadema regium propria autoritate invadere auſus fuiſſet, quæ comperta haberet, diceret, non jam ſe dicturum, quam virulenta in ſe oratione, etſi minime ab eo lȩſus laceſſitusq; fuiſſet, ſed omnem potius benevolentiam expertus fuiſſet, apud Sigismundum Batorium, ut ejus erga ſe animum alienaret, & à partibus ſuis abſtraheret, invectus fuiſſet: graviora nuper inter Imbraim Baſſæ ſcripta, quæ profugi duo juvenes, volentibus ſine dubio ita Superis, tuliſſent, detecta fuerint, ut nimirum Turcarum Principi ſe commendaſſet, totumq; ſubjeciſſet, ut Baſſarum auxilia imploraſſet: id manu, id ſigno ejus probari poſſe, hominum, non Dei cuncta cernentis, judicia ex iis, quæ ſpecie quadam externa ſimulantur, falli, & à vero abduci poſſe: eſſe autem acrem inſimulationem, qua populis pernities, juſtitiæ ac fidei temeratio afferretur, divinā vindictam; quam ſi Cardinalis: dum in Turcicam clientelam ſe dediſſet, aliudque ſibi ſpecioſe perſvadere conatus fuiſſet, ultro ſibi accerſiviſſet. Neminem fore exiſtimare, tam iniquum rerum cenſorem modo proſperis rei Chriſtianæ contra Turcas ſucceſſibus lætaretur, quin pio animi affectu gratulaturus illi eſſet: Si Cardinalis inde pulſus fuiſſet, ſibimet ipſi id eum imputare debere; qui aliena invaſiſſet, qui populos illos ad perjurium ac perfidiam à devotione, qua ſibi devincti fuiſſent, vi metuq; coegiſſet flagitium id flagro dignum fuiſſe; ne impune jurejurando, quod omnibus ubique gentibus ſanctiſſimum habitum, ludi exiſtimetur. Nulla quidem major calamitas eſſe poteſt, quam ſi non ſolum inique innocentia opprimatur, ſed poſt mortem etiam indefenſa ſceleris ultro arguatur. Juſtene Cardinalis Batorius poſt mortem accuſatus fuerit, difficile judicium eſt; Inter tam potentes enim vicinos interjectum, pacemq; ſibi & provinciæ deſiderantem, cum Turcis etiam eam agitaſſe, negari non poteſt, ſed ea conditione, ſi ab omni bello conſiliisq; contra Chriſtianitatem abſtinere ei permiſſum fuiſſet, aliter ad Imperatorem Chriſtianosque tranſire conſtitutum habuiſſe, quod non tantum ex literis ejus ad diverſos ſcriptis, verum conditionibus etiam, quas cum Turca tractabat, quæq; adhuc extant, perſpici potuit, poſt mortem autem nemo vel tractat, vel ſcriptitat. In eandem etiam ſententiam à Rege ad Cæſarem reſponſum. Fieri poſſe, ut ad Turcam quoq; miſitarit, ſed magis deſtinendi ejus cauſa, quam ſocietatis alicujus ineundæ. In ea autem mutatione rerum Valachiæ ſecuritati & Hieremiæ à Michaele cavet. Varſaviæ deinde ſub initium menſis Februarii comitia à Rege habita, in quibus, etſi graviſſima pericula, tam à Michaele, quam Carolo, & aliunde, præ foribus imminere viderentur, nihil tamen ad defenſionem propugnationemq; Regni conſtitutum. Superioribus comitiis commiſſio in Livoniam, Joanne Demetrio Solikovio, Archiepiſcopo Leopolienſe, à Principe miſſa fuerat, ad conſtituendas ibi res, imprimis judicia, quæſtionemq; de iis, qui contra Rempublicam ſuperioribus mutationibus Livoniæ aliquid feciſſe, fidemq; aliqua re violaſſe dicerentur. Cum autoritate publica Ordinum confirmari non poſſent, Senatus conſulto interim pleraq; rata habita, maximeq; quæſtioni ne amplius haberetur, finis impoſitus, & ad futura comitia rejecta fuere. Eſtoniæ etiam cum reliqua Livonia conjunctio incorporatioque hactenus ab Ordinibus à Rege petita, tandem in iis comitiis perfecta editaq; à Rege fuit. Joannes Firlejus etiam, Regni Theſaurarius, ex comitiis iis miſſus, & maxime quidem ad Nuptias Archiducis Ferdinandi, ad Cæſarem tamen etiam deſcendere juſſus fuerat, publice quidem iis, quȩ Transactioni Bendzinenſi adhuc deerant, ut Titulo Livoniæ, Juramento Ungariæ, Debito Brunſvicenſi, ſed Valachicis etiam, Moltanicisque, & aliis ſimilibus rebus: privatim tamen ſecretiora mandata de Matrimonio Archiducis Ferdinandi filiæ, quæ præſenti Cæſari nunc nupta eſt, habere putabatur, ad ſummum etiam Pontificem, eodemq; fere exemplo ad Electores Imperii literæ datæ. Juramentum quidem ab Archiduce Maximiliano in Transactionem Bendzinenſem jam prȩſtitum & ad ſe miſſum eſſe, ſed primum non eo fortasſis modo, quo præſtari debuerit: cum neq; denuntiatum antea ſibi fuiſſet, ut mittere aliquem potuiſſet, qui ſuo Ordinumq; Regni nomine illud exigeret, præſtationive ejus intereſſet, neq; quisquam omnino ex parte ſua vel teſtis interfuiſſet.

Verùm minus hoc eſſe, neque ſanè tantopere id à ſe requiri; fidem ſe habere inſtrumentis, quæ ad ſe miſſa eſſent, habere teſtimonio Cæſareo: ipſius denique Archiducis Maximiliani Chirographis, & ſigno; graviora hæc eſſe: Primò quod præter præſcriptum Transactionis ejus Livoniæ titulus in juramento, & inſtrumentis illis ex inſtituto, ut appareret omiſſus eſſet; quæ res non ſolum ratione Imperij Germanici, ſuſpecta Ordinibus eſſet, ſed non minus, ob magnum Moſcoviæ Ducem, cùm quo varia, pacta & conſilia agitari dicerentur. Præter hæc cum ut alij Ordines ditionum Cæſarearum, ita imprimis Ungariæ Regni Ordines, in eandem Transactionem intra definitum tempus, ſolenne juramentum ipſi etiam præſtare debuiſſent. Sacramentum id, & in Tranſactione acceptum, & toties promiſſum, in hunc usque diem, nullum adhuc ab illis præſtitum. Eam autem rationem Ungariæ eſſe, ut in nullam partem ditionum Cæſarearum, magis quam in eam intentos Ordines Regni eſſe oportere, quod & vicina ditionibus Regni eſſet, & exercitus magni inſtructi, paratique aſſiduè in ea verſarentur. Non minus gravè, quod cum in Transactione ea Bendzinenſe, ex hac parte Sigismundus Prínceps domus Battorea ac Tranſilvania, adeo ipſa diſerte excepta, fœdereque pacis ejus inter ſe tum conſtitutæ comprehenſa fuerit, haud ita dudum Tranſilvaniam ſtatu ejus omnino immutato, hominem ante hac fere ignotum occupaſſe. Qui poſtquam Principatum eum invaſiſſet, armatum cum armato exercitu omnis generis hominum copiis ſuccinctum, in finibus Regni vagari, Et cujus voces non paucæ ad homines ſuos deferrentur, partim Valachiæ Regni hujus juris Provinciæ minitantes, partim non ſatis pacatum animum aut conſilia præſeferentes. Quæ quidem omnia cum non parum dubios animos ordinum Regni ſui haberent, ut in omnes partes intenti eſſent, facere. Tanquam communi Principum Chriſtianorum parenti, peculiariter vero tanquam amicitiæ inter ſe regnumq; ſuum & Cæſarem ſequeſtro, petit pro loco eo quem ſummum in Chriſtianitate teneret, iis in rebus autoritatem ſuam interponeret, provideretque, cum Cæſaris non minus autem ſummi Pontificis fidem potiſſimum hiſce in rebus, ipſe Ordinesque regni ſui ſequerentur; nè ſi præter expectationem opinionemq; ſuam aliquid accideret, quemadmodum multa hujusmodi tempora hæc ferrent, merito fidem cujusquam accuſare poſſent: regnumq; hoc quod magnam partem periculorum Chriſtianitati impendentium cervicibus ſuis ſemper excepiſſet, avertiſſetque periculo alicui objiceretur.

REINHOLDI HEIDENSTEINII SECRETARII REGII

Rerum Polonicarum ab excessu Sigismundi Augusti

LIBER XII.

CAsus Cardinalis Bathorij tam insperatus præsertim & repentinus, nonullos ad commiserationem, plerosq; maximè autem Regem Ordinesque Regni ad curam sui commovit; Superioribus enim Comitiis, etsi in vicino metu, turbantibus tamen iis, qui communi omnium Rerumpublicarum peste privata studia & commoda publicis Patriæ anteponunt, nihil omnino subsidij constitutum in iis fuerat, id solum decretum, quibus exercitus curæ essent, nè quid Resp. detrimenti caperet, viderent, Cæsar etiam quemadmodū ante ostensum est, & ipse pacata omnia promiserat, Michaelemq; in officio futurum quasi spoponderat, idem Michael receperat. Rex etiam si quæ controversiæ illi cum Hieremia Palatino Moldaviæ intercederent, vel jus de eo illi administraturum vel controversias eas inter ipsos compositurum obtulerat. Verùm difficilè felicitati est, eundem semper blandientis fortunæ vultum sibi promittenti suo se loco tenere præsentibusq; non majora appetere. Suis enim ut ipse putabat prosperis elatus, ad ampliora quàm ejus erat conditio animum adjecit: Regna cœpit & imperia spirare. Propositi sui tenendi hanc viam inibat. Romanorum Imperatori se, suaque omnia dicabat, quidquid Marte quæsivisset, illi à se quæsitum esse: rursus Othomanno Turcarum, ita supplex erat, ut illi uni, fortunas suas acceptas referret; ad hæc suis coloribus exornanda homini Græco & versuto ingenium non deerat. Majore etiam vanitatis genere, apud Tartarorum Chamum Tauricæ Chersonesi Principem, autoritatem sibi, scriptis ad eum literis conciliarat. Infimam quidem plebem extincta nobilitate, ad spem liberioris, beatiorisque vitæ vocabat; Militum animos & voluntates, summâ rerum omni licentiâ sibi devinciebat: vanaque munificentiæ specie deliniebat: postremò eam militaris laudis, apud plerosque opinionem cum reliquis rebus quas contra Tarcas Scythasque, ex sententia gesserat, tum Andrea Cardinale cæso, erat assecutus, ut Imperator uterque, sibi amicum quàm hostem esse mallet, uterq; suo Imperio subjectum, existimaret. Vulgus eum Alexandri Magni nomine dignaretur. Transilvaniam igitur, quam Cæsari virtute sua recuperatam jactabat, & tradentis eam, imperio ejus picturam circumferebat, sibimet vendicabat, neque dum sumptus seu pretium sibi restitueretur, cedere se ea teneri jactabat. Pulchrum fore visum illi est, adeo nobilem Provinciam, Transalpinæ suæ continuam quam emptam ab Othomanno obtinebat, suam effici; eo si accederet citerior etiam Valachia, tum verò patefactum iri aditum sibi ad proxima, quæ vellet Regna invadenda, Victoriæ spem in una celeritate ponebat. Magnum Moscoviæ Ducem eodem religionis schismate conjunctum, rebus suis favere: in citeriore Valachia præsidia modica: provincialium animos in se propensiores: in Regno Poloniæ nihil parati: factionibus Comitia soluta, nullum justum exercitum, ad sua conata infringenda, præterquam qui sufficeret pro regni limitibus excubiis agendis; se viris, armis equisq; & omni instrumento bellico instructū sciebat. Virtutem Ducis exercitusq; Polonici qua superiore anno ad Socoram maxime Tartarorum Turcarumque copiæ rejectæ Hieremiasq; vix non contra voluntatem Turcarum Imperatoris Provinciæ impositus fuisset, Rozuanique exitum socordiæ potius eorum, qui victi essent, quàm virtuti potentiæq; victorum tribuebat, sibi cum exercitu suo victore, longè aliam fortunam promittere. Jam in Poloniæ regno habebat, qui eum à virtute, munificentiâ, humanitate & literis & sermonibus celebrarent, Regi & Regno summè amicum prædicarent. Prorsus multis involucris consilia texerat: quæ ut ficta omnia citò patuerunt, suspecta mox cupiditas ejus. Novarumque rerum studium Regi: monitusq; Hieremias Palatinus Moldaviæ fuerat; etsi numerosiores copias Polonicas habere vellet, commeatum illis pararet. Quod cum recusasset, admonitus

tus est, ut arces Socaviam & Chocimum præsidiis, ac apparatu bellico & commeatu quam diligentissime instrueret: Ipse vero commeatu proviso locum commodum caperet, ac eo se tueretur, donec auxilium illi è Polonia ferretur. Et hoc quamvis de periculis suis ipse ante Regem & Zamoiscium solicitus appellasset, neglexit. Affinitatis ineundæ cum Michaele spe objecta quod filio ejus filiam suam in matrimonium collocaret, legatione missâ ab illo postulasset. Incommode etiam evenerat, quòd Stanislaus Chanscius Polonorum quos in aula sua habebat, Hieremias, Præfectus, iisdem diebus extremum diem obierat. Superato itaque Michael, magnis itineribus, Alpium illorum jugo, in agrum Socaviensem erupit. Hieremias Moldaviæ Palatinus ne opinato quidem ejus adventu perturbatus cum ea suorum manu, quæ præstò erat 200. Polonis hosti, obviam prodit. Levia Valachorum ingenia & crebra dominorum permutatione gaudentia jactis in sublime pileis deditionis insigni, transitionem ad hostem faciunt: censebantur ad quindecim millia hominum, manus ad hostem distinendum præcipitis præsertim itineris, labore confectum, satis valida, si fides, si animus, si erga Principem suum amor fuisset. Poloni quos præsidij sui causa, 200. Hieremias habebat paulatim hostem sustinuerunt; & primò impetu irruentem, acriter propulerunt: ubi se desertos, & tantæ multitudini solos esse objectos vident, pedem retulerunt. Gidinius multis hostium interfectis, summa cum gloria dimicans. Saucius ex equo exanimatus decidit: delatus Cameneciam, honorifica sepultura afficitur, Hieremias arci Soczaviensi, diffidens Chocimum recta contendit. Hærebat in tergo hostis, & ad flumen Prutum extremum agmen consecutus carpsit, advolat eodem vestigio temporis, Chocimum quos Hieremias receperat: oppidum incendit, ac diripit: arcis expugnandæ difficultate animadversâ, obsidionem instituit. Ei negotio præficit, Udram copiarum suarum præfectum adjungit Delimarcum & Babam novacum ipse Socavam repetit. Et civitatem quidem nullo impediente ingressus est. Arcem jam antea præfectus præcluserat, & firmo præsidio tenebat, abundabat omnis generis commeatu vel ad diuturnam obsidionem tolerandam. Ipse præfectus Trzaska ad omnem perferendum casum animi magnitudinem præseferebat: Verum sæpius ab arce hostem fortissime repulsum exigua mercede officio deductus, in arcem recepit, seque illi & omnia dedidit: per speciem religionis in ædem sacram quos impedimento facinori suo futuros credebat ablegatis. Oblitus virtutis Constantiæque Polonæ nullam rem æquè atque fraudis, & perfidiæ infamiam reformidantis. Cum neque ab hoste quidquam gravius esset. Illi metuendum: nulla muralia Tormenta habente, ac assiduis literis de celeri subsidio fieret certior. Causam occupatæ Moldaviæ, cum ad Regem ipsum, tum Cæsarem aliosque Principes, quemadmodum de Cardinale Bathorio sibi finxerat; Eam excogitarat. Quod Valachiam invasisset, maluisse prævenire quàm præveniri summum inimicum suum Hieremiam & percussores & veneficia in se in aula sua aluisse: auxiliis Polonicis & Turcicis, se teruisse: eâ fide publica accepta in proximis comitiis: se demonstraturū inimicos suos, Sigism. Bathorium & Simeonem fratrē, in id servasse; ut alterum in Transilv. alterum in Moltaniam auxiliis Turcicis & Tartaricis induceret, contra ipsum Hieremiam jure militari processisse: petit nè ante comitia moveretur aut turbaretur: omnia se ex provincia ea præstiturum quæ Rex mandaret aut alius præstaret. Ne Zamoiscium quidem cum ipse tum fautores ipsius, insimulare verebantur, consilia cum Cardinale Bathorio tractasse, Cardinaleque cæso integrum scrinium literarum ejus ad Cardinalem reperisse, quas in Comitiis exhibiturus esset: Temporis nimirum eximendi causa, ad Comitia rem trahere volens. Quæ cum vanissima Zamoiscius esse sciret; ut qui nullas literas ad Cardinalem inconsulto Rege quemadmodum & alios, quæ alicujus momenti essent, dedisse se conscius sibi esset, ut non expectatis Comitiis, quo in ipsis Comitiis quamprimum actio institui posset, sub fide publica eas mitteret, detegeretque instabat; cum alias jure publico, altera Comitia ad actionem eam instituendam, expectanda instigatori essent, qua in re cùm hæreret, facilè vanitas ejus apparebat: Reveraque non tam suspicio aliqua insidiarum ab Hieremia, quàm eæ de quibus ostensum est furiæ, cupiditas nimirum ejus eum agitabant. Frequens à Michaele ad Regem Tarnovius Pocillator Chaliciensis commeabat: & Internuntius quasi inter eos erat. Quamvis in ipsis comitiis, Legatus etiam quidam ejus, cujus postea mentio fiet, venerat.

Per utrumq; igitur responsum sincere gratiam Regiam ambiret: antea commemoratæ propositæ causæ inimicitiarum cum Hieremia refutatæ, aut certè minus sufficientes ad vim fuisse ostensæ: ad Potocium quidem Præfectum Camenecensem, Turcarum Imperatoris beneficio, à quo Hieremia etiam Moldaviam obtinere sciret, eam quoque se obtinuisse, ipse literis professus fuerat. Cæsar hac de re appellatus injussu insciοque se ea administrata affirmabat. Ex ijs qui in consilio cum illo fuerant, satis constabat, eum in Poloniam exercitum mox ducere constitutum habuisse, sed duas res eum tardasse; unam quòd aliquot mensium stipēdia exercitui deberet: ideoq; minùs obsequentem haberet: alteram quod nimia in Hieremiam Moldaviamq; celeritate, equitatum offendisset, recol-

ligendusque ulli eſſet. Tum verò ipſius Michaelis voces nunciabantur: quod Tranſilvaniæ accidiſſet, idem in Polonia etiam, non difficilè eſſe efficere. Nonnulli etiam quemadmodum, in Moldaviam Diploma vexillumque ex porta Turcica ſe impetraſſe, ultro gloriatus fuerat. Ita in Poloniam quoq; Diploma aureis literis, eum habere confirmarent. Indignitas ejus rei vel maxime animos hominum movebat, quid enim indignius eſſe poterat, quàm Moltanum mancipium, Turcicum vel cogitare tale aliquid auſum fuiſſe. Sed quemadmodum oſtenſum eſt, nè in Regno quidem fautores illi deerant, quos ſi in ulla republica in hac certe tam libera etiam peſſimus quisque reperit, qui partim conventibus turbandis, partim quibus poterant rebus nè quid contra eum decerneretur impediebant, cum Auſtriacarum partium tam religionis Græcæ quæ communis illi cum ipſis eſſet ſtudia. Non in Valachia incolumitatem regni conſiſtere: ſeparata hæc eſſe. Quod ſi Hieremias defendendus ſit, is eum tueretur, cui eſſet bono, vereri ſe nè quis bellandi cupidus, hanc propugnationem ſuadeat: ea oratione Zamoiſcium & Potocios deſignabant. Poſtremo utiliorem Michaelem Reipublicæ futurum, quàm Hieremiam dicere, modo tributum regno penderet. Hieremiasnè an Michael Moldaviam teneret, parum intereſſe. Jam non contentus Moldavia fines Regni ingreſſus, Michaelis miles, Duce Baba Novaco Pocutiam igni ferroque vaſtabat: bona trans-Neſtrana Regis nobiliumque populabatur, omnia flammis incendiisque ibi collucebant, quæque ab impietate? ab licentia prædas agentium, comitti poterant, in omnes ſexus homines, infantes, etiam edebantur. Zamoiſcius igitur re cum Rege communicata Stanislaum Zolkievium Caſtellanum Leopolienſem campeſtris militiæ Ducem cum limitaneo qui repente, parari poterat exercitu ad Neſtrum qui fines Regni prælabitur præmittit; qui & fines regni, dum ipſe cum majoribus copiis ſubſequeretur, tueretur, & in conatus Michaelis intentus eſſet. Interim cum Regem frequentibus literis, ad bellum apparatumq; ejus excitabat, tum de ratione ejus gerendi, cum Zolkievio diligentiſſimè communicabat. Regi non ſolum de dignitate, ſed ſalute etiam ejus, totiusq; regni agi oſtendebat, præter periculum autem quod ſi imparatos offenderet, graviſſimum incumbere poſſe, ad exiſtimationem etiam ad exteras nationes pertinere, non facile cujusvis injuriæ opportunum regnum eſſe oſtendere: neque ſolum ad Polonicarum rerum autoritatem opinionemq; hominum de viribus ejus confirmandam, plurimum valiturum: Sed Sueticarum etiam, non modò injurias propulſaſſe. Sed tantùm contemptum Privilegij in regnum Poloniæ tanquam Satrapiam aliquam impetrati, non inultum ſiviſſe: Priusquàm autem auxilium à Turca illi præſtaretur, copiæq; Turcicæ minus alias expeditæ Danubium trajicerent, Tranſigi poſſe. Itaque, ut & ſemeſtre ſtipendium in militem præſertim equitem indiceretur, cùm ad trimeſtre cunctatiores, plerique eſſent, quartanaque pecunia omnis, quæ ex tributo cogi poſſet, in uſus eos conferretur ſuadebat. Magnum impedimentum, delectui judicia Tribunalis Regni, quæ ſub id tempus Lublini exercebantur afferebant; qui enim nomina maximè ex Palatinatibus, Ruſſiæ daturi putabantur, judicia obſervare cogebantur, neque deſerere illa poterant, ut juſtitium, igitur quamprimum ediceretur, cum Regem tum Joannem Oſtrorogium, Caſtellanum, nunc Palatinum Poſnanienſem, qui Marſalcus tum Tribunalis Regni erat, diligenter appellabat, ipſe delectum ſtudioſiſſimè curabat: ad turmas ducendas, quos poterat excitabat, hortabaturq; pecunias ipſe etiam repræſentabat: Hieremiam Palatinum Moldaviæ de cujus periculo ſaluteque maximè ageretur, idem ut faceret, quasque maximas poſſet, in eandem rem pecunias conferret, ſedulò hortabatur. Coſacos Zaporovienſes, quos à Michaele etiam ſolicitatos, cognoverat, per Oriſſovium veteranum Ductorem illorum centenisq; aliquot florenis eis objectis, ſex millium autem florenorum donativo, quamprimùm ad caſtra veniſſent, eis promiſſo adjunxerat: Cumque ex tumultu Nalevaikano nondum ſatis confirmati eſſent, Magiſtratibusq; & Reipublicæ fiderent, literis fidei publicæ cum Regis, tum ſuis ad Præfectos oppidaq; eis datis, ſecuritati eorum proſpexit, fiduciamque confirmavit. Zolkievius caſtra ſua hoſtium caſtris opponit. Tyras eſt fluvius Neſtrum accolæ vocant, qui ſupra Chaliciam defluent, Pocutiam Regni Poloniæ Provinciam à dextris ſcindens, inferiùs ad Chocimum & Cameneciam, Moldaviamq; & Regnum Poloniæ dividit. Depreſſa fertur valle, quam efficiunt, ab infima rupe leniter acclives, quarum altera Polonici littoris contra arcem mollius eſt devexa & habet pagum. Altera ſub ipſa arce præruptior, ut in hanc flumen procumbit.

Tota ſaxoſa in ejus petra Chocimum arx admodum craſſo muro, collibus humilior, qui circum ſunt, condita, aſſurgit foſſa præardua & circumciſa, unde in terram ſi deſpiciant, caligant oculi, in eis collibus munitiones ſuas habebant hoſtes. Ex altera ripa Zolkievij erant caſtra. Cum indies certamina ſingulorum, interdum plurium ſererentur, noſtriq; ſemper eſſent ſuperiores, & irrumpere vado fluminis in hoſtem multoties flagitarent lenitatemque Ducis vocibus carperent. Zolkievius an ſi occaſio data ei eſſet, illo vel exercitu alio non expectato decerneret, Zamoiſcium conſulit. Reſcribit illi ut quæcunque ageret, ex ſecuritate Reipublicæ ageret, ſe annorum gloriæque ſaturum, non tam cupidum ejus eſſe ut eam illi invideret, potius tanquam juveni, quo diutiùs illum patriæ operam navare cuperet, eo majorem famam, authoritatemque quo utiliorem afferre poſſet, optare: Itaque arbitrio ipſius permittere. Unum rogare, ne rumores ante ſalutem poneret, & quæcunq; ſuſciperet, nonniſi explorata ſecuritate Reipublicæ ageret: neque in diſcrimen partem eam copiarum mitteret, qua quod Deus averteret amiſsâ, vix ullam reparandarum virium ſpem reliquam futuram: tributis, ſtipendiis, hominibus exhauſtis, Zolkievius igitur obſervata opportunitate cum ſingulis diei momentis quid gereretur, apud hoſtes in munitionibus ex ſuperiore loco noſceret, libratis tormentis cū languidiores eſſe videret, ſimul ab arce eruptione facta, cōpluribus interfectis, reliquis in terrorem conjectis æneo tormento disjectos, ex munitionibus hoſtem fugavit. Milliare inde caſtra fugati poſuerunt. Liberior deinde utrinque commeandi facultas. Hieremias uxore cum liberis, Cameneciam miſsâ, ipſe in caſtris Zolkievij cum mille equitibus & peditibus quingentis reſtitit. Zolkievium cum exercitu eſſe Michael cognito, ad Zolkievium mittit, quo animo cum exercitu ad Nieſtrum hæreret, pacemnè an bellum expectare ab eo deberet. Reſpondit Zolkievius cum exercitum vicinum eſſe cognoviſſet, ſe quoque ad tuendos fines Regni ſecuritatis publicæ cauſa copias habere pacem aut bellum non ſui ſed Regij arbitrij eſſe: ex cujus imperio agenda omnia, ſibi eſſent. Quæ in Moldavia acta eſſent, Regi ſe ſignificaſſe ejus, mandatum ſe expectare. Temporis deinde eximendi cauſa, occaſionisq; dum ſecuros imparatosque opprimeret, ad Regem etiam legatum mittit; qui ad Comitia ad Regem venit, quod via autem publica non quâ externi legati ab iis finibus, cuſtodibus additis dici ſolerent: Veniſſet, non ſatis Zamoiſcio præſertim probatum, ne partim vires Regni exploraret: partim cum fautoribus, partium occultè conſilia communicaret. Quod etiam non tam authoritatem legati, quam Nuntij, quos Goncios vulgo vocant, habere videretur, ne ad ipſum Regem admitteretur, ad dignitatem Regiam pertinere viſum, cumque quemadmodum ante oſtenſum eſt, amicitiam benevolentiamq; peteret, deferretq; ipſe quoque ancipiti cum reſponſo dimiſſus fuit, non parvis ſanè injuriis Regem ab eo offenſum, Provinciam regni Poloniæ, nullo indicto bello aut cauſa belli ab eo occupatam ſanguinis, etiam Equeſtris Polonici. Non parùm fuſum, intra ipſius regni, fines, Pocutiam invaſam, hoſtiliterque vaſtatam direptamque, aliaque damna complura maximaque data: illa tamen ſi decederet, hæcque ſarciret reditum ad clementiam Regiam, ei non præcludi. Ad hoc triginta dierum ſpatium ei dari, quo elapſo, quæ hac de re ſententia ejus eſſet: oſtenderet, quâque ratione Regi ac Regno ſatisfaceret: ex ejus reſponſo Regem etiam conſilium capturum: Zamoiſcius ſciens, magnam partem victoriæ ſeu ſpem ejus in hujusmodi tractationibus, eſſe ſolere, & ipſe libens occaſionem hanc arripuit: & Zolkievio nè ex manibus eas dimitteret, ſed dum exercitus juſtus pararetur parataque & inſtructa omnia haberent, eas quantum poſſet, foveret, ſuſtineretq; mandabat.

Tandem menſe Julio Belzam ipſe movit, inde Leopolim Turmis ut Glinianum convenirent, ante diem viceſimam quartam Julij indicto, quo profectione illius cognitâ, eò magis accelerarent, citiusq; ad eum copiæ convenirent. Sed quemadmodum ante oſtenſum difficilis delectus fuerat, ita ut quò faciliùs illas cogerent, de ſuo non parum erogare præfecti cogerentur, itaq; duas tantum Turmas, Gliniani offendit. Unam Nicolai Oſtrorogij ducentorum equitum gravis armaturæ, alteram Snopkovij levis ſeu Coſacorum equitum; quo omnes autem faciliùs conſequerentur, cum lentius aliquanto progreſſus fuit, Vrebloviæ etiam in itinere diem unum atq; alterum ſubſtitit. Ad Comitia Cauzij, cum literis de Tranſilvanicis, & Moldavicis rebus duo etiam ex aula Turcica miſſi fuerant, qui partim de Moldavia expoſtularent, partim de Coſacis perpetua, querelarum cauſa more ſuo quererentur. Reſponſum fuit, ob occupationes Comitiorum, per ſuum Regem reſponſurum ad eam rem. Ex Secretariis Adrianus Rembovius Bruſſus deſignatus qui dum itineri ſe parat, tertius etiam Dziafer iisdem cum mandatis ſupervenit. Juſſum igitur ut properaret, moram excuſaret, partim Comitiorum occupationibus, partim quod jam iter ingreſſus, de occupata repentino impetu à Michaele Valachia, quam Bogdaniam Turcæ vocant cognoviſſet, ac ita neq; ſatis tutò per Valachiam Conſtantinopolim pervenire potuiſſet, atque ad Regem de turbata à Michaele Valachia referendum prius fuiſſe, novaque ea de re mandata, ſibi expectanda, tandem tamen juſſu Regio ambitu alio tutiore capto Conſtantinopolim properaſſe. Mirum autem imprimis Regi ac contra morem majorum actum videri, quod ſe invito cum Chriſtianorum Cæſare pacem feciſſet, Michaeli vexillo muneribusq; miſſis Tranſilvaniam confirmaſſet: & quemadmodum Michael literis ad Præfectum Camenecenſem ſcriptis, ipſe profiteretur etiam Valachiam ſeu Bogdaniam. Hæc an mori majorum recentiq; & priſtinis fœderibus conſentanea eſſent, quibus ut communes amicos & inimicos haberent, ſancitum eſſet, facilè ipſum judicare poſſe. Majores utrinque ipſorum inconſulto altero nullum unquā fœdus inijſſe: Inito Reges Poloniæ, primo loco comprehenſos fuiſſe: ad hæc gloriari, Michaelem ad Regem deferri in Regnum etiam Poloniæ. Quemadmodum Valachiam ex aula

aula Turcica Diploma se habere. Regnum Ordinesque, nullum alium quàm liberis suffragiis à se electum Regem, illo præterquam Deum superiorem nullum agnoscere. Regem cum ob eas tum alias injurias illius, nullo modo Michaelem ferre, decretum habere. Itaq; quamvis in paterno regno Sueciæ non parvæ illi difficultates objicerentur, Zamoiscium tamen cum exercitu mittere, qui quocunq; locorum reperisset, Michaelem persequeretur, prout per Castellanum Chaliciensem Golsciũ, & Joannem Felicem Herburtum ostensum antea fuisset, optimo jure Valachiam ad Regnum pertinere, bellis quidem Prussicis Moscoviticisq; Regis Poloniæ nonnunquam impeditos, ut duorum millium aureorũ tributum, & quod vulgò Aracz vocantq; Principibus Turcicis penderent, Palatinis Valachiæ subditis suis permisisse, de jure suo nihil prçterea diminuisse, aut eo decessisse, quin potius, quoties res Provinciæ turbarẽtur, exercitibus suis illi subvenisse: Sumptus non parvos in illam fecisse; Meritò igitur per eosdem petiisse, nè in jure usuq; nostro interpellaremur, sed nihil certi responsi retulisse, itaq; majores indies sumpt⁹ fecisse: tantoq; minùs decedere ea posse; rogare ne eo offenderetur, si in formulam certã Rex eam redigeret, frequentissimè ab Ordinibus regni, quo cum fructu, tantæ impensæ fierent, quæri: nè molestè ferret; jure suo Regem Regnumque, uti Rembovio secretò mandatũ, ut si integrum jus teneri non posset; ad minimum tributum Haracz vulgò ab illis dictum, idq; si non perpetuum, quadraginta tamen vel triginta, vel quod obtineri posset annorum, pro tantis impensis impetraret, operam daret. De Transilvania Moltaniaq; recordari. Cæsarem posse, non semel ipsum hortatum Reges fuisse, quo indigenæ, Palatini, quiq; mutuæ amicitiæ inter utrasque ditiones studerent, iis præficerentur, operam darent, si spei successus responderet summoto Michaele nunc fieri id posse, non alios tamen quam Christianos eis præficiendos, nè ex diversitate ob eamq; odio religionis turbæ aliquæ inter subditos oriri, ex iisq; amicitiæ etiam inter Principes ipsos turbari fortè possent; quàm Rex constantem perpetuamq; esse cuperet, idemq; de Turcarũ etiam Imperatore sibi persuaderet. Interim existimare rectè Cæsarem facturũ, si Temessarum copias suas promoveri juberet, quæ vel in fuga in partes Germanicas si in eas forte perrumpere vellet, vel ab auxiliis inde ei ferendis Michaelem excluderent. De Tartaris mandatum, ut ostenderet, superiore anno aliquot tantum milliaribus à finibus Regni, cum exercitũ hæsisse dum copiæ Regiæ in illa vicinia intentæ in illum fuissent Michaelem in Transilvaniam interim perrupisse: Rogaret tam Tartaricæ quam Turcicæ etiam copiæ, non modo noxam Vallam finibus regni afferent: sed ob supicionem, qua nulla vicinitas armorum carere potest, quàm longissimè potius ab illis abstineretur. De Cosacis si mentio aliqua fieret mandatum ut ostenderet colluviem illam nullius in Imperio esse: in Regiis ditionibus ipsis, & dare illos damna & accipere: nuperq; adeo exercitu misso, partem aliquam illorum in potestatem venisse, omnes comprehendere vel radicitus extinguere difficile esse ex diversis ditionibus confluere: in diversis maximè autem fluviis, paludibus locisque reconditis & difficilibus degere, nuper ad Ducẽ exercitus misisse, à Michaele se invitatos: malle tamen Regi quàm ipsi operam navare: studium id illorum repudiare, nõ satis tutum visum, nè vel ad Michaelem transirent, vel exercitu regio promoto, ditiones Regias vacuas, vel Tartaricas Turcicas ipsas invaderent. Itaque contra communem potius hostem opera eorum utendum existimasse, cum de Tartaris etiã in partes traductis Michael gloriari diceretur, quid animi illi haberẽt, ut exploraret, & mandatum: maximè Bialogrodi: quo ob infesta itinera in Valachia divertendũ illi esset, ex Sendziaco quid cognosceret quamprimum Regi, Zamoiscioq; nuntiaret. Cumq; Bassa cum exercitu citra Danubium esse diceretur, eundem quoq; ut cõveniret, quæq; mandata de Temessare ad Cæsarem haberet, illi quoq; & Sendziaco, Bialogrod. ostenderet, ut quæ ipsi quoq; & vias in Germanicas partes Michaeli præcluderent, & Tartarorum Hamum cum pristinorũ fœderum nuper adeo ab eo renovatorũ, tum officij sui, ipsi quoq; admonerent, ab ipsis peteret, ut maximè enim Turca vexillum Michaeli misisset, hostẽ tamen ejus esse pro hosteq; ab illo haberi nemini dubium esse, remq; ipsam satis testari. Quemadmodũ jussus fuerat, Zamoiscium Leopolim jam progressum, Rembovius cõvenit. Ut si quid in illa temporum varietate novi incidisset, ejus consilio omnia ageret. Operæ pretium autẽ hic fuerit, barbarorum fidẽ cognoscere. Cum Jafer Czausius ad Regem venisset, literis, legationeq; Michaelẽ Regi commendabat, qua exposità, privatã audientiam petit, delegati Petrus Tilicius Episc. Culm. qui Vicecancell. munere tum fungebatur, & Leo Sapieha Cancell. Lith. Sumã hæc fuit. Mirari Cæsarẽ Turcar. cum permisisset Regi ut ipse, Palat. Transilv. & Moldaviæ daret, id non faceret, multò magis quod cum Andr. Bathoreum Principẽ Transilv. dedisset, tolli eum à Michaele passus fuisset, Michaelem exercitu, & tormentis instructum esse, cogitare eum omnino Poloniæ: Incommodare: Cæsarem Turcarum cùm in promptu, copias tam citò non haberet, vexillum quidem illi misisse, omnino autem ferre eum nolle, quid Rex cogitaret scire cupere. Demonstrantibus diversam orationem, ejus à literis esse respondit cum per Transilvaniam eundum sibi esset, periculi vitandi causa, aliter literas scriptas, aliter coram sibi mandatum, ut quæ certi aliquid de voluntate Regis sibi significaretur, petere. Interitus Cardinalis Batorei variis causis excusatus, in varia intentum esse coactum, Regem fuisse, Et Germanorum copias: quæ non procul inde in Ungaria fuissent, & exercitum Tartarorum, qui superiore anno in finibus regni fuisset, aliaque complura: à Michaele Regem Regnumque Dei beneficio non metuere, qui animus Regis esset, per suum significaturum. Ulterius urgente, ad Regem relatum. A quo eodem cum responso dimissus. Postea etiam literæ Turcicæ in Moldavia interceptæ, quibus si Michael filium in Aulam Turcicam obsidem mitteret, reditus ad gratiam spes ei fiebat: facilè ut appareret quo fortuna fuisset, eodem favorem eorum propensurũ. Sub idem autem tempus, quo Rembovius in Aulam Turcicam mittebatur ad Carium etiam Tauricanum Principem Goncius missus. Freto & pristinis & proximo fœdere, Socoriense majorem, legatum Succamerarium Braclaviensem designatum jam à se ad illum fuisse, cum Michael qui Valachiam præter opinionem repente occupasset, ejus fiduciâ se id fecisse gloriaretur. Goncium igitur prius se mittere, per quem declararet, starenè fœderibus velit, anve amicus, aut hostis esset. Zamoiscius Gliniano Reboulam progressus, plerasque turmas ibi cogit, cum si quæ ulteriores, essent, ut ibi convenirent, denuntiasset, inde Probozniam, tandem Skalam proficiscitur, ibi audito etiam Paulo Volucio Episcopo Camenecense, quibus cum mandatis à nobilitate ad Regem proficisceretur, cum in ea civitate aliquantum temporis mansisset, tardiusq; milites convenirent; maturaturos existimans, si inde versus hostem se progredi ex fama, & literis circummissis intellexissent, lentis itineribus, ante diem tertium Calendis Septemb. supra villam Philippinam consedit. Conjungit eodem die Zolkievius sua cum illius castris; Convenit pleraq; multitudo militum, in his Senatorij Ordinis non pauci, tum ex omnibus regni Provinciis, flos juventutis, cæteri indies expectabantur. Postera die consilio advocato oratione confirmandos Zamoiscius existimans: Si cum externis, inquit agendum mihi esset, longiori fortassis, oratione utendum mihi foret, nunc autem quis vestrum est? qui vel de injuriis Michaelis, vel nefariis ipsius in regnum consiliis vel cognitum non habeat, vel auditione sermonibusq; hominum non acceperit, queq; necessitates belli hujus non tam inferendi, quam propulsandi defendendique, Serenissimo Regi ac Reipublicæ sint, perspiciat? De Valachia etsi ab homine præsertim levissimo, cum genere contemptus, tum audaciæ scelerisque magnitudine, qua Provinciam regni, nullã injuriã lacessitus, nullo prius indicto, invadere occupareq; ausus fuit. Nulla ferè gravior injuria esse possit. Præ aliorum tamen scelerum consiliorumq; nefariorum, magnitudine, minus tamen querendum videri posset, sed cum initium quasi sit injuriarum ipsius, aliquid tamen dicendum videtur Neminem tam peregrinum in Patria esse puto, qui quo jure Provincia ea ad Regnũ pertineat nesciat. Quod in omnium enim recenti memoria est ut virtute laboribusq; vestris, superiore anno parta fuerit, sanguine vestro acquisita, maximis Turcicis Scythicisq; copiis amoris adjuncta: quo consilio constituta Hieremiasq; ei impositus, quem omnino vestrum latet? neq; tamen inde primum jus id ortum, sed vetustissimum solidumque, perpetuoque usu usurpatum & omnes scitis, & Cracoviensia regni tabularia testantur; In quibus plenæ arcæ feudorum. Valachicorum omnium una cum universa annorum serie descriptorum extant. Quæ quidem series nunquam interrupta fuit. Sed aliquantulum turbata, quo tempore Mathias Bohemiæ & Hungariæ Rex cum Friderico Imperatore, in contentionem discordiasq; venisset, fœdusq; cum Solimaño Rege Turcarum fecisset, ei tamen rei à majoribus nostris subventũ fuit. Miserũt Constantinopolim, docuerunt Solimañum Imper. Valachiam citeriorẽ juris esse regni Polon. meminisset, quibus verbis inter ipsum & Regem regnũq; Poloniæ pax esset sancita, cum quidẽ ille sibi præfidens, de jure eo regni se non magnopere laborare, dum stipendiũ ex ea Provincia sibi pendatur, respondit: Quod quidẽ stipendium neminem op⁹ est eo errore duci, ut existimet, jure aliquo belli esse huic provinciæ impositum: sed cum Palat. Valachiæ, tantas opes Turcarũ, tam eorum vigilantem, atq; adeo fortunatum ducem esse cerneret, occupatisq; magnam partẽ finitimis Provinciis eum sibi, jam videret, imminere, nec tanti se esse, ut eum impetum arcere posset petiit à rege & regno suppetias. Extorserunt hoc, difficilia illa tum regni tempora dũ uno tempore duo gravissima bella in Prussia & Moscovia gererẽtur, ut Rex illi in eã sententiã responderet, quoniã in prçsentia, propriis non posset, illũ armis defendere, bellis cum potentibus inimicis distractus, permitteretur, quam minimo stipendio, pacẽ Tiranni redimere. Paruit regi. Redemit. Bella interea ex bellis in universa Europa ferebantur, sed nulla unquam legatio Constantinop. missa: nulla reintegratio pacis facta, quin huic juri regis & regni in hanc Provinciam exceptione caveretur: semperq; nov⁹ Valachiæ Princeps in verba regis & regni jurabat. Cœpit deinde is Principatus Constan. esse venalis: Accessit quod Augustus Rex, ad togæ magis, quàm ad armorum consilia natus non tantopere id curaret: Illud tamẽ nemo unquã inficiabitur, quoties Turc. Imper. aut ejus Duces voluissent, superstitionis suæ huic Provinciæ dominũ imponere semper esse Polon. armis, fortiter repulsos, & eum Valachiæ præfecisse, quẽ Rex Pol. præesse animum induxisset: Quid Tarnovius, quid Sieniavius, quid Lascius, aut Mielecius egerint. Postremò nuper duce me regis & regni exercitus ad Socoram quid egit? qua quidẽ de re quid Clemens VIII. Pont. Max. censuerit quantopere ad occupandã firmo præsidio arcem Chocimens. unicum hujus Provincię propugnaculũ me hortari jusserit. Habeo nuntij ipsius Germanici Malaspinæ literas, quid tum Regis & Reipubl. exercitus perfecerit, quanta animi celsitate, in repri-

reprimendis prope innumerabilibus Tartarorum copiis uſus ſit: Baſſam de ſpe certa obtinendi Principatus dejecerit: hunc Hieremiam conſtitutum à Rege & Regno Palatinum confirmarit, omnes noviſtis. Cum igitur hoc certum ſit, quod indubium vocari non poteſt. Valachiam citeriorem ad Regem & Rempublicam noſtram pertinere. Hanc Michaelis armis per fraudem eſſe oppreſſam quis non doleat? cædes omnis generis hominum facta, Divina & humana jura violata: rapiuntur feruntur que omnia: proſtrata matronarum pudicitia: violata innocens virginitas, res ad dicendum audiendumque horribilis: non à puſionibus, non ab infantibus, puellis temperat libido cruentantur, exanimantur, necantur. Ea denique fiunt, à quorum commemoratione, refugit oratio, graviſſima hæc eſſe, nemo eſt qui non videat, graviora tamen multò, quòd his non contentus, ipſum Regnum à quo nullam unquam injuriam accepit invaſerit. In Pocutiam impetum fecerit, bonis publicis Regis privatisque Nobilium direptis, ſummam ei vaſtitatem intulerit, adhuc in oculis veſtris, tecta villarum collucent, fumant oppida conflagrata: veſtigia barbaræ crudelitatis compluribus locis cernuntur.

Itaque non Valachorum exercitum, ſed Polonorum fudiſſe prædicat, literisque ſuis, ad Scythas datis triumphat. Turcarum Imperatoris clientem ſe eſſe: ab eodem ſibi Regnum Poloniæ aureis literis deſponſum oſtentat: quod vel ſperare vel in mentem admittere, hominem viliſſimum auſum, quis non indignetur magis doleatque quam miretur; quoscunq; huic pulcherrimo Regno, vel æmulos vel hoſtes eſſe putat, eos omnes nuntiis, & literis ſpe præmiorum partitione Provinciarum, bonorum, fortunarum donatione ſollicitat: & tanquam ad prædam aliquam dividendam convocat, Auſtriacis Chriſtianis quidem Principibus, & Regno multis nominibus conjunctis, ſed Interregnorum magis pertæſis, quàm oblitis, Cracoviam ut fertur offerre dicitur: Moſco Lithuaniam: Carolo Livoniam infimam plebem & agricolas ad pileum vocat: ad cædem dominorum ſuorum incitat: Poſtremo hoc impuro ore ſuo jactare non dubitare eum fertur, plures eſſe in Polonia proceres qui ſe Regem quam Sigismundum eſſe malint: eorum ſe literas promiſſa cohortationes haberet. Neminem ſane tam degenerem qui modo in Poloniam natus ſit eſſe, in animum inducere poſſum: ipſum ſuas potius ſpes ſceleſtas cogitataq; prodere puto. Quod juſtius igitur bellum, quam pro Patria pro aris, & focis eſſe poteſt? ſed bellum cum juſtis hoſtibus eſſe ſolet; Hoc non cum Archiduce Maximiliano, Turca, Tartaro vel Moſco, ſed cum uno perfidiſſimo latrone eſt, neque illud ſane eſt, quod movere quenquam debeat, quod turbatis infectisque rebus ex Comitiis diſceſſerimus. Nulla unquam maxime libera Reſpublica, tam fœlix fuit, quæ non ſeditioſos, turbulentosq; cives aliquot habuerit: propterea tamen non à Rege à magiſtratibus, à bonis viris, quorum per Dei gratiam, major adhuc apud nos numerus eſt, deſerenda.

Maximas igitur agere Deo gratias, quod pro amore ſuo erga Regem, & regnum eam mentem viris militaribus dediſſet, ut ad furentis hoſtis impetum concurrerent, & ſuo ad Neſtrum adventu eum reprimerent, præclare feciſſe Zolkievium campeſtrem Ducem præclare Struſſium Caſtellanum Chalicienſem, præclarè Potocios & nobilitatem cum fortiſſimis militibus; qui tam neceſſariam operam, adeo neceſſario tempore Regi & reipubl. navaviſſent: Iis quoque ſe pro eo, atque meriti ſunt gratias agere, neque apud Regem atq; Rempub. tantam illorum virtutem, pietatemque ſilentio prætermiſſurum. Divinæ animi magnitudinis inquit fuit, paucos contra magnas hoſtium copias ſtetiſſe; hoc eſt Patriæ omniumq; ſalutem ſua vita duxiſſe cariorem, vobis vero, inquit quod genus tantum gratiarum reperiam, qui huc partim amore, patriæ ſponte veſtra confluxiſtis, & quas opes quasq; fortunas virtute aut felicitate veſtra majorūve veſtrorum partas habetis cum in rempubl. defendendam contuliſtis partim ſtipendia merenda vobis duxiſtis; nulla poſteritas pij animi obliviſcetur, nullæ literæ ſtudium hoc veſtrum reipubl. formidoloſo tempore oblatum tacebunt. Ad preces deinde ad Deum converſus, ut juſtiſſimæ cauſæ, contra injuſtitiam: rationi contra libidinem & audaciam: pietati contra nefaria ſcelera faveret, precatus fuit. Sermonem ejus excepit, militaris approbatio in eandem ſententiam favorem cœleſtis numinis implorantium. Miſerat quemadmodum ante oſtenſum fuit Michael in Pocutiam partem copiarum: quæ maxime Stephani Potocij, aliorumq; vicinorum poſſeſſiones diripiebant, omnia rapinis cædibusque miſcebant: illis Niſcitio cum mille circiter, & centum partim equitibus, partim peditibus, oppoſito mox ſe recipiunt. Priusquam deinde Neſtrum trajiceret, legibus edictisq; militaribus diſciplina ſancita: Poſtea cum Nizovij adveniſſent; Duobus ipſi agminibus in quorum ſingulis novena ſigna, equites ipſi etiam incedebant: Illos tormenta quæ ad ſedecim ſecum ducebant ſequebantur. Cum Tormentis cohors Regia peditatu Coſacorum ſuffulta, eos aliud agmen equitum in quo ad octo ſigna militaria erant, claudebant. Peditatus omnis ultra 5000. erat. Caſtrorum idoneo loco rectè & ordine ponendorū præficit Staniſl. Gorſcium. Hoſtes omnes oram quæ circa Chocimū eſt littori continua, cuſtodiis diſpoſitis tenebant; eo Zamoiſcium venturi arbitrabantur, quòd & arx Chocimenſis in quâ obſidendo excubabant, hoc poſtulare, & caſtra

Zolkie-

Zolkievij eodem hærentia loco id ipſum præſeferre videbantur, & ita vulgo ferebatur. Ipſe ſitus loci cum illis faciebat, quod ex ſuperiori in qua conſtiterant, prærupta directaque ripa, in alteram ripam in planiciem, porrectum omnis generis tela conjici poſſent, ſi qui tranſire conarentur. Itaque Luca Sernio accerſito docet, quale vadum clam hoſte ad traducendum exercitum inventum ab eo eſſe vellet.

Quarto igitur Septembr. ad Tropolam exercitum trajicit, quod ſi ex ſua ripa impedire trajectum vellet, facile ex citeriore ſummoveri poſſent, priusquam trajiceret, literas ad Regem dat, quibus & quæ agantur, illi ſignificat, tum ſimul valedicit, & cum de Republica tum maxime de inſtitutione filij quæ ſequenda illi putaret. Salutaria aliqua conſilia ei ſubjicit: Moldaviam ingreſſus, ad dextram deflectit: maxime Taginæ ſylvæ, Alexandrina clade nobilis & tum latrociniis famoſæ, vitandi cauſa, ea igitur exercitum ducebat, qua quam rariſſima ſylva eſſet, vixque quatuor tractus arcus patebat: Priusque in agrum hoſtilem venit quam hoſtes omnino Valachiam ingreſſum ſenſiſſent. Sub idem tempus, Sigismundus Bathorius ad Zamoiſcium in caſtra venit, eumque ſequens, Tyrannidem autem Michaelis fugiens, Siculus Moiſes qui ſummus militiæ Tranſilvanicæ apud Michaelem, Dux & ſummæ autoritatis erat, cum nongentis circiter equitibus ad eum transfugit: hoſce tam opportunè ſe offerentes, non rejiciendos ratus non in trimeſtre ſed ſingulos menſes ſtipendium illis condicit. Bathorio ſpem principatus, per hanc occaſionem repetenti, ſine mandato Regio, non modo promittere, ſe quicquam, ſed ne ſpem quidem ullam facere poſſe, negat. Significabant autem Tranſilvanos contra Michaelem publicè conjuraſſe, excutere, quæ decreviſſet, ita in periculo illum conſtitutum copias omnes in Tranſilvaniam revocaſſe.

Zamoiſcius quocunque in loco hoſtem reperiſſet, perſequi certus, ſi Deus fortunaſſet, quid de Tranſilvania Moltaniaque, conſtituendum eſſe deliberabat. Putabant autem ſi in poteſtatem veniſſent, & Moltaniæ exemplo Valachiæ, ex ſententia Regia imponi, aliquem poſſe. Et Tranſilvanos ut conventu indicto legatos ad Regem mitterent, exque ejus autoritate, ſtatum Provinciæ, conſtituerent, ſacramento adigi poſſe: ejusque rei quin omnis in ſe invidia à Rege derivaretur, non recuſare. Quemadmodum enim Cæſar, in Valachia perpetratorum cauſam in Michaelem, qui injuſſu ſuo illa turbaſſet: conferret pœnam tamen nullam ab eo exigeret; ita ſe quoque invidiam nullam detrectare: deditionem ſeu pœnam ita de Rege & Republica meritum deprecari. Eaque de re ad Nuntium etiam Apoſtolicum literas dat, quo non ſolum ſummo Pontifici, verum univerſæ etiam Chriſtianitati, perfidia injuriaque Michaelis innoteſcerent. Non parvo autem in metu verſabatur, quod exercitum & Turcicum, ultra Danubium, & Tartaricum in vicinia eſſe cognoverat, quorum hic Tranſilvaniam: ille Moldaviam ſeu Valachiam invaſurus putabatur, ac in itinere quidem eo, à trajectu duo eum Chauzij convenerant, qui ad Regem ibant. Reddiderunt illi Machmetis Baſſæ, ad ipſum ſeorſim ſcriptas literas: eas Zamoiſcius ſignatas, ad Regem mittit. Is mos ejus erat, quascunq; vel barbarorum, vel earum partium Principum literas accepiſſet, ut nullas unquam aperiret, ſingulas ad Regem perferendas curaret. Nuntij copias Regias mirari: lectam & apprime inſtructam juventutem ſuſpicari ejusmodi exercitum, non contra Michaelem, ſed contra Principem ſuum comparatum. De incolumitate Hieremiæ quærere: extinctum à Michaele Conſtantinopolim perlatum, re uti erat ex Zamoiſcio intellecta, & Hieremia viſo ad Regem perrexerunt, uno ex ſuis qui pocillatorem Turcarum ſe eſſe dicebat, qui vivere Hieremiam nuntiaret. Conſtantinopolim remiſſo, Tartarus etiam opem ſuam contra Michaelem ulrro Moldavo detulerat, & tum ad Zamoiſcium ipſum Nuntium literasque miſerat. Ex Senatorum qui in caſtris erant, ſententia reſpondit: Regis maximis Michaelis injuriis provocati juſſu ad illum perſequendum, pœnasque ab eo ſumendas, cum exercitu veniſſe: quocunque loco nanciſci eum poſſet, perſequuturum: opem auxiliave ejus tanquam contra communem hoſtem non reſpuere: ſed exercitum non parvum ſe habere, ut provincia tot bellis exhauſta utrumque exercitum tam copioſum ferre poſſit.

Vereri rectius igitur facturum, ſi circa Bialogrodum potius eum obſervaret, inque conatus ejus intentus eſſet: ſe quoque, quo converſurus ſe hoſtis eſſet, diligenter cogniturum, & quo opus illo, aut exercitu ejus eſſet, ei ſignificaturum. Ne ipſius quidem Hieremiæ Palatini Moldaviæ fidei ſatis credebat, qui & Juramentum à Zamoiſcio illi fratrique ejus delatum recuſarat, cuique apud Joannem Fælicem Herburtum exciderat, de fratrem ſuo in Moltaniam ſpem à Tartaro ſibi factam, itaque ne ſe deſerto, ad illius opem ſe conferret, verebatur, uxoremque ac liberos ipſius, quos Camenecijs ad Capitaneum Camenecenſem ob periculum Michaelicum translatos depoſuerat, obſidum loco diligenter obſervari mandabat.

Voluntarij ad hæc non pauci dilabebantur. Coſaco nondum venerant, inter hæc Rex Sueticis, etiam Livonicisque Rebus preſſus Senatores, ita Zamoiſcium quoque, & eos qui in caſtris erant, de tempore locoq; Comitiorum conſulit. Erant in exercitu

tres

tres Palatini, Caſtellani aliquot, nobilitatis Ruſſicæ, Magna pars. Unanimiter petunt, ut exitum operæ ejus, quam Regi reiq; publicæ nunc navarent; expectarent. Iniquè ſecum actum iri. Si in miniſterio publico conventibus, communique comitiorum conſilio excluderentur. Sub finem Septembr. Jam Coſaci, etiam ad exercitum veniunt, cum autem in proſcriptione adhuc verſarentur, eo magis verebantur, ne ad exercitum pellecti, circumvenirentur, graviusq; aliquid in eo ſtatueretur.

Legatos igitur prius ad Zamoiſcium mittebant. Per quos & abolitionem proſcriptionis & ſtipendium pannosque, & reſtitutionem Terecktimiroviæ à Rege petebant: quæ poſtulata eorum diligentiſſime Regi Zamoiſcius commendabat, quæ in præſentia concedi non poſſent, ut ſtipendium & Joanni, ut ad Comitia rejicerentur ſuadebat: Interim donativo aliquo retinerentur. Cùm autem non ſine maleficio quà iter feciſſent, trāſiiſſe dicerentur, in calones lixasq; qui caſtra ſequerentur, ſi quid damni datum eſſet, conferrebant. Cumque Samuelem Koſtkam conſultò tardaſſe in itinere, ad exercitum ſuſpicarentur, illo dejecto Chaurielem Kazimierzem, qui una cum Sierakovio cubiculario Regio, legationem apud Regem obierat, ſibi præfecerant: Duces Michaelis ubi allatum ad eos eſt exercitum trāſiiſſe, faginos ſaltus Regionemque Chocimenſem, caſtrorumque ſuorum Zamoiſcium ſuperaſſe, primò non credere: Potocium villarum ſuarum, conflagratione irritatum coacta ſuorum manu veniſſe exiſtimare: Poſtea vero cum Zamoiſcium eſſe, cum exercitu Regio compererunt, inopinata re exterriti & ne circumvenirentur veriti, ſublatis ſignis Soczavam contenderunt, ibi quid faciendum ſit conſultant: copias Regias eſſe magnas; augeri indies: voluntati tamen Provincialium erga Michaelem confidere. Nam is ad novos Tranſilvaniæ motus ſedandos, recepta Soczavienſi arce in Tranſilvaniam redierat. Conſtituunt ad eum proficiſci: ad arcem tuendam cum trecentorum militū, præſidio Joannem Kapturi, & Nicolaum Forgas relinquunt: eodem inſigniores matronas, cum liberis recipiunt, maritis excluſis: hortantur, ad fidem Michaeli conſervandam; dierum ſpatio decem, aut ipſum, adfuturum aut auxilia firma miſſurum: Virtuti fœlicitatique ejus quam ſcirent invictam, cōfiderent. Atq; ita, ſive etiam à Michaele ipſo ob motus Tranſilvanicos evocati Provincia excedunt. Multas occaſiones rei bene cum illis gerendæ fortuna dabat, cum alias Udra, alias Marcus Deli, ſæpius Baba Novak, proximos ſaltus quà ducebatur, exercitus Regius explorandæ rei cauſa, ut ſit inſiderent, & identidem vagarentur: neque deeſſent, qui eos adoriendi poteſtatem à Zamoiſcio dari, ſibi vehementer flagitarent, ſed ille animo ipſorum collaudato, eum exercitum, maxime hoſti, formidabilem videri reſpondit, cujus nullæ partes disjungerentur; tum in perſequendo fugaci hoſte, nil profici, viros equosque defatigari multorum dierum ſpatio refici defatigatos. Integras maximè recentesq; vires ad hoſtem adferendas. Multis tamen locis & à Niſcicio & à Zborovio, & à Coſacis Sarogrodienſibus, hoſtes paſſim cædebantur, adducebanturq; vivi: Præciſum oſtentabatur, Sabbati, Scerbi, caput; quingentis militibus præerat, ab ineunte ætate, in perpetua militia ſecundo ſemper flatu fortunæ verſatus hunc exitum habuit. Ab hoſtibus nullus è Regio exercitu exceptus eſt, niſi qui vel comeatu competito vel perperam petito, vel ſpe evocatus prædæ quod Calonibus accidebat cæcus, in hoſtes ipſemet incurreret. Incendia tectorum deinde, quæ increbreſcebant capitis pœna prohibita multitudo provincialium univerſa, ex omnibus pagis, agris, oppidis, civitatibusq; in arcta ſylvarum, & in montium avia, abrupta cum omni ſuppellectili, domeſtica armentisq; & gregibus conceſſerat, ſive terrore præſentis exercitus, ſive conſcientia defectionis ab Hieremia, ſive quod in Michaelem inanibus ejus pollicitationibus magis animi propenderent; Ex illis latibulis nemo quisquam nobilium, aut infimæ plebis ad dedendum ſe aut ad teſtandam fidem erga Principem ſuum prodibat, exercitus commeatu abundabat. Frumenti magnus numerus in agris, & in ſpecubus arte excavatis erat, eximia ſpecie, & magnitudine boves gregatim agi videres. Caſtra mox inde ad Socaviam flumen movet; Zamoiſcius non fruſtra terendum, tempus ratus, ac penes quem ſumma rerum futura eſſet, in ejus poteſtatem præſidium etiam, id ſua ſponte venturum ſtatuebat; itaq; caput belli potius ipſum Michaelem petendum ratus, cum præſertim tormentis, ad oppugnationem minùs, inſtructus eſſet, non modò non tentandam eam exiſtimavit: Sed præſidiariis decem dierum inducias petentibus, intra quos niſi Michael, opem illis ferret, præſidio decederent: libens eas, illis dedit mille tamen circiter ex Valachis in cuſtodia ejus reliquit, qui ingreſſus exitusque omnes ejus per id tempus obſervarent.

Præter Valachos Georgium Snicium cum Pruſſicis viceſimariis, Coſacorum Xiaſcij turma relinquit. Puteus in arce non ſatis commodus minusque aquæ habebat: Ille autem aquatione ex flumine diligenter eos prohibebat. Zamoiſcius ipſe Bakoviam à Socavia movit, cognoſcit ibi quæ in Tranſilvania acta fuerant. Qui ex nobilitate Tranſilvanica relicti fuerant, Duce Czakio Bialogrodum, ubi ipſe cum exercitu erat, verſus eum moverant.

Id cùm ipſe præſenſiſſet; in aciem cum exercitu decem circiter millium, progresſus verſus eos fuerat. Ibique ſylva vicina tectus, caſtra collocarat. Incerti animis, exercitusnè Regij, acceſſiſſent auxilia, quē ultorem Valachiæ citerioris, jam Soczavā perveniſſe audierat, an Cæſarei cui præerat, Georgius Baſsta, in eam occaſionem intentus, ſi quo pacto perjurij in Cæſarem à Michaele pœnas repetere poſſet, quod is pecunia, Cæſarea milite conducto vacuam, Imperio Battoreorum Tranſilvaniam, cum feciſſet, ad ſuum tamen eam dominatum, potentiamque transtuliſſet. Anxius erat eo Nuntio Zamoiſcius quod ea commutatione rerum, conſilium quoque rei gerendæ commutandum ſibi eſſe intelligeret. De conſilij ſententia eundum in Tranſilvaniam ſtatuit: Tranſilvaniam altiſſimi undique cingunt montes: aditus ad eam rari ijque difficiles & anguſti; Ad explorandam itaque loci naturam atque ad occupandos anguſtias, Tatruſana via Jacobum Potocium, cum Moiſe Sekiel, præmittit: etſi res facultatem daret, & Tranſilvani eorum auxilio uti vellent, ſe cum illis conjungerent, quæ agerentur cognoſcerent, exiisq; ſibi nuntiarentur, conſilium deinceps capturus. Itinere ulteriori pronuntiato, adeo quorundam animi labeſcere cœperunt, ut ex voluntariis multi quacunq; cauſa excogitata, commeatum à Duce peterent, pars commeatu vel non petito vel non impetrato, præter verecundiam diſciplinamq; militarem, dilaberentur. Pars avaritia præceps, cum armentis & gregibus, omnis jumentorum pecorumq; generis, tanquam prædatum non militatum veniſſent, veluti cum hoſtilibus ſpoliis in Poloniam contenderent. Quos etſi tales oneri magis futuros fuiſſe exercitui ſi reſtitiſſent, quam uſui exiſtimaret: diſciplina tamen neglecta: Sollicitus erat, rapinas etiam ſub Turcæ pœna interdixit. Biſtriciam inde contendit. Redduntur illi à Botocio & à Sekielmoiſe literæ. Cognoſcit Tranſilvanos advocato Georgio Baſta, ſigna cum Michaele, ſecundo Marte moræ impatientes contuliſſe, Michaelem in ipſo puncto initi prælij ab Ungaris deſertum, accepto, detrimento Forgaſſūm refugiſſe, eoque in loco matrem ſimul uxorem & liberos univerſamq; Gazam ſuam depoſuiſſe, conflixerat autem Michael numero, adverſariis impar nondum coactis, in unum locum ſuis copiis felicitati quæ ſibi aſpirare videbatur confiſus, doli militum ſuorum ignarus, ſed è veſtigio conveniunt, ad eum ex utraq; Valachia, filius & Udra & Delimarus duces, cum exercitibus quisque ſuis: confluunt. Siculi aſperum & montanum hominum genus. Conficit numerum quinquaginta millia militum. Permoti ea re Tranſilvani, & Georgius Baſta, ad certas conditiones compoſitionemque Michaelem admittunt. Nam Michael percepto in Tranſilvaniam Potocij adventu, Zamoiſcium cum omnibus copiis veniſſe exiſtimans, eludendi ejus cauſa, in Tranſalpinam Valachiam Brazovum verſus proficiſcitur. At Zamoiſcius ſimul atque Michaelem malè pugnaſſe cum Tranſilvanis cognovit. Omiſſo Tatruſano itinere, Brazouum contendit, Potociumque revocat, fore id quod accidit conjectans ut in hoſtem, via Brazoviana inciderit, aut patentiore itinere, quam eſt Tatruſanum, ingreſſus Tranſilvaniam, eundem deprehenderet. Iter facienti Koſacovius & Koſilnicius nobiles Poloni, cum quingentis equitibus occurrunt. Rebus tranquillis ad Michaelem profectos, nulla tum adhuc perlata lege, quo minus pacato Regni tempore, cui quisq; vellet, militarem, navaret operam. Subitum contra patriam bellum Michaelis oppreſſerat. Narrant ſe ex prælio ſalvos duodecimo Calendis Octobris ad Albam Juliam commiſſo venire de exercitu Regio nihil ſenſiſſe: tantopere id apud Michaelem, arcanum haberi: inſcios obviam, Zamoiſcio eſſe & magnopere lætari: Zamoiſcius pro tempore paucis reſpondet, ac in exercitu Regio ſi vellent, poteſtatem remanendi facit, quatuordecimis à Socava caſtris Foxanum perventum eſt, qui pagus Tranſalpinam Valachiam à Citeriore dividit: Foxano tertiis caſtris Ventum Brazovum: Tertio idus Octobr. à Brazovo caſtra movit, verſus hoſtem. Nuntiabant exploratores in proximis montibus eum latere: ex eo judicat, hoſtem ſuperiora loca ſecuturum neque ullo modo diſceſſurum, à montibus qui perpetuo dorſo utramque Valachiam à Tranſilvania ſe parant. Non alienum fortaſſis hic fuerit, utramque Valachiam hoc in ingreſſu ulteriori, paucis deſcribi. Valachia recens nomen eſt, antiquis pars erat Thomorum & Daciæ vel ut alij cenſent Meſſiæ, Getarum ſedes Romani Imperij verſus Septentrionis fines, quorum defendendorum cauſa junctus fuit, à Trajano Imperatore ingenti ponte Danubius: demerſi reliquiæ cernuntur, & continua ibidem Italici generis præſidia habita. Continetur à meridie Danubio flumine, à Septentrione Tira ſeu Neſtro, ab Oriente ſole Ponto Euxino, ab Occidente perpetuo Montium jugo. In planitiem paulatim devexo contermina ſibi Tranſilvania terminatur. Diviſa in partes duas eſt. Quarum Poloniæ Regno conjuncta citerior appellatur Moldavia. Capit initium à Neſtro, pertinet ad pagum Foxanum: Altera ulterior à media Foxani parte oritur, pertinet ad Danubium nobilem Europæ amnem vocaturque Valachia. Interdum, additur illi Tranſalpinæ nomen, utriusque Moldaviæ flumina nobiliora hæc habentur Neſter ſeu Tyras, qui ſupra Chaliciam Casſoviæ montibus exortus Podoliam à Moldavia ſecernens in Paludem Ovidianam Ponto Euxino reſtagnantem influit, Plutus, fretum Dieza, Szocava cum ignobilibus fluviis Danubio illapſa ad Pontum Euxinum feruntur.

Valachiæ amnes inſigniores numerantur: Biſtri-

Biſtricia Boża, Tellazin, Olitas, Talonicza, omnes è Tranſilvaniæ montibus promanant & diverſis locis Danubio miſcentur, ambæ Provinciæ ſuum habent principem: cujus Imperium ſequuntur, Moldavia in decem octo territoria partitur Urbes præcipuas ubi domicilia ſua principes habere ſolent hæc habet, Chocimium, Szocavam, Taſſium totius Provinciæ firmiſſimum propugnaculum, ad ſuſtinendas tamē noſtri temporis oppugnationes majorumq; tormentorum fulmina perferenda, perimbecillum. Nobiliora territoriorum Moldaviæ oppido hæc ſunt, Stephaneſtum, Orcheus, Siroca, Lipuſtinū, Gilchecum, Cernevecium, Botizanum, Romanovium, Bakovium, Ticutium, Burlatæ. Valachia quoque Tranſalpina, in territorio, 24. diviſa eſt. Primariarum urbium hæc ſunt nomina, Targoveſtum vetus Regia Principum, Recentiores Bukoreſtum, vocant & Georgiza, Territoriorū inſigniora oppida hæc ſunt, Boza, Rameium, Ruſdenum, Cralovium cum ſeptem territoriis Duci militiæ attributa, Tilocium & Braclum, Turcicis præſidiis tenentur. Sed hæc quæ enumeravi, quondam floruerunt, nunc accuratius vix ullum tectum videas, jacent proſtrata bellorum cladibus omnia: viſuntur terræ in altum tumuli prælıorum ingentium teſtes. Solo utraque eſt fertilitatis eximiæ, campis & ſylvis amœna: Vineis & pomariis melitonibusque ad voluptatem & copiam ferta, cœlo temperato: agrum Picenum. Italiæ dicas, armentis & gregibus jumentorum pecorumq; omnis generis vix ullam provinciam Europæ affluentiorem eſſe credideris, eodem propter apricum atque Eſtuaria ingens advenarum ex gelidis locis avium multitudo convolat. Hinc aucupia: Saltus etiam apti ſunt, ad venandum. Vario differt genere ferarum; Bubalimiciores quàm usquam, piſcatio rara eſt, Itinerum menſuras non habent, dierum ſpatio illa definiunt, ipſa gens bellicoſa & ingenio ſolerti: Si accederent literæ magnarum artium capax. Itala Slavicæ confuſa illi oratio, mores inſtituta religio, ex præceptis hauſta diſciplinæ, Græci ſchismatis. Si tamen ab aſſiduis partim Turcicis, Tartaricisque, partim ab inteſtinis bellis vacare liceret, dives opum, auriq; & argento Regio ad omnem humanitatis cultum & ſplendorem brevi traduci poſſe videtur. Zamoiſcius Tranſilvania relicta in Moltaniam ſe convertit, Longomajorum duobus à Bakovia milliaribus caſtra movet, ubi dum itinera resque Michaelis diligentius exploraret, unum atque alterum diem ſubſiſtit. Michael poſt rebellionē Tranſilvanorum quemadmodum oſtenſum eſt, Braſſoviam ſeceſſerat, ibique copiis omnibus coactis tam iis quæ ex Moltaniæ, quàm Valachia convenerant, ſiculis etiam qui in partibus ejus perſtabant receptis quinquaginta circiter millium exercitu confecto in ſpem retinendæ Tranſilvaniæ venerat. Sed adventu Jacobi Potocij quem cum parte copiarum Zamoiſcius in Tranſilvaniam præmiſerat, itinere ejus via Biſtricenſe ulteriusq; quaſi verſus ſe via quæ ſupra Cik eſt cognito veritus ne exercitus reliquus omnis Regius ſequeretur, Tetruſium verſus ſe contulit; è Tranſilvania in Moltaniam Zamoiſcius itineris ejus adhuc ignarus, cum tantum latiorem viam eam eſſe cognoviſſet, eadem exercitum ducit. Quamprimum de itinere exercitus Regis accepiſſet Babam Novacum primarium è ductoribus ſuis verſus eum mittit qui è latere quo iter exercitui erat in anguſtiis montium ad villam Nagenia ſe collocavit. Michael ſub oppoſito monte caſtra habebat, die Dominico cum verſus locum eum progrederetur, Baba Novak velitandi cauſa obvios nonnullos miſit cōtra quos ex noſtris etiam ſtudioſè diverti ſe proripuerunt, feliciterq; velitati cum illis fuerunt. Zolkievius ſignificat. Zamoſcio, petere Coſacos, ipſis quoq; ire verſus eos permitteretur: ex nobilitate alios non paucos. Viſum Zamoiſcio fuit, ut turmas aliquot una ad eos mitteret à Sobieſcio Palatino Lublinenſe maxime animatus qui locis ſitu perſpecto periculo vacare rem confirmabat. Zaporienſium interim pars imperio etiam non expectato verſus hoſtem progreditur ex reliquo etiam exercitu non pauci alacres eò tendunt: Imprimis Chodkievicius Capitaneus Samogitiæ, Petrus Laſſe, Bekieſius, alijq; complures conflictuq; inito loco hoſtem pellunt, non paucos occidunt, vivos captivos advehunt. Non parvum momentum ad eam rem Zbaraſij fratres Palatinidæ Braclavienſes cum ſclopetariis quos pater miſerat attulerunt. In altero monte è caſtris hoſtium nonnulli ſe etiam oſtenderunt; ad quos parte Coſacorum converſa cum ab illis premerentur turmæ excubitoris, & Vaclavi Zamoiſciorum. Davidicaque ſubſidio illis miſſæ fuerunt, eodemq; quo hoſtes loco dejecti aliarum turmarum adventu fuerant, ad ipſa caſtra Michaelis impetu noſtri delati. Solum Valachiæ molle & cretoſum eſt, amnibus non adeo frequentibus, quo fit: ut ineunte Vere cum multa glacie & plurima nive rigidi montes ſolvantur, & liqueſcant, præcipiti diluviei & ruentibus ingenti impetu, torrentib⁹ cedat, & in altiſſimas foſſas præruptis utrinq; ripis intuitu horribile deprimatur, propter graminū herbeſcentium altitudinem priusquam ad ipſos ventum ſit. Non animadvertatur, è loci natura cœpit conſilium, & partem militum in radicibus montis arbuſtis vineis conveſtitis recondidit. Michael poſtridie ulterius progreſſus ſupra viam, foſſasq; quæ ſub ea ex frequentibus fluviis erant, ad villam Sekatim caſtra metatus fugit. Cum noſtri accederent velitatum aliquot obviam eis miſit, è noſtris non minus alacriter obviam aliqui illi progreſſi, è Coſacisque nonnulli, atque ita per dimidium fere milliare, velitatione ducta, hoſtes

hoſtes interim ceſſēre, donec ſub colle inter vineas ad villam Kapturi exercitum cōſtituit, peditatuq; & tormentis eo firmato plures ad velitandum contra noſtros ſuis ſubmittit. Noſtris ab initio adventu à tergo turmarum aliquot Valachicarum quas inſciis Zamoiſcio & Zolkievio dum exercitus adveniret Palatinus Valachiæ, auxilio illis miſerat, Multanica ſigna exiſtimantes, perturbati nonnihil fuerāt. Exercitu poſtea ſupervenięte, vires animosq; recipiunt, cum tormenta etiam advecta fuiſſent, aliquot juſſu Zamoiſcij non ſine noxa exploſa contra hoſtem fuerunt. Contra exercitum ipſum, cum loco tuto conſtitiſſet, cumque nox interim superveniſſet, eodem loco Zamoiſcius etiam caſtra metatus fuit. Michael ſub montes ſe ſubducens eo loco pernoctarat. Summo mane inde quemadmodum pridie fecerat, per ulteriores montes exercitum ducit, Zamoiſcius ad Krikow flumen diem eum integrum cum exercitu ſubſtitit, cum recolligendi ejus, tum commeatus maxime autem aquationis cauſa, quam per triduum fere valde exiguam habuerat, ſolum enim ſatis alioquin fertile feraxq; aqua fere caret, poſtridie inde Pleſtrum movet. Ubi Michael moribus vitæ ſuæ convenientibus, deliciis vacare ſolitus fuerat curiamq; conſtituerat, inde in montes in quos hoſtis poſt prælium ſe receperat, Targoveſtumq; ſedem provinciæ convertere ſe Zamoiſcius cogitabat, per exploratores interim cognoſcit, occaſioni invadendi exercitus noſtri Michaelem intentum eſſe. Ex illo igitur loco cladibus Turcarum inſigni Michaelem in latebris ſuis, antequam ex illis in ſe erumperet, præveniendum Zamoiſcius ratus, poſt mediam noctem ſummo ſilentio ex caſtris cum delectiſſimo milite egreditur, relicto ad defenſionem caſtrorum omni Calonum famulitij vectorumq; turba, conſtitutoq; ita præſidio, per medium Plovecti oppidi progreditur, per mediamq; ſylvam quæ ad oſtium fuit, montium quibus Michael ſeptus erat. Primo jam ſole illuceſcente, nebula obſcuriſſima proſpectum exercitus noſtri hoſti præripuit, cujus interventu quaſi perpetuata nox viſa. In ipſo conſpectu exercitus Michaelis diſcuſſa fuit. Zamoiſcius montem vicinum occupat, proſpectus ex eo in caſtra hoſtium totamque aciem erat, animadvertit, locum in quo hoſtis erat, imprimis tutum difficilemq; aditu eſſe, ex tribus partibus montes, prærupti ſylvis conſiti, illum circumdabant. Quartum latus per quod ingreſſus erat, fluvius Telazin ob divortium bis transeundus, & limoſa foſſa ſylvaq; denſiſſima, peditatus prętereà hoſtium cum Tormentis in inſidiis conſpiciebatur. Tormentis igitur in montem eum quem occuparat, ſubductis, aliquoties ea in cohortes eas exploſa. Ab hoſtibus interim unus Ungarus, alter Valachus, transfugientes quo quisque loco ex hoſtibus conſtitiſſet oſtendunt. Coſaci etiam Zaporienſ. quid mandaret querunt: Oſtendit prælium ſe commiſſurum, inſidias ſaltem, quæ in ſylva poſitæ eſſent, ſe vereri: recipiunt ſe illas ejecturos. Zamoiſcius etiam ſubſidia illis pollicetur. In caſtris Michaelis interim tentoria currus & omnia impedimenta raptim correpta, in fugam vertuntur; Ad quæ diripienda Zamoiſcius exercitum mittere noluit, ne prædæ inhians, noſter exhauſtus miles, expoſitus eſſet cædi: Michael enim poſt ſylvam quæ loco clauſtri illi erat, ita exercitum remote à caſtris diſpoſuerat, ut in primo ingreſſu obvia caſtra noſter miles diripiens, à tergo & à latere opprimi poſſet. Poſtquam duarum fere horarum ſpatio acies Michaelis terribili & crebra tormentorum exploſione, ſumma cum multorum cæde turbarentur, jamque rapina illa caſtrorum in fugam eſſet verſa, immittit exercitum Zamoiſcius ab uno & altero monte, à fronte pedites, à dextro latere Coſacos, à ſiniſtro delectiſſimos equites hos ſubſequebantur, acies haſtatæ, omnibus difficillimus erat ad hoſtem acceſſus, nam cum pedites primo præcederent. Pedes Polonus brachio tenus, per aquas fluvij, & limoſam, ſubſequentem paludem ægre ad hoſtem evadebat, pixidibus interim iter ſibi ulterius aperiendo. Pedes Coſacus per ſylvam arbuſtis, rubetisq; confertiſſimis plenam, difficulter ſe ad hoſtem, totis viribus trahebat. Pedites noſtri cum hoſte fortiter, quoq; inſtante, ſed tunc bene impetito & turbato tormentis configebant: Jam & delecta cohors, trajectis arduis anfractibus, id ipſum peditum latus, ſtrenue invaſerat jam & acies remotiores hoſtium poſt ſylvam: in inſidiis latentes, tam equitum quam peditum, ſuis in ſuccurſum advolabant. Jam & Michaelis ſubſidiariæ cohortes, terga noſtrorum curſim circumire cęperant. Cum Coſaci poſtquam ſe ex rubetis in planiciem extraxiſſent, hoſtes à dextro monte, planeq; à tergo ſummo cum clamore cædunt. Tunc illi videntes ſuas inſidias à Coſacis eſſe perturbatas: quaſi jam nihil aliud reſtaret, in ſiniſtrum, alij in dextrum montem: alij recta poſt præcurrentes currus, abjicientes loricas galeas: haſtas arma denique ipſa, ne celeritati obſtarent; præcipites per invia loca fugiunt: inſequuntur noſtri, & ſumma hoſtium cæde omnes valles, omnes montes, omniaque circum loca acerrime complent: hoſtium ad quinquaginta millia fuiſſe conſtat. Militem enim omnem qui poſt cladem, Tranſilvanicam, reliquus illi fuerat, ex omnibus partibus congregaverat, noſtrorum vix viginti millia fuerant. Et tamen Dei beneficio vix quinque in prælio perierant. Magna ſane res, omniumque opinione major acta, non ſolum victoria tam clara, ſed quod pernicioſiſſimi hominis, ſine dubio interitum Poloniæ meditantis conatus à cervicibus, quaſi ejus remotus videretur. Veſpere fere imminente receptui Dux canere juſſit: ad caſtra cum victore exercitu revertenti, cum ſupplicationibus ſolitis, obviam, ſacerdotes progreſſi: Ipſeque quæ pietas ejus erat, in faciem mox procidit.

cidit. Deoque gratias agens, prius ſe non ſuſtulit, quam hymnus ſolennis finitus fuiſſet. Zamoiſcius Karncovium CaſtellanidemLenciciensemArchiepiſcopiGneſn.fratris filium, cum aliquot turmis, gravis & levis armaturæ, ad inſequendos hoſtes mittit. Exercitum etiã ulterius promovet; Si fortè ſubſidiis opus illi eſſet eo die ad quatuor circiter milliaria Michael evaſit. Tripartito autem fere fugerunt. Uni cum ipſo Michaele Kralovam verſus, alij per montes disjecti: tertij recto itinere Skalã. Curribus tormentisq; relictis, pretioſiores res equis impoſuerat. Kralovaq; Caram Seben, ad copias Cæſareas pervaſit. Ad Zamoiſcium nonaginta & quinq; ſigna militaria relata fuerunt. Ultra ea quæ non comparuerunt; Ex quibus in veſtimenta à gregariis militibus, non pauca direpta fuerant. Quæ quidem in poteſtatem venerant, in memoriam Divi Adalberti, & Patroni Poloniæ cujus translationis die pugnatum prælium fuerat, ad eccleſiã Gneſnenſem transmiſſa fuerunt, in quam ab Archiepiſcopo Karncovio illata, ſummaq; ſolennitate, frequentiaq; nobilitatis dedicata fuerunt. Tormenta etiam non pauca in poteſtatem venerunt, quorum Coſaci ipſi ad quinque nacti fuerant. Non parvus autem ſcrupulus relictus viſus quod Michael evaſiſſet, & quidẽ inCæſareas partes, ut vel ipſum vel ſupplicium ejus à Cæſare peteret, diligenter regi Zamoiſcius conſulebat. Id enim niſi fieret non ceſſaturum eum turbare & ſine dubio Sueticis Eſtonicisq; rebus ineunte Vere, non parvum impedimentum allaturum. Ipſe etiam ſuo Senatusque, qui cum illo erant, & exercitus nomine Vozocinſcium ad præfectos Cæſareos, maxime autemGeorgium Baſstam, qui copiis Cæſareis, cum Imperio illis in partibus præerat, legatum mittit. Permiſſum autem illi à Rege fuerat, ut remotioribus ex locis, ex quibus mandatum, ipſius non ſemper haberi poſſet, ad exteros pro rei neceſſitate ex conſilio Senatorum qui in exercitu futuri eſſent, etiam non conſulto ſe ſcribere poſſet. Studio Regis erga communem Chriſtianitatem, & pacem teſtificato quæ cum Michaele acta eſſent, ſignificat: ut hominem cum in partibus Cæſareis verſari diceretur, vel dederent vel ſupplicium de eo ſumerent, petit. Hominem nullius fidei, totum ex fraudibus compoſitum eſſe, modo Cæſareum, modo Turcicum: Vaſallum ſe profiteri. Illo incolumi nullam certã pacem ſperari poſſe. De Tranſilvania conſulit, ut Principis eligendi arbitrium ipſis potius Tranſilvanis, ad tempus permittatur, qui ſub univerſæ quaſi chriſtianitatis, patrocinio Majeſtatem Turcæ potius interim agnoſcat, quam arma ejus provocet, totq; incommodis hactenus afflicta vel exigui temporis, otio ſe colligeret. A Siculo Moiſe ad Michaelem Czakium, qui quinque ab eo milliaribus in ſtatione erat, indeq; adBaſstam deductus, die 26. menſis Octobr. apud eundem, Davidemque Ugnadum, & Michaele præſente qui cum illo erat, legationem expoſuit. Non ſatis grata fuit, ad primam ſtudij Regis teſtificationem interrupta: ex hoſtili in Moltaniam Provinciam juris Cæſarei irruptione ita parere: Si Michael quid peccaſſet, jus petendum fuiſſe, victoriam contra Michaelem facilem fuiſſe: ante à ſe profligatum. De Tranſilvania conſilio ſe non egere: ſatis ipſos conſilij habere, ter jam Tranſilvanos poteſtati Cæſaris ſe permiſiſſe, ſemel cum Sigismundus Batorius Provincia ea Cæſari ceſſiſſet: Commiſſario Cæſareo, fidem jusjurandumq; dediſſe: Iterum cum Andream Batorium auſpiciis Cæſaris armis Michael ſuperaſſet, Cæſari in cujus fidem recepta fuerat, iterum jusjurandum præſtitiſſe: Tertio nunc cum contra Michaelem auxilio illis adfuiſſet, ſacramenta repetiiſſe. De Moltania reſpondit, cujus juris eſſet, non ejus temporis eſſe, ut diſceptaretur: neque ſe quicquam ea de re in mandatis habere. De Michaele, denuntiatione apud Cæſarem injuriarum ipſius, ſatis jus petitum fuiſſe. Cumq; poſtea Cæſar etiam de legatione ea, maxime autem literis ad Tranſilvanos tanquam ſolicitatione queſtus fuiſſet, excuſata nomine regis fuit, quod Zamoiſcius Senatoresque alij charitate patriæ etiam inconſulto Rege ſua ſponte feciſſent, factum id eſſe, ad animos militum placandos, qui majorem in modum repetebant primo matrem, uxorem, filiumq; Michaelis cum præda ſibi debita. Michael poſtquam è fuga evaſerat, in finibus Tranſilvaniæ, Ribnici & Vargiſſi: in Moltania aliquandiu hærebat, conſilio ut putabatur, Cæſareorum ut ſpeciem poſſeſſionis Moltaniæ retineret, & ſi premeretur, vel gravius quid ingrueret, in ditiones Cæſareas, mox ſe reciperet, præſto ve illi auxilio eſſent: Interim tam Moltanorum, quàm Moldavorum, animos tentaret: quorum non pauci in illum quam Mogillas propenſiores eſſe dicebantur. Novæ autem provinciæ Simeonem Hieremiæ fratrem Palatini Valachiæ ex conſilij ſententia, Zamoiſcius interim præficit, commendatus illi ante à plerisq; Demetrius fuerat. Petri Circellæ Palatini Valachiæ filius, qui aliquot annis in Polonia fuerat: ipſe autem natu maximus duos præterea fratres vivos habebat, unum apud Michaelem alterum, Joannem ipſum, tanquam majorem natu Moltani petere videbantur: Ex quibus complures propinquitate, ei conjuncti venerant: interque eos Udra exercitus Michaelis præfectus ſumptum, in exercitum ob pacatam provinciam, annuumq; tributum promittebant, qua de re cum ad Regem Zamoiſcius retuliſſet, ut ex re conſilium caperet, Rex ei mandarat. Simeone igitur ex conſilij ſententia provinciæ præfecto Turci Radulam in Moltaniam jam deſignarant: Vix alius igitur opponi illi poterat, præter Simeonem, ab Imperatore Turcarum jam ante propoſitum: Bekieſius qui & ipſe à nonnullis Zamoiſcio commendatus, neque ingratus ei erat, ob religionem à Moltanis repu-

repudiatus fuit, prężidio præterea, aliquo opus habuiſſet. Demetrazko non ſatis mature innotuerat, ratio etiam in officio illum continendi ſi diſcedere ab eo voluiſſet, non ſatis facilis videbatur, Simeoni igitur Provinciæ præfecto tributum nullum certum impoſitum: Juramentum ſaltem, ab utroque præſtitum, quòd Rex Senatusq; in illos decreviſſent, illo ſtaturos, cùm autem ad ſuſtinendas res exercitum ſine dubio continue alendum. Zamoiſcius exiſtimaret, ad minimum quartæ tributum in ſubſidium ſumptus conſtituendum Zamoiſcius cenſebat. Vix autem tradita Simeoni provincia fuerat, cum Cauſius Turcicus venit, qui Radulam filium Michnæ quondam Palatini à Turcis Palatinum Multaniæ deſignatum eſſe, nuntiaret, & ad ſedem regni à Turcis duci. Reſponſum eſt illi Simeonem fratrem Hieremiæ poſt victoriam ex Michaele Principem Multaniæ jam eſſe creatum, neque in conſulto ſanè Imperatore Turcarum cujus conſilio voluntateque in eam ſententiam itum.

Eodem igitur die Targoveſtum in principatum ſuum Simeon profectus deducentibus eum Præfecto Camenecenſe, aliisq; Potociis cum pluribusq; aliis primis ex nobilitate imperium militis, qui in provincia penes Simeonem permaneret, Tarnovio mandatum. Turcæ enim qui ut plurimum alienæ victoriæ fructum, intercipere ſolent, hac etiam victoria uti voluerunt. Machmet Gruzeldi Baſſa qui ad Danubium cum exercitu conſederat, negotium dedit, Baſſæ Grudæ, ut Targoveſtum caput ejus Provinciæ occuparet, & præſidio teneret, ac Radulam Michnæ filium qui antea Principatum hujus provinciæ tenuerat & Machometicæ impietati ſe addixerat præficeret. Joannes Potocius Capitaneus Camenecenſis quem Zamoiſcius id reliquias belli perſequendas Provinciamq; pacandam cum præſidio reliquerat eum rurſus ejecit. Simeonemq; qui conſilio probatus fuerat religionique Chriſtianæ in provincia ea fovenda idoneus judicatus fuerat, Targoveſtum induxerat, publicèque deſignarat. Cùm autem quemadmodum ante oſtenſum eſt, non ſolum Siculus Moiſes cum Sigismundo Bathorio apud Zamoiſcium fuiſſent, verùm aliorum etiam Tranſilvanorum non pauci & Bathoreum in Principatum & Zamoiſcium in auxilium vocaſſet, vel mutata poſtea ſententia, vel à Baſsta occupati ad Cæſareas partes poſtea ſe tranſtulerant, Michaeleque profligato jam Cæſari ſe tradidiſſe arces oppidaque omnia in poteſtate eum jam habere, neque ſine maximo motu novarum rerum tentari aliquid ibi poſſe. Sigismundo Bathorio ſignificarent pro qua voluntate gratias ei agentes ut à Provincia abſtinerent, petierant: Si in Sileſiacis proventibus recuperandis: adjumento aliquo & eſſe poſſent. Opera ſua ei non defuturos.

In eandem ſententiam ad Zamoiſcium ſcripſerant. Verum cum magis ex præſcripto Germanorum, quàm ſuo animo ſcripſiſſe, à plerisque putarentur, conſtitutum Zamoiſcium habuiſſe plerique exiſtimabant, rebus Moldavicis conſtitutis, cum exercitu in Tranſilvaniam ire, ſed primum anni tempore, exercitusque conſtantiſſime, poſt victoriam domum properantis, miſſionemque flagitantis, obſtinatione, tum Regis etiam literis, ne Tranſilvaniam ingrederetur prohibentibus, retentum fuiſſe: Ipſe etiam Baſta priusquam Vozoſcincius ad eum perveniſſet, arrogantius nonnihil & de victoria contra Michaelem ſignificarat, utque ab utraque Valachia poſt pœnas ab ipſo Michaele ſumptas, tanquam juris Cæſarei abſtineretur, ſub pœna violatorum fœderum flagitarat. Per Vozoſcincium reſcripſerat, quemadmodum à noſtris reſponſum antea illi fuerat, controverſias eas non vicariorum ſed ipſorum Principum eſſe utque tam deditio Michaelis, quam Tranſilvanicæ res, ad ipſum Cæſarem Regemq; remitterentur, poſtularat.

Præter innatum autem omnibus hominibus ſtudium, quo ſibi quisq; ſuæq; Reipublicæ quàm alienæ mavult, ut rerum Tranſilvanicarum ſatageret, publicæ etiam nonnullæ cauſæ Zamoiſcium movebant; maximè nè provincia tam exhauſta viribusque impar in Turcæ poteſtatem veniret, eaque ex re & univerſa Chriſtianitas, maximum incommodum acciperet: & imprimis vicina Polonia iisdem periculis involveretur. Verùm literis Regiis, ante oſtendimus acceptis, in Poloniam exercitum reduxit, diverſo ſane itinere. Ipſe Zamoiſcius per Tikicz, Berlot, Jaſſi, Stephanovice Chocimum Cameneciam, primam urbem Poloniæ, à loco victoriæ ſexaginta milliaribus Germanicis diſtantem. Decima nona Decembr. redijt.

Cogitarat, ab initio ob ditiones Regias, exonerandas in Moltania exercitum in hybernis relinquere: Sed ob ſummam in Provincia devaſtata, commeatus inopiam, in Moldaviam ſeu Valachiam recolligendi ejus cauſa, poſteaque in fines regni reduxit, ſubſidiumq; ingruenti bello Livonico, in hyberna diſtribuit. Quemadmodum ante oſtenſum fuit, ſuſpecta nonnihil fides Valachi eſſe, eo magis de eo hæſitatum, quod cum majorem natu filium in Regiam minorem & puellam, Zamoiſcium in ſcholam gynecæumq; diſciplinæ cauſa ſe miſſurum ultro ante obtuliſſet, ſententiam eam vel mutarat, vel differebat. Uxoribus igitur ſine impedimento aliquo, illis remiſſis liberi ad mandatum Regium invitis ſane illis, & quærentibus Camenecis juſſu Zamoiſcij retenti, poſtea tamen juſſu Regio dimiſſi, reſtitutiq; ei fuerunt.

Interim Rembovius etiam ex aula Turcica redierat, & ante etiam quomodo à Baſſa acceptus fuiſſet, ſignificarat, de Michaele facile aſſen-

aſſenſum omnia in fraudes ejus conferenti. De Valachia negatum ſine periculo ſummo, referre ſe ad Cæſarem de ea poſſe. Michael aliquantulum in finibus hærens, exercitum interim non contemnendum novem circiter millium coegerat. Cum quo Moltaniam iterum invadere conatus. Die 25. Novembr. ad Argiſtam à Simeone novo Palatino Polonicisq; copiis quæ cum illo erant, fuſus, fugatus & ad internecionem cæſus fuit. Ipſe tamen Provinciæ tenendæ ſine ulteriore auxilij ſpe abjecta Pragam ad Cæſarem cum paucis evaſit, ubi etſi nulli vita facinoraque ejus ignota eſſent, ſpei tamen vel ante Principibus Auſtriacis factæ, vel futuræ condonata fuerunt, objecta autem illi publice, maxime ab Epiſcopo quodam Tranſilvaniæ etiam judicium illi intentatum fuit, quod cum Turcis communia conſilia haberet, vexillum etiam, aliaque inſignia Imperij accepiſſet: fidem ſuam illis addixiſſet: Cæſaris fidelium perſecutio: quod bona Principiſſæ à Sigismundo in dotem illi obligata: Clenodia à nobilitate etiam alicubi depoſita invaſiſſet; exactiones extraordinariæ & intolerabiles: in nobilitatem Tyrannis ejusq; omnis extinguendæ conſilium: commeatus in partes Cæſareas, ſubvectio. Sub capitis pœna interdicta, quod Moldaviam ſine juſſu permiſſuque Cæſaris invaſiſſet, quæ res præſentium omnium malorum cauſa eſſet, Provinciam Cæſarei juris & Cæſaris auſpiciis occupatam intervertere noluerit, abſoluto cum imperio uſurpaſſet. Ideoque Baſtæ aliisq; Commiſſariis Cæſareis, tradere eam noluiſſet, & jocularis quidem res: Sed ex qua animus ejus in Cæſarem Germanosq; facilè perſpici poſſet, quod hiſtrionem Germanice indutum, qui in Germanos luderet, in deliciis ad menſam, ſemper habuiſſet, neque quieturum ſe profiteri auſus fuiſſet: priusquam Germanos omnes quos nigrorum canum nomine appellare ſolitus fuiſſet, ab iis locis removiſſet, aliaque complura. Quæ etſi graviſſima eſſent, ipſe tamen ſummo in honore habitus fuit. Lautia illi præbita ab externis legatis frequentatus. Rheda Cæſarea vectus, aliisque honoribus comitatus fuit. Ante prælium quidem initum, ſed Valachia Michaele jam intento Joannes Firleius Theſaurarius regni ad nuptias Ferdinandi Archiducis Auſtriæ miſſus, ad Cæſarem ſimul, de Moldavicis & aliis rebus nonnullis deſcendere juſſus fuerat.

Valachia autem jam occupata & Zamoiſcio à Rege contra Michaelem miſſo Paulo Volucio Epiſcopo Camenecenſi Romam proficiſcenti, ad ſummum Pontificem etiam mandata eadere data fuerant. Michaele poſtea fuſo rejectoq; ex inſtituto ad ſummum Pontificem Henricus Firleius Scholaſticus tum Cracovienſis, nunc regni Vicecancellarius Epiſcopus Plocenſis Theſaurarij frater. Ad Cæſarem Andreas Opalenius de Bnino Præpoſitus Plocenſis nunc Epiſcopus Poſnanienſis, miſſi fuêre. Cum utroque de tribus potiſſimum rebus actum. Cum ſummo Pontifice quidem, ut autor earum Cæſari eſſet: Cum ipſo autem Cæſare de deditione Michaelis, de Moltania ſeu Valachia Tranſalpina, ut in eo, in quo nunc ſtatu eſſet, permanere permitteretur: ipſius id chriſtianitatis intereſſe, quæ ad Danubium ſita, cum ipſum Danubium, tum oram omnem Conſtantinopolitanam ut quæ planiſſima eſſet, in poteſtate fere haberet, & in qua ſi melioribus temporibus pro chriſtianitate gerendum aliquid eſſet, exercitus prius convenire poſſet, quàm quid ageretur, Conſtantinopoli ſciri: nomine denique maleficiorum à Michaele datorum ſumptuumque ea cauſa factorum, obnoxia quaſi regno eſſet. Quamvis, quo jure quomodo, & à quo nactus eam Michael fuiſſet, non ignoraretur, legatio Vozicinſcij, tum literæ ad Tranſilvanos à ſummo militiæ duce datæ excuſatæ, ut quæ non ſollicitationis alicujus quæ clandeſtinæ plerumque fieri ſolerent, ſed apertè factæ conſilij animo datæ vimque habuiſſent: quod vel acceptare, vel repudiare in cujusq; poteſtate eſſet.

Ad utrumq; Confœderationis mentio facta non per Regem Ordinesq; regni, quo minùs coiviſſet, ſtetiſſe, ſed per ipſos Conſiliarios Cæſareos, qui triennio eam circumſcribi voluiſſent, cum noſtra ex parte exitus belli neceſſario requiſitus fuiſſet à ſummo Pontifice ad mutuum amorem inter ſe utrinq; conſervandum invitati, à Cæſare ad legationem Opalenianam reſponſum fuit, de mentione belli ſacri fœderis non videri ſibi utri parti quod non coiviſſet, imputandum eſſet, diligentius inquirere: Zelum ſuum non verbis ſed ipſa re factisque dum Ottomannicam potentiam tot annis indefeſſe fatigaret, ſatis ſuperque illuſtrem eſſe. De Michaele in quem adventus Opalienij ſub id tempus Pragam inciderat reſponſum, ea conditione in gratiam Michaelem receptum, ut ab omni maleficio in Moldaviam Poloniamq; abſtineret, neve ullam injuriæ querelarumq; cauſam daret, & propterea, quaſi illi parci non obſcurè cauſatum, ne ad alios transfugiens, majori forte incommodo, cum ipſi Cæſari, tum Regi, tum univerſæ Chriſtianitati eſſet. Revera: ad varios bellorum uſus, maxime contra Sigismundum Bathorium tum Turcam quamvis fides ejus ſuſpecta jam eſſe ceperat, tanquam inſtrumentum quoddam recondebatur, militeque pecunia, armis iterum inſtruebatur. Quamvis quo fortunæ ludibrio non multo poſt ſuccubuerit, paulò inferius dicetur. Ut in plerisq; autem proximis legationibus ad Cæſarem ut inprimis Joannis Goſtomſcij Palatinidæ Poſnanienſis qui ad funus Cæſarem invitatum ex aulicis Regiis miſſus fuerat, Adriani Rembovij, qui aliquanto poſt ad extremumque Joannis Firleji regni Theſaurarij, ita in hac

hac etiam Opaleniana, cum de injuriis quibusdam, quæ ex Sileſia Ungariaque cum privatis quibusdam interceſſerant, tum de negotio Brunsvicenſi, quod poſt mortem Zophiæ Infantis Poloniæ ſteriliter defunctæ, de dote ejus ad hoc usque tempus variè à Duce ductum fuerat: tum maximè de injuriis Caroli in regno Sueciæ actum: quemadmodum & milite contra eum in imperio ſcribendo: ne in ejus militiam quisquam nomen daret edictis prohibendo, ſimiliter commerciis in imperio per duellium Suecorum, iisdemq; in ſequeſtre retinendis Lubecenſium injuriis: in fœdusq; contra Carolum cum Rege regnoque deſcendere, vel jubendis vel permittendis. De plerisq; tamen fere fruſtra. De injuriis cauſaq; Brunsvicenſe, partim ad jus, partim ad arbitros res revocata. De milite contra Carolum ſcribendo ſequeſtro: fœdere Lubecenſium & quæ ejus generis eſſent, partim in transactionem opera oblata: partim leges imperij oppoſitæ quæ poſtulatis iis obſtarent: A conjunctiſſimis conſanguineis fratribusque Rege Hiſpaniarum: Albertoq; Archiduce, ſimilibus de rebus appellatum, per leges tamen eas imperij gratificari in iis ſe non potuiſſe. Verùm dum hæc in Moltania geruntur Carolus patruus Regius Tutorq; regno antea relictus, primum ipſo rege, ad Patrium regnum veniente exacto: Senatoribus deinde primariis ad Lincopiam à Rege dedi coactis, per ſummam crudelitatem ſupplicio affectis, Calmaria in qua Bekieſium, cum præſidio Rex reliquerat, poſt longam obſidionem capta, contraque fidem datam aliquandiu retento, poſtea tamen dimiſſo, nulla cum regno Poloniæ injuria ei intercedente hoſtilitateq; ei indicta, ut ante regnum Sueciæ ita tum Livoniam invaſerat. Jam ante plærisq; Livonibus per literas ſollicitatis, atq; ad libertatem religionis, quo unico ſeditioſorum prætextu Sueciam etiam in partes traduxerat, vocatis, Exercitum, quam maximum poterat, confecerat, partim ab Holſatiæ Duce affine, aliquot millibus illi adductis partim ex Eſtonibus Livonibus, partim Regis: maxima tamen parte, ex ruſticis Sueticis invitis ab aratro ad arma compulſis. Ad eos Wilhelmum Naſovium, quo pro legato uteretur, miſerat, qui ea conditione Gubernatoris, partes ſuſcepiſſe dicebatur, ſi Rigam poteſtatis ſuæ feciſſet, cumque reliqua Livonia ei tradidiſſet. Exercitu hoc inſtructus, primo Revaliam ſuæ ditionis poſt diſceſſum Regis ex Suecia factam trajicit, inde ad Parnaviam obſidendam pergit, plerisq; tanquam in altiſſima pace, vel planè ſecuris, nihilq; metuentibus, vel ultro ad eum accedentibus.

Georgius quidem Farensbecius, Palatinus Vendenſis, & ante conſilia ea perſenſerat, & in præteritis maxime comitiis cum Regem, tum Ordines, ut intenti, in Carolum resque Livonicas eſſent, admoverat: ſed in tot aliarum rerum maximè Moltanici periculi cura, minor Livonicis adhiberi potuerat. Ad primos tamen motus Chriſtophorus Radivilus Palatinus Vilnenſis, militiæ magni Ducatus Lithuaniæ Dux, alijq; nonnulli Senatores Lithuanici maxime Doroſtaiſcius magni Lithuaniæ Ducatus Marſalcus cum aliquot turmis ſtipendiariis, voluntariisq; non paucis Kokenhauſum præfecturam Radivili progrediuntur, ubi de copiis Caroli cognitis, ultra viginti quatuor millium exercitum habere, nihil temere agendum rati, dum majores copias contraherent, ſubſiſtunt, interim Dembinium Palatinum Parnavienſem, Lenekum Caſtellanũ Dorpatenſem, cum iis quæ paratæ erant, copiis in Livoniam præmittit. Carolus in tres partes exercitum diviſerat, majorem cum tormentis apparatuque bellico, ipſe verſus, Dorpatum ducebat. Vendam verſus Mauritium Frangel cum ſelecto peditatu, equitatuque miſit, reliquam partem Carolo filio naturali, ad reliquas arces occupandas, terrorẽq; nutantibus adhuc dubitantibusque, circumferendum attribuerat. Farensbecius reliquis plerisq; ad Carolum transfugio jam dilapſis, centenos aliquot Germanici nominis milites in fide conſtantes, penes ſe habebat. Illi Dembinius & Lenek ſe conjungunt, ſub arce Carcuſienſi in Carolum nothum incidunt, prælioque cum ea commiſſo in fugam mox vertunt, multis cæſis captisque. Non multo tamen poſt proditione nonnullorum præſidiariorum quos partim Polonos partim Germanos in ea reliquerat, ab hoſtibus arx capta. Prædaque non parva in ea reperta. Dembinius Vendam tanquam ſedem Livoniæ cum ad oppidum muniendum tum Suecos inde arcendos cum ſelectiore milite mox ſe confert. Ibi dum per aliquot dies moratur, primò Volmaria à præpoſito Vendenſe de conſpectis ignibus caſtrorum hoſtilium, nuntio accepto, cum milites ut diligenter excubiæ haberentur, inque campo potius quam intra mœnia hoſtis expectaretur, ultro poſtulaſſet. Media nocte quadraginta iterum Coſaci Marſalciani ad explorandum hoſtium adventum miſſi fuerant. Qui etſi ex conſpectis ignibus caſtrorum de adventu hoſtium, qui Mugiani tum pernoctabant, idem confirmaſſent. Neutri tamen Nuntio fides à Dembinio adhibita fuiſſet, miles intra mœnia revocatus fuit.

Non multo igitur poſt, die Dominico quæ ſeptima erat menſis Januarij, circa horam primam Suetica ſigna Mugiana via deſcendentia conſpiciuntur, repentino adventu eorum plerique territi, ad arma confugiunt, ſed alij ſomno, alij cibo vacabant. Tuba igitur ſigno dato tumultuatur. Mauritius Frangelius interim ſub ipſa mœnia accedit, Tormentaque ad ædem ſuburbanam collocat, prius Ludovicus Veiherus, qui turmam ducebat, ex urbe prorumpit, cum eoq; Lucas Ligovius, turmæ

Marſalcanæ, quam ſuo ſumptu ſubſidio Dorohoſtaiſcius Vendam miſerat. Dum alij conveniunt, impetum hoſtis ſuſtinent, ab oppido aliquantum removent. Sub Veihero duo equi occiduntur: tertio incolumi conſcenſo, pugnam redintegrat, ſub Ligovio uno equo interempto, ipſe globo in femore trajicitur, ex quo vulnere non multo poſt Rigæ obiit. Ex Lithuanis tantum duo ſunt occiſi aliquot globis icti, ex Suecis præter vulneratos viginti interiere: ſed paucitate, conſpecta Sueci gravius inſtare ceperunt, propiusq; accedentes tormenta explodunt, interim ſine ordine conveniunt, prout quisq; poterat, reliqui oppido proſilientes, numerum ſuorum augebãt. Sic autem acies Suecorum inſtructa erat, ſeptem millia planitiem campi occupabant, latus ſiniſtrum equites tenebant, in dextro à dimidia parte, peditum tormenta ducebantur. Reliqui pedites potiſſimum ſclopetarij medio agmine ſinguli acie inſtructiſſima progrediebantur, noſtri ab initio perturbatiores nonnihil erant, fugam tamen ſiſtebant: Dembinius inter milites ſe verſans, acies inſtaurat, interim Vincentius Voina Ducis Januſij Radivili Pocillatoris Lithuanici militum Præfectus ſuos quoque milites in ordinem redigit Georgius Tiskievic turmæ itidem præfectus ſimiliter ex ſuis quos colligere poterat aciem ſubſidiariam inſtruit: Ludovicus Vejerus ut cepit excurſiones è latere faciebat. Equites Marſalciani ſeu Doroſtaiſciani etſi Præfecto ſuo orbati, trajectus enim in oppidum relatus fuerat, ad ſignum nihilominus ſuum convolantes in ordinem ſe colligunt, ſimiliter Laurentius Rudomina Secretarius Regius cum ſua quam ducebat Turma, idem Licivinius facit, itidem Dembiniani equites ut quisq; quam celerrime poteſt in ordinem ſe redigunt. Acie quocunque modo inſtructa Vincentius Voina cum ſuis equitum latus Siniſtrum hoſtile aggreditur, ſequitur, hunc Tiskievicius Marſalciani tormenta peditatumque invadunt. Rudomina & qui reliqui erant, in medium Suecorum agmen irrumpunt, pugna acriter commiſſa Sueci in fugam vertuntur, ad Goviam usque cæduntur: quosq; enſis non abſumpſerat, eos fluvius alioquin rapaciſſimus abſorbuit. Ex ſeptem millibus vix trecenti fuga evaſerunt, caſtra tormenta campeſtria duodecim, inſtrumentum bellicum omne in poteſtatem noſtrorum venere. Farensbecius Palatinus Vendenſis vix duabus horis ante prælium minime tum ſperatum, in iter ad Regem Varſaviam ſe dederat, vixq; uno milliare progreſſus fuerat, certior de pugna factus, ſine ulla mora ad reliquias victoriæ redijt.

Fugientes adhuc Suecos inſequitur, capti ſunt ultra mille, ex Lithuanis decem ſolum interempti, ſexaginta vulnerati, vexilla Suecorum undecim capta. Cum reſiduis exercitus eorum præfectus Mauritius Frangel fuga evaſit. Carolus interim Dorpato per proditionem capto cum octodecim millium exercitu Volmariam caſtrum movet, tormentis majoribus muralibus omniq; apparatu bellico inſtructus. Lithuani virium ſuarum ſibi conſcij Vendæ interim in occaſiones omnes intenti ſunt. Quarta Februarij Dux Carolus obſidione cingit Volmariam, aggeribus tormenta muralia locat. Miſſi primum à Dembinio exploratum Coſaci aliquot cum nihil certi referrent Stanislaus Bialoſor cum octoginta equitibus mittitur, hic prima Vigilià circumventos duos ex iis vivos capit, aliquos interficit, reliquos ad caſtra perſequitur, quibus tantùm terrorem infert, ut aciem inſtruerent, totamque noctem in armis eſſent. Cum ſub crepuſculum Bialoſor rediiſſet, de numero exercitus hoſtium ex captivis cognoſcit. Conſilio habito, cum Dembinius nihilominus contra hoſtem ducendum fortunamque tentandam contenderet, obſiſtunt. Ludovicus Veierus Stanislaus Bialoſor, qui tum Doroſtaiſcianæ turmæ legatus erat, Vincentius Voina primo quod ob nivium eo tempore magnitudinem vix ipſa via equi incedere poſſent, multo minus ſi avia deflectendum eſſet, è nivibus emergere: peditatus præterea nullus eſſet: ſine quo difficile aliquid contra hoſtem tam numeroſum ſuſcipere eſſet: Si quod Deus averteret clades aliqua acciperetur, milite alio nullo parato aut propinquo, de tota Livonia actum fore. Non modo igitur cum hoſte non congrediendum ſed ne in nivibus iis ex quibus ſi hoſtis ingrueret, non facile eluctari illis eſſet, illum expectandum ac in tempore potius cedendum rati. Kokenhauſium ſe conferre, ibique auxilia expectare conſtituunt. Sicque octava Februarij Venda movent: Dembinio cum paucis ad eludendum hoſtem Vendæ ſubſiſtente, quam tumultuoſiſſime omnia agendo ſpeciem copiarum, aliquantum hoſti objiciente. Quare per exploratores cognita per totam iterum noctem metu irruptionis noſtrorum in excubiis & armis Carolus eſſe, verum interim intra biduum Volmaria capitur. Poſtea omnibusque diſvadentibus Bebaliam in præfecturam ſuam ſe confert, in eaque vix cum centum equitibus ſe includit. In ipſo fere digreſſu, literæ à Doroſtaiſcio Bialoſoro redduntur: quibus ut in tanto Livoniæ periculo primam ſui præſidij Dunemundenſis curam habeat, ej mandat: illud ut omni ratione dum alia auxilia à Rege ac Republica ſubmitterentur, quacunq; ratione tuerentur, equites omnes, obteſtatur. Ad trecentos igitur equites alacres eo ſe conferunt, ibique minus neceſſariis equis ablegatis cum ducentis circiter & quinquaginta peditibus juramento militari omnes ſe obſtringunt. Idem Vincentio Voinæ de Kokenhauſo paterna præfectura Januſius Radivilus pocillator mandabat. Interim non procul à Bobalia Hilem Anglus cum Medone & aliquot millibus equitum explorandi gratia à Duce Carolo miſſi, per proditionem ruſticorum quieſcen-

tes equites Rudominianos, noctu invadunt, pleroſque interficiunt, acrius ſe in ædibus defendentes flammis exurunt, nonnulli fuga ſibi conſulunt, intra paucos dies Dembinius à vicino quodam Livone ad prandium invitatur: qui cum & familiariſſimus ei eſſet, nihilque ab hoſte cujus omnia per exploratores cognita haberet, metuendum, jurejurando confirmaret, ut fidem ei haberet, perſuaſit. Sed quam primum prandere cœpiſſet, perfida hoſtibus ſignum dat, qui irrumpentes defendentes interficiunt, Dembinium vivum capiunt. Ut in re ſubita Ludovicus Veierus à milite Regio in locum ejus eligitur, qui cum vix ultra quingentos equites haberet, & ſufficienter arces illas munitas milite videret, verſus Dzuinam deflexit: ibique Sicinio ſe conjunxit. Eo conſilio ut recollecto majori militum numero obſeſſis, ſi res poſtularet auxilium ferrent, Rumburgum arx capitur, una cum Veſolovio, præfecto Regio, ſimiliter Cremuna & Zigult Traidunum arces. Reſiduæ adhuc erant liberæ arces Kokenhauſium & Dunemundum veterano milite præſidiario & omni munitione tum inſtructæ. Arcem Rigenſem Senatus Rigenſis in tutelam receperat, ſtipendiarios ſuos milites ibi locarat, tormenta, globos, pulverem & omnem commeatum abunde ſuppeditans. Paulo poſt obſidet Carolus Kokenhauſium eoque die factæ ſunt velitationes campeſtres. Tertio ab hinc die Carolus cum Kokenhauſum obſidere inſtituiſſet, Medonem Livonem cum quingentis circiter equitibus & Hilen Anglum ad occupandam arcem Novemolenſem, tranſitumque Rigenſibus & Dunemundenſibus prohibendum viasque infeſtandas mittit. Verum Medone ultra Goviam ſubſiſtente, Hillen à paucis peditibus Dunemundanis qui ad viam publicam tuendam inter Dunemundam & Novam Molam commeabant, à Vicepræfecto Novemolenſi rejectus fuit. Non multo poſt molle ducentos pedites centum circiter equites tormenta majora ſex ad occupandam arcem iterum mittunt. Arcem ſcalis aggreſſi denuo repellũtur, Dunemundenſes aliquot, qui in excurſionem miſſi fuerant, ejus rei ignari cum ſonitum bombardarum audiviſſent, Dunemundum obſideri exiſtimantes, mox etiam per hoſtes Dunemundam ſe recipiunt, re cognita nocte in præſidium evadunt. Oſtrovius, Vicecapitaneus Dunemundenſis, vir militaris, equitibus omnibus aſſumptis ad liberandam Novammolam proficiſcitur, non tam arcis cauſa, quæ vetus ruinoſaque erat, quam obſeſſorum, ne in manus hoſtium venirent; cum Suecis congreſſus obſidionem ſolvit: qui in arce erant liberat, quæque in illa erant, ſecum aufert, arcem ipſam, ſeu portas potius incendit. Salvusq; cum ſuis ex ea Suecorum multitudine ſe recipit. Interfecti ſunt Sueci 30. ex Dunemundenſibus nullus, vulnerati aliquot. Poſt horum diſceſſum, Sueci Novam molam occupant, proq; tempore muniunt, Dorohoſtaiſcius centum pedites recentes: illi ſubmittit, Medo etiam cum quingentis peditibus Suecis Novemolenſibus ſe adjungit, poſtridieq; ſub ipſam arcem Dunemundenſem cum non paucis equitibus excurrit, illis ex arce Dunemundenſi triginta circiter equites occurrentes velitatione commiſſa aliquot ex Medonianis interficiunt, Livonem unum vivum capiunt. Medo reſarcire damnum cogitans, ſequenti die inſidiis per colles vicinos collocatis, ſub ipſam arcem cum numero non parvo equitum excurrit, præſidiariosq; ad velitationem provocat, illi alacres occurrunt, vertit, terga Medon, verſus inſidias, illi inſtant, nec revocari ſe patiuntur. Quare cognita Oſtrovius ſuis in ſubſidium cum 100. equitibus advolat, peditem pari numero in inſidiis locans. Dumq; ſuos ab hoſtilibus inſidiis retrocedentes comperit, in tempore ſuccurrit, fitque inſtar prælij: dum & ille Suecos ad inſidias ſuas ad ductos egregie profligat, 32. occidit: duos vivos capit: plurimos vulneribus afficit: ipſe cum commilitonibus, tribus ſaltem interemptis, duobus globo ſclopeti ictis incolumis rediit. Poſtridie Sueci Rigam veniunt, ſuburbia ſpoliant rurſusq; Novammolam redeunt, quod & inpoſterum ſæpius factitarunt. 29. Martij ſub crepuſculum diei Sueci in tres turmas diviſi, equites una cum peditibus ad obſidendum Dunemundum veniunt, primum excurſiones faciunt, ad certamen provocat, ſed egredi vetebatur. Interim turma una verſus oſtium Dzuinæ ad Villam Sanca dictam progreditur: Altera turma Rigam verſus: Tertia intra colles latitabat. Cumque paululum eſſent immorati ſubſiſtentes ad villam Sancam in unum conglobati, improvidi tormento majore ab arce exploſo uno ictu, (quarta enim parte milliaris villa illa ab arce diſtat,) novem interficiuntur magiſter quoq; tympani interiit. Mox univerſi per fines Curlandiæ ſub Rigam deflectunt, à propoſito obſidionis removentur. Nec ultro ſub Dunemunda ſe oſtendunt. Caſu accidit, ut & Rigam nuntium de induciis Moſcoviticis in viginti annos perferretur, & Dunemundam viginti pedites juſſu Regio à Doroſtaiſcio miſſi eodem tempore venirent. Quare cum & à Rigenſibus ob ſperatam pacẽ & Dunemundanis adventum commilitonũ exploſione tormentorum, quemadmodum fieri ſolet lætitiæ ſignum daretur, Sueci invadendi ſui ſignum datũ, conſiliumq; captum ſuſpicantes, ſine mora omnes ſe in fugã vertunt: ferrea tormenta, currus, frumenta relinquunt, ruſticos omnes vinciunt, ne Dunemund. de fuga ipſorum conſtare poſſet. Dum hæc circa Rigam aguntur, Dux Carolus vi capta urbe Kokenhauſ. arcẽ bene munitã fluvio Dzuina alluente aggeribus tormentisq; majoribus, ex tribus partibus conquaſſat, diebus plurib⁹ ac ruptis muris ſex vicibus ad irruptionẽ expedito milite miſſo, toties à præſidiariis, cum maxima clade ſuorum rejicitur, rebusq;

deſperatis parte equitum & parte peditum ſtipatus, Vendam ſe contulit, ad comitia Livonica celebranda. Per occaſionem hanc diſceſſus cum exercitu Cardinalis Radivilus ſubſidia in arcem Kokenhauſenſem, ſine mora inferenda ratus cum iis quæ in promptu erant, copiis, Sicinium Dzuinam tranſire jubet, ad Novam Rigam oppidum Ducis Curlandiæ cum trajectu impediretur, conſerta cum Suecis manu utramq; ripam obtinet. Sineque inſigni damno ſuorum flumen trajicit, Tiſenhauſioque cum aliquo milite, hoſtilibus præſidiariis oppidanis ſtipendia omnis generis commeatum pulverem inferenti, inſperato occurret. Prælio commiſſo profligat: curribus cum commeatu & pulvere potitur. Conjungit ſe mox cum eo Tanuſius Radivilus pocillator, cum quingentis circiter equitibus ac peditatu aliquo à patre miſſus oppidumq; duorum millium præſidio, à Carolo munitum obſidere incipiens, ut properaret primò ſignificat. Interim Dorohoſtaiſcius etiam cum trecentis equitibus, totidemq; peditibus, ſuppetias Kokenhauſio laturus Rigam venit, & eos præſidiarios Dunemundenſes ut abſceſſu hoſtis minus neceſſarios evocatos, Dzuinam tranſire imperat. Quo pacto verſus Kokenhauſium per Curoniam Stanislaum Bialoſor Succamerarium Upitenſem cum iſtis ſuis copiis præmittit: Ipſe proviſo Dunemundo abſque ulla mora ſuos inſequitur, vix Dorohoſtaiſcianæ copiæ cum aliis ſe conjunxerant, cum Carolus nothus ſex millium exercitu omniſq; generis commeatu inſtructus auxilio Kokenhauſenſibus à patre miſſus venit. Eodem die & Palatinus Vilnen. cum reliqua manu militum, ad Dzuinam pervenerat, ſed fluvium ob paucitatem navium trajicere, tam cito non poterat, illi igitur, qui ultra flumen erant, hoſtem alacriter excipiunt, & primum cum Coſaci viri duo militares Kopec Palatini Vilnenſis & Coclina Marſalci, fronti inimicorum per denſiſſima ſylvarum loca tranſeunti ſe opponunt, ſed impares & numero & armis recedere coguntur. Iis Euſtachius Tiskienie cum gravis armaturæ equitibus ſubſidio venit: huic Tanuſius Radivilus cum Sicinio, at cum denſitate arborum haſtati impares ſclopetariis viderentur, Pedites Marſalciani minus impediti à tergo Suecis inſtare jubentur, quare perterriti terga vertũt, ac à Lithuanis profligantur amiſſis centum quinquaginta ſuis, ex Lithuanis ſaltem quatuordecim & deſideratis. Acies Suecorum erat ſic inſtructa, frontem obtinebant pedites, utramq; alam equites ſubſequebantur, Carolus Nothus agmine integro equitum, currus cum commeatu ſequebatur, interea miſſi ſunt, Riga pedites quoque cum Othone Denovio: à Nicolao etiam Chriſtophoro Radivilo Palatino Trocenſe pedites ducenti, à Georgio Radivilo Caſtellano Trocenſe, centum, quo numero peditum Dux exercitu auctus urbem undiquaq; aggeribus circumdat, tormentaq; bellica locat. Poſt fugam hanc Kokenhauſ. à ſupremo Duce hoſtem inſequendi cauſa miſſi ſunt, equites nongenti, pedites 200. tum Sicinio & Stanislao Bialoſor, qui militib⁹ Marſalci præerat. Eo die tribus milliaribus confectis Caroli Nothum cum copiis Suecorum ſub arce Erle reperiunt, tantoq; fervore milites Lithuani eos aggrediebantur, ut potius in rabiem verſos, quam ordine militari procedentes videres. Pedites Marſalci præibant, Coſaci & haſtati inſequebantur, cum ſuo præfecto Sicinius cum Liucivinio equitum magiſter & cæteri ſubſequebantur, hoſtis infeſto animo expectabat advenientes, fretus & viribus ſuorum, & ſtratagematibus. Hæc arx Erle in planitie collis ſita in modum quadrati extructa eſt: à latere ſiniſtro fluvio munita, à dextra & circacircum naturali foſſa. Cum igitur Lithuanis à parte ſiniſtra ad dextram deflectendum eſſet, ubi arbitrabantur hoſtem contraventurum, hoſtis aliam rationem inijt. Copias ſuas ſiniſtram in partem arcis collocat, caſtrorum circumductione ex alia parte muniens, quæ ad ipſam foſſam usq; diſponit, unicam portam acceſſus relinquit, qua vix bini aut terni tranſire poſſent, ad os portæ in domo lignea 200. pedites ſclopetarios collocat, quorum ictibus ſinguli transeuntes expoſiti eſſent. Equites ſuos ad portam prodire jubet, tormenta ex altera parte ſtatuit caſtris. Peditum numerus tutandis relictus erat. Nocte adventante præeuntibus, militibus Marſalci unitis viribus per caſtrorum portam in equitatum hoſtilem impetum faciunt, viriliter dimicantes: hoſtem ad ipſam portam arcis propulſant.

Interim cum ob difficultatem tranſitus, non tam prompta à ſuis conſilia habere poſſent, multitudo autem Suecorum tam pedeſtrium quam equeſtrium ipſis undiquaq; acrior videretur, ſubitaneo cõſilio amiſſis aliquot ſuis caſtra diſrumpunt, ac in planitiem ſe conferunt, iterumq; cum Suecis configũt; ubi his reliquæ copiæ opem tulere, denuo hoſtem ſub ipſa mœnia profligant; pedites vero caſtra expugnant, ſoliq; ſtrenue poſſeſſa tutantur. Domum illam ligneam incendunt, quæ plurimũ oberat, in qua Suecorum 200. interiere: tormenta hoſtilia bina capiuntur, tertio demum viribus recollectis, in Lithuanos impetum faciunt, quib⁹ inter reliquos Luciminius cũ Jundzile equitũ unius turmæ Palat. Viln. magiſtro ſe fortiter opponunt, ac hoſtẽ in fugam iterum convertunt, reliquũ prælij nox diremit, noſtri in vicinum montẽ ſe ſubducunt. Aciem inſtaurant, totam noctem in armis ſunt: Caſtra hoſtium à Coſacis diripiuntur. Sequentem in diem conatus aliquis hoſtium expectabatur; Verùm præter locum cadaveribus plenum nemo conſpiciebatur: pauci peditum in arcem ſe incluſerant. Pedites Lithuani obſecrabant, ut illis liceret impetum in arcem facere, ſed quia tormenta majora deerant, ne clade accepta turpiter repelerentur, tutius viſum

eſt

eſt abſtinere. In tam celebri clade de Suecis 600. ſunt interfecti: multi læſi & aliquot primarij nobiles Livones perduelles: Ex Lithuanis 24. ſoli periere multi læſi majori ex parte ex militibus Marſalci Lithuanici, tam equitibus quam peditibus, ſi quidem frontem tenuerunt: Sub ipſo quoque Bialoſor duo equi interempti: filius ejus Gabriel occiſo equo captus erat, ſed opera peditum recuperatus: Excurſio inde ab obſeſſis Kokenhauſenſibus tentata, in qua Dorohoſtaiſcius ipſe multis ſpectantibus prope ipſa mœnia, equitem hoſtilem, manu ſua confecit, Chotkievicius etiam præfectus Samogitiæ cum octingentis circiter militibus, partim ſuis, partim voluntariis, ex diverſis aliorum Senatorum Lithuanicorum comitatibus, Stabroviusq; Caſtellanus Parnavienſis, in caſtra venientes, numerum noſtrorum augent.

Sub id tempus Carolus nothus fortunam denuo tentandam, ſi forte ſuos obſidione liberare poſſet ratus. Qua re nuntiata Radivilus, Chotkievicium Præfectum Samogitiæ, ultro ſe offerentem, cum juſta equitum peditumq; manu obviam hoſti mittit: Ei filium Januſium adjungit, cum diſtinendi hoſtis cauſa tum ſi à tergo forte circumvenire eum poſſent, carpendi. Milliare circiter progreſſi ducentos Coſacos exploratum præmittunt, capiunt Livonem quendam Treidem, pro certo iis ille confirmat tribus ſaltem milliaribus hoſtem abeſſe, & vel mox vel poſtridie adfuturum. Chotkievicium igitur & filium in caſtra Radivilus revocat, novoſq; exploratores: qui verti aliquid referrent, in conſpectum caſtrorum hoſtilium mittit. Ex quibus certa re cognita acies dimidio circiter milliare à caſtris ad deſertam quandam Villam præpoſiti Kokenhauſenſis pridie D. Joannis Baptiſtæ ſummo mane inſtruitur. Interim Polonus quidam ante Laiſij ab hoſtibus captus, tunc vero è vinculis elapſus venit, qui hoſtem adeſſe nunciabat, atque ad impetus equitum noſtrorum ſuſtinendos, peditem equiti immixtum, præuſtos ſudes ſeu acutos palos, curruſq; quos equiti objiciant, ſecum ducere. Exercitus Lithuanicus, in quinque acies partitus erat, quarum primæ voluntarij erant: Joannes Carolus Chotkievicius & Januſius filius Radivili Palatini Vilnenſis, fronte præerant, alæ dextræ Marſalcus Lith. Regis veteranis ſtipatus equitibus præerat; Siniſtræ antem Stabrovius Caſtellanus Barnavienſis auteibat, hunc manus peditum ſclopetariorum aliquot tormenta campeſtria ſecum ducens. Hoſce Palatinus Vilnenſis, exercitij Lithuanici Dux cum acie equitum ſequebatur. A tergo peditatus pars & longiora campeſtria tormenta locata fuerant, in colle quodam eminentiore, ex quo in omnes partes verſus hoſtes rectius tormenta, ictuſq; dirigi poſſent. In exercitu ultro tria millia non erant. Deoffium enim cum quingentis peditibus in obſidione circa tormenta & mœnia vineis agendis Radivilus reliquerat. Centum etiam ut quinquaginta Tartaros ad cuſtodiam caſtorum Carolus Carolides celeritate commemoratæ Villæ ruinas occupat. In quibus Tormenta campeſtria cum peditatu locat, illis dimidium equitum ſuorum per turmas à ſiniſtris conſtituit, reliquos poſt pedites inſtar ſemicirculi agmine denſo ad ſylvas diſponit, idq; eam ob cauſam ut ſi frontem ipſius noſtri disrumperent, à tergo illos adoriri poſſet, pedites autem omnes tum tormenta denſitate palorum munit. Exercitus illius totus quatuor millibus peditum & duobus millibus equitum conſtabat. Chodkievicius cum pocillatore Radivilo ſiniſtro eorum lateri ſe opponunt, nam hæc ala concitatis equis in eos primum impetum fecerat. Ac ſimul tormenta campeſtria explodi cepta, parva admodum utrinque clade: ob velocitatem equorum concitatorum, haſtatorum impetum Sueticus equitatus exploſis bombardis non ferens, primo tumultuari, poſtea terga vertere lento gradu cepit. Dehinc Marſalcus Lithuanicus denſiſſimo agmine in fronte conſtituto, ubi & Carolus Caroli ipſe cum præcipuo equitatu Livonico aderat, relicto à ſiniſtris peditatu ac tormenta palis ſepta, ſe cum veterano milite Regio objecit, cujus impetum Sueci non ferentes, in fugam mox vertuntur. Poſt Strabovius dextrum cornu invadit, fortiter utrinq; pugnatur: cum agmen ipſum equitum Radivili reſiſtentes, ad extremum nonnullos Suecos fudit: magnam Stragem peditibus infert, inde omnes terga vertunt, plurimi vulneribus affecti in ſylvarum denſitates profugere, ſed nec hi manibus ruſticorum evaſêre. Direptis caſtris tormenta capta 33. vexilla majora 12. ex nobilitate Livonica inter primarios 60. interempti, capti 9. ex Lithuanis, ſaltem 80. cæſi, circiter 20. poſtea ex vulneribus mortui. Ex præcipuis filius Sokolinij præfecti Uſuiatenſis interijt, omnium autem in prælio eo, maxime tamen Doroſtaiſcij Marſalci magna virtus fuit, tribus glandibus plumbeis petitus duabus in ferreo thorace inhærentibus, tertia in brachio dextro læſus eſt, conſtanter tamen quamvis & equo vulnerato usque ad finem victoriæ permanſit, qui in urbe erant, & commeatus penuria maxima laborabant, & ſumma aquationis.

Itaque fame & ſiti fere enecti canumque jam & aliarum fœderum rerum eſu non abſtinentes, poſt prælium mox ad Radivilum mittunt, ſalutem ſupplices petunt, his conditionibus convenit primarij aliqui dederentur, Livones perduelles ſupplicio afficerentur, arma & res in urbe relinquerẽtur, juramento in univerſum omnes ſe obſtringerent. Contra Regẽ regnumq; Poloniæ & magnum Ducatum Lithuaniæ arma non laturos. Ita dimiſſis duo equitum Coſacicorum magiſtri cum turmis ſuis præſidio iis adjunguntur, ſub veſperam

pedi-

pedites nonnulli & ex viliore plebe nō pauci, Radivilo omnium rerum ignaro conspiratione inter se facta, custodibus per vim remotis dimissos fraudulenter invadunt, intra dimidium horæ antequam ad Radivilum perferri res posset, ad sexcentos ex dediticiis istis Suecis obtruncant: hi tamen qui se in castra receperant, & feminæ omnes incolumes evasere. Facinus & Regi imprimis improbatum & ab hoste maxime autem Nasovio, aliquoties nostris objectum. Radivilus tamen cum indignissime rem ferret, auctores ejus nactus supplicio afficiendos curavit. Kokenhausio capto voluntarij plerique Lithuanici, domos abeunt, quorum discessu exercitu non parum imminuto diversas præterea in partes nonnulli discedunt. Dorostaiscius Dunemundam cum venisset, classem Sueticam, jam ostium Dunæ occupasse reperit, quibus in mare rursum propulsis, aliquot etiam navibus tormentorum ictu fractis, Cremonam præterea non valde dissitam arcem occupat, Chotkievicius Treidanum & Zigvoltum progressus eadem in potestatem recipit: Cum vix sexaginta hominum præsidio munita essent. Ipse exercitus Dux Radivilus Vendam versus se confert, quo per biduum obsessa, per deditionem in potestatem eam recipit, Sueci quorum ad quingentos erant, incolumes dimittuntur; Simulque ignobiliora, aliquot castra occupat, interim Chotkievicius Radivilo iterum ad Vendam se conjungit, ad Runeburgumque obsidendum proficiscuntur. Ad quam Fridericus etiam Curlandiæ Dux, cum suis aliquot centenis, in castra Regia venit, cum præsidiarij obsidionem non modo exciperent, verum excursione etiam facta, satis animosè sustinerent; Chotkievicius Præfectus Samogitiæ Fridericusq; Curlandiæ Dux, Radivilo inconsulto, privatâ authoritate tubicinem ad præsidium, qui deditionem eis persuaderet mittunt, qui cum à præsidiariis retentus fuisset, Radivilus autem contra morem militarem: præcones de pace præsertim, tractantes capi per literas cum præsidiariis explobrasset, obligatis linteo oculis, postridie ex arce remissus fuit. Cum autem non satis Majestatem Imperij militaris ea in re illos observasse, quod inconsulto se Tubicinem misissent, Radivilus interpretaretur simultates, quæ alioquin inter Radivilum & Chotkievicium juvenem laudis cupidum, intercedere putabantur, auctæ nonnihil existimabantur. Cum verò Runeburgenses & nostrorum discessu & & ipsius Caroli adventantis spe se tolerarent, Carolumq; cum exercitu decemseptem millium pro certo jam advenire, Joannemque Nasovium Ducem ejus Lemsaliam jam pervenisse, per exploratores cognitum fuit, in ea igitur nostrorum paucitate, maximè autem peditatus penuria ex consilij sententia soluta obsidio fuit, Radivilusq; Vendam se recepit, literis inde regiis de adventante jam Rege cum exercitu acceptis Rigam versus iter convertunt. Scripserat quidem antea Radivilus ad Palatinum Vendensem Farensbecium qui cum mille ducentis pedibus Rigæ erat, itidem ad Zolkievium Castellanum Leopoliensem militiæ campestris regni præfectum, qui à Zamoiscio præmissus Selburgum jam pervenerat, si suppetias sibi ferrent, confligere se cum hoste paratum esse. Uterque rescripserat. Cum exercituum Regni Generalis cujus præsentis cæteris majus imperium esset, ipse jam adventaret, sine mandato ejus se movere sibi non licere. Rex etiam nè ante suum majorisq; exercitus adventum, quicquam contra hostem tentaretur, sed secum potius exercituq; Polonico, qui ad Selburgum jam conveniret, copias omnes Radivilus conjungeret, literis ad eum mandarat. Discedentem Venda 29. Augusti hostis secutus fuit, velitationibusque per iter id carpsit; Ipso die quo profectus fuit 10. Sueci à Cosacis in ipsis castris capti, viginti interfecti fuerunt. Etsi autem & ob viæ difficultatem & curruum, carrorumq; qui sequebantur, multitudinem lentius agmen nostrorum incedebat: maxime tamen mercatores tantum qui impeditius progrediebantur, & rustica plebs, quæ cum impedimentis sequebatur intercepti ab hoste fuerunt, quotiesque copiæ aliquæ & ut plurimum quidem Cosacorum oppositæ illis fuerant, in fugam vertebantur. Nuntio classis hostilis, cujus 64. naves in ostium Dunæ jam pervenisse nuntiabantur, adventus accepto, Dorostaiscium Radivilus mittit, qui una cum Rigensibus adventantem hostem arceret. Dux Curlandiæ quoque Fridericus in Curoniam eodem die properavit. Post quorum discessum qui notus ne hosti fuerit, incertum. Sequenti die quæ erat prima Septemb. equites hastati Marsalci excubias nocturnas agunt, ignes hostiles in oculis habentes, Generalis autem cum reliquo exercitu, sub arce Rodumpes pernoctabat, quem sub crepusculum milites, uno circiter milliare inde in custodia relicti, assequuntur. Per loca uliginosa tormenta traducentibus impeditisq; Sueci eo acrius instant, ac in currus irruentes diripiunt. Generalis suis conflictu abstinere jubet, interim vigiles Stabrovij invaduntur, quibus à cohorte Marsalci suppetiæ feruntur, & primo Sueci repelluntur demum in copias universi equitatus hostilis adducti impetum ferre non poterant, in quo conflictu nonulli interfecti, ex veteranis Matias Chlopovius, vir acris & militaris, & Gronscius aulicus Regius. Chodkievicius Rigam contendebat quem & cæteri secuti & sic universi. Eadem die sub Riga noctu castra metati sunt, intra id spatium Farensbecius Palatinus Vendensis in suburbio Rigense aggeres impetui hostili opponit, post mediam noctem irruptione in munitiones Farensbecij ipsemet Carolus facit, cum decē millibus, præcipui peditatus, tribus pugnatū horis, Sueci interficiuntur

untur

untur, mille ducenti; nostri etsi impares numero viribusque suorum sexaginta amissis, reliqui incolumes in arcem Rigensem se receperunt, Carolus etiam tali clade accepta ad sua castra quæ erant intra Novammollam Dunemundam & Rigam omnibus suburbiis & hortis Rigensium, igne & ferro pervastatis regreditur, ob pabuli inopiam in loco arenoso Dzuinam trajicere nostris visum ac Regijs se conjungere copiis. At primum Chodkieviciani cum militibus Ducis Curlandiæ Dzuinam trajiciunt hoc subsequuntur, alius ipse Chodkievicius cum aliquot è suis Rigæ adhuc remanserat, expectando rei eventum. 1. Sept. Dux Carolus cum aliquot centenis profectus ad lustrandum situm Dunemundæ. Erumpunt Dunemūdenses, Suecos totaliter interficiunt, duos equites vivos capiunt, inde ad ipsam Rigam obsidendam castra Carolus collocat, Dunemundæ vicinias ad Insulam Dzuinæ agit, Tormentaq; aliqua campestria in iis collocat quibus mœnia Rigensia impetit, non sine risu aliquo plerorumque. Cum & ob loci intervallum pertingere ad mœnia non possent & nullum omnino damnum iis inferret. Interim Zamoiscius Zelborgum venit. Comitia enim sub finem mensis in Januario Anni sexcentesimi primi habita à Rege fuerant. Sub quorum tempus 1. Idus Februarij sub quod etiam ante biennium mater mortua fuerat. Anna Maria primogenita filia Regis etsi septenio nondum plane expleto magnæ tamen expectationis puella obiit. Sub finem etiam Comitiorum Philippus III. Hispaniarum Rex fama virtutum Regiarum commotus, per Comitem de Ligne, Principem de Spinoes societatem clarissimi velleris aurei, insigneq; ejus vellus aureum ipsum. Quemadmodum inter Principes fœderis ejus moris est, ordinis ejus Aroaldo seu Fæciali ad actum eum simul missum adhibitoque detulit. Millesimo sexcentesimo primo die 25. mensis Feb. in ecclesia collegiatą D. Joannis ante sacrum solenne Rex eum accepit, quatuor receptis inter Principes conditionibus, reliquis conditionibus exemplo Avi sui materni, Sigismundi Primi, cui ab Avo etiam hujus Hispaniarum Regis Carolo Quinto insigne velleris aurei missum fuerat, ob rationes regnorum ordinumq; ab eodem de Ligne mandato, Hispaniarum Regis prolata, qui à summo Pontifice prius facultatem in eam rem acceperat, solenniter solutus fuit. In ijsdem comitiis de Feudo Prussico celebris legatio fuit, cum ipsorum Electorum Marchionumq; Brandeburg. tum Regis Daniæ omniū fere Principum Imperij secularium. Rex Galliarum non per legatos quidem sed literis diligentissime eadem de re intercedebat De quo quidem negotio suo loco plenius dicetur, hoc fortassis loco non prætereundum. Legatus Regis Daniæ Crajus erat elegantis alioquin doctrinæ vir, hic cum studiose in causam an incogitantius, Potentia domus Brandeb. commemoranda, in minas quasi quasdam, in oratione sua profectus fuisse videretur, ostensum collegis ejus maxime Brandeburgicis fuit, beneficia non minus quibus Regnū hoc non moveretur, sed precibus obsequioq; parari solere, qui appellatum eum à se referentes, responsum ab illo ostenderunt, à moribus & instituto suo alienissimum esse, quenquam nedum Regem amplissimumq; senatum verbo aliquo offendere, quæq; dicta à se essent, existimare se, ita interpretari posse ut merito unicuiq; æquo satisfacere possent, qua excusatione ipsius accepta, ulterius sibi progrediendum non existimasse, neq; acerbiore aliqua, inquisitione utendum, aut vero cum antequam oratio ea pronuntiaretur, à se visa non fuisset, contra feudalis Vasalli officium Principem suum impegisse. Etsi autem non solum bellum verum sumptus etiam in bellum decretus fuerat, & ad tributa tamen decreta exigenda, non parvo tempore opus erat: & apparatus maxime autē tormenta bellica, ex universo fere regno, maxime Cracovia Margeburgo. Tikocino Vilna, etiam aliisq; ex locis magno studio laboreque convehebantur: pecunia in arma pannum, aliaq; necessaria militi, maxime autē peditatui tum pulverem, globos, ipsaq; hæc non minore opera parabantur, conquirebanturque, & per complures quidem, hæc quam diligentissime curabantur, ut Joannem Sorcium Succamer. Margeburg. Capitaneum Kissov. qui illi parti rerum bellicarum præfectus fuerat, Stanislaū Zarscinium Vice Capitaneum Margeburgen. Paulum Piaskovium familiarem Zamoiscij, aliosq; nonnullos: ob rerum tamen difficultatem locorumq; intervalla, minus facile explicabantur. Etsi enim Lithuanicæ quoq; militiæ Dux in exercitu erat, futurusq; putabatur, omnium tamē rerum earum curam Zamoisciꝰ, vix non unus sustinebat. Tormenta enim apparatumq; bellicum nunquā in ductorum Lithuaniæ, sed Polonicorum potestate fuisse. Cum Tarnovius Starodubum oppugnasset, tormentis omnibus ipsum præfuisse Georgiū Radivilum qui tum Lithuanicis copiis præfectus fuisset, campū saltem aciemq; curasse: eū morem semper observatum fuisse, nec minus in pecunia conquirenda laborabat; Cumque summa ejus difficultas esset, à sorore sua præfecta Brodnicense, dzialinij pocillatoris vidua triginta millia ab aliis etiā propinquis in diem in usus eos conquisivit. Cumq; miles de confœderatione aliqua Leopoli agere diceretur, quæ eò magis metuēda videbatur, quòd prior impunita mansisset, per Zolkievium tamen in summa inopia mercibꝰ aliquot à civibus Leopol. in diem sumptis sedata fuit. Cosacis etiam in bellum Carolinum stipendia indicta, per Stanisl. Sierakoviū Cubicular. Regium ipsum etiā Regem, quamvis sua sponte satis incitatū quotidianis tamen literis accendere in id non intermittebat. Bello eo agi, nō solum de fama, verūm Livonia etiam Prussiæq; periculo, commoditatibusq; Gedanensibꝰ, si mare navigationesq; hostis impediat, neq; sumptui parceret:

Nullum

Nullum Monarcham, ſine ære alieno, bella geſſiſſe, neque leviter quicquam ducendum. Ex parvis enim initiis contemptus Principum fere naſci. Ex contemptu vicinorum omnium fere ſpes conatusque & audacia ad extremum exitium. Plerisque tamen rebus paratis, cum Zolkievium in expeditionem Livonicam ſecum ſumpturus eſſet, ejus loco Marcum Sobieſcium Palatinum Lublinenſem, limitaneis rebus quartanoq; militi, ex conſilio Zamoiſcij Rex præficit, eiq; Turcicarum Valachicarum vicinarumq; à Ruſſia minoreque Polonia finium negotiorumque, contra Michaelem potiſſimum curam commendat. Jam ante etiam præſidium ad arcem urbemq; Cracovienſem in omnes caſus tuendam Zebrzidovio Palatino Cracovienſi decretum fuerat. Finitimis rebus ita conſtitutis quo citius exercitus conveniret, qui ex iis qui in Moltania militarant, magna ex parte conſcriptus erat, primo Kniſſinum Zolkievio alio itinere interim præmiſſo inde Vilnam Regis maxime qui ante præceſſerat, videndi conſiliaque cum eo communicandi cauſa, ſe contulit. Vilnæ etiam ultra biduum non moratus, verſus hoſtem mox tendit, tandemq; quemadmodum oſtenſum eſt Zelborgum venit, eumq; Rex cum aulico comitatu ſecutus fuit. Ubi univerſus exercitus, tam qui cum Rege, quam cum Zamoiſcio erat, per Pontem è navibus factũ Dzinam tranſit, poſtridieq; ab ipſo Rege recenſetur. Equitum cenſa fuere quatuordecim millia, peditum ſex millia præter eos qui in itinere adhuc erant, quotidieq; adventabant. Radivilus cui in tribunali grandis pecuniæ lis ut putabatur æmulorum operatione peremptorie objecta fuerat, majore etiam ut nonnulli ſuſpicabantur regni militiæ Ducis imperio cedens, Rege ſalutato benignoq; commeatu, ab eo accepto, exercituque Lithuanico Zamoiſcio tradito, cum filio Januſio in Lithuaniam diſcedit. Chodkievicius cum ſuis copiis, itidem Fridericus Curlandiæ Dux in exercitum Regium concedunt; in quo Doroſtaiſcius etiam officio ſuo fungi, comitatuque Regio præeſſe cepit. Nihil magis curæ Regi erat quam ut à mari navibusque Carolum abduceret, itaq; & ante jam ad Rigenſes Zamoiſcius ſcripſerat, illisque ut vel deditionem ſimularent, vel Carolo promitterent, ſi in penitiorem Livoniam vel Kochenhauſium, vel ulterius penetraſſet, & quacunque ratione poſſent, hoſtem fallerent, atq; à mari abducerent hortatus eos fuerat. Neque vero vel à quoquam communionem eam illis objectum iri, vel fraudi apud quenquam, futurum iis ſpoponderat, vel religioni ſibi ducerent, ſi tali hoſti, qui omnia jura divina humanaque violaſſet, & prædonis potius loco quàm hoſtis habendus eſſet, fidem non præſtarent, & tum ad ipſum Carolum literas quibus & ab illo contra fidem jusq; gentium, nulla hoſtilitate prius indicta, bellum Livoniæ illatum, illi exprobrat, & ipſi legitimum bellum indicit, atque ſi vir ſit. Manus conſertum vocat, neve quemadmodum prædones ſolerent, in naves ſe conjiceret, hoſtemq; fugeret, eum hortatur. Verum Carolus 26. Septembr. cum univerſo exercitu ſuo obſidione Rigenſe Dunemundenſeq; relicta in fugam ſe dat, turpiſſime arma, currus, equos & reliqua impedimenta quæ celeritatem tardabant, relinquit. Hos equites nonnulli Dunemundenſ. ſex milliaribus inſecuti, quos aſſequi poterant, interficiunt, & præda onuſti Dunemundum revertuntur: Carolus ipſe primo Lemzaliam inde in Sueciam ſe receperat, Volmariæ Carolidem, Gardianumq; cum parte aliqua exercitus reliquerat: alias arces plerasque præſidiis diſtributis munierat: Naſſovius cum alia exercitus parte Dorpatum ſe receperat. Rex, ex ejusve mandato Zamoiſcius, Volmariam mox obſidere conſtituerat. Zolkievius ut Volmaria potius relicta, Naſſovium ſequeretur, improviſoq; Dorpatũ adoriretur ſuadebat: potius tamen conſilium Volmariæ obſidendæ viſum: verùm Tormenta Zamoiſcius expectabat, maxime Cracovienſia, interim aſperiora tempora jam ingruebant, milesq; ſub pellibus vix tolerare ſe poterat. Legati itidem Moſci adventare jam nuntiabantur. Qui neque ſine maximo ſumptu differri poterant, & ne alibi quam Vilnæ ut ſede magni Ducatus Lithuaniæ audirentur, in mandatis ſe habere dicebant. Cùm ad ſubſidia igitur aliaque neceſſaria paranda, tum maxime Legatorum eorum Moſcoviticorum cauſa. Die quinto Decemb. Vilnam Rex profectus iterum fuit, interim tormenta advenere: Zamoiſciusq; ad obſidionem mox ſe convertit, obſideri. Volmaria cepta fuit. Die menſis Dec. interceptæ literæ fuere quibus Carolides animabatur Ducisq; Holſatiæ & Franciſci Ducis Sax. adventus auxiliaq; illi promittebãtur. Deſideria militũ per quatuor ſeptimanas in maximis frigoribus & incommoditatibus, ſub ipſam oppugnationẽ Volmar. ad Regem à Zamoiſcio relata. Conſtituerant, præfectos aliquos & turmales de iis ad Regem mittere, ſed cum Cracov. tormentis interim advectis, oppugnatio adorienda eſſet, qui deſignati erãt diſcedere ab ea noluerũt. Interim per Zamoiſcium de ſolutione ſtipendiorũ in illis frigoribus, ſummaq; omnium rerum inopia maxime familiæ imprimis neceſſariorũ aliisq; plerisq; actum. Poſtridie quum ad Volmariam exercitus admotus fuit, vineæ mox actæ, Muri Tormentis diligenter quaſſati, binæ ruinæ magnæ factæ, unæ in muris oppidanis, alteræ arcis. Summo mane cum irruptio tentanda eſſet, foramen quod ſupra Caſtrenſes ruinas factum erat, ſubito omne concidens ruinas replevit. Miſſus eo à Zamoiſcio cum omnis generis ignibus, materiaq; ignita, ſi forte incendere exurereq; lignamẽta ea poſſent, Scoticus aliusq; externus miles fuit; Sed frigoribus ſummaque illorũ temporum penuria ex qua nõ pauci obierant: attriti, ut minus alacriter rem adminiſtrarent tardati fuerũt, fruſtraq; tentata ab illis

res fuit. Ratfan, Cap. illor. vir imprimis ſtrenuus & fortis, maximo in conatu occubuit. Oppidanor. muror. foramẽ felici⁹ tẽtatũ. Leſniovi⁹ cũ Pol. & Ung. peditatu mox pgit, irrupitq;. Interẽ ex eqtib⁹ etiã õ pauci. Jac. Potocio, autore & ductore, clamore facto, in muros mox evadunt, duasq; oppidi portas occupãt, ſimul turres nõnullas, & tẽplũ. Pro magnitudine & difficultate oppugnationis õ nimis multi, tamẽ deſiderati, Bieganovi⁹, q una cũ Leſniov. irruperat, globo traject⁹ occubuit, Iſſin, qui Ung. peditatui præfectus à Rege fuerat, ſaucius, reſtitutus ſanitati fuit, peditatui maximis clamoribus ante irruptionem donativum flagitanti mille floreni donati à Zamoiſcio fuerant, ſummæ inopiæ difficultatisq; eorum ratione habita, ſi feliciter ſucceſſiſſet, auctum id à Rege iri promiſſum. Oppido capto Carolides, Jacobus & de la Gardia in arcem ſe recipiunt, ex ea Gardianus cum duobus Præfectis de deditione agunt, obſidum loco in arcem remiſſi, Snopkovius, Korfius, Blankius, maxime, repentinos aliquos impetus militis ut prohiberent. Conditiones propoſitæ, ut Carolides & Gardianus in poteſtatem cuſtodiamve ſe traderent. Durior conditio hæc viſa, oſtenſum alia deditione transigi non poſſe: minus neceſſarius, fortaſſis ſumptus, alendorum illorum: ſed ad permutationem captivorum exiſtimationemq; publicam pertinere id viſum. Aliorum præſidiariorum ſaluti & incolumitati cautum, Romburgum & Mojanum iisdem conditionibus includi cupiebant, non denegandum illis viſum. Nimis enim ſuperbam & crudelem victoriam ut raro vel Deo, cujus beneficio victoriæ obtinentur, vel hominibus gratam eſſe ſolere: Arcem præterea, quemadmodum & oppidum, egregie munitam, ſine ſangvine vix emi poſſe. Carolides cum Gardiano egreſſi, copias Zolkievius ipſe ultra Burtnicum pacate deduxit. De Mojano quatridui deliberatio petita, Ermeſſum Chenelio ut mitteret mandatum, qui de Volmarienſis obſidionis exitu præſidiariis nuntiaret, atq; ad deditionem eos hortaretur. Rumburgum Chilchienius miſſus, quæ præſidia ſi in poteſtatem venirent, ad univerſam Livoniam ſine dubio porta aperiretur. Summam autem operam per Præfectos Zamoiſcius dabat, ut exercitum retineret, maxime peditatus dilabebatur, ſignificabantque nonnulli Præfecti cohortium, vix aliquos ſub ſignis ſuis reliquos eſſe: Coſaci etiam per Koſtkam, Præfectum ſuum, inſtantiſſime miſſionem flagitabant. Zamoiſcius igitur, quidquid torquium Portugalenſium aliudq; auri domo in eos uſus ſecum attulerat, oppignoratum mittit, vixq; magno ſtudio & cura ſeptem millium aureorum ſummam conquiſitam militi prorogat, Regique, ut diligentiſſimam ejus rei curam ſuſcipiat, ſummo ſtudio ſvadet. Carolides, qui non magna cura à patre haberi videbatur, ita, ut ne veſtimentis quidem neceſſariis inſtructus eſſet, ne ultra Rigam duceretur, petebat, negatum, inque Regis arbitrium relatum. Fames erat, frigus, inopia. Regi Zamoiſcius ſignificabat, ſupplementa tam equitum quam peditum imprimis neceſſaria eſſe, ſtipendia itidem & apparatus. Multos jam dilapſos, maxime peditum, niſi per hyemem exercitus retineretur, verendum, ne omnia in poteſtatem hoſtium redirent, graviusq; aliquod periculum Reipublicæ crearetur, gravius id bellum eſſe, quam vel cum Moſco vel ipſo Turca ob portuum, in quibus omnes reditus regni & nobilitatis eſſent, ſecuritatem aut turbationem. Itaq; claſſem etiam habendam, portusque, maxime Gedanenſem, Regiomontanum, Rigenſem, tuendos, in quibus maxime Regno & magno Ducatui Lithuaniæ poſitum, comitia quam celerrime habenda. Volmaria capta, poſtulatisq; militum ad Regem delatis, captivisque, Carolo, Notho, Gardiano, aliisq; nonnullis, traditis. Reſponſum ad eadem à Rege: merita gratiſſimo animo accipi, ad perſeverantiam in iisdem ſervitiis hortari, ſtipendium promittitur, exæquatio ſtipendiorum eorum: qui tardius ſe ſtiterunt, cum iis, qui in tempore tanquam onus, cui Reſpublica ſatisfacere non poſſet, recuſatur. Caduca, quæ nunc diſtribui poſſent, promittuntur, privilegiaq; in ea eduntur, cætera in aliud tempus differuntur. Sub idem fere tempus Moſcovitica etiam legatio dimiſſa à Rege fuit. Miſſi in eam legationem fuerant, Leo Saphia, Cancellarius Lithuaniæ, Stanislaus Varſicius, Caſtellanus Varſavienſis, Theſaurarius poſtea Regni, Elias Pielogrimovius. Mirari quis poſſit, quam diverſis longinquisque è locis religio communisq; hoſtis homines conjungat, diu in cuſtodia, ad ſex fere ſeptimanas, habiti: poſtea per ſpeciem colloquiorum congreſſus aliqui habiti, per quos tamen nihil quam tituli & Livonia repetita, facile ut appareret, temporis ducendi cauſa iſta tantum interponi; dum, quis cum Michaele exitus futurus eſſet, cognoſceretur: Legatique Caroli advenirent. Nuntius interim à Rege advenit, qui cladem Michaelis nuntiavit, quod etſi prius Moſchi cognoviſſent; cum tamen poſtridie publice mox à noſtris ſignificatum illis eſſet, diſſimularunt, cum Legatis interim Sveticis agi cœptum, qui publice, tanquam in pompa, præter hoſpitia noſtrorum traducti. Aliquoties cum illis congreſſi, quid egerint, non ſatis conſtabat, ſubintellexerant tamen, cauſas belli à Rege Carolo datas perſvadere conatos fuiſſe: ad ſocietatem belli, tanquam occaſionem non negligendam, Moſcum invitaſſe: utq; ex Finlandia per ditiones Moſcoviticas exercitum ducere ei liceret, pecuniamq; mutuam petiiſſe, pignori arces nunc in Livonia captas obtuliſſe. Quæ conditiones cum non ſatis certæ aut ſolidæ viſæ fortaſſis illis fuiſſent, ad tractationem demum cum noſtris viceſima demum ſeptimana acceſſerant, inducias viginti annorum conſtituerunt, iis conditionibus, quibus priores ab exitu etiam priorum numerandas. Interim de perpetua pace agendum. Veteres familiæ omnes vel interierant, vel extinctæ erant: omnia Chodonovii ad gubernationem minime apti gubernabant.

Vilnam etiam legati cum veniſſent, non parva cum impenſa theſauri ſtudioſe tempus ducebant: de unione perpetua acturos ſe ſimulantes, nihil tamen ſincere, titulum deinde Czarii obſtinate urgebant. In quem cum aliorum Principum Chriſtianorum, tum imprimis Maximiliani primi literas, cumque Baſilio anni quingenteſimi decimi quarti fœdus: illo Livoniam & Pruſſiam Maximiliano, hoc Kioviam & Lithuaniam Moſco cedente: In quibus titulus is tributus ſibi eſſet, allegabant: Sveciæ deinde, quemadmodum ſui fœderis literas in Moſcovia antea legatis invitis proteſtantibusque obtruſerant, ita, ne in Regis quidem ullo modo eum admittebant; graviſſime, ne aliter facerent, interdictum ſibi eſſe: Res non ſine indignitate erat, ut proteſtatione tamen cum Regis, tum Regni, magniq; Ducatus Lithuaniæ, interpoſita, qua, ſi quid contra Regnum Sveciæ à quoquam tentaretur, Ordines injurias ejus ſalvo fœdere non neglecturos, cavebatur, res finiretur, temporibus tributum fuit. Convivio igitur prius, quemadmodum moris eſt, excepti. Sub finem Januarii anni ſexcenteſimi ſecundi, jurato cum fœdere, dimiſſi fuere. Interim Laurentius etiam Piaſcecius, Succamerarius Braclavienſis, ex Tartarica legatione redierat, antea Nicodemum Coſacovium Aulicum ad renovandum ſolenne fœdus Rex miſerat; ſed cum ante adventum adhuc ipſius & poſtea aliquoties in fines Regni non ſine damno Tartari incurriſſent, neq; illis munera ſolita data, neq; fœdus renovatum fuerat. Ad Socoram cum Zamoiſcio cum exercitu Valachicas res componenti priſtinam cum Regno pacem obtuliſſet, denuo de fœdere utrinque tractatum fuit, miſſusq; tandem Laurentius Piaſcecius, qui illud finiret: Nonnullis tamen de rebus controverſum fuit, imprimis quidem de finibus Regni, quos Rex ad Pontum Euxinum, quem nigrum mare illi hodie vocant, definiebat, illi, quod non tam ſui quam Turcici juris Pontus Euxinus eſſet, de alieno quicquam cedere, integrum ſibi eſſe negabant, ſolitudinibusque & campis interjectis eos terminabant. De loco, in quem donativa illis mitterentur, non nihil etiam diſceptatum: Rege, ut Cameneciam illis deferrentur, inde per ſuos ea peteret, volente. Miſſum non ſatis ex ſententia per illum fœdus fuit: Exemplo tamen Stephani Regis in Moſcovia occupati, quaſi per oblivionem quid omiſſum eſſet, ac fidei ejus aliud poſtea plenius miſſurum crederetur, acceptum diſſimulatumq; fuit. Antequam etiam de fœdere conveniret, ad filiorum ſuorum more Turcico circumcidendorum ſolennitatem cum Regem, tum Zamoiſcium etiam invitarat. Ne contemptus videretur: cum quinque filios circumcidendos haberet, denos nummos aureos, quinos effigie Regia, quinos ſua, Zamoiſcius illi miſerat. A Rege etiam, in uſus ſuos neceſſarios, ſummam aliquam mutuam petierat, miſſa illi duo millia aureorum: quodq; majore ei non ſubveniretur, præſentium bellorum ſumptibus excuſatum: Præter legationes autem, de quibus ſupra oſtenſum eſt, Firlejanam & Opalienianam ad Cæſarem, ex ſuperioribus etiam comitiis, cum Michael Konarſcius, Præfectus Hammerſteinenſis & Palatinus poſtea Pomeraniæ, ad Daniæ Regem, tum Samuel Laſcius ad Joannem Georgium, Electorem Brandeburgenſem, Ducem Megapolitanum, Lubecenſes miſſi fuerant: Konarſcius maxime, quod in negotio Pruſſico pro Brandeburgenſibus, una cum aliis Principibus intercedenti, nondum, tum negotium confici potuiſſet, non ſatis magnam petitionis ſuæ rationem habitam exiſtimaret, à Rege quidem auditus; per Conſiliarios autem ſine ſcripto reſponſo dimiſſus. Quod tamen & auxilia Carolo negata, neutralitasq; promiſſa, & Regi, ſi vel ipſe vel homines ejus in oras Danicas exſcenſionem facerent, vel caſu in eas appulſi eſſent, ſalvus receptus promiſſus fuit. Laſcius ab Electore Brandeburgenſe, ſine ſpe pecuniæ, quam certis pignoribus mutuam petebat, dimiſſus, ne literæ quidem, quod titulus Pruſſiæ illis abeſſet, reſignatæ. Cum Lubecenſibus egit, quod minus contra Carolum hactenus actum fuiſſet, eam cauſam eſſe, quod Rex non hoſtili animo, ſed Regio, pacate in paternum Regnum veniſſet, partim, quod ab Ordinibus Regni Poloniæ nondum decretum bellum fuiſſet, nunc ſine ulla cauſa, non indicto bello Livoniam adorto, non ſolum bellum decretum, ſed ſocietatem etiam ejus, cum ipſis ineundam, ad quam eos Rex invitaret: ut vel per ſe conditiones ejus proponerent, vel legatos de ea ad Regem mitterent, hortatur. Naves Regias & Sveticas, ante ad eos delatas, arreſtat: ſed neutrarum ipſi quoq; partium futuros ſe oſtenderunt. Ne à Megapolitano quidem, ut militem claſſemq; Lubeci conducendi, tanquam tractus ejus Princeps, facultatem permitteret, quicquam magnopere impetratum: Cum in aulam quoque Turcicam poſt Rembovium de Multanicis præcipue rebus alium legatum mittendum Rex ſtatuiſſet, Veſolovium Structorem magni Ducatus Lithuaniæ mittere conſtituerat; à Zamoiſcio monitus, novum omnino futurum, ſi ex magno Ducatu Lithuaniæ in eas partes quis mitteretur, Georgius Kochanovius miſſus fuit, non diſſimili tamen fere exitu legationis à Rembovianа. Cum exercitum Zamoiſcius abduxiſſet, non pauca, tam in Tranſilvania, quam Multania, novata fuerant. Ab initio jam, cum Principatum Tranſilvaniæ Cardinalis Batorius à Sigiſmundo accepiſſet, ut privatam vitam in Pruſſia, maxime Epiſcopatu Varmienſe, agere ei liceret, à Rege petierat, memoriam non ſolum Stephani Regis in univerſum Regnum, ſed ipſius etiam Sigiſmundi ſub prælium Bicinenſe in ipſum Regem meritorum renovans. Reſcripſerat Rex, ut, dum in tutela eſſet, præclare meritus de Regno eſſet, ita poſtquam ſui juris factus fuiſſet, quæ in Moltania, Valachia alibiq; geſta tentataq; ab eo fuiſſent, ut memoria obliterari poſſent, rectius tamen facturum, ſi, quo conſilio in Regnum veniſſe ſe profeſſus fuiſſet, ad exteras nationes ſe conferret. Idem Zamoiſcii conſilium erat, & quamvis Joannis Ungariæ olim Regis à Laſkq hoſpitio excepti, per eundemque Solimanno reconciliati, aliorumq; exemplis non alienum à dignitate Regia ſupplicum miſereri: ſine offenſione etiam utriusq; Cæſaris, tam Chriſtiani, quam Turcici, futurum id duceret: cum tamen ſuas cauſas ejus non fovendi Regem habere exiſtimaret, locum exilii aliquot in locis ei quæſierat: maxime quidem in Dania & Anglia, deq; Dano Marchionem etiam Electorem appellaverat, Danus ſalvum per ditiones ſuas tranſitum ei promiſerat, ut in iis degeret, ne Cæſarem ea re offenderet, recuſarat: ut tamen Cæſarem ei reconciliaret, operam ſe daturum promiſerat. Anglus exilii locum non negarat: literas tamen fidei publicæ eam in rem nullas miſerat. Cum exercitu Polonico abducto Tranſilvania Baſtę tradita, nullam magnopere ſpem Tranſilvaniæ potiundæ habere ſe exiſtimaret, in Poloniam ſe receperat. Non multo poſt à Tranſilvanis mutatis animis iterum vocatus, inſcio Rege omnibusq; adeo diſceſſit. Juſſu Regio, ut vel in finibus vel Valachia retineretur, qua de re Golkovio mandata dederat, in villa quadam Valachica obſeſſus fuit, à que militibus aliquot Tranſilvanicis, qui, adventu ejus cognito, obviam illi proceſſerant, liberatus deductusq; fuit. Literasq; inde ad Valachum dedit, quibus mandata de retinendo ſe data fuiſſe miratur, verſatum enim ſe ultra annum in Polonia, nullius in ſe vim, ſed omnium potius in ſe benevolentiam expertum fuiſſe: ſi inconſulto Rege ex Regno nunc diſceſſiſſet, tanquam libero Principi, integrum ſibi fuiſſe: neq; conſilia ſua unicuiq; aperire neceſſe judicaſſe. Quemadmodum ſupra oſtenſum eſt, Michael, Tranſalpinę Palatinus, ſummo in honore Pragæ habebatur, adq; novum bellum contra Sigiſmundum iterum inſtruebatur, Cæſari, etſi de Tranſilvania & Tranſalpina permiſſum ei eſſe agnoſcebat, de Valachia citeriore negabat, eaq; conditione in gratiam eum receptum confirmabat, ne de Valachia citeriore Poloniaq; quicquam moliretur, aut incommodi quid eis afferret, neque tamen de eo cavebat, potiusque, ut Regnum ab eo ſibi caveret. Ipſe Baſta Ducem Oſtrorogium Januſium, Caſtellanum Cracovienſem, monuerat; qui, locum eum gratiamque apud Cæſarem ei non invidens, decedere de provincia paratus erat: ſed, dum ne Michaelis quidem fidei ſatis creditur, in locum Baſtæ Ferdinandus Gonſaga deſtinatur: qui dum tardat, cum ſupplementis Michael ad Baſtam venit. Sigiſmundus, qui ſumma Provincialium voluntate in principatum receptus fuerat, auxiliis partim Turcicis, partim noſtris aliquot conquiſitis exoratisque, juſtum exercitum paraverat: Cum Baſta congreſſus, ultra tres dies velitationes inter eos commiſſæ, in quibus tamen aliquot centena hominum utrinq; occubuere. Cum ad prælium ventum fuiſſet, primo agmine Turcæ Tartarique cum Michaele, qui ab altera parte in prima acie erat, congreſſi fuere, à quo rejecti noſtri illis ſucceſſere, Michaelemq; fortiter repulerunt, quod Baſta animadvertens, Ungaros haſtatos ſubſidio illis mittit: cui tamen non magno uſui fuerunt, ſimiliter enim à Polono equite in fugam verſi fuere. In eorum igitur locum Ducem Techinenſem cum mille ducentis ſclopetariis, Vekenhauſiumque cum mille octingentis atratis equitibus, ſubmittit, ſimul Michael cum peditatu ſuo ſe colligit. Sigiſmundani cum fatigati in recentes ac ſine haſtis fere incidiſſent, vim eorum ſuſtinere non potuere. Turcæ Tartariq; in fugam mox verſi, è Polono equitatu pauci evaſerunt. Etſi enim Tranſilvani auxilio illis veniſſent, contra tamen à Baſta etiam, auxiliis aliis Germanicis ſubmiſſis, fuſi fugatiq; omnes fuere. Peditatus Tranſilvanicus omnis periit, tormenta triginta, minorum campeſtrium ad centum, ſigna militaria centum ſeptuaginta capta fuere. Prælium id ſecunda menſis Auguſti anni ſexcenteſimi primi pugnatum fuit. Sigiſmundus ipſe cum Czakio, aliisque primariis, in Moldaviam per montes ſe recepit, jamque Conſtantinopolim cogitabat, vel etiam Regno Poloniæ certis conditionibus ſe dedere. Cum mirabili interim caſu, poſt pugnam Michael ab ipſo Baſta interficitur, vel quod ad imperium Tranſilvaniæ iterum eum aſpirare intellexiſſet, vel quod Tormenta Tranſilvanica, victoria ea parta, ad oppugnandum Fogaraſcium, ubi uxor filiusq; ejus detinebantur, occupare voluiſſet. Ad proprium tentorium ipſius, Germanis Vallonicisq; cohortibus aliquot miſſis, interficiendum eum curavit, vel, ut quidam confirmant, in ſuum tentorium ad ſe vocatum, cum de tormentis iis pertinatius ſecum egiſſet, clava in pectus impulit, prolapſumq; confici juſſit. Ex hominibus ejus trecenti ſimul cæſi, reliqui, ad duo millia, fuga dilapſi fuere: ac tandem perfidiæ ſuæ exitum reperit. Habitu corporis ſicco fuit: ambidexter, barba longa: intuitu turpis religione vel nulla, vel, quæ par illi eſt, paganica. Uxorem filiamve per vim alicui auferre, pro nihilo illi erat, militem licentia crudelitateque ſua maxime ſibi devinciebat: quo conſilio, ſi vidua intra annum alteri non nupſiſſet, ut poſſeſſionibus fortunisq; ſuis cederet, conſtituerat, ſtipendia tamen eidem raro ſolvebat, ..c ſi quis ea flagitaſſet, in eum maxime ſæviebat. Valachos maxime innifos habebat, inq; venationibus adeo loco canum opera eorum utebatur, neque ſuis ſolum hominibus, verum univerſæ etiam fere Ungariæ terrorem incuſſerat.

Cædes ejus etiam summo Pontifici improbata non fuit; partim, quod res novas in Transilvania molientem meruisse eam illum putabat, partim, quod causam dissidii cum nunquam eum quieturum fuisse, certum fuisset, inter Cæsarem & Poloniam sublatum fuisse existimabat; quam sententiam suam cum sub ipsum discessum Roma Henrici Firleji nuntium ejus Romam allatum fuisset, coram Firleo declaraverat, cum de Sigismundo profligato acceptum fuisset, cæde Michaelis nondum cognita, cum ad alios Senatores primarios, imprimisq; Castellanum & Palatinum Cracoviensem, Marcum Sobiescium, Palatinum Lublinensem, qui limitaneis rebus præerat, & de nobilitate, vasallis, scultetisque, ut parati essent monendis, ne tam facile injuriæ cujusquam Poloniam opportunam esse, omnibus constaret, literæ datæ. Michaele interempto, Sigismundus, ut ingenio, ita fortuna varia à popularibus vocatus, tanquam ultimos conatus suos experturus, copiis partim Turcicis, partim Tartaricis, per Czakium conquisitis, in Transilvaniam rediit: & licet satis commode contra Basstam, res Transilvanicas tum adhuc curantem, se sustentaret, difficultatibus tamen rerum adactus, autore potissimum Czakio, ut in societatem Regni Poloniæ acciperetur, operam dabat. Itaq; primum per Peti, Cubicularium suum, per quem, quod, inscio Rege, ex Polonia discessisset, excusabat, ut in clientelam suam Rex eum reciperet, petebat: per Scucium deinde militem, & alios, conditiones societatis proponebat, ut justi reditus hic in Polonia primum ipsi, deinde Czakio assignarentur, inque ipsum Mariæburgi, inque Czakium Czluchoviæ, locus item in Senatu, cum ipsi Principi, tum Czakio, & Episcopo, petitus. Res cum primariis Senatoribus à Rege communicata, maxime ab Archiepiscopo Karncovio dissvasa fuit, imprimis, quod, ne cum utroque Cæsare, tam Christiano, quam Turcico, Regnum bello implicaretur, verendum esset, ad comitia igitur rejecti. Cum Basta igitur rebus compositis, qui ultro aditum ad gratiam Cæsaris illi patefacturum receperat, ad Cæsarem Sigismundus se confert, à quo Popellianis possessionibus, ante publicatis, acceptis, exilii in Boemia locum delegit. Moltania plane fluctuabat, variisq; casibus agitabatur, obnoxiaq; erat: Post discessum Zamoiscii cum exercitu Simeoni provincia tradita, Radula, qui Gorgovio à Turcis fugerat, interq; Ungaricas & Turcicas ditiones, in finibus Moltaniæ, ex Sabatinis Heidonibusque, à Basta dimissis, septem millium circiter exercitu coacto, vi occupare provinciam conatus fuerat, illo ad Cralonam fuso fugatoque; postea Buzovii, Bojarici generis, extrema pars antea servitii Michaelis, aliis etiam Provincialibus, in partes traductis, primum ob sævitiam, quasi Simeonis, in aula Turcica Radulam petere cœperunt. Cum prius salutem omniaq; sua in periculum adducturos, se ostenderent, quam Simeonem paterentur: itaque ipse Imperator Turcarum literas ad Simeonem dedit, quibus eum hortatur, ut bona gratia, ad tempus potius, ultro Provincia cederet, & vel ad se in aulam Turcicam, vel ad fratrem Hieremiam, in Moldaviam, se reciperet. Rescripserat Simeon ex utriusq; Principis, tam ipsius nimirum Imperatoris Turcarum, quam Regis Poloniæ, autoritate ac voluntate provinciæ ei se præfectum, itaque sine alterius etiam mandato ea cedere integrum sibi non esse. Et videbatur sane gravior nonnihil in Provinciales Simeon esse; cui si alius sufficiendus esset, vix quisquam præter Michaelem Visnioviecium reperiebatur, qui, affinitate cum Buzovscis contracta, provinciam pacaret, & quamvis vexillum à Turca acciperet, quemadmodum Tartari, tamen, cum ab externis Principibus donativa stipendiaq; accipiunt, dicere soleant, dextram manum Principi suo integram servare, levam illi, à quo beneficium acciperent, locare posset. Verum, cum Simeonem minime in animo habere, Provincia cedere, intellexissent, exercitu coacto armis Radulam imponere ei cogitabant. Dum castra metantur, Joannes Tarnovius, qui Polonico militi præerat, cum duabus circiter turmis equitum, an forte reconciliare eos cum Simeone posset, ad eos proficiscitur, humaniter ab illis in finibus primum acceptus, ad certum locum usq; sub spe colloquiorum perduci se patitur. Ubi vel re cum Basta Cæsareanisq; communicata, ex illorum mandato, vel voluntariæ multitudinis concursu, in nostros mox irruunt: perierunt in eo concursu nostrorum ad triginta, reliqui dilapsi. Tarnovius & Snopkovius, qui cum illo erat, in arcem in custodiam sumpti: reliquorum cædes, in furorem multitudinis collata: Ipsi satis humaniter habentur: non satis amico tamen animo consiliove, vel ad Basstam eos mittendi, vel interficiendi, cui tamen rei ipsi Buzovii obstiterunt. Potocius, Capitaneus Camenecensis, Simeoni, armis illorum cedenti, subvenire conatus fuerat, exercitumque non contemnendum, ad novem circiter millium, habere potuerat, sed qui Simeoni merebant, ob unius trimestris stipendia non soluta, ulterius mereri nullo modo volebant, atq; ad duo millia ex primariis discesserant, itaque tota res relicta. Interim Chanus Tartarorum maximo cum exercitu adveniens, Radulam Buzoviosque profligat, castrisq; exuit. Sabatus unus, qui Hieremiæ antea servierat, in occasionem eam intentus, dum prælium committitur, ex conflictu eo cum aliquot equis advolat, Tarnoviumque & Snopkovium ex monasterio eripit, Potocioq; integros restituit. Prælio eo maxima pars exercitus Busoviorum cæsa, multi capti, interq; eos Constantinus, Michaelis quondam deliciæ, quo autore consultoreq; maxime Buzovii excitati putabantur. Simeonem provinciæ Tartarus restituit. Potocium multis literis cum ipse, tum militiæ Præfectus ejus invi-

tave-

taverant, summam securitatem ipsi copiisque ejus promittentes. Verum ille non satis tutum existimans, tantæ multitudini barbarorum se credere, à Rege ad Sobiescium se revocatum rescribit, res non sine consilio Nobiliorum, ut Tartaro potius quam Regi deberent, acta existimata. Ante pugnam cum Tartaris, literas ad Regem Cæsar dederat, quibus Radulam Moltaniæ, tanquam sui juris provinciæ, Præfectum significabat, utque à Rege Poloniaque pacata omnia experiretur, postulabat. Rescribere ante Rex de Moltania solebat, pro suo libitu Cæsar de ea statueret, tum mutato rerum statu scire se dudum illam Turcæ tributariam fuisse, in eaq; Vaivodas pro ipsius libidine constitui destituiq; solitos, proximeq; adeo Michaelem ab ipso constitutum fuisse, qui qualis in ipsum Cæsarem fuerit, eum meminisse, Simeonem postea à se constitutum, commodo, ut putaret, Christianitatis, cui Radulam sufficiendo, se præsertim inconsulto, & dum juris temperamentum, cujus spes facta sibi fuerat, expectat, quam erga se amice fecisset, ac non solum in universum Christianitati, verum suis etiam rebus, quam bene consuluisset, ipse videret. Ad se enim deferri magnam partem copiarum Radulę, Tartaris concisam, Simeonem ab ipso Chano magnis copiis in provinciam reductum, in cujus ob id fortassis autoritate futurus esset, aut omnino postea à barbaris provinciam occupatum iri: Verum, ut ad Livonica redeamus, Volmaria capta, rebusq; ibi constitutis, viciniora castella nonnulla in potestatem recipiuntur, ac primum quidem Chelmetum Chilchienii Vendensis Notarii, solius fere industria, qui fidei Præfecti se credens, arcemq; non sine periculo ingressus, cum ipsum tamen Præfectum, tum præsidium ad deditionem faciendam induxit, Syndicus hic antea Rigensis, exq; Syndico Notarius terrestris Vendensis invidia factioneq; popularium, quod Godomanum tum Syndicum ex curia pullasset, exilio locum mutare coactus fuerat, primo in prætorium vocatum, capitis supplicium postridie de eo sumere cogitarant: verum à Farensbecio, Palatino Vendense, ex prætorio & postea urbe eductum proscribunt, in quo exilio à Zamoiscio receptus, utilem multis in rebus operam illi navabat, Chelmetoq; recepto, Hermetum etiam vix non ejusdem opera in potestatem venit. Post Chelmetum & Hermetum receptum, Kierempecio deserto presidiarii excesserunt, Novogrodenses de deditione tractare cœperunt, Kierempecium magnus gradus ad Dorpatum, de cujus obsidione Zamoiscius cogitabat. Dum autem apud Zamoiscium Nuntii Novogrodenses sunt, Scotus quidam res turbat: postea tamen promissis stant, atq; ita Mariæburgum & Zelium, Romburgum intercisa à tergo relinquuntur. Ut ne literas quidem eo hostes mittere possent, exercitum inde Auxam Moisam movet, sub Moscoviam, ibiq; per tres septimanas hybernare constituit, commeatus causa, si quid forte ex Moscovia, cujus tamen ibi quoque exigua copia, nancisci posset. Literas interim ad Archiepiscopum aliosque Senatores Zamoiscius dat, quæ gesta hactenus fuerint, quæque porro necessaria sint, significat, tam supplementa quam apparatus bellici, & supra omnia stipendia. In periculo non solum reliquam Livoniam, verum Rigam etiam, Curlandiam, Lithuaniam, Prussiam futuram esse, si hostis, quod facile illi futurum esset, exercitu dilapso, desertas & imparatas arces iterum invadat, ac recipiat. Ostendit, quæ ex majore Polonia turmæ fuerint, omnes discessisse, peditatum itidem fere omnem, Cosacos ægre ad id tempus se retinuisse, fecisse se, quæ potuerit: unum civem omnium vicem præstare non posse; Rogat loco suo senatorio, una cum aliis Senatoribus Regem juvent, Remque publicam sustineant. Interceptæ sub id tempus Nasovii literæ fuerant, quibus de subsidio sollicitabat, vix per tres septimanas sustinere se posse; idem sibi futurum Regi significat, exercitum omnem fere dilapsum, aliquos fortassis Ermetium, Mojanum, Rumburgum distributos: Lithuanos fortassis etiam aliquot penes se habere, mandaret eis, ut, quæ possint, auxilia mittant; itidem ad Rigenses, Curlandiæ Duces. Diem criticam futuram, quamprimum navigatio aperta se hosti esset: ultra duos menses esse: Ex quo filius ad illum scripserit: silere, nihil respondere: ex quo non de tractatibus, sed bello totum eum cogitare satis appareret: paratissima ex Lithuania vicina supplementa auxiliaq; futura. Caduca Livonica possessionum, quæ publicari possent, ab ipsis militibus indagatarum, indicem Zamoiscius ad Regem miserat, ut, quæ, exemplo Stephani Regis, cum militis, tum aulicorum, Livonumque etiam fidelium beneq; meritorum, tum Svecorum etiam nonnullorum rationem haberet, ab eo petierat. In caducis plerisq; conferendis ecclesiastici juris per oblivionem, mentionem fieri præteritum fuerat; ut tamen in diplomatum ipsorum cuiq; traditione coram iis caveret, Zamoiscio Rex mandarat, ostendit Regi, satius fuisse, vel aliquo generali privilegio, vel ante, vel nunc, circumducta data, id sanciri, vel in ipsis literis donatariorum facturum, tamen, quod Rex mandaret, & penes traditiones privilegiorum id exceptum. Pensiones binas Novogrodecensibus ex pacto deditionis assignarat: de quibus cum Rex deliberaret, optabat, ut eo sumptu alias arces, maxime ipsam Revaliam, habere posset. Mandarat Rex, ut, qui ex satellitibus desertoribus inter hostes caperentur, proditorum loco, quemadmodum erant, haberentur, si præsidio aliqui se adjungerent, illudq; impunitatem sibi pacisceretur, aliterq; deditionem facere nollet, an ea includi deberent, aut possent, quærit. Cum post captam Volmariam magnus in exercitu tumultus esset, obque inopiam omnium rerum omnes domum spectarent, multi insalutato Zamoiscio discederent, peditatus omnis dilaberetur. Consilio cum

Palatino Vendensi, Castellano Leopoliensi, qui soli ex Senatoribus in exercitu reliqui erant, habito Carolidæ, quomodo primum de induciis, si nimirum omni Livonia, quæ in possessione Regni & magni Ducatus Lithuaniæ fuisset, statim cederet, & comitiis interim indictis, si ad ea legatos mitteret, Reipublicæ satisfaceret, de honesta pace, per Ordines cum Rege, concilianda ad Patrem scriberet, salva dignitate publica præscriptum fuerat. Perque ipsum Palatinum Vendensem, per occasionem mentionis, ab ipsa Carolide antea factæ, traditum fuerat, primum ad Nasovium eas literas dederat: postea homini externo gratius bellum, quam pacem, esse ratus, per aliam occasionem Riga scribit: missæ postea literæ Caroli, ex Albo Lapide, ad Zamoiscium; quibus significat, ad priores literas Zamoiscii jam ante se respondisse: de quibus nihil Zamoiscio constabat: quærit, an de induciis, aut pace, quid mandati haberet, quo de tempore & loco communicare inter se possent, quid ad eas literas respondere deberet, Regem Zamoiscius consulit: suum etiam consilium significat, non repudiandam tractationem, salva dignitate publica: Conditiones etiam, quę proponi possent, ostendit. Nuntii ad Carolidem Rigam venerant, iis Rigenses, ut ad exercitum irent, svaserant. Zamoiscius, ut potius recta in aulam, ex eorum mandatis rectius statuturum. Rex, cui notum ingenium Caroli erat, mentionem pacis, à Zamoiscio ei injectam, non satis quidem probabat; ut quem majores ex ea re spiritus sumpturum sciebat: verum, cum ex dignitate publica factam eam cognovisset, & totam nihilominus in sua potestate futuram intelligeret, ut in ea pergeretur, permittebat. Deliberabat Zamoiscius, Dorpatum ne an Felinum exercitum duceret. Sed circa Dorpatum, per aliquot milliaria, omnia vastata exustaque: in ipso Dorpato præter aliquot centenos equites & tria millia peditum: apud nos peditatus fere nullus erat: Felinum itaque, quamvis non minores fere difficultates ibi quoque essent, ducendum tamen statuit: quo dum tendit, naves circa Parnaviam aliquas esse, à Rigensibus nuntiatur. Designantur ad eas incendendas Cosaci, exercitu ad vicinum Felinum jam progrediente, sed cum non satis constaret, Sveticæne an Lubecenses essent, quid de Lubecensibus statuendum, dubitabat, verum res non levi studio à Zamoiscio suscepta, vel non successit, vel discussa tamen fuit. Per omne id tempus belli maxime cum classe Carolus vagaretur, atq; ad ipsam Rigam eam ostentasset, ut propugnaculum, exemplo Gedanensium, portus muniendi causa, locare in eos sibi liceret, Regem appellaverat, jam ante à Stephano ei rei cautum fuerat, & tum à Zamoiscio omnino dissvasa, ne forte Laterna Gedanens. ex eo fieret; quam ex parva contemptaque turricula crevisse in hanc magnitudinem, quæ nunc cerneretur, constaret. A discessu Volmariensi Cosaci secuti exercitum semper fuerant. Ante Iberpolum aliquot milliaribus percedere eum cœperant, cognitoq; Nasovium exiguis cum copiis Iberpoli esse, repentino adventu opprimi eum posse, rati, cum exercitu eo præcurrunt. Die Mercurii, antequam venirent, discesserat: Illi die Jovis summo diluculo perveniunt, ducentos circiter equites, qui in præsidio erant, in arcem compellunt, ipsi portam arcis non satis jam consulto invadunt. Præfectus illorum Kostka globo à suis aliquibus, ut putabatur, à tergo trajicitur. In locum ejus Gabrielem Krupnievicem, qui superiore anno in Moltania illis præfuerat, præficiunt. Cosaci cum longius exercitu Felinum proficiscente discessissent, parsq; eorum moram faceret, interim centeni aliquot equites, quos Dorpatum versus Nasavius mittebat, è Dorpato aliqui egressi illos adoriuntur, impedimentaq; & caros diripere incipiunt. Illi se recolligentes aliquos ex illis interficiunt, inter quos Benigam quendam satellitem, olim desertorem Regium, fratremq; ejus una cum aliis capiunt. Dorpato interim ad septuaginta circiter equites & trecenti pedites, excursione facta, Anselmoisam, unaq; cum ea Krzivvczikum Præfectum, qui locum eum curabat, satis alioquin fortiter se & locum defendentem, capiunt. Non multum sane in loco eo positum fuerat, neque enim munitionis fere quicquam habebat, sed quod commodus ad stationes in ea habendas videbatur, ab illis tenebatur. In exercitu dissolutio magna, nonnullæ turmæ non satis dicto audientes, cum à Duce, ut una cum exercitu irent, mandatum illis esset, circa Mariæburgum & alibi arbitratu suo palantes vagabantur, prædisque, tanquam in hostico, intenti erant, difficultatem viarum, quo minus ad exercitum aut Kieripessium, quo deinde mandatum illis fuerat, pervenire possent, causantes: Etsi non solum exercitus, sed tormenta etiam ea via ducta fuerant, inter ea incommoda frequentes montes erant, non solum famulitii, sed ipsorum etiam turmalium. Riga, cui hostis maxime immineret, Felinum versus longius exercitum progressum, quod flumina, lacus, paludesq; frequentissimæ, intercederent, explorationibus, excubiis contra hostem frequentibus exercitus distrahendus erat, Felinum, Magistrorum olim Ordinis Theutonici in Livonia sedes, arx munitissima à campo, montibus, collibus, prçruptis vallibusq; ab oppido, duplici area, muro, fossisque, nuper etiam vallo à campo à Carolo, postquam eam occupasset, munita, oppidum à Cosacis captum Ductore Matthæo Lesniovio, qui primus etiam murum conscendit. Arx inde oppugnabatur, difficillima autem oppugnatio ejus erat, ob locorum difficultatem: montes collesq; ardui: neq; continui, sed interrupti atq; inæquales, difficiliorem oppugnationem ejus faciebant. Verum Finlandi, qui in præsidio erant, quiq; ea conditione Volmaria dimissi fuerant, ut in Sveciam recta irent, si in potestatem venirent, supplicium metuebant. Livones itidem non-

nonnulli & Poloni, qui, Carcusii relicti, præsidium dediderant. Cum tormenta in civitatem traducta essent, & primum antemurale, firmissimus murus, ingeniosissime ab hoste recentib9 & novis munitionibus, fossis, aggere, cespitibus, atque corbibus terrave fertis, bene suffultus, vi tormentorum dejectus esset, captum antemurale est, illud primum, cui hostis vel maxime fidebat. Distrahendi hostis causa, aliis à tergo arcem urgentibus, aliis à fronte in turres & mœnia fortissime atque audacissime contendentibus, aliis patefacta ruina irrumpentibus, eques ad pedes descendit, peditatusque officio flagrantissimo & studio fungebatur. Ne tum quidem magna jactura militum facta est, hostibus acerrime propulsantibus & creberrima fulmina tormentorum jaculantibus, altissima fossa plana visa est. Restabat alterum antemurale, prærupta admodum & perfunda fossa, muro aggere firmatum fossa, interius recens ducta, libratis tormentis dispositis per murorum crepidines nihil, quod aut in arte esset, aut in robore positum, hoste omittente, ardor militaris juventutis, dum hæc omnia excelso animo superare contendit, ipsos inter se impedivit, dum primi in arduum evadentes posteriores post se traherent, neque tamen eodem illo die secundo antemurali longe firmissimo potiti. Periere his irruptionibus ad viginti, sauciati complures, omnibus autem damnis major Georgii Farensbecii, Palatini Vendensis, mors fuit, qui ardore militari Palatini etiam partes transgressus, militis officio fungens, à q; desertoribus proditoribusq; pristinis suis ictibus globorum studiose appetitus, per alvum trajectus fuit, intraq; tertium diem magno totius cum exercitus dolore ex vulnere obiit. Postridie, cum vi tormentorum omnia ruere, collapsa ædificia, labefactata propugnacula hostis videret, neq; ullo modo se posse sustinere, de deditione agere cœpit. Usus lenitate Zamoiscius fuit, fit colloquium: à fraude tamen non discedit hostis: supponit pulveres, qua nostris erat ad ipsos ascensus: seipsum circumvenit. Incenduntur pulveres, & cum aliquos repentina vi corripuissent, Præfectum arcis elatum ad nostros ejiciunt, interposita colloquio fides nihilominus servata, & ad suos redire semiustus permissus. Deditis nihil gravius factum: Germanis, Svecis, Scotis, cum singulis vestimentis, data libertas, quo vellent, discedendi. Livones judicio Regio reservati. Dum Felinum itur capiturque, literis, quemadmodum supra ostensum est, Carolidæ ad Patrem antea datis, de pace seu induciis, partim à Nassovio, partim à Carolo ipso, agi cœptum, primumq; Nassovius ad Zamoiscium de induciis literas dedit, quibus ad Regem mox missis, Zamoiscius eas non dissvadere, ob summam omnium rerum in exercitu inopiam & difficultatem. Serione an fallendi causa peterentur, incertum; sed tamen & caute agendum, & se ipsum omni studio operam daturum, ut licitando cum hoste quamplurimum obtineri posset: interim comitia haberi posse: stipendia supplementa apparatum parari. In istis difficultatibus fieri quidem inducias posse, sed ad exiguum tempus. Si forte ex quartana pecunia, cujus dimidia pars in eas necessitates exercitus Livonici erogari interim posset, posteaq; ex tributis rursum suppleri, contributionibusque majoris Poloniæ, cujus ad quinquaginta millia parata erant, aliisq; subsidiis, difficultatibus istis mederi posset: sin minus deinde prorogari. Dum comitia interim haberentur, quæq; ad bellum summis viribus ulterius prosequendum necessaria essent, pararentur: per quam occasionem tractationis de pace tractaretur, cujus alias vix ulla spes esse posset; Carolum enim Revaliam Estoniamq; sine bello dimissurum, Poloniæque Regno cessurum, vix credibile esse: Induciarum interim negotium cum Nassovio Zamoiscius ducebat, neq; rejiciendo eas, neq; acceptando, certi nihil statuere, nisi literas mandatumq; Regium ea de re prius accepisset: quod in iis intervallis locorum non cito expectari poterat, nisi forte necessitas casusq; belli, qui & varii, intervenire solent, & plerumque nullam moram patiuntur, aliud cogerent. Obtulerant etiam Curlandiæ Duces cum Carolo tractandi operam: neq; Zamoiscius eam respuerat: ad Regem saltem rejiciebat; Animam enim belli tractatus esse dicere solebat. Hac tamen in re si quid faciendum esset, præpropere faciendum esse, neque procul ab exercitu, ut omnibus de rebus certior fieri posset. Verum inter tractatus eos, partim quidem cum Nassovio, maxime tamen cum Carolo, ad contumeliosas etiam literas ventum. Quas primas ad Zamoiscium literas dederat, Germanice scriptas, postea Sveticas, interpretatione tamen Latina adjecta: ac primis quidem ad eas, quas hostilitatem ei denuntiantes, ad Rigam Zamoiscius ad eum literas dederat. Jam tum se respondisse significabat. Cum Zamoiscius nullas se vidisse rescripsisset. Exemplum quoddam earum, quas tum dedisset, Zamoiscio postea misit, ex quibus ex more & jure duellorum: primum ad negationes, inde provocationes perventum. Verum ipsarum potius epistolarum mutuarum exempla subjicere placet. *(Literæ Caroli.)* Salutem nostram pro ratione temporis. Etsi dubitandum nobis esse existimavimus, ad te, Joannes Zamoiscie, quicquam literarum dare: si quidem tu per literas, quæ nobis, cum in procinctu essemus ad Rigam, redditæ sunt, nos injuriosis verbis adortus es: de quo tamen nunquam in mentem nobis venerat, quandoquidem longe aliam de te opinionem conceperamus, tum quod à Deo singularibus prudentiæ donis exornatus vulgo prædiceris, tum quod à DEO jam ingravescens ætas tibi concessa sit, dum nobis, Regio oriundis sangvine, illud adscribis, quod nulla unquam ratione comprobari possit, & res ipsa longe aliter loquatur. Quod ipsum neq; te latet: & nos tum temporis ad istas literas tuas satis tibi decenter respondimus;

dimus; ut hic ea repetere neceſſe non habeamus. Verum enim vero, cum nunquam ullius hominis interitum approbaverimus, animi noſtri ſenſa tibi exponenda eſſe exiſtimavimus. Cum itaq; ipſe non ignores Carolum, & Jacobum de la Gardia, olim Volmariæ Præfectos, denuo nobis per literas ſignificaſſe, te, nomine Regni Poloniæ nobiscum, & cum Regno Sveciæ, ad æquas pacis conditiones conſtituendas pronum eſſe & proclivem, intermittere non voluimus, quin tibi ad illud reſponderemus, non ignorantes, facileq; intelligentes, captivis illis ſine conſenſu & mandato tuo literas ad nos mittere non licuiſſe. Proinde tibi hoc reſponſi dare voluimus, nos quemadmodum belli hujus autores non extitimus, ita neq; æquas pacis conditiones unquam recuſaturos eſſe: dummode illæ nobis, ut par eſt, offerantur; ut, citra ullam conſcientiæ læſionem, & DEO ipſi & toti mundo excuſati ſimus; Si igitur à Rege tuo, Ordinibusque Regni, hunc conſenſum & poteſtatem nobiscum tractandi habere poteris, nos ab æquis conditionibus non alieni erimus. Tu itaq; nobis ſignifices, quousq; tibi in hoc negotio, nobiscum procedere, à Rege Ordinibusque Regni conceſſum ſit: Quod ſi tu nos docueris, de loco tecum conſtituemus, ubi utriusque Regni deſignati Commiſſarii ad æquas pacis conditiones ineundas conveniant. Et nos ex noſtris hominibus ordinabimus, qui huic negotio adſint. Interim à te certiores fieri cupimus, ſi pro more militari captivos dimittere volueris, unum nempe pro altero commutando, vel etiam omnes dimittendo, quocunq; appellentur nomine. Quod ipſum & nos faciemus, & interea captivos honeſte beneq; tractabimus: quod & te decet, dummodo miles bonus audire cupias. Si itaque, captivos illos dimittere, tibi certum eſt, quod utrinq; ſine aliqua obligatione fieri addecet: volumus, ut, qui noſtri apud te ſunt, in Oſilliam mittantur, quo ut & veſtri veniant, quotquot hic in Finlandia detinentur, curabimus: qui vero in Svecia ſunt, quamprimum per hyemem licebit, noſtrique ad nos appellent, ſine dolo ſub Principis dignitate Gedanum transmittemus. Quid tibi hac in re agendum cenſeas, de illa per literas, aut quacunq; alia oblata occaſione, nos certiores reddideris, interea fortunam tuam experiare, ut, quæ è re tua fore videbuntur, ne intermittes, nos interim ad vindictam & juſtam defenſionem, ad quam ſatis ſuperq; coacti ſumus, & irritati, nos pro neceſſitate parabimus. Datum Stokolmi, 17. Februarii, anno Domini 1602. Carolus. *(Literæ Zamoiſcii.)* Illuſtriſſime Dux: Accepi tuas literas, quibus ſignificas, te initio deliberaſſe, an tibi ad me eſſet ſcribendum, propterea, quod te læſum à me exiſtimares literis, quas ad te per tibicinem, cum ad Rigam eſſes, miſiſſem. Scribis ſecundo loco, te à tractatione pacis componendæ, inter Regna Poloniæ & Sveciæ, animum habere non abhorrentem: poſtremo adjungis de liberatione mutua captivorum. Quod attinet ad meas literas, ſcripſi more & inſtituto Majorum, qui hoſtibus ſuis, quibus cum bella, ab ipſis læſi, gererent, arma contra ipſos jure à ſe ſumpta ſemper clare & aperte denuntiarent. Cujus rei exemplum in hac ipſa Livoniæ provincia reperitur, cum ad certamen armorum ventum eſſet: & quicunq; hactenus militaria imperia in Republica noſtra adminiſtrarunt, hac ſunt perpetua conſvetudine uſi: à qua ne mihi quidem ipſi diſcedendum fuit. Scripſi igitur ad te, ut ad hoſtem. Scribis eis literis te reſpondiſſe. Nullas tuas literas ea de re, ac ne tibicinem quidem, etiam dum vidi: neque, quale id reſponſum fuerit, ſcio: ſimul nec, quid continuerit in ſe, ignoro. Si quid honeſtati meæ in ea adverſabitur, talem me tibi præſtabo, qualem æquiſſimum eſt eſſe eum, qui &, quid ad honorem ſuum pertineat, norit, & vel cum profuſione vitæ tueri certum habeat. Regis filium te ſcribis, nec ego nego, addo fratrem & patruum Regium, & ſangvinem tuum cum Regis mei ſangvine communem magnifacio. Velis & tu palam teſtatum orbi facere, eundem tibi carum eſſe: ac vero noli Nobilem Polonum, vetuſto genere atq; in libera Republica natum, & in ea præcipuis magiſtratibus præditum, contemnere, ab eo ego me contemptu vel ſenili mea dextra, inſtituto militari, vindicarem. Neq; tu eſtimare debes Nobilitatem Polonam ad modum nobilium aliarum nonnullarum Provinciarum, in quibus ſervitutem ſerviunt, ubi pro libitu ad necem trahuntur, in vincula rapiuntur, bonis mulctantur, à Regibus & Senatu, cauſa inaudita. Sunt quidem antiquæ gentes nobilium, tot ſeculorum intervallo, jam inde à Paganiſmo, in familias ac ſtirpes complures diductæ, & ideo quidem tenuiores: campus tamen virtutis exercendæ omnibus patet, & virtuti præmia à majoribus propoſita ſunt, ut non ægre quivis dignus ad opes perveniat. In bonis quisq; ſuis ſubditorum ſuorum pleno jure eſt Dominus. Sunt vero & tales etiam, qui & oppidorum & pagorum numero, & latitudine finium, & ubertate agrorum, & magnitudine fructuum, Ducibus multis externis non cedant. Quanquam ego magnitudinem & claritatem virtute, non pecuniis & agris metior. Nobilium Polonorum & Reges & Principes etiam exteri affinitatem expetivere, atque cum iis junxere: Itaque, ut tu me habebis, ita ego etiam tibi reſpondebo. Humanitate me vinci ſalva fide erga Regem & Rempublicam non patiar, nihil, quod ad honorem meum ſpectat, omittam. Dico igitur te Rempublicam noſtram injuria affeciſſe: dico Regem noſtrum Regno patrio carere: te illo, cum ejus Patruus ſis, potiri. Venio ad ea, quæ ad tractandum de pace ſpectant. Scribis exiſtimare te, quæ de tractatione Carolus filius & Jacobus de la Gardia tibi ſcripſerunt, me ſciente, cum in poteſtate mea eſſent, ſcripſiſſe. Equidem non is ſum, qui negem optatam mihi eſſe inter omnes Principes Chriſtiani nominis, ac maxime tam arcta ſangvinis conjunctione, pacem. Itaq; fateor, cum quidam familiæ veſtræ deditus & obſtrictus mentionem pacis feciſſet, doluiſſetque, quod familia veſtra tam ſe ipſam ad hunc modum oppugnaret, cum vel maxime florere poſſet: tanta generis veſtri gloria Regno Poloniæ ampliſſimo ac nobiliſſimo, fratris tui filio, liberis ſuffragiis, ante alios tantosque competitores delato: cumque hoc libenter Carolum filium audiviſſe, delatum ad me eſſet, fateor, inquam, me illum non prohibuiſſe, ſed cohortari juſſiſſe, ut hoc etiam ſuis literis complecteretur, id quod placere tibi ſcribis. Qua de re ad ſacram Regiam Majeſtatem per diſpoſitos equos retuli. Non homo, ſed belua eſſem, ſi pacem cum dignitate ſacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ ac æquitate conjunctam rejicerem. Si clarius de rebus iis ad me ſcripſiſſes; quomodo Regiæ Majeſtati & Reipublicæ ſatisfacere velles, quid de voluntate Regia ſperarem, facilius tibi præſcribere potuiſſem. Quidquid tamen ejus Majeſtas reſcribat, quamprimum ſcies. Humanum eſt, longius interdum primo illo animorum motu digredi, prudentiæ vero, & ingenii impetum ſuſtinere, & in viam redire. Magnam ingenii laudem omnes tibi, quibus ſpectata eſt vitæ tuæ conſvetudo, tribuunt. Nihil autem ad conjunctionem, cum propinquis & cum alienis tuendam, præſtantius, quam ſuis ſe finibus tenere, alienum non appetere, ſuum cuiq; tribuere, læſis ſatisfacere. Gravitas, amplitudo Regiæ veſtræ familiæ à te poſtulat, tuæ vero ſtirpis liberis tam parvis ſalus hoc uno continetur, ut in concordiæ portum, ex hisce procellis, aditum tibi quæras. Sed quorſum progredior, non eſt meum tibi de his conſulere. Utere tu ipſe tuo judicio. Nunc de captivis. Hic quomodo ſint liberandi, arbitror te intellexiſſe, è Carolo filio & Jacobo de Gardia, ſi, qua conditione incolumes conſervati ſunt, tibi perſcripſerunt: exiſtimo autem perſcripſiſſe, tractantur autem & habentur bene. Nihil minus naturæ meæ eſt, quam in eos, qui in poteſtatem meam venerunt, ſævire, niſi ſi qui ſunt, ob crudelitatem, miſericordia indigni, Svetici & Finnonici generis militibus, qui in arcium præſidiis fuerunt, quam humanitatem declaraverim, exiſtimo te ex ipſis intellexiſſe, quos incolumes à me dimiſſos, neq; ulla ignominia notatos, non dubito ad te perveniſſe, nec ſolum ex arcibus, ſed & aliis diverſis locis captos dimiſi. Referam ad ſacram Regiam Majeſtatem de loco & tempore liberationis utrorumque: ex parte Regia omnium Polonorum, Lithuanorum & Livonum, qui fidem Regiæ Majeſtati & Reipublicæ ſervarunt, ſtatus ſecularis ac ſpiritualis, mulierumque ac puerorum: ex parte tua Caroli filii, Jacobi Gardiæ & omnium, qui erunt Svecorum ac Finnonum, Livonum tuorum ea eſt cauſa, ut non ſolum captivitate, ſed perduellionis crimine obſtricti ſint. Ad tractationem igitur pacis, ut ab initio Carolo filio declaravi, differenda eſt. Si deinceps voles ſcribere, velim, Latine ſcribas, facilius & melius animi tui ſenſa intelligam, & tibi plenius reſcribam. Qua lingva ad me ſcripſiſti, eſt mihi ignota. Latina utriq; noſtrum, ut opinor, cognita, interea, dum hæc inter nos aguntur, ego non ceſſabo, ſed, quidquid in rem Sereniſſimi Regis & Reipublicæ futurum exiſtimabo, agam. Hoc tibi clare ſignifico. Datum in Moiſa circa Felinum, die 13. menſis Aprilis, anno Domini 1602.

Scribo ad te ſingulari numero, te compellando, pro Latinæ Lingvæ conſvetudine, qua Imperatores etiam ac Magiſtratus ita compellabantur. Nec ego Latinè me à te aliter compellari cupio: Germanicum Du Nobilibus Polonis & Senatoribus ac Magiſtratibus non convenit. Inferiori ordini hominum illud relinquas. Tuæ literæ ad me perlatæ ſunt X. Aprilis anni correcti.

(Literæ Zamoiſcii.)

Illuſtriſſime Dux, jam ad te dederam literas meas, quemadmodum promiſeram, accepto reſponſo à ſacra Regia Majeſtate de induciis & de pace tecum tractanda, easq; Revaliam miſeram, quas ſe recte accepiſſe, & ad te miſiſſe, reſcripſit ad me Comes Mauritius, cum mihi redditæ ſunt tuæ literæ, quibus prioribus meis literis reſpondes, itaque non habeo, quod hisce literis tecum agam, cum plene & dilucide, tam de induciis paciſcendis, quam de pace poſt tractanda, ſententiam & formam, ex miſſis literis, quas jam perlatas eſſe arbitror, perſpexiſti. Nam quod ſcribis, ut demonſtretur à me locus, in quo conveniant Commiſſarii, non video, in tractandis induciis hisce eorum magnum uſum fore, ſi id tamen vel ad honorem putas pertinere, vel ad devitandam tuorum invidiam, mittas licet aliquos. Qui Revalia de adventu ſuo certiorem faciant: licebit, ut obſidibus, & fide publica datis & acceptis, ad pontem inter Vaiſeſteinum & Revaliam conveniant, modo tu mihi literis tuis, de conditionibus induciarum, ad meas diſerte reſpondeas, & eo, quo ſcripſi, modo animos Ordinum Reipublicæ noſtræ graviter à te læſos lenias. Scripſeram jam ad te antea, ut, quid eſſet tibi ſcribendum ad me, Latine ſcriberes, ſcripſiſti Sveca, tua lingva, interpretatione Latina, ſine chirographo, adjuncta. Quaſi difficile mihi foret, ad te Polonice, aut Poloni Slavi cum ſint, Slavicis characteribus ſcribere, & interpretationem ſimul addere.

Quid juvat: bis idem agere, inanis opera & ſuperfluus labor. Nam neque mea quidquam intereſt, ſcire Svetice, neque tu Polonice diſces. In ſeriis rebus ſerio eſt agendum, & neceſſe eſt,

ut ea, quę promittes, lingva cõmuni Chriſtianorum ſcribantur, & ab utroq; ſubſcribantur: propter certitudinem & firmitatem rerum, quæ conſtituentur. Quod ad liberationem captivorum attinet, ea fieri debet, ut & Carolus filius tibi denuntiare debuit, & tu poſt ſcripſiſti, & ego tibi reſcripſi, dimiſſis omnibus utrinque, præter Livones, qui ſunt ſacræ Regiæ Majeſtati & Reipublicæ perduellione obſtricti. De locis, in quibus id fiat, jam ante perſcripſi: commodius vero id poſt pactas & conſtitutas inducias peragetur. Datum ex caſtris ad Meimoiſam, die 11. menſis Julii, anno Domini 1602. Adjunxiſti literis tuis exemplum ſine ſubſcriptione, quas ad me dediſſe te dicis, ego quidem eas non acceperam, quibus & te nil in Regem commiſiſſe ais, meque, quod ſcripſerim Regno à te illum exutum, contumelioſe reprehendis, & à me cum aliis bellum Sveticum Rege perſvaſo conflatum affirmas. Cum ea res ad alios etiam pertineat, nunc tibi nil reſcribo, ſcribam poſt è ſententia communi, nunc, cum de pace agatur, ſejungo ego cauſam meam à publica, parcam ſangvini innocentum hominum, ſi tu quoq; induciis eo, quo ſcripſi, modo factis hoc idem vis. Non fundatur ſangvis propter me vel in ſummo populorum utrinque otio, poſſumus nos duo tantum, more & inſtituto militari, ſi non detrectabis, litem inter nos definire. Miſiſti ad me exemplum Latinum literarum, quas ad me jam dudum ſcripſeris, quæ ad me non pervenerunt. Nimis ignavos & tardos habes tabellarios. Meæ ad te delatæ ſunt in caſtra ad Rigam, quas ad te ex caſtris ad Kokenhauſium 24. Septembris dederam, tuum vero reſponſum ad me perlatum eſt 8. Julii, potuit ſtatim cum eo redire, qui meas attulerat, tubicen, quem tu contra jus gentium detinuiſti, neque ad me apparet. Quod me ignominioſis tuis dictis conaris perſtringere, non eſt, quod tibi reſpondeam. Nemo eſt, qui mihi quidquam probri objicere poſſit, niſi ſi qui ſit ipſe totus mendoſus & mendax. Terrarum orbis de me deq; meis rebus geſtis judicium, tum omnes ætatis meæ partes, in hominum luce clariſſima peractæ, atque in præſens, facile orationem tuam refellent. Hæc, quæ mihi vitio vertis, in literis denuntiationis armorum tibi ſcripſi, teq; ad judicium Dei, ut cum exercitu Regio decerneres, provocaveram: cur id refugiſti? Falſo me ais ſcribere & impudenter, quod Regi tuo fratrisque filio Regnum eripuiſti, & ſereniſſimus Rex hoc queritur, ut tu ipſe iiſdem literis agnoſcis, & tu ſpolia ejus Regnumq; poſſides. Prætendis in literis, ad ipſum ſereniſſimum Regem, ejus rei cauſam. An non eſt hoc fateri, quam juſtam vero, judicent prudentes & æqui, culpæ ſummam in me noſtratesque confers, Regi, ut ſcribis, innocenti poſſeſſionem Regni adimis. Tutorem filii Regii, vivente Rege, agis: illum tibi mittamus; Qua ſpe fere infantem ad inimicum, & æmulum? Cœcum orbem terrarum exiſtimas, qui hæc, qualia ſint, non animadvertat. O virginalem pudorem & modeſtiam, en, qui alteri impudentiam objiciat. Hæc etſi vel luce meridiana clariora ſint, tamen vel dextra mea ſenili probabo. Reſponde, utrum velis? De loco & tempore conſtituamus, & genere armorum. In exemplo vero literarum ad illius Majeſtatem, à te ad me transmiſſo, quæ verborum contumeliæ & quæ fæditas, ſi recte judicas, non ſolum Regia Majeſtate, ſed vel te ipſo indigna. Illud vero impudentiſſime mentiris, harum perturbationum me cauſam extitiſſe. Quid ad me Svetica? Polonus Senator ſum, Polonica curo, veſtra neq; cognita habeo, neq; ulla unquam ex parte attigi: Poloniæ Regi, natione Sveco, libere ab Ordinibus electo, fidem debeo, Sveciæ nihil debeo, nec illa mihi: In ultima ego tum Valachia, adverſum alterum hoſtem Reipublicæ, Deo propitio, injuriarum ultore, proſpere rem gerebam, cum tu, ne minima quidem injuria à Republica provocatus, in ejus poſſeſſiones cum exercitu derepente, cum nihil à te hoſtile expectaret, irrupiſti. Cum etiam eodem literas tuas ad me Generoſus Vladislaus Bekieſius attuliſſet, quibus vel mihi ipſe privatim ſtudium tuum deferebas. Itaq; concutias, licet, totam ingenii tui intelligentiam: verſes in omnes partes animum tuum, nunquam à te injuſtiſſimi hujus belli, nunquam atrociter profuſi ſangvinis, cauſam & originem removebis. Quod ſummum, quod cariſſimum, quod ampliſſimum, Regni Ordines habuerunt, id veſtræ Regiæ familiæ detulerunt, ornarunt, primo affinitate, deinde ſceptris Regni. Hæccine eſt injuria? Hoc cur arma inopinata inferres? Conſidera facta tua, & cogitationem ſeriam ſuſcipe, & etiam atq; etiam vide, quid facturus ſis, quidque, ut facias, conveniat. Ego, quidquid ad honorem meum pertinet, nihil in me deſiderari patiar.

(Literæ Caroli.) Poſteaquam jam literæ noſtræ eſſent conſcriptæ, tuas accepimus, quibus incluſa erat ſchedula, qua reſpondes ad exemplar literarum noſtrarum, ſuperiore anno ex caſtris ad pagum Sernicum tibi tranſmiſſarum, & inter cætera nobis duellum offers, ſcias autem, ſi nobis & genere & dignitate par eſſes, hoc tibi nullo modo denegatum iri, qua in re nullis aliis uti vellemus armis, quam ſolo baculo, quo te ita egregie unctum & depexum daremus, ut illius diei & loci noſtrique ſemper memor eſſes. Conſultius eſt, ut te contineas intra limites tuæ vocationis, & cum ſcriba ſis, arma deponas, & calamum recipias, illoq; cum tuis æqualibus manus conſeras. Et profecto pudor te prohibere debuiſſet, quo minus nobis Regio ſangvine prognatis duellum offeres, qui nec genere nec conditione tecum comparandi ſumus.

(Literæ Zamoiſcii.) Accepi tuas literas, Carole

Sudermanne, plenas tumoris, rerum inanes. Confers conflati belli ac effuſi Chriſtiani ſangvinis cauſam in Sereniſſimum Regem meum & tuum: miror id de eo, ad te ſcribi, quod DEO, quod terrarum orbi notiſſimum eſt, & pugnantia te affirmare, cum iis, quæ antea ad me ſcripſeras. Meminiſti ejus Majeſtatem hac culpa liberans, & in alios eam referens. Ab induciis & pace juſta & honeſta non ſum alienus. Cum tractandarum induciarum cauſa miſeris tuos Commiſſarios, tum etiam ego mittam, ad locum, de quo antea ſcripſi. De die cum nihil ſcribas, neque ego quidquam volo ſcribere. Neq; enim ulla alia de cauſa eas tractari vellem, quam quod nolim me eſſe cauſam effuſionis ſangvinis Chriſtiani, ſi Commiſſarii tui juſtas conditiones, & à rationibus ſacræ Regiæ Majeſtatis & Reipublicæ Regni Poloniæ ac Magni Ducatus Lithuaniæ ac inſtitutis non alienas, adferrent, poterunt coire induciæ, ſin minus re infecta diſcedent. Ad pacis tractationem quid requiratur, ex literis meis jam perſpexiſti. In captivis commutandis, ſtare eo debes, quod ante perſcripſiſti: ego etiam ſtabo eo, quod ad te perſcripſi: neque enim mutare ſoleo, quod ſcripſi, aut quod effatus ſum. Familiares tui quid de te ſentiant, mitto exemplum literarum: ut cognoſcas autographum, cum ipſarum chirographum penes me eſt: non credebam iis, quæ de te ſcribunt, nunc jam credo. Quod Latine non ſcripſeris, puto te id facere, aut quod ignoras eam lingvam, aut quia ineptias. Utrumq; non invideo tibi. Dat. ex caſtris ad Meimoiſam die 22. menſis Auguſti, anno Domini 1602. Scheda. Audiebam te hominem cerebroſum & intemperantis lingvæ ac vitæ eſſe. Ingenii tamen in te aliquid ineſſe putabam. Sed oſtendiſti verum illud eſſe, quod de te tui intimi familiares ſentiunt: totum effreno impetu animi ferri, non judicio regi. Scripſiſti ad me ſchedam, qua mirari te dicis, me tibi offerre duellum, cum ſim tibi impar genere & dignitate, cum tu Regio genere ſis: etſi tibi par eſſem, te non aliis armis, quam fuſtibus, mecum decertaturum. Sudericæ hoc prudentiæ, cum ſuperbias Regio genere, non militarium hominum, ſed bajulorum more certamen baculorum proponere: quaſi vero deſint, fuſtes in Polonia & valentes lictores, qui iis cæſos palis, majoris quam baculus amplitudinis & faſtigii, ſuffigant, eos præſertim, qui ſe perduellione fædarunt: & ſi non ſunt proditores per Dei gratiam in Polonia; in Sudermanniæ aula quærendi ſunt. Jam vero, quod ſcribis de genere: eo par omnibus ſum nobilibus, vel ex quibus Reges ſunt prognati: & ita honeſtiſſime natus, ut quivis Regum honeſtiſſime: Titulos Ducum nec appetivi, nec oblatos accepi: contentus ſum Nobilitatis Polonæ libertate. Tibi ſordet nobilis Carolus V. auguſtiſſimæ memoriæ, & ſummi animi Imperator, cum aliquid affirmaret, id fide nobilis viri ſe affirmare ajebat. In te hoc ſolum, quod reſpiciam, habeo, quod eadem familia cum Sereniſſimo Rege meo natus ſis, quod tu ſi curares, aliter cum eo ageres, cætera tuo ingenio tuisque moribus digna flocci facio. Dicis me ſcribam eſſe, & debere arma ſinere. Sum Cancellarius, quod munus non impedit. Electores Imperii, qui illud gerunt, quo minus priorem locum, quam alii Electores & Duces, (ac tanti Duces) teneant. Sum certe Cancellarius in patria mea, ampliſſimoq; Regno, eo jure eaq; dignitate, qua ubivis vel maxima ſunt. Tu fortaſſe Cancellarii Sudermanniæ modo me metiebare, quos majores & excellentiores nobiles Poloni vel privati habent. Nec vero Cancellarius ſolum; ſed etiam Generalis exercituum præfectus ſum: Arma gero pro patria, exercitusque duco ſupra viginti aliquot annos. Nomen meum notum eſt orbi terrarum: actiones meæ honeſtiſſimæ: labores, ſumptus, pericula, pro Republica ſuſcepta, tuum nomen notum paucis fuiſſet, niſi alieni Regni dominatum invaſiſſes, & quidem patruus fratris filii, vel fortaſſe putas, mei loco tironem aliquem tibi cum exercitu objectum iri; ego ſum ætate ſenili, & magna ex parte exacta. Rempublicam noſtram Regni Poloniæ, magnique Ducatus Lithuaniæ, Deus optimus, maximus, divino ſuo Numine & legitimo Imperio regit, firmam ac ſtabilem conſtituit, laudiq; & cultui ſuo dicavit: Habet illa multos Senatores & Nobiles magnitudine animi, uſu belli ac prudentia prętantiſſimos. Patriam tuam à me turbatam quod ſcripſeras, dico te mentiri, & quidquid aliud contumelioſum in me ſcripſeris, aut dixeris, prorſus te mentiri dico, dicamque & ſcribam. Hæc contra meam conſvetudinem, honoris mei tuendi cauſa provocatus, & neceſſitate à te mihi impoſita, & quod tibi promiſiſſem, ita, ut tu mecũ ages, me tibi reſponſurum. Jam deſino; ſatis eſt.

(Literæ Caroli.) Redditæ ſunt nobis, Zamoiſcie, literæ tuæ, ex caſtris ad Meimoiſam, 22. Auguſti, ſtyli novi, datæ, quibus adjuncta fuit ſchedula, in qua, uti impudens & perfidus homo, nos mendacii arguis, variisq; convitiis exagitas, verum ſit tibi dictum, nos Deo volente oſtenſuros, quod etiam toti mundo jam innotuit, te mentitum fuiſſe, nos autem vera loquutos: confidimusque noſtram juſtiſſimam cauſam, & veritatem ipſam, cum tuo tuorumque excidio, DEO adjuvante, manifeſtam fore: & licet non oporteat nos tuis impudentiſſimis contumelioſiſſimisq; literis ulterius reſpondere: attamen, quia ſcribis te ſangvinis humani effuſionem minime cupere: quod utinam ex animo vereque diceres, & re ipſa comprobares, quam tamen labem Tiberis conjunctus cum Rheno vix eluet. Ideo admonet nos conſcientia noſtra, quæ ſemper abhorruit à profuſione innocentis humani ſangvinis, ut tibi ad caput cauſæ reſpondeamus.

Quare, ſi animum pacis cupidum habeas, atq; nobiſcum inducias paciſci velis, id Comiti Mauritio, vicem noſtram Revaliæ gerenti, cui id negotii dedimus, ſignificare poteris. Tecum ulterius literas commutare inſtituti noſtri non eſt: per alios tamen ſententia noſtra tibi innoteſcet. Datæ pridie nonas Sept. anno Domini 1602.

(*Literæ Zamoiſcii.*) Accepi tuas literas, Carole Sudermanne, denuo de induciis ſcriptas; Quare licet, ſi vis Commiſſariis tuis convenire cum iis Commiſſariis, quos ad paciſcendas tecum ex autoritate ſacræ Regiæ Majeſtatis inducias delegi. Ad quam diem & quo in loco debeant, invicem convenire ſignificent, tuas literas non deſidero, & ne meas quidem ad te mittere. Satis mihi eſt, quod terrarum orbis, maxime quiq; Principes & Imperatores & Reges ac Duces longe honorificentiſſimas ſoleant eas ad me dare, tu, quid jus militare & honor præſcribat, ignoras, id tibi eſt diſcendum, ut ſcias, quomodo tu te gerere debeas, cum ex jure militaris honoris manum conſertum vocaris, & qui locus ac jus ſit, depulſive, negative, inter viros militares, ſatis te jam ipſa tua ſtoliditas & impudentia refutat, quid amplius verbis opus eſt, ex caſtris ad ædem Divi Petri, 10. Octobris, anno Domini 1602. Verum tractationum earum is exitus tandem fuit, ut, cum Zamoiſcius Regno ante omnia ſatisfieri ablataq; reſtitui vellet, Carolus autem eorum, quæ in poteſtate haberet, quicquam cedere ſe poſſe negaret, utrinq; intermitteretur. Non multo poſt etiam Naſſovius navi Revaliæ conſcenſa ſolvit. Quos terra aliquot ex comitibus ſuis cum literis ad novercam aliosque diverſos in Germaniam miſerat, Gedano profecti à Joanne Vejero, Præfecto Pucenſe, nunc Palatino Mariæburgenſe, tanquam limitaneo Præfecto, exemplo prioris, qui Curſbachium tempore interregni pernitioſa conſilia Poloniæ inferentem interceperat, detenti, literæq; ad Regem miſſæ fuerunt. Ex quibus ne ipſi quidem Naſſovio à Carolo, de quo querebatur, ſatis fieri apparebat. Per idem fere tempus Daniæ Regis frater filiæ magni Moſcoviæ Ducis relictæ Fedoræ nuptias ambiebat, ab aliquot primariis conſiliariis hominibus, nonnullis doctis miniſtrisque, in religione fortaſſis aliquid novandi cauſa, per Ivanogrodum, primum inde ulterius in Moſcoviam deductus fuit, à comitatu ejus Secretarius Danicus, commeatus petendi cauſa, ad Zamoiſcium excurrerat, ſive vera cauſa ea, ſive, quæ gererentur, cognoſcendi: Humaniſſime à Zamoiſcio exceptus, habitusque, & cum commeatu dimiſſus fuit. Verum amores ii morte à Principe Daniæ empti fuere, qui in Moſcovia ibi obiit. Cum autem viduus eo tempore Rex eſſet, Zamoiſcius vel ipſi Regi matrimonium id imprimis perſvadere conabatur, commoda maxima oſtendebat, tam dotis, quam adjungendi paterni Regni Sveciæ & vel ipſo Duce magno defuncto ipſius Moſcoviæ contra Turcam, etiam Chriſtianitatis utilitatem, quæ ex ea affinitate ſperari poſſet. Poſſe ſe ex Palatino Pleſcoviæ & de educatione formaq; puellæ, & de dote cognoſcere, effigiemq; ejus fortaſſis ipſam habere; Duo enim è ſtirpe magnorum Moſcoviæ Ducum reliqui erant: Filius unus, in cujus locum Pſeudo-Demetrius primus poſtea ſe ſubdidit, ſed & infirmæ valetudinis & rudis & mente fere captus, filiaq; Fedora, tum annis matura, ad quam, ſi fratri humani quid accidiſſet, ſucceſſio ſpectare videbatur. Verum conjugium id Conſtantiæ Auſtriacæ, defunctæ Reginæ ſorori, quæ nunc felici ſydere Regina noſtra eſt, fata jam deſtinarant. Eodem autem fere tempore, quo in Livonia iſta agebantur, in Polonia Bernardus Maciejovius, Epiſcopus Cracovienſis, in Cardinalium collegium à ſummo Pontifice allectus fuit, quod cum agi Zamoiſcius cognoviſſet, cum ad Nuntium Pontificium pro Archiepiſcopo ſimul Gneſnenſe Karncovio partes ſuas interponebat, ob dignitatem Maciejovio ſe favere vix non rectius tamen futurum exiſtimare, ſi Archiepiſcopo Gneſnenſe honoris etiam communicaretur; qui & primæ ſententiæ jus poſt Regem haberet, & cum ex Caſimiri lege ſine conſenſu Senatus honor is accipi non poſſet, tanquam Princeps Senatus, minus invidiæ habiturus eſſet. In Radivilo enim, tanquam Lithuanici nominis, alteriusq; quaſi Reipublicę, Batorio etiam, tanquam Ungaro ac Regis fratris filio, minus offenſum, in aliis primum locum ante Archiepiſcopum, quod ex dignitate Sedis Apoſtolicæ eſſet, vix evicturos. Verum hunc in locum cum incidorimus, aliorum etiam hujus temporis Epiſcoporum mentionem facere non alienum fortaſſis fuerit. Aliquanto igitur ante Georgio Radivilo, Cardinali, Epiſcopo Cracovienſe, & Hieronymo Rozrazevio, Cujavienſe religioſiſſimo Antiſtite, eodem fere tempore Romæ mortuis, quemadmodum oſtenſum eſt, in Epiſcopatu Cracovienſe Bernardus Maciejovius, elegantiſſimus Senator, ex Epiſcopatu Luceorienſe ſucceſſit. Ut autem ab Archiepiſcopatu initium fiat, quemadmodum oſtenſum eſt, Carncovius tum in eo erat. Sed non multo poſt Carncovio ipſo etiam mortuo Maciejovius in Archiepiſcopatu Gneſnenſi etiam ei ſucceſſit, unaq; cum Epiſcopatu Cracovienſe Archiepiſcopatum etiam Gneſnenſem obtinuit. Ac natura quidem ita comparatum eſt, ut ſine vitiis nemo naſcatur. Itaq; in Carncovio etiam conſtantiam conſiliorum pleriq; requirebant: humana tamen virtutibus ſi quis penſet, magnus Senator & amans Reipublicæ fuit. Sed Maciejovio etiam è vivis non multo poſt ſublato, in Archiepiſcopatu Joannes Tarnovius ex Epiſcopatu Vladislavienſi ſuffectus fuit, vixque in Archiepiſcopatu fata eum oſtenderunt, ei deinde ex Epiſcopatu Vladislavienſe Albertus Baranovius, inſignis Senator, ſucceſſit, eiq; hoc tempore Laurentius Gembicius, non minus & ipſe inſignis magnique in Republica conſilii Senator: qui cum apud eundem

in

in Vicecancellariatu, temporibus Stephani Regis, & imprimis hujus Secretarius, poſtea major Secretarius, Epiſcopus deinde Culmenſis, ex eoque, poſt Pſtroconſcium, Cancellarius fuiſſet, poſtea in Epiſcopatu Vladislavienſe, ad extremum in Archiepiſcopatu iisdem fere veſtigiis Baranovium ſubſecutus fuit: nuncq; non minus omnium votis, quam beneficio Regio, ſanctæq; Sedis Apoſtolicæ, Archiepiſcopatui præeſt. In Epiſcopatu Cracovienſe Petro Miskovio, ex Epiſcopatu Vilnenſe Georgius Radivilus, poſtea Cardinalis, proximus fuit: longo tamen intervallo, ex Epiſcopatu enim Plocenſe initio Regni à Stephano Rege ad Epiſcopatum Cracovienſem promotus, per omne id tempus Stephani Regis, perq; aliquot annos in Epiſcopatu eo fuit: cumque ſolida doctrina eſſet, Græcarumq; ac Latinarum literarum peritiſſimus, ad eam etiam ætatem pervenit, ut, raro hiſce temporibus exemplo, nonageſimum etiam ætatis annum ſuperaret. Huic, quemadmodum oſtenſum eſt, Radivilus, poſtea Maciejovius, inde Tilicius ſucceſſere: eoq; nuper admodum mortuo, eccleſiæ ei Siskovius, ſingulari prudentia Senator, ex Epiſcopatu Plocenſe præfectus. In Epiſcopatu Vladislavienſe Rozrazevium, qui initio Regiminis Stephani Regis Carncovio ſucceſſerat, Tarnovius, inde Petrus Tilicius, poſtea Baranovius, poſt Baranovium Matthias Pſtroconſcius ſubſecutus fuit, cujus Vicecancellariatus, cum in proximam ſeceſſionem, Rokos vulgo vocant, incidiſſet, prudentia, conſilio, vigilantia, non parvo uſui Regi Reipublicæque fuit, Pſtroconſcium Gembicius, eo non dudum ad Archiepiſcopatum translato Paulus Volucius, cujus antea mentio facta, ſucceſſit. In Epiſcopatu Poſnanienſe poſt Laurentium Koſcieliecium, quem Stephanus Rex in Epiſcopatu eo repererat, Joannes Tarnovius ex Vicecancellariatu, Laurentius Goslicius, Auguſtanorum adhuc temporum Secretarius, ex Epiſcopatu Przemislienſe ſucceſſerat: Goslicio Andreas Opalienius de Bnino, qui nunc Epiſcopatui ei præeſt. In Plocenſe Epiſcopatu poſt Miskovium, cujus ſupra mentio facta fuit, Nicolaus Dunin Volſcius à Stephano Rege ex Vicecancellariatu promotus fuerat; cui poſtea Albertus Baranovius ex Vicecancellariatu & Epiſcopatu Przemislienſe, Baranovio Siskovius, qui nunc in Cracovienſe eſt, huic Henricus Firlejus è Vicecancellariatu: prius tamen Epiſcopatu Luceorienſe, parvo intervallo ei collato, ſuffectus fuit. In Epiſcopatu Varmienſe poſt Stanislaum Hoſium & Martinum Cromerum, Auguſtanorum adhuc temporum Epiſcopos, alterumq; Cardinalem, Conciliiq; Tridentini Principem, utrosq; autem clariſſimos Scriptores, Andreas Cardinalis Batorius, huic Petrus Tilicius, veteranus multarumque rerum uſu præditus Senator, ut qui Stephani Regis tempore Secretarius major jam fuerat, eum Simon Rudnicius, in Palatinatu Siradienſe nobili claroq; imprimis loco natus, ex Secretariatu majore, ſubſecutus fuit, invitis ſane & repugnantibus Pruſſis. Quod Pruſſus non eſſet, quos ſolos pro indigenis habent, jura ſua violari in eo putabant; ſed ea virtute Senator cum ſit, ut, ſi cujusquam gratia jus violandum ſit, ejus potiſſimum gratia violari id mereatur: ſumma non ſolum virtute apud omnes, ſed gratia etiam & authoritate apud Pruſſos locum eum tuetur. Quod autem ad futuri temporis memoriam & exemplum maxime pertinet, non prætereundum, cum Epiſcopus nullus præſto eſſet, qui in juramentum, quod in Senatum Pruſſicum à Senatoribus præſtari ſolet, ei præiret, David Konarſcius, Abbas Olivenſis, Senatus Pruſſici nomine juramentum ei detulit, ab eoq; accepit. In Epiſcopatu Luceorienſe poſt Maciejovium Paulus Volucius, eoque in Vladislavienſem Henricus Firlejus ſucceſſerat. Nunc Andreas Lipſcius, juris rerumq; Cancellariæ & Reipublicæ peritiſſimus Secretarius, in locum ejus à Rege nominatus eſt. Epiſcopatum Culmenſem Henrici Regis beneficio Petrus Koſtka, vir & ipſe doctiſſimus, inque Græcis & Latinis literis verſatus, ſub adventum Stephani Regis obtinuerat. Ei Petrus Tilicius poſtea ſucceſſerat, quem Laurentius Gembicius ſubſecutus: hunc Matthæus Konopacius è Palatinatu Culmenſe, præfecturaq; Graudentinenſe relicta, ſingulari virtute Senator: poſt quem Joannes Kuczborſcius, loco regentis in Cancellaria Regia complures annos verſatus, multoq; rerum uſu nunc præeſt. Atq; his quidem in Poloniæ & Pruſſiæ partibus. In Archiepiſcopatu Leopolienſe Demetrium Solikovium, à Stephano Rege ad Archiepiſcopatum adhuc promotum, Joannes Zamoiſcius Grzimalius, Secretarius adhuc Stephananus, multisq; legationibus, tam ad ſummum Pontificem, quam Cæſarem, inque aulam Turcicam, maxime autem pace in aula Turcica poſt Uchanſcium conſtituta clarus, ſubſtitutus fuit. In Epiſcopatu Przemislienſe poſt Baranovium, qui Stephani Regis tempore Borcovio ſucceſſerat, Laurentius Goslicius, cujus ſupra mentio facta, ſucceſſit, quem in Epiſcopatum Poſnanienſem poſtea translatum Matthæus Pſtroconſcius, Regni tum Vicecancellarius, hunc jam Sicinius ſubſecutus fuit. Chelmenſem Epiſcopatum, poſt Gomolinium, Georgius Zamoiſcius, Joannis Zamoiſcii, militiæ Regni Ducis, agnatus, ab aliquot adhuc ante mortem ejus annis obtinet. In Camenecenſe Epiſcopatu poſt Paulum Volucium primum, in Epiſcopatum Luceorienſem, inde Vladislavienſem jam translatum, Andreas Prucknicius, ex legatione Neapolitana ad eum prævectus, jam præeſt. Epiſcopatui Kiovienſi Chriſtophorus Caſimirſcius non parvo cum Epiſcopatus ejus cura augmentoque. In magno Ducatu Lithuaniæ poſt Georgium Radivilum, Cardinalem, contentionemq; eam Ordinum de Maciejovio, Benedictus Voina, nunc Euſtachius Volonicius Eccleſiæ illi præeſt. Epiſcopatui Samogitiæ Pacz Lithuanus. In Livo-

Kk 3 nia,

nia, in Episcopatu Vendensi, Stephani Regis studio, à summo Pontifice constituto, Andream Patricium S. Alexander Mielinski, Abbas Trejesnensis, hunc Georgius Senking mox subsecutus, in varia temporum diversitate Livoniæq; fortuna ad hoc usq; tempus versatur. Quorum quidem nonnulla, etsi aliquanto post hæc tempora, quę nunc persequimur, intervenerint, præcipuas tamen nostri temporis Episcoporum successiones uno loco commemorare rectius visum. Felino capto præsidium Iberpolense mox excessit, iis autem in locis vix non sex septimanas Zamoiscius subsistit, commeatum enim ex Estonia ipsaq; Moscovia petere necesse habebat: quę enim communis omnium exercituum lues esse solet, penuria omnium rerum, maxime autem pecuniaria, laborabat. Peditatus omnis, tam stipendiarius, quam vicesimarius, dilapsus fere erat, eques vix retineri poterat, ac si retineretur, vix in trimestre reliquum, meriturum se profitebatur, eaque conditione, si quinquageni menstrui eis promitterentur. Cum illius nulla spes retinendi esset, de quartano milite in Livoniam transferendo cogitatum, sed cum Palatinus Lublinensis Sobiescius diligentissime in eam rem incubuisset, nullis conditionibus, etiamsi stipendia solverentur, ad Livonicam militiam perduci poterant; Etsi autem ante etiam ex tributis, à Thesaurario, pecuniæ aliquæ missæ fuerant, sub id tamen tempus Tarzina etiam cum quinquaginta millibus à Rege ad exercitum venit, pauloq; post Matthæum Niemojevium etiam, alterum ex familiaribus aulicis, nunc Præfectum Starogardiensem Kovalovicensemque, Rex misit, qui, postquam Vilna in Poloniam se recepisset, summo studio necessaria belli procurabat. Habita ab utroq; nomine Regis oratio ad militem fuit, qua ad constantiam eum hortarentur, itaque etsi vix sine seditione aliqua, à quinquagenis tamen florenis ad trecenos menstruos deventum; qui, ut certo illis non promissi, ita negati etiam non fuerunt: iis etiam, qui in Livonia postea remanserunt, præstiti: Non solum autem de milite agebatur, verum de successore etiam Zamoiscio sufficiendo, præsidiisq; constituendis: Zamoiscius enim, cum biennium fere inter summas difficultates Rempublicam gessisset, & cum aliis rebus omnibus, tum valetudine maxime, exhaustus esset, jam antea successorem à Rege petierat, cui exemplo Tarnovii, Mielecium sibi delegantis, ad eum actum solum, seu pro ea vice, tantum non modo Imperium militare, sed provinciam etiam administrandam, maximeq; inter diversæ nationis homines jus tuendum traderet, ac nullum quidem Radivilo Palatino Vilnensi, qui Imperio magni Ducatus Lithuaniæ, summa cum potestate, præerat, si suscipere rem voluisset, præferri posse, satis constabat. Si quid tamen ei obstitisset: cum præsertim Zolkievius etiam, Regni militiæ Dux campestris, magnis negotiis impeditus, remanere in Livonia non posset, in ejus locum Joannes Carolus Kotkievicius, Præfectus Samogitiæ, magnæ spei Senator, & à Zamoiscio imprimis commendabatur, & ipsi Regi maxime placebat. Itaq; ad utrumq; Niemojevius à Rege literas habebat, imprimis quidem ad Radivilum Palatinum Vilnensem: tum, si ille rem non suscepisset, ad Præfectum Samogitiæ; illis Zamoiscius suas addiderat. Sed cum Radivilus in Albam Russiam longius discessisset, ad Kotkievium recta profectus Niemojevius fuit. Ad Radivilum literas nihilominus Zamoiscius dedit, quibus, si in æstatem suscipere rem vellet, summum ejus semper imperium futurum ostenderet. De tormentis militeque in præsidia distribuendo non minus cogitatum, quoad exercitus in Livonia futurus esset, tormenta etiam apparatumq; bellicum in tuto futura: Sine exercitu illa, etiam quocunque loco futura essent, in hostium potestatem ventura. Ejus igitur primam curam habendam Azelium potiora aliqua tormenta præmissa, missusque Lesniovius cum peditatu, qui, ut potiri ejus posset, operam daret. Kokenchausii, Dunemundæ, aliquem etiam peditatum habendum. Kokenchausii non magno præsidio opus esse: aliquot denis, qui portas observarent, Dunemundio, viribus hostilibus à mari exposito, justum præsidium necessarium esse. Itidē Romburgo, qui commodiss. locus ad tormēta apparatumque bellicum deponendum esset. Sub Velino, ob commeatus inopiam, difficulter heretur, cujus causa in Estoniam mitti necesse fuit. Castellanus Leopoliensis cum parte copiarum missus, Vesenburgum interceperat, peditatum Livonicum & Estonicum ad ipsa mœnia Revaliensia aliquoties propulerat. Velitationes aliquot habitæ fuerant, aliud fieri non potuerat. Cum hostis copiam pugnandi non faceret: peditatum Zamoiscius expectabat, qui quidem jam venire dicebatur, sed valde lente. In summa peditatus penuria Jugossovius & Voina singulas turmas ad exercitum ducebant. Cum Jugossovii cohorte de pecoribus quibusdam Rigenses pedites rixæ aliquid contraxerunt. Voiniana cohors nihil cum illis commune habuerat: sed ad Novammollam præcesserat, ibiq; Jugossovium aut cohortem ejus expectabat. Jugossovius apud Castellanum Dorpatensem Rigæ interim est, à quo digressus uno cum puero in itinere interficitur, tota interim civitas, Duce Ekio, Consulis, vel fratre, vel filio, cum tormentis alioque instrumento bellico effusa, utramque cohortem opprimit. Voina periculosissime vulneratus, à viginti & aliquot annis vix tantum cladis tam temere acceptum. In summo dolore, temporis causa, facinus dissimulatum. Interim, cum peditatus ad exercitum venisset, Album Lapidem oppugnare visum, quod quamvis difficillima oppugnatio videretur, si tamen præsidium illud à tergo relinqueretur, quæcunq; aliæ arces ulterius captæ fuissent, non solum exercitui, sed ne literis quidem tutus, ad eas aditus pollicitus fuisset: Cogitarat quidem Laisum exer-

exercitum convertere, sed vel recens exemplum, quam minime securum esset; Album Lapidem à tergo relinquere eum docuit. Ad pontem Navoisciæ, quamvis sub exercitu perculsa fuerat, Turma Cosacica in excubiis ibi relicta. Vicarius, absente Præfecto, sine commeatu Ducis cum aliquot turmalibus ab ea discesserat, per id tempus, pecuniæ causa, ad exercitum, quam per turmalem aliquem petere potuisset. Non magnam tamen inde voluptatem hostis cepit. Kopciovius enim cum turma Przilencii, quam, per valetudinem Przilencii Præfecti, Rex ei mandaverat, ei succurrens, quidquid damni acceptum fuerat, egregie resarcivit, hostem perculit, pontem locumque, in quo non parum positum, recuperavit, hostem ejecit: initium mox non contemnendum factum: via per paludes, etsi non commodissima, versus arcem tamen reperta, per quem peditatus tormentaq; ducerentur, tormentisq; in solido loco mox constitutis, vineæ ducentis saltem à mœnibus arceque passibus sine ullo graviore incommodo actæ constitutæque. Eo, subsequente nocte, tormenta etiam promota: quamvis non satis magnam eorum copiam pro magnitudine oppugnationis habere se Zamoiscius putabat: idque etiam incommodi accesserat, quod id, quæ virgo vulgo nuncupabatur, cujusque globus, quemadmodum alios, ita præsidii etiam ejus muros totos penetrabat, rupta per id tempus fuerat; non tam pulveris vitio, quam sive occulte alicujus fissuræ sive tormentarii, cujus fides nonnihil suspecta ea in arte erat. Cura vinearum & oppugnationis, per absentiam Lesniovii, Paulo Piaskovio demandata. Egregie in ea versatus. Difficillimum sane præsidium oppugnatu erat: copiis etiam omnisque generis apparatu instructissimum fuisse antea cognoverat. Pluviæ præterea continuæ fuerant, sine peditatu frustra etiam tentari res poterat: in Augusto postea cessare pluviæ ceperant, interim peditatus etiam aliquantum, ad mille nimirum, advenit. Cum re ipsa à tergo arcem eam relinquere minime tutum fore deprehendisset, de oppugnanda ea cogitare ceperat. Præsidiarii, vel ob commeatus parsimoniam, vel quod, oppugnationem tentare non ausuros nostros fuisse, existimarent, ultro copias minuerant: commeatus etiam fortassis non satis paraverant. Venerant ducenti ad eos circiter milites, eos dimiserant; centenis aliquot in præsidio retentis: postea aliquoties & subsidium & commeatum importare tentaverant, sed frustra. Re enim animadversa aliquoties intercepti fusique fuerant, à qua parte propugnacula duo munitissima vallumque terræ aliquantum solidæ, sed difficillima oppugnatio. Captivi ab altera parte minus firmos muros esse significabant, sed paludes continuas ad ipsa usq; mœnia. Cum tamen peditatus aliquid interim supervenisset, eo conversus tormenta magno labore per paludem inter continuas fere pluvias deducta, subq; ipsis mœnibus constituta, in loco quidem palustri, sed à quo alius haberi non poterat, vix non septimana integra in vineis tormentisq; ducendis, aggeribus pontibusq; adeo jaciendis, insumpta fuit. Die Jovis muri ex ea parte, de qua dictum, quati cepti, moxq; foramen satis amplum patefactum. Zamoiscius, etsi vi præsidium eo statu non difficulter capi posse, animadvertebat: cum tamen non sine sangvine multorumq; cæde fieri id posse judicaret, simul in hujusmodi arcis occupandæ spe nihil moræ interponendum ratus, simulq; hominibus Regiis, quorum summam super rationem habebat, parcendum, literas ad Præfectos præsidii mittit, quibus periculum præsens eis indicat, salutem, si mox deditionem faciant, offerens, omnem deinceps salutis aut tractationis spem procidit. Rescribunt mox, ut quæ unius tantum horæ spatio, qua deliberare possent, à tormentis oppugnationeq; cessetur, petunt. Zamoiscius, quam minimum temporis eximi, spatiive eis concedendum putans, in munitionibus se esse dissimulat, Lesniovio, qui interim advenerat, ut, tanquam Capitaneus, rescribat, mandat: Ducem ipsum non in munitionibus, sed castris esse, priusquam literæ illorum ad eum mitterentur, tempus horæ exiturum, noctem in propinquo esse: literas quidem ad illum missurum: ut ab oppugnatione interim abstineret, cum mandatum ejus nullum haberet, integrum sibi non esse. Incertum, quid interim fieri posset, svadere, ut, quid agendum sibi esset, mox statuerent. Interim Zamoiscius tormenta continuo displodi, peditatui, tanquam ad irruptionem mox ituro, clamorem in munitionibus tollere, signa manibus tenere mandat. Mittunt denuo, petunt, ut vel dimidiæ horæ spatium ejus triburetur: respondetur, nullo modo id fieri, & ita vix peditem retineri posse: ab exercitu etiam equites & Cosacos confluere, vereri, ut contineri possent: quid consilii caperent, mox statuerent. Mittunt inde petitum, ut ad conditiones tractandas duos ex arce mittere possent, obsidesque, eorum loco, eis mitterentur: respondetur, ut tres mittant, opus esse, Frangelium, Præfectum arcis, Alphonsum Hispanum, qui primus ibi Capitaneus esset, & præter illos tertium aliquem, certique essent, quæ nomine Ducis eis promitterentur, inviolabiliter servatum illis iri: progressi inde ex arce fuerunt, Frangelius & Alphonsus Hispanus, quatuorq; alii: cumque nox jam esset, ut peditatus in officio se contineret, mandatum. Secretario duobusq; familiaribus cura illorum demandata. Egregie in ea oppugnatione Jacobus Potocius se gesserat, neq; solum Præfecti equitum, sed gregarii etiam militis, officio functus: In primis vineis ad arcem Piaskovii & Vozucinscii insignis opera fuerat: in subsequentibus Charlinscii & Lesniovii, omnes alii etiam fortiter se gesserant. Quemadmodum in ludo eo fieri amat, complures in lecto eo honoris occubuerant: non pauci vulnerati. Præfecturam arcis, quemadmodum Rex jusserat, Potocio Zamoiscius com-

commiserat, si in Polonia ei provideretur, illa cessurum; Privilegium interim petit. Inter mortuos in primis vineis Sulaticius, in secundis Domatovius, Otrebovius senex graviter vulneratus, Chorodiscius, Jankovius, Klanicius, itidem senex: in tertii operis vineis ex peditatu etiam nonnulli occubuerunt: vulnerati ultra centum; ita fieri necesse fuit, ob promotionem tormentorum, quæ propter paludes interjectas ad ipsa mœnia sistenda fuerunt. Non dubitabat Zamoiscius, si recentem peditatum habere potuisset, non solum Livonia, sed Estonia etiam ejici hostem posse. Cor enim Estoniæ eam arcem se existimare, caput Revaliam, ventrem Narvam, sub quam si recens exercitus veniret, vix obsidionem sustentaturam, simulq; Revaliam etiam tracturam. Albo Lapide capto, quasi aggeribus ruptis, exercitus dilapsus, initio à Cosacis Zaporoviensibus facto, veritusq; Zamoiscius, ne Lithuaniæ graves essent, literas mox ad Regem dedit, quibus, ut sine mora edicta ad eos mitti juberet, ei suggerebat. Imperium militare, ubi stipendia non mox solvantur, parum valere: Jam ab aliquo tempore stipendia illis non soluta, potestatem præterea militarem & constitutione & exemplis non parum imminutam, permissu divino, incommodo Reip. id fieri, ut contra eos, qui disciplinam, Imperium militare, autoritatemque Magistratus, tueantur, sontes semper patronos suos reperiant, qui incommodo Reipublicæ, ut ægre Magistratibus, faciant; suum inde commodum & voluptatem captent. Biduo post, utcumq; potuit, præsidia Zamoiscius constituit. Jacobi Potocii potissimum svasu aliquot Præfecti remãsere: Remansisset ipse, nisi repulsæ præfecturæ ex eaq; ignominiæ metus dubium eum habuisset. Literis Regis hortandus, ut rediret, vel ex Polonia ad capitaneatum reverteretur, Zamoiscius svadebat, nondum tum Capitaneum Samogitiæ viderat, ut, an in hyemem, aut ulterius tempus, Imperium suscepturus esset, sciret, ut maxime futurus ibi esset. Potocii tamen etiam præsentiam imprimis ibi utilem futuram, Zamoiscius judicabat, Virum esse totum militarem, multum opera illius sub Albo Lapide se usum, ut alteram partem militiæ egregie caleret. Si sufficiens equitatus esse posset, sperare se, ea hyeme, ex Livonia & Estonia, summoveri hostem posse: excursiones ejus prohibendo, Narvam infestando: unde Revaliæ etiam gravis futurus esset, & in Finlandiam gradus patefieri posset, cui rei nisi prospiceretur, verendum, ne Carolus interim se confirmaret, Mosci etiam & Dani consilio ne præveniendos nos putarent: operam igitur dandam, ut, quicunque ibi milites retineri possent, iis denuo stipendia indicerentur. In Polonia etiam milites scriberentur, hucq; expedirentur: sine exercitu enim vereri se, ne omnia ex manibus rursum dilaberentur. Cum, Albo Lapide proviso, ad exercitum Zamoiscius iret, legati à præsidio Leisense eum adeunt, qui deditionem præsidii illius facerent. Mittit eo Lucivinium, è Præfectis Lithuanicis, virum gravem militarem, eumque, ut penes curam præfecturamq; loci ejus Rex relinqueret, petit. Leisio dedito, in spem ipsius Dorpati Zamoiscius veniebat. Ob ipsum vicinum metum, sed exercitum nullo modo perducere eo poterat, qui, cum in summa difficultate incommodisque versaretur, maxime duorum fluminum, Embece, & alterius cujusdam, trajectus metuebat. Vesenburgum pro Lesniovio petit. Peditatus, tam vicesimarius, quam stipendiarius, nullis pœnis aut suppliciis, quo minus diffugeret, retineri poterat. Præsidia tamen arcium, ut poterat, providebat, sua etiam pecunia, quæ allata ei erat, in eos usus erogata. Interim Kotkievicius advenit, curam provinciæ prompto animo suscipit: à milite imparatior erat. Ultra centum equites fratremque Alexandrum secum non habebat. In Albo Lapide etiam Goslavius cum turma remanebat, Felini Dambrova, Leisii Lucivinius: sed cum turma valde attrita, quid aliæ turmæ Lithuanicæ facturæ essent, nondum satis Zamoiscio constabat. Cum ipsum tamen Kotkievicium, tum rem provinciæ diligentissime Regi commendabat, omnem operam dandam, ut exercitus retineretur, stipendiaque in eum necessaria curarentur, quemadmodum & supplementa. Lithuanicos Tartaros utilem operam, si cogantur, præstare posse: peditatus etiam, etsi vehementer dilaberetur, in Albo Lapide tamen octingentos se reliquisse: Felini sexcentos: per alias arces, pro ratione munitionum, copiaq; militum, distributos: modo eæ adhuc, quæ reliquæ essent, constanter permanere vellent, sperare se, ea hyeme, hostem è Livonia pelli posse. Aliquot munitionum muros, & mare cum adhuc aspicere: terram omnem fere in Regis potestate esse. Si per hyemem frequentibus excursionibus infestetur, sine dubio grave hosti futurum. Præfectum Samogitiæ de Narva oppugnanda cogitare, sineque dubio, modo copiarum tantum ei suppetat, utilem operam Reipublicę navaturum, tantam virtutem crescentem hujusmodi, præsertim Senatoris, omni studio alendam esse. Quodcunq; pecuniæ sub Albo Lapide ad se missum esset, ad decem novem millia, ad priora debita, in militem se erogasse, à Thesaurario etiam quinquaginta millia nunc missa, ea quoq; omnia erogata. De pecunia supplementisq; etiam atq; etiam cogitandum. Ad eum autem modum, qui ostensus est, Republica gesta. Sub festa natalitia in Poloniam rediit. Provincia Joanni Carolo Kotkievicio, Præfecto Samogitiæ, tradita; qui & feliciter ad hoc usque tempus eam administravit, & pręclaris aliquot victoriis Imperium illustravit.

FINIS.